BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 F
45

Digitized by Google

P. R.

ANTONII

RVVIO RÒDENSIS,

DOCTORIS THEOLOGI,
SOCIETATIS IESV,
S. Theologiæ Profeſſoris,

COMMENTARII IN OCTO LIBROS

Ariſtotelis de Phyſico auditu ſeu Auſcultatione: Vnà cum dubijs & quæſtionibus hac tempeſtate agitari ſolitis.

NVNC PRIMVM IN GALLIA EDITI, cum duplici Indice; quorum vnus quæſtiones in ea diſcuſſas continet, alter res omnes conſideratione dignas comprehendit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
APVD IOANNEM PILLEHOTTE,
ſub ſigno nominis IESV.

M. DC. XI.
CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

FLORENTISSIMÆ TOTOQVE ORBE CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ Complutenſi,

Pater Doctor ANTONIVS RVVIO, *Societatis* IESV *Theologus*, *S.*

PHYSIOLOGICA Commētaria, Digniſſime & ſapientiſſime Rector, Patres literis, & virtute conſpicui, quæ elapſo anno ſub tutela iſtius clariſſimæ literarum officinæ in lucem dederam ipſius Academiæ viris literarum, & virtutis ſplendore ornatiſſimis, quibus eorum doctrinam examinandam commiſiſtis, ptobata ſunt, at cùm me iidem, quorū ſumma auctoritas apud omnes plurimum ſemper valuit, vt illa ipſa in breuem ſummam redigerem, idque maximo iſtius ſcholæ alumnis (quibus ſemper breuitas cordi fuit) emolumento futurum prudentiſſimè monuiſſent: viſum nec immeritò eſt, meam ſententiam tantorum hominum iudicio aggregare, atque hæc noſtra opera, quibuſdam velut breuitatis cācellis coarctare. Quamobrem, cùm hæ alteræ ingenuarum diſciplinarum nobiliſſimæ Athenæ, tā accenſo ſtudio, tamque inuſitata

humanitate,beneuolentiaque hæc noſtri qualiacunque ingenij monumenta faueant, mihíque ipſe ſub illarum patrocinio non mediocrem vtilitatem compararim:meis profectò commodis inſeruire minimè viderer,ſi non iterum nouum hunc & veterem, nouum diſpoſitu, compoſitu veterem, velut mentis partum illarum nomini conſecrarem. Cape igitur Academiarum nobiliſſima,cape inquam,& carpe hunc tuæ, tuæ,tuis ſcilicet ſaluberrimis ſapientiæ fontibus irrigatæ arboris fructum;paruum,fateor;ad guſtum certò ſcio;voſque lectiſſimi ac fœliciſſimi, lectiſſimæ ac fœliciſſimæ parentis filij,breue iſtud Phyſiologiæ(vt nuper logicæ) compendium apertis (vt aiunt)vlnis accipitote.Vt ita cùm ſua Doctores ſapientiſſimi vota, veſtros nempe in hac literaria palæſtra fructus, tum hæc optima optimorum ingeniorum mater, illuſtre nomen, ſummum decus immortalémque gloriam apud poſteros conſequantur.

Vale ſapientiæ lumen clariſſimum.

IOAN

IOANNES A RIBERA Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Archiepiſcopus Valentinus Regiuſque Conſillarius, &c. Tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus typis mandandi in hac Valentina ciuitate, & Diœceſi librum hunc Commentariorum in octo Ariſtotelis Phyſicorum libros, Autore P. Antonio Ruuio Societatis Ieſu S.T.D. Cuius examen Patri Hieronymo Villanoua eiuſdem Societatis S. Th. Profeſſori commiſimus, & nil Religioni Chriſtianæ repugnans in eo contineri: immò vtilem & neceſſarium omnibus huiuſmodi facultati operam dantibus fore iudicauit. Dat. Valentiæ die 9. Menſis Septembris M. D C. VI.

Patriarcha Archiepiſcopus Valentinus.

De mandato Illuſtriſſimi Domini mei Patriarchæ,

Michaelis Ioannis Yuorra Not. pro Secret.

TRADITI ſunt mihi, ex Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini, Domini Ioãnis à Ribera Patriarchę Antiocheni & Archiepiſcopi Valentini, præcepto hi Patris Doctoris Antonij Ruuio noſtræ Societatis IESV, in octo Ariſtotelis Phyſicos, Commentarij inſpiciendi. Quos ſanè & inſpexi libenter, & probaui libentiùs. Dum in eis Catholicæ fidei ſtabiliendæ multa, Theologiæ capiendæ plura, & omnia denique Ariſtotelis textui, & menti maximè conſona comperi. Quare meritò inſignis Academia Complutẽſis eos denuò typis mandari ab auctore petit. Cùm ex eis fructus non exiguus

† 3 ſcho

ſcholis cunctis ſit expectandus. Quam ob cauſam meo iudicio prælo debent in commune commodum committi. Valentiæ in noſtro Collegio D. Pauli Societatis Ieſu, ſecundo Idus Septembris, 1606.

Hieronymus Villanoua Societatis IESV *Theologiæ Profeſſor.*

E*GO Ludouicus Guzmanus, Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. Claudio Aquauiua Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt typis mandentur Commentarii in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis à P. Antonio Ruuio Doctore Theologo Societatis Ieſu, & ſacræ Theologiæ Profeſſore compoſiti, & grauium doctorúmque hominum iudicio noſtræ Societatis approbati: in cuius rei fidem has literas manu noſtra ſcriptas, ſigillóque noſtro munitas dedimus 19. Ianuarij, Anni 1604. in noſtro Collegio Complutenſi.*

Ludouicus Guzman.

FACVL

FACVLTAS R. P. PROVINCIA-lis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi.*

LVDOVICVS Michaëlis Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. die 10. menſis Maij, anni 1583. & Henrico IIII. vigeſima Decembris 1606. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque illorum permiſſione imprimant, permittit Ioanni Pillehotte, Lugdunenſi Bibliopolæ, vt, *R.P. Antonij Ruuio Rodenſis, Commẽtarios in octo libros Ariſtotelis de Phyſico auditu, ſeu auſcultatione*, &c. ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 28. Septembris, 1610.

Lud. Michaëlis.

INDEX TRACTATVVM, ET QVÆSTIONVM, QVÆ IN HIS OCTO LIBRIS ARISTOTELIS DE PHYSICO AUDITU, ſeu auſcultatione continentur.

QVÆSTIONES PROOEMIALES.

VNiuerſale procemium totius Philoſophiæ naturalis, omnia quæ de hac ſcientia quæri ſolent continens. fol. 1.
De nomine, & acceptionibus Philoſophiæ. ibid.
De primis inuentoribus Philoſophiæ. 2
An Philoſophia naturalis ſit vera ſcientia. ibid.
An Philoſophia naturalis ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica. 4
An Philoſophia ſit vnus habitus ſimplex, & vna ſcientia, vel multiplex ſecundùm ſpeciem. 5
An obiectum Philoſophiæ naturalis ſit ens mobile. 6
De ordine quem habet Philoſophia naturalis, cum cæteris ſcientiis. 10
De vtilitate Philoſophiæ naturalis 12
Generalis totius Philoſophiæ naturalis diuiſio. ibid.
Speciale ac breue procemium in octo libros de Phyſica auſcultatione. 13
De modo procedendi. 14
De ſubiecto huius operis. 15
Generalis diuiſio huius operis. ibid.

QVÆSTIONES ex primo libro.

DVbium vnicum circa textum expoſitum. 17
Quæſt. 1. An neceſſe ſit ad perfectam rei notitiam, omnes cauſas eius cognoſcere. 19
Quæſt. 2. An quælibet ſcientia demonſtret ſuas concluſiones per omnia genera cauſarum. 24
Quid ſit ſentiendum de modo demonſtrandi Metaphyſica. ib.
Quibus generibus cauſarum vtantur Mathematicæ diſciplinę in ſuis

in ſuis demonſtrationibus. 27
An per omnia genera cauſarum demonſtret Philoſophia naturalis. 31
Quæſt. 3. An magis vniuerſalia ſint nobis notiora cognitione actuali confuſa. ibid.
Quæſt. 4. An eadem ſint notiora nobis, & notiora natura vel diuerſa. 40
Quæſt. 1. An totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus. 47
Quæſt. 2. An materia vel ſubſtantia ex ea, ac forma compoſita habeat à ſe partes integrantes, vel ſolum à quantitate eas recipiat. 55
TRACTATVS de terminis rerum naturalium ſecundū magnitudinem & paruitatem, in duas quæſtiones diuiſus. 61
Quæſt. 1. An corpora viuentia habeant terminos ſuæ magnitudinis & paruitatis intrinſecos, vel ſolum extrinſecos. 62
Quæſt. 2. An corpora non viuentia habeant terminos intrinſecos magnitudinis, & paruitatis, vel ſolū extrinſecos. 68
Quæſt. vnica, An prima contraria ſint principia rerum naturalium. 74
Quæſt. vnica, An prima principia rerum naturalium ſint tria, ita vt nec plura, nec pauciora. 83
TRACTATVS I. De materia, quæ eſt primum principium rerum naturalium. 98
Quæſt. 1. An detur primum principium materiale, & ſimplex rerum naturalium. 90
Quæſt. 2. An materia eſſentialiter ſit pura potentia, vel intra eſſentiam includat aliquem actum. 93
Quæſt. 3. An materia habeat propriam exiſtentiam ex ſe, vel ſolum eam accipiat à forma. 98
Quæſt. 4. An materia habeat propriam ſubſiſtentiam partialem. 103
Quæſt. 5. An poſſit materia exiſtere ſine forma per potentiam Dei abſolutam. 108
Quæſt. 6. An potentia ad formam ſit de eſſentia materiæ. 112
Quæſt. 7. An materia habeat appetitum ad formam. 116.
Quid ſit appetitus materiæ, & quomodo ad ea diſtinguatur 117
Primum dubium, an ſit in materia, non ſolùm appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium. 121
Secundum dubium, an materia æqualiter appetat omnes formas vel nobiliores magis. 123
Tertium dubium, an materia appetat nobiliorem formam, dū

minus nobilem habet. 124
Quartum dubium, an materia appetat etiam formas, quas iam amiſit. 125
Vltimum dubium, Quo modo ſe habeat priuatio reſpectu appetitus. 126
Quæſt. 8. An materia ſit vna ſpecie & numero, vel plures. 127
Quæſt. 9. An materia habeat proprietates, & quæ ſint illæ. 133
Enumerantur proprietates materiæ in communi. 134
TRACTATVS II. De forma. 137
Quæſt. 1. An forma ſubſtantialis educatur de potentia materiæ. 138
Quæſt. 2. An formę cœlorum & elementorum eductæ fuerint de potentia materiæ in prima mundi conditione. 144
Quæſt. 3. An formæ accidentales educantur de potentia ſubiectorum. 152
Quæſt. 4. An formæ ſubſtantiales materiales habeant proprias ſubſiſtentias partiales. 157
Quæſt. 5. Vtrum anima rationalis adhuc informans corpus habeat propriam ſubſiſtentiam partialem. 161
Quæſt. 6. An ex materia & forma fiat vnum per ſe. 166
Quid ſit vnio ſubſtantialis, & in quo ſubiecto. 172
Quotuplex ſit vnio inter materiam & formam. 174
Quæſt. 7. An plures formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem numero materiam. 176
TRACTATVS III. De priuatione. 181
Quæſt. 1. An ſit priuatio in rerum natura, & in quo conſiſtat eſſentia eius. ibid.
Quæſt. 2. An vnica ſit priuatio in materia pro omnibus formis. 190
Quæſt. 3. An priuatio ſit principium per ſe naturalis generationis diſtinctum realiter à materia vel ſola ratione. 194
QVÆSTIONES ex II. Libro.
Breue prooemium. 200
Quæſt. 1. An definitio naturæ ſit bona. 201
Quæſt. 2. An definitio naturæ conueniat ſoli formæ ſubſtantiali, vel etiam materiæ & priuationi. 208
Quo modo conueniat formæ definitio naturæ. 211
An & quo modo priuatio ſit natura. 213
Quæſt. 3. Vtrum definitio naturæ conueniat animæ, præſertim rationali. 215
Quæſt. 4. An ars poſſit efficere opera naturæ. 220
Explicatur, in quibus aſſimilentur artificialia naturalibus, & in quibus ab eis differant. ibid.

Quod natura ſit perfectior arte ſimpliciter, minus autem perfecta ſecundum quid. 222
TRACTATVS I. De cauſis rerum naturalium in communi. 322
Quid ſit cauſa in communi. 233
Quotuplex ſit cauſa. ibid.
An cauſa diuidatur immediatè in quatuor genera, tanquam in ſpecies atomas. 237
TRACTATVS II. De cauſa materiali. 238
TRACTATVS III. de cauſa formali. 242
Quænam ſit virtus, per quam forma poteſt cauſare. ibid.
Quænam ſit propria cauſalitas formæ. 245
An poſſit forma propria virtute vniri materiæ iam pro ea diſpoſitæ. 249
TRACTATVS IV. De cauſa efficiente. 252
Quæſt. 1. Quidnam ſit, & quotuplex cauſa efficiens, & quæ eius cauſalitas. 253
Quæſt. 2. An ſecundæ cauſæ veram efficientiam habeant. 259
Quæſt. 3. an inſtrumenta veram cauſalitatem habeant, & quo modo eleuentur. 262
Quæſt. 4. An accidens poſſit concurrere ad productionem vnius ſubſtantiæ, tanquam inſtrumentum alterius. 272
Quæſt. 5. An vnum accidens ad productionem alterius ſimilis in ſpecie concurrat tanquam inſtrumentum, vel tanquam cauſa propria. 277
Quæſt. 6. An ſecundæ cauſæ ſolùm operentur per ſuas potentias aut virtutes accidentales, vel præter earum efficientiam, propriam, & diſtinctam habeant. 279
Quæſt. 7. An prima cauſa per ſe, & proximè concurrat cum ſecundis, ad quamcunque earum operationem. 286
Quæſt. 8. Quidnam ſit concurſus, quo prima cauſa concurrit cum ſecundis ad proprias actiones & effectus. 292
Quæſt. 9. Quonam modo prima cauſa præſtet ſuum concurſum ſecundis. 298
TRACTATVS V. De cauſa finali. 301
Quæſt. 1. An finis ſit vera cauſa realis & Phyſica. ibid.
Quæſt. 2. Quænam ſit ratio obiectiua conſtituens finem in ratione finalis cauſæ. 307
Quæſt. 3. Quænam ſit cauſalitas finis. 312
Quæſt. 4. An eſſe cognitum ſit conditio neceſſaria, ſine qua finis nullo modo poſſit propriam cauſalitatem exercere. 318
Quæſt. 5. An finis moueat voluntatem ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe cognitum. 327

minus nobilem habet. 124
Quartum dubium, an materia appetat etiam formas, quas iam amiſit. 125
Vltimum dubium, Quo modo ſe habeat priuatio reſpectu appetitus. 126
Quæſt.8. An materia ſit vna ſpecie & numero, vel plures. 127
Quæſt.9. An materia habeat proprietates, & quæ ſint illæ. 133
Enumerantur proprietates materiæ in communi. 134
TRACTATVS II. De forma. 137
Quæſt. 1. An forma ſubſtantialis educatur de potentia materiæ. 138
Quæſt.2. An formę cœlorum & elementorum eductæ fuerint de potentia materiæ in prima mundi conditione. 144
Quæſt. 3. An formæ accidentales educantur de potentia ſubiectorum. 152
Quæſt.4. An formæ ſubſtantiales materiales habeant proprias ſubſiſtentias partiales. 157
Quæſt. 5. Vtrum anima rationalis adhuc informans corpus habeat propriam ſubſiſtentiam partialem. 161
Quæſt.6. An ex materia & forma fiat vnum per ſe. 166
Quid ſit vnio ſubſtantialis, & in quo ſubiecto. 172
Quotuplex ſit vnio inter materiam & formam. 174
Quæſt.7. An plures formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem numero materiam. 176
TRACTATVS III. De priuatione. 181
Quæſt.1. An ſit priuatio in rerum natura, & in quo conſiſtat eſſentia eius. ibid.
Quæſt.2. An vnica ſit priuatio in materia pro omnibus formis. 190
Quæſt.3. An priuatio ſit principium per ſe naturalis generationis diſtinctum realiter à materia vel ſola ratione. 194
QVÆSTIONES ex II. Libro.
Breue procœmium. 200
Quæſt.1. An definitio naturæ ſit bona. 201
Quæſt. 2. An definitio naturæ conueniat ſoli formæ ſubſtantiali, vel etiam materiæ & priuationi. 208
Quo modo conueniat formæ definitio naturæ. 211
An & quo modo priuatio ſit natura. 213
Quæſt.3. Vtrum definitio naturæ conueniat animæ, præſertim rationali. 215
Quæſt.4. An ars poſſit efficere opera naturæ. 220
Explicatur, in quibus aſſimilentur artificialia naturalibus, & in quibus ab eis differant. ibid.
Quod

Quod natura ſit perfectior arte ſimpliciter, minus autem perfecta ſecundum quid. 222
TRACTATVS I. De cauſis rerum naturalium in communi. 322
Quid ſit cauſa in communi. 233
Quotuplex ſit cauſa. ibid.
An cauſa diuidatur immediatè in quatuor genera, tanquam in ſpecies atomas. 237
TRACTATVS II. De cauſa materiali. 238
TRACTATVS III. de cauſa formali. 242
Quænam ſit virtus, per quam forma poteſt cauſare. ibid.
Quænam ſit propria cauſalitas formæ. 245
An poſſit forma propria virtute vniri materiæ iam pro ea diſpoſitæ. 249
TRACTATVS IV. De cauſa efficiente. 252
Quæſt. 1. Quidnam ſit, & quotuplex cauſa efficiens, & quæ eius cauſalitas. 253
Quæſt. 2. An ſecundæ cauſæ veram efficientiam habeant. 259
Quæſt. 3. an inſtrumenta veram cauſalitatem habeant, & quo modo eleuentur. 262
Quæſt. 4. An accidens poſſit concurrere ad productionem vnius ſubſtantiæ, tanquam inſtrumentum alterius. 272
Quæſt. 5. An vnum accidens ad productionem alterius ſimilis in ſpecie concurrat tanquam inſtrumentum, vel tanquam cauſa propria. 277
Quæſt. 6. An ſecundæ cauſæ ſolùm operentur per ſuas potentias aut virtutes accidentales, vel præter earum efficientiam, propriam, & diſtinctam habeant. 279
Quæſt. 7. An prima cauſa per ſe, & proximè concurrat cum ſecundis, ad quamcunque earum operationem. 286
Quæſt. 8. Quidnam ſit concurſus, quo prima cauſa concurrit cum ſecundis ad proprias actiones & effectus. 292
Quæſt. 9. Quonam modo prima cauſa præſtet ſuum concurſum ſecundis. 298
TRACTATVS V. De cauſa finali. 301
Quæſt. 1. An finis ſit vera cauſa realis & Phyſica. ibid.
Quæſt. 2. Quænam ſit ratio obiectiua conſtituens finem in ratione finalis cauſæ. 307
Quæſt. 3. Quænam ſit cauſalitas finis. 312
Quæſt. 4. An eſſe cognitum ſit conditio neceſſaria, ſine qua finis nullo modo poſſit propriam cauſalitatem exercere. 318
Quæſt. 5. An finis moueat voluntatem ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe cognitum. 327
Quæſt.

Quæſt.6. An omnes operationes agentis ſint effectus cauſæ finalis. 329
TRACTATVS VI. De cauſa exemplari. 334
Quæſt.1. An ſit, quid ſit, & quotuplex ſit cauſa exemplaris, & quæ ſit cauſalitas eius. ibid.
Quæſt.2. Vtrum exemplar ſit aliquid exiſtens formaliter in intellectu, vel obiectiuè tantum. 337
Quæſt.3. An exemplar reducatur ad cauſam formalem vel efficientem. 343
TRACTATVS VII. De comparatione cauſarum cum ſuis effectibus. 348
Quæſt.1. An idem numero effectus poſsit procedere à multis cauſis eiuſdem generis & ordinis ſimul, & adæquatè concurrentibus. ibid
Quæſt.2. An idem numero effectus poſsit diuiſim procedere à diuerſis numero agentibus. 353
TRACTATVS VIII. De comparatione cauſarum inter ſeſe. 357
Quæſt.1. An inter quatuor genera cauſarum vnum ſit perfectius & prius aliis. 358
Quæſt.2. An omnes cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, mutuamq; dependentiam habeant inter ſeſe. 360
Comparatio cauſæ materialis cum cæteris. 362
Comparatio cauſæ formalis cum cæteris. 365
Comparatio cauſæ efficientis cum cæteris. 367
Quæſt.1. An caſus & fortuna ſint in rebus, & quonam modo diſtinguantur. 373
Quæſt.2. An fatum verè ſit in rebus. 375
In quo ſenſu fatum admitti poſſit ac debeat. 378
In quonam conſiſtat ratio eſſentialis fati, in abſoluto, an in relatiuo. 380
An fatum ſit vnum, vel plura. 381
Quæſt. vnica, an, & quomodo natura operetur propter finem. 384
Quæſt. vnica, an monſtra, quæ accidunt in rebus naturalibus ſint per ſe intenta à natura 391

QVÆSTIONES
ex III. Libro.

Breue proœmium. 400
TRACTATVS I. De motu. 406
Quæſt.1. An definitio motus aſſignata ab Ariſtot. ſit bona. ibid
Quæſt.2. An definitio motus conueniat mutationibus inſtantaneis, vel ſolum ſucceſsiuis. 409

Quæſt. 3. an motus vt definitur in eadem definitione, ſit quid vniuocum ad omnes mutationes, vel analogum. 411
Quæſt. 4. an motus diſtinguatur à termino ad quem, & à mobili realiter, vel ſolùm ratione. 414
Quæſt. 5. an omnis motus realiter ſit in mobili. 418
Quæſt. 6. an actio ſit in agente tanquam in ſubiecto, vel in paſſo. 421
Quæſt. 7. quonam modo diſtinguantur actio, & paſſio inter ſeſe, & à motu. 424
TRACTATVS II. De natura, & ratione infiniti. 439
Quæſt. 1. an detur in rebus naturalibus infinitum, vel ſaltem per vires naturæ dari poſſit. ibid.
Quæſt. 2. an aliquid actu infinitum cognoſcatur à Deo extra ſe. 444
Quæſt. 3. an infinitum in actu in aliquo genere rerum ſit factibile per potentiam Dei abſolutam. 447
Quæſt. 4. an vnum infinitum ſit maius altero. 453
Quæſt. 5. an per potentiam Dei abſolutam poſſit infinitum in potentia ſecundùm eſſentialem perfectionem rerum. 456

QVÆSTIONES
ex IV. Libro.

Breue procemium. 460
TRACTATVS de natura loci. 470
Quæſt. 1. an locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis, vel interuallum, quod eſt inter latera eius. ibid.
Quæſt. 2. an vltima ſuperficies corporis continentis ſit locus formaliter, vel ſolum ratione materiali. 476
Quæſt. 3. an locus ſit per ſe, & eſſentialiter immobilis. 480
Quæſt. 4. an omnibus rebus conueniat eſſe in loco. 488
Quæſt. 5. an diuerſa corpora poſſint ſimul eſſe in eodem loco. 495
Dubium incidens, an ſingulis accidentibus eiuſdem corporis diſtinctæ præſentiæ locales, ſeu diſtincta vbi correſpondeant. 498
Quæſt. 6. an per potentiam Dei abſolutam poſſint duo corpora eſſe in eodem loco. 501
Quæſt. 7. an idem numero corpus poſſit eſſe ſimul in diuerſis locis per potentiam Dei abſolutam. 505
TRACTATVS De natura vacui. 522
Quæſt. 1. an diſpoſitio rerum naturalium permittat dari vacuum inter vnum & alterum corpus naturale. ibid.
Quæſt. 2. an virtute diuina, vel angelica dari poſſit vacuum in rebus naturalibus. 526
Quæſt.

Quæſt. 3. an ſi daretur vacuum, mouerentur corpora per illud in tempore, vel in inſtanti. 529
TRACTATVS prior de tempore. 542
Quæſt. 1. an tempus ſit verum ens reale in natura rerum exiſtens. ibid.
Quæſt. 2. an definitio temporis tradita ab Ariſtot. bona ſit. 550
Dubium de inſtanti, an vnũ ſit, vel plura in toto tempore. 555
Quæſt. 3. an vnum ſit tempus, vel plura. 556
De vnitate numerica temporis. 556
De vnitate ſpecifica temporis. 559
Quæſt. 4. an tempus diſtinguatur realiter à motu, & quæcunque alia duratio creata à re durante. 561
Quæſt. 5. an, & quomodo motus, & mobilia dicantur eſſe in tempore. 565
TRACTATVS poſterior de cæteris durationibus à tempore diuerſis. 569
Quidnam æuum ſit, & quomodo diſtinguatur à cæteris durationibus. ibid.
Quidnam æternitas ſit. 575
An æternitas in ſua ratione formali dicat reſpectũ rationis. 576
De æternitate participata. 579
An detur tempus diſcretum, & quid ſit. 580

QVÆSTIONES
ex V. Libro.

Breue procemium. 582
Quæſt. vnica, an ad tria tantum prædicamenta quantitatis, & vbi, terminetur motus per ſe. 587
Quæſt. 1. à quonam deſumenda ſit vnitas generica, & ſpecifica motus. 598
Quæſt 2. quotnam, & quæ requirãtur ad vnitatem numericam motus. 603
Quæſt. 1. an contrarietas motus deſumenda ſit à ſolo termino ad quem. 613
An reperiatur vera contrarietas in motu locali. ibid.
Quæſt. 2. an ab vno contrario in alterum moueatur corpus vnico ac ſimplici motu, vel diuerſis. 617

QVÆSTIONES
ex VI. Libro.

Breue procemium. 620
TRACTATVS de compoſitione continui. 624
An in continuis dentur vera & realia indiuiſibilia, vt in linea puncta, in ſuperficie puncta, & lineæ, & in corpore lineæ, ſuperficies, & puncta. ibid.

An

An omnia indiuiſibilia ſint actu in continuo, vel quędam actu, alia in potentia. 629
An indiſibilia eiuſdem continui diſtinguantur inter ſeſe, & ab eo realiter, & ſeparari poſſint ſaltem per diuinam potentiam. 632
In quonam ſubiecto inhæreant indiuiſibilia cōtinuorum. 638
De compoſitione continui quantum ad partes eius. 640
An continuum componatur ex indiuiſibilibus tanquam ex partibus. 645
An accidentia corporea, præter quantitatem habeant proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, vel ſolùm hæc, & illas accipiunt à quantitate. 647
Quæſt. vnica, an motus poſſit fieri in inſtanti per potentiam Dei abſolutam. 653
Quæſt. vnica, an detur primum indiuiſibile, à quo incipiat motus, & vltimum, in quo deſinat. 663
TRACTATVS De modo incipiendi rerum omnium, tam permanentium, quàm ſucceſſiuarum, tam ſpiritualium, quàm corporearum. 669
Modus incipiendi & deſinendi rerum ſucceſſiuarum. ibid.
Quomodo incipiant & deſinant indiuiſibilia continuatiua & terminatiua ſucceſſiuorum, vt inſtantia temporis, &c. 670
Quonam modo producātur indiuiſibilia motus, & tēporis. 672
Explicatur modus incipiendi, & deſinendi rerum permanentium materialium. 675
De modo incipiendi rerum incorruptibilium & ſpiritualium atque actionum, per quas fiunt, & per quas ipſæ eliciunt. 676
Quæſt. vnica, an indiuiſibile ſeparatū poſſit moueri per ſe. 688

QVÆSTIONES
ex VII. Libro.

Breue procœmium. 695
Quæſt. 1. an ſecundùm ordinem naturalem neceſſarium ſit agens & paſſum ſimul eſſe. 698
Quæſt. 2. an per potentiam Dei abſolutam poſſit aliquid agere, vbi præſens non eſt, per ſuam virtutem. 705
Quæſt. vnica, an alteratio terminetur per ſe ad omnes, & ſolas qualitates tertiæ ſpeciei. 710
Quæſt vnica, an in ſola ſpecie atoma poſſit fieri comparatio. 714

QVÆSTIONES
ex VIII. Libro.

Breue procœmium. 721
TRACTATVS De principio durationis rerum. 725

Quæſt. 1. an fuerit conſentaneum naturis rerum, quod principium durationis habuerint. ibid.
Quæſt. 2. an poſſibile fuerit per potentiam Dei abſolutam aliquam creaturam produci ab æterno. 730
Quæſt. 3. an ſucceſſiua vt motus & tempus potuerint eſſe ab æterno per potentiam Dei abſolutam. 734
Quæſt. 4. an poſſibile ſit per potentiam Dei abſolutam, quod generationes & corruptiones rerum naturalium fuerint ab æterno. 738
Quæſt. 1. an verum ſit, quod quidquid mouetur, ab alio moueatur. 745
Quæſt. 2. an moueantur grauia, & leuia à generante, vel à ſeipſis. 750
TRACTATVS I. De proprietatibus, ſeu attributis primi motoris. 762
An probauerit euidenter Ariſt. dari primum motorem. ibid.
De immobilitate primi motoris, an fuerit euidenter probata ab Ariſt. 766
De vnitate primi motoris an fuerit probata euidenter ab Ariſtot. 769
De infinita virtute intenſiua primi motoris, an eam probauerit euidenter Ariſt. 770
De indiuiſibilitate primi motoris, an eam probauerit euidenter Ariſt, 773
Quid de immenſitate primi motoris cenſuerit Ariſt. 777
TRACTATVS II. De principio motus violenti, quod impulſum vocant. 778
Quæſt. 1. an motus violentus fiat per impulſum impreſſum corpori à proijciente, vel à ſolo aere circunſtante. 779
Quæſt. 2. quidnam ſit impulſus, & an diſtinguatur ſpecie à grauitate & leuitate. 782
Quæſt. 3. quonam modo impulſus generetur & corrumpatur. 785
Quæſt. 4. an impulſus ſit cauſa principalis motus violenti. 790
Quæſt. 5. an motus corporis reſilientis fiat per impulſum impreſſum à proijciente. 792
Quæſt. 6. Quænam ſit vera cauſa ob quam motus violentus velocior eſt in medio, quàm in principio & fine. 795
Quæſt. vnica, an neceſſe ſit mobile quieſcere in puncto reflexionis. 799

FINIS.

VNI

VNIVERSALE PROOEMIVM TOTIVS PHILOSOPHIÆ NATVRALIS, OMNIA quæ de hac ſcientia quæri ſolent, continens.

De nomine, & acceptionibus Philoſophiæ.

1 NOMEN, Philoſophia, ex Etymologia ſolùm amorem ſapientiæ, vel ſtudium eius ſignificat, ex impoſitione tamen ſapientiam ipſam & conſequenter Philoſophus ſapientem. Sapientia verò plures habet acceptiones. Prima vniuerſaliſſima eſt, qua accipitur pro aggregatione omnium ſcientiarum, non ſolùm quæ vocantur practicæ, quia ordinantur ad opus, ſed etiam quę dicuntur ſpeculatiuæ. In qua ſignificatione ſapientem vocauit Ariſtoteles eum, qui omnium ſcientiarum notitiam, quantum poſſibile eſt, aſſequitur, 1. lib. Met. c. 2.

Secundo modo accipitur propriùs pro ſola contemplatione veritatis, in qua acceptione ſolùm comprehendit ſcientias ſpeculatiuas, quarum officium eſt contemplari veritatem, non practicas, quæ ordinantur ad opus. Huius acceptionis meminit Plato, vt refert Alcinous in lib. de doctrina eius, capit. 6. & Ariſt. 2. lib. Met. text. 3.

Tertia acceptio propria eſt. Non pro omni ſcientia ſpeculatiua, ſed pro ea tantùm, quæ verſatur circa ſubſtantiam rerum, vnde ſolùm comprehendit Metaphyſicam, & naturalem ſcientiam. Illa enim agit de vniuerſali rerum entitate, ſub qua comprehenduntur, non ſolùm corporeæ, ſed ſpiritua-

les ſubſtãtiæ, hæc verò de eadem vt comprehendit ſolam ſubſtantiam corpoream habentem in ſe principium motus. Philoſophia igitur ſic accepta diuiditur in Metaphyſicam, quæ vocatur prima, quia agit de primis, atque perfectiſſimis entibus; & in naturalem, quæ agit de aliis minùs perfectis, in quibus radix eſt motus, & de hac agere nos incipimus hos libros Phyſic. Ariſt. aggredientes.

De primis inuentoribus Philoſophiæ.

PRimam Philoſophiæ inuentionẽ tribuit Ariſtoteles Græcis 1. lib. Meta. ſumma 2. c. 1. præſertim Thaleti, ex ſeptem ſapientibus huius Nationis celebratis primo. His autem ſapientibus non ſic eſt tribuenda inuentio Philoſophiæ, vt propria induſtria, aut labore eam inuenerint, ſed ab Hebræis, & Chaldæis edocti, vt grauiſſimi, & antiquiſſimi hiſtoriographi teſtantur. Diogenes lib. 8. Ioſephus 1. lib. contra Appionem. Euſeb. lib. 10. de Præparatione Euangelica. Et Beroſus lib. 3. ſuæ hiſtoriæ. Lumen namque diuinæ ſapientiæ infuſum fuit à Deo primo omnium parenti Adamo, & per traditionem communicatum, ac deriuatum in poſteros ab eo deſcendentes, vſque ad Noë, qui Armenos docuit, & vſque ad illos ſanctiſſimos Patriarchas Abraham, & Moyſen, qui in Ægyptum peregrinantes Ægyptios ipſos docuerunt, ad quos prædicti Græci diſcendi cauſa peruenientes eruditi ab eiſdem fuere. Præter prædictos hiſtoriographos docuit D. Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum de omnibus diuinæ Scripturæ lib. Hoc autem poſſibile fuiſſe dubitari non poteſt: nam cùm ſeptem Græci ſapiẽtes ab Olympiade, 38. vſque ad 50. ſexcentis annis ante aduentum Chriſti floruerint, multò antea edocti fuere Armeni à Noë, & Ægyptij ab Abrahamo, & Moyſe, à quibus Græci inſtrui potuerunt. Vnde fit prædictos ſeptem ſapientes, vt benè annotauit Themiſtius Græcus author, & antiquus Ariſtotelis interpres, Philoſophiæ inuentores appellatos fuiſſe, non tam quòd primi eas inuenerint, quàm quòd poſt magnum illud diluuium Theſalicũ, quod ſub Deucalione deleuit totam Græciã, Philoſophiæ ſtudium in Græcia inſtaurauerint ab Ægyptiis inſtructi, vt ex antiquiſſimis hiſtoriis deductum eſt. 2

An Philoſophia naturalis ſit vera ſcientia.

PRima opinio fuit antiquorum Philoſophorum Heracliti, & Cratilli negantium, quòd vera ſit ſcientia, vt teſtantur Plato in Theeteto, & Ariſto. 1. lib. Met. tex. 5. vbi eam deſumpſiſſe 3

ſumpſiſſe ab eiſdem philoſophis Platonem, & Socratem eius Magiſtrum docet, & ab eodem Platone Acadæmicos docuit D. Aug. 1. lib. aduerſus Academicos, c. 7. Probatur, quia ſciẽtia eſt de neceſſariis, & eodẽ modo ſe habentibus ſemper, & ideò certa notitia, cui non poteſt ſubeſſe falſum: ſed Philoſophia eſt de corruptibilibus, & motui ſubiectis, quę per ſenſus percipiũtur; ergo non poteſt eſſe vera ſcientia. Probatur conſequentia, quia corruptibilia nunquam permanent in eodem ſtatu, ſed paſſim variantur ſicut motus, & ſenſus, per quos percipi debent, vt eorum notitia perueniat ad intellectum ſæpe decipiuntur; ergo non erit neceſſaria, nec certa notitia eorum, ſed ſæpe falſa, quare non poterit eſſe ſcientifica.

Secunda ſententia *vera, & tenenda* aſſerit Philoſophiam naturalem eſſe verã ſcientiam. Ita Ariſt. 1. lib. de partibus animaliũ, c. 1. lib. 2. Met. c. 3. tex. 3. & lib. 4. c. 5. tex. 23. vbi oppoſitã ſtultã eſſe docet. Ita etiam vniuerſa ſchola. Et probatur, ex definitione ſciẽtię ab Ariſt. tradita 1. lib. poſt. c. 2. & ab omnibus recepta, ſcientia eſt euidens cognitio rei per propriam cauſam, aut etiã per propriũ effectum, ſed Philoſophia eſt euidens cognitio rerũ naturalium per proprias cauſas, atq; etiam per proprios effectus; ergo eſt vera ſcientia. Probatur minor, quia Philoſophia probat per euidentem demonſtrationem corpora moueri, quia habent naturã, à qua procedit motus, tãquam à vera cauſa, corpus etiam eſſe diuiſibile, quia eſt continuum, & animam eſſe formam corporis, quia eſt principium effectiuum operationum eius, vt ſenſationum, ac motus progreſſiui.

4 Oppoſitam verò ſententiam non eſt credendum tenuiſſe Platonem, nec Socratem, ſed ſolùm ſenſiſſe difficilè admodum eſſe certam, & euidentem notitiam aſſequi de his rebus mutabilibus. Sed ad argumentum eius diſtinguenda eſt minor, quia res corruptibiles, & motui ſubditæ duobus modis conſiderari poſſunt, in vniuerſalibus & in ſingularibus, & primo modo conſideratæ neceſſariæ ſunt. Certa eſt etiam, atque euidens notitia earum, quia certum, & euidens eſt; & proinde neceſſarium, corruptibiles eſſe, & principium motus habere, & hoc modo verſatur Philoſophia circa illas, ac propterea vera ſcientia eſt. Si verò accipiantur in ſingularibus, contingentia potiùs reputantur, & ideò non poteſt eſſe de illis ſcientia. Quod verò percipiantur per ſenſus, negare non poſſumus, ſed licèt ſenſus decipiantur ſæpè, dum circa obiecta, nec debitè approximata, nec diſpoſita verſantur, circa ſenſibilia verò propria in debita diſtantia, ac diſpoſitione poſita non decipiuntur, ſed certam notitiam rerum poſſunt ſubmini-

ſtrare intellectui ex qua ipſe certam, & euidentem notitiam earundem rerum in vniuerſali deducere poteſt, quæ verè, & propriè ſcientifica eſt, vt probauimus.

An Philoſophia naturalis ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica.

PRactica ſcientia eſt, quæ ordinatur per ſe ad efficiendum, vel dirigendum opus. Speculatiua verò, quæ ſolam contemplationem veritatis habet pro fine. Quærimus ergo an Philoſophia naturalis numeranda ſit inter practicas, vel inter ſpeculatiuas ſcientias. Et videtur probari, quòd ſit ſcientia practica: hoc argumento, Philoſophia tradit notitiam primæ cauſæ; ergo excitat voluntatem noſtram ad amorem eius, ſed cognitio, quæ ordinatur ad amorem, eſt practica: cùm amor ſit operatio noſtræ voluntatis; ergo Philoſophia erit ſcientia practica. Quod probari etiam poteſt ex parte quadam eius, quæ appellatur Meteorologica, in qua docet Ariſtoteles, quonam modo fiant mixta quædam corpora in media regione aëris: Vt grando, & nix; ergo docet quonam modo operatio naturalis fiat, quod ad practicam ſcientiam pertinet. 5

Veritas nihilominus eſt, quòd naturalis Philoſophia ſit ſcientia ſpeculatiua, & non practica. Ita D. Auguſt. 8. lib. de ciuitate Dei, cap. 4. Ariſtoteles 6. lib. Meta. textu 2. & 3. & libr. 11. Summa 2. cap. 2. Et probatur hoc argumento euidenti, ſcientia practica per ſe ordinatur in opus à ſe faciendum, vt Dialectica in ſyllogiſmum: vnde & præcepta tradit efficiendi tale opus. Sed Philoſophia non ordinatur in opus aliquod à ſe faciendum, nec dirigendum, neque vllum præceptum operandi tradit, ſed ſolùm contemplatur naturam entis mobilis, & partium eius, vt conſideranti euidens erit; ergo non eſt practica, ſed ſpeculatiua ſcientia.

Ad argumentum verò in contrarium diſtinguendum eſt 6
conſequens primæ conſequentiæ, quia excitare ad amorem, aut inclinare ad opus dupliciter contingit, directè & per ſe, vel indirectè, & quaſi per accidens, & primo modo debet ſcientia inclinare ad opus, vt practica ſit. Philoſophia verò ſolùm inclinat ſecundo modo oſtendendo pulchritudinem obiecti, cuius naturam contemplatur, quod etiam facit Metaphyſica, & quæcunque alia ſcientia, de qua dubitari non poteſt, quòd ſpeculatiua ſit, quare non ſufficit, vt inter practicas ſcientias numeretur.

An Philoſophia ſit vnus habitus ſimplex, & vna ſcientia, vel multiplex ſecundùm ſpeciem.

EAdem quæſtio nunc eſt de Philoſophia, an ſit vnus habitus ſimplex, & vna ſcientia, quam agitauimus de Dialectica in principio noſtrorum commentariorum Dialecticorum, & eadem opinionum diuerſitas. Nam quidam pro ſingulis partibus Philoſophiæ ſingulos habitus multiplicant ſpecie diuerſos, ita vt vnus ſit habitus pro his octo libris Phyſicorum, alter pro libris de cœlo, & ſinguli etiam diſtincti pro libris de generatione, & de anima. Sicque pro reliquis, ex omnibus tamen quaſi vnum totalem habitum componi, propter ordinem, quem inter ſeſe habent, & ad commune obiectum, communiaque principia, ideoque vnam vocari ſcientiam, & vnam philoſophiam. Quod etiam eodem modo probant, quia diuerſa ſunt obiecta harum partium, diuerſaſque definitiones habent, quibus pro principiis vtuntur partes ipſæ; ergo diuerſos producentur habitus per concluſiones eodem modo diuerſas.

7 Nos verò ſicut de vnitate Dialecticæ locuti ſumus, ſic de vnitate philoſophiæ loquimur, aſſerimuſque cum D. Thom. & cæteris, quos ibidem citauimus, philoſophiam eſſe vnum habitum ſimplicem, & non compoſitũ ex multis habitibus partialibus, & ideo vnam ſimplicem ſcientiam, & non multiplicem. Quod ex principiis eiuſdem Ariſtotelis 1. libro de poſteriori reſolutione, cap. 24. probamus. Quia principia cuiuſlibet ſcientiæ, ſunt ratio formalis aſſentiendi concluſionibus eius; ergo ex vnitate principiorum ſumenda eſt vnitas concluſionum, & habitus, qui ex eis generatur, ſed principia totius philoſophiæ naturalis, & omnium partium eius ſunt eadem formaliter; ergo & concluſiones erunt eiuſdem ſpeciei idemq; habitus ſecundùm ſpeciem per eas producetur. Minorem probo, quia principia ſunt eadem apud Ariſtotelem ſi ex aliis fiant, aut ex alterutris, id eſt, ſi ex communibus fiant omnia, vel particularia ex particularibus, fieri autem vno, aut alio modo non eſt materialiter componi ex terminis aliorum, ſed ea eſſentialiter præſupponere, vt ibidem docet Ariſtoteles, ſed principia particularia omnium partium philoſophiæ eſſentialiter præſupponunt communia de ente mobili, & principia vnius partis eſſentialiter etiam præſupponunt principia alterius, vt principia librorum de Cœlo, principia Phyſicorum, & principia librorum de Generatione: principia librorum de Cœlo, ſicque de cæteris partibus per ſe ordinatis, &

per ſe ſe præſupponentibus; ergo principia totius Philoſophiæ naturalis eadem ſunt formaliter, & ſecundùm ſpeciem, & ex conſequenti concluſiones, ex quibus non multi habitus ſpecie diuerſi, etiam partiali producentur, ſed vnus, & idem ſimplex, & non compoſitus ex multis habitibus ſpecie diuerſis, ſed ſolùm ex partibus integrantibus inteſionis, & extenſionis, quemadmodum componitur albedo, quæ eſt in pariete, vt copiosè explicatum à nobis eſt in 3. quæſt. Procem. dialect.

Ex quibus intelligitur obiecta ſingularum partium Philoſophiæ, & definitiones eorum in ordine ad integram ſcientiã, ſolùm differre materialiter, aut in eſſe rei, formaliter verò, aut in eſſe ſcibili eſſe eiuſdem rationis, & ſpeciei, & hac diſtinctione ſoluitur argumentum alterius opinionis.

An obiectum Philoſophiæ naturalis ſit ens mobile.

PRiuſquam diuerſas opiniones afferamus, quædam ſunt præſupponenda tanquam certa, & ab omnibus opinantibus conceſſa. Primum pertinet ad conditiones obiecti, quas admittunt omnes, & nos tradidimus in vltima quæſtione procœmiali dialect. nec putamus hac in parte repetendas eſſe, ſed ſolùm ad memoriam reuocandas. 8

Secundò certum eſt, ens mobile non ſumi ſecundùm eam vniuerſalitatem, qua tranſcendit omnia, quibus vno, vel alio modo poteſt conuenire motus, hoc eſt, tam partes integrantes, quàm eſſentiales, ſed pro ente completo, & ex materia, & forma compoſito, cui per ſe primò, & adæquatè conuenit habere naturam, & ſecundùm eam principium motus.

Tertiò certum eſt (mobile) in hac parte non accipi pro formali aptitudine, vel potentia ad motum, quæ eſt qualitas ſuperaddita naturæ, ſicut riſibile accipitur pro potentia formali ad ridendum, ſed accipitur pro radice, à qua procedit talis potentia, vel aptitudo formalis ad motum. Hæc autem radix mobilitatis formalis eſt ipſa natura ſubſtantialis rei compoſita ex materia, & forma: nam ab hac procedit formalis aptitudo. Et ratio huius eſt manifeſta: quia talis potentia, vel aptitudo formalis demonſtratur à priori de ente mobili in Philoſophia; ergo non pertinet ad obiectum. Probatur euidenter conſequentia, quia nec obiectum, nec formalis ratio eius demonſtrari poteſt in ſcientia a priori, ſed præſupponenda eſt, tanquam fundamentum omnium concluſionum, & totius ſcietiæ. Senſus igitur quæſtionis erit, an ens naturale cõpoſitum ex materia, & forma, prout habet radicem motus, ſit obiectum naturalis Philoſophiæ.

Certum

Certum eſt quartò corpus tribus modis accipi, pro Mathematico, pro Metaphyſico, & pro Phyſico, vel naturali. Corpus mathematicum eſt tertia ſpecies quantitatis continuæ diuiſibilis ſecundùm trinam dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Corpus metaphyſicum eſt prima ſpecies ſubalterna prædicamenti ſubſtantiæ compoſita ex ſupremo genere ſubſtantiæ, & differentia, corporeum, & appellatur prædicatum, corpus. Corpus verò Phyſicum, aut naturale eſt ſubſtantia compoſita ex materia, & forma, vt lignum, vel lapis. Quas acceptiones corporis adducimus, vt intelligatur quorundam opinio, quæ aſſerit corpus naturale eſſe obiectum Philoſophiæ, accipiens corpus in tertia acceptione, & non pro corpore methaphyſico, vel mathematico.

9 Ex his quatuor certis ſequitur aliud non minùs certum apud omnes, nempè eandem rem eſſe, & ad conuertentiam dici, ens mobile, ens naturale, corpus mobile, corpus naturale, ſubſtantia mobilis, & ſubſtantia naturalis, ſi propriè ſumanrur, quia omnia hæc ſignificant ſubſtantiam compoſitam ex materia, & forma, non tamen conuertuntur cum his, ens ſenſibile, corpus aut ſubſtantia ſenſibilis, quia licèt ſignificent ſubſtantiam compoſitam ex materia, & forma, non vt talem, ſed vt accidentibus ſenſibilibus affectam, per quas obiectum ſenſus eſſe poteſt. Diximus autem ſex illa conuerti, ſi propriè ſumantur: nam ſi ens mobile non ſolùm illud ſignificet, quod in ſe habet naturam, quæ eſt principium motus, ſed quodcunque aliud, cui poteſt cōuenire motus, vniuerſalius erit cæteris, cùm etiā dicatur de ſubſtātiis ſpiritualibus, de Angelis, quibus aliquo modo poteſt conuenire motus, non tamen ita proprio, ſicut conuenit corporibus. Et ideò propriè ſumptū ens mobile non eſt vniuerſalius cæteris, vt quidam ex diſcipulis Scoti impropriè ſatis loquentes dixerunt, qui propterea refutandi ſunt.

His ſuppoſitis de nomine ferè videtur quæſtio, an vnum, vel alterum ex illis ſex ſit obiectum huius ſcientiæ, cùm ferè ſolo nomine differre videantur, ſi ergo de re ſit, in hoc tantùm poteſt conſiſtere opinionum diuerſitas, an magis propriè conueniat vni quàm alteri eſſe obiectum propter aliqualem diuerſitatem ſignificationis, cui ratio obiectiua propriùs videtur conuenire, licèt autem multiplex ſit de hac re opinio, ad tres celebriores reducemus omnes.

Quarum prima eſt Auicennæ cap. 1. ſuæ ſufficientiæ, Algazelis in lib. de ſcientiarum diuiſione, Alberti Magni 1. lib. Phyſ. tract. 1. cap. 3. Ægidij Romani, & Linconienſis in procemio Phyſicorum aſſerentium corpus mobile, aut naturale potius

quàm ens mobile eſſe obiectum. Probant primò, quia illud eſt magis propriè ſubiectum ſcientiæ, cui primò conuenit ratio obiectiua, ſub qua conſiderantur omnia à tali ſcientia, ſed eſſe principium motus, quæ eſt ratio obiectiua, primò, conuenit corpori, & rationi eius enti: ergo potius erit obiectum corpus naturale, quàm ens mobile. Probatur minor, quia corpus eſt, quod primò,& per ſe mouetur, ens verò, non niſi ratione corporis, & ideò quaſi remotè; ergo eſſe principium motus primò,& per ſe conuenit corpori, enti verò remotè.

Secundò, illud eſt obiectum ſcientiæ,cuius partes conſide- 10
rantur in ea,& cuius paſsiones probantur, ſed partes corporis naturalis,quæ ſunt materia, & forma,conſiderantur per ſe primò in Philoſophia, & paſsiones eiuſdem probantur, vt quod moueri poſsit,& eſſe in loco: nam hæc non niſi remotè pertinent ad ens; ergo corpus mobile, potius quàm ens mobile erit obiectum.

Tertiò,quia ſi ens mobile ſit obiectum, ſequitur quòd Philoſophia naturalis non ſit diſtincta ſcientia à Metaphyſica, vel ſi diſtincta ſit, quòd ei ſit ſubalternata, ſed vtrunque eſt falſum apud omnes; ergo ens mobile non poteſt eſſe obiectũ. Probatur minor: nam ens mobile immediatè inferius eſt reſpectu entis; ergo vel eſt inferius quidditatiuè,eo modo,quo ſpecies eſt inferior genere, & tunc eadem erit ſcientia de ente quæ eſt Metaphyſica, ac de ente mobili, quæ eſt Philoſophia, ſicut eadem eſt ſcientia de genere & ſpecie, ſi verò ſit inferius accidentaliter, diſtincta quidem erit ſcientia hæc à Metaphyſica, ſed ei ſubalternata, quia addit ſupra obiectum eius ſolam conditionem accidentalem,ſicut addit perſpectiua ſupra Geometriam,cui ideò ſubalternatur.

Secunda ſententia tenet neque ens mobile, neque corpus mobile,ſed ens naturale eſſe obiectum,ita Tolet.in proœ.huius operis. Probatur primò quia ſubiectum debet exprimere paſsiones,quas de eo demonſtrat ſciẽtia, ſed ens naturale formaliùs exprimit paſsiones, quàm duo alia; ergo hoc potius quàm illa erit obiectum. Probatur minor, quia naturale denotat id, quod habet naturam & cum natura ſit principium motus: ens naturale formaliter ſignificat id, quod habet principium motus,& præterea ens naturale dicit naturam, quæ nõ ſolum eſt principium motus, ſed etiam quietis; ergo exprimit vtranque paſsionem, cùm tamen ens mobile vnam tantùm exprimat, nempe mobilitatem.

Tertia ſententia eſt D. Tho. 1. lib. met. l. 2. lib. 4. l. 5. lib. 11
6. l. 19. & in proœm. huius operis, quod ens mobile ſit obie-

ctum

ctum Philoſophię,& *hac videtur nobis probabilior*. primò quia expreſſa eſt apud Ariſt. 6. Met. text. 1. his verb. *Naturalis ſpeculatiua quadam profectò eſt, ſed ſpeculatiua circa tale ens, quod poſſibile moueri.*

Secundò probatur, quia illud pro obiecto alicuius ſcientiæ potius deſignatur, quàm alia, quod formaliter & expreſſè cōtinet rationem formalem, ſub qua conſiderentur omnia, quæ pertinent ad talem ſcientiam, ſed id habet ens mobile; ergo magis propriè obiectum huius ſcientiæ erit, quàm ens naturale, aut corpus naturale. Probatur minor, quia ratio formalis obiectiua, ſub qua conſiderantur omnia à Philoſophia naturali, eſt, quòd aliquo modo habeant in ſe principium motus, vt omnes concedunt, ſed ens mobile formaliter atque diſtinctè importat, id quod habet principium, vel radicem motus, quam non niſi virtualiter, & quaſi confuſè dicit ens naturale, vel corpus naturale; ergo potiùs erit obiectum ens mobile.

Ad primum argumentum primæ opinionis diſtinguenda eſt maior, quòd illud potius, quàm aliud ſit obiectum, cui primò conuenit ratio obiectiua ſcientiæ. Nam duobus modis poteſt primò conuenire alicui, nempe tanquam ei à quo primò procedit, aut tanquam notiſsimo, cui attribuitur, & in primo ſenſu verum eſt quòd primò conueniat corpori, quàm enti, ſed in ſecundo primò conuenit enti mobili, quàm corpori mobili, & quia obiectum debet eſſe notius nobis, quantum fieri poteſt, ideò ens mobile omnibus notiſsimum conueniētiùs deſignatur pro obiecto, quàm corpus mobile. Et eodem modo reſpondendum eſt ad ſecundum, quia materia, & forma etiam ſunt partes entis mobilis, & paſsiones, quæ probantur in hac ſcientia, ei etiam conueniunt, imò tam partes, quàm paſsiones attribuuntur ei, tanquam notiſsimo, & propterea magis propriè obiectum eſt, quàm corpus mobile.

11 Ad 3. neganda eſt conſequentia, quòd ſi ens mobile ſit obiectum huius ſcientiæ, non diſtinguatur à Metaphyſica. Et cùm dicitur ens mobile eſſe inferius quidditatiuè reſpectu entis, vel ſolùm accidentaliter. Reſpondeo eſſe inferius quidditatiuè, eo modo, quo ſpecies ſe habet reſpectu generis. Sed ex hoc non ſequitur eandem eſſe ſcientiam de vtroque: quia nō eſt eadem ſcientia de genere, & ſpecie, niſi quando vtrunque continetur ſub eadem abſtractione à materia, ſi verò ſub diuerſa contineantur, neceſſe eſt ad diuerſam quoque ſcientiā pertinere, & ita eſt, quòd ens, vt eſt obiectum metaphyſicè, cōtinetur in ſupremo gradu abſtractionis à materia, abſtrahit enim, non ſolū à materia ſenſibili, ſed etiam ab intelligibili,

ſed ens mobile continetur in infimo gradu, quia ſolũ abſtrahit à materia ſingulari, non à materia ſenſibili, quam manifeſtum eſt reſpicere, cùm motus ſit ſenſibilis per ſe: vt docet Ariſtot. 2. li. de anim. Et exemplum huius habemus in quantitate, quæ cùm ſit inferior quidditatiuè reſpectu entis; ad alias ſcientias pertinet à Metaphyſica diſtinctas, nempè ad Mathematicas diſciplinas, propter diuerſum modum abſtrahendi à materia, non enim abſtrahit à materia intelligibili, ſicut ens, ſed ſolùm à materia ſenſibili.

Ad argumentum ſecundę opinionis diſtinguenda eſt etiam maior, quia non eſt neceſſarium obiectum ſcientiæ exprimere omnes paſſiones, quæ de illo demonſtrantur in ſcientia, ſed ſatis eſt exprimere præcipuam ab omnibus participatam, cæteras verò virtualiter continere, & ita eſt, quòd ens mobile præcipuam exprimit, videlicet mobilitatem, quam omnia, de quibus agit Philoſophia, participant, & hanc non ita expreſsè dicit ens naturale, vt ex ſe patet, ſed magis confuſè, quies verò minùs principalis eſt: cùm conſiſtat in priuatione, & quam nõ omnia participant, & ideò non eſt neceſſarium, quòd in obiecto exprimetur.

De ordine quem habet Philoſophia naturalis cum cæteris ſcientijs.

Dignitas ſcientiarum, ex duobus accipienda eſt, ex dignitate obiecti, & ex certitudine demonſtrandi, ſed illa eſt eſſentialis, hæc verò accidentalis, cuius hæc eſt ratio, quia ſpecies ſcientiæ ex obiecto accipitur; ergo illa ſcientia perfectiorem habebit ſpeciem, atque eſſentiam, quæ perfectius habet obiectum: maior verò, aut minor certitudo non tam ex obiecto, quàm ex maiori, aut minori abſtractione à materia prouenit, ideò non pertinet ad eſſentialem dignitatem ſcientiæ, ſed accidentalis eſt. Ex quo deducitur ſic eſſe ordinandas ſcientias ſecundùm dignitatem eſſentialem, vt ſpeculatiuæ præcedant practicas, inter ſpeculatiuas verò Metaphyſica ſit omnium prima, ex his, quæ per lumen naturale intellectus haberi poſſunt. Poſt metaphyſicam verò collocatur Philoſophia naturalis, & infimum locum tenent mathematicæ diſciplinę. Quod colligitur euidenter ex doctrina Ariſtotelis 6. lib. Met. cap. 1. text. 3. vbi docet, quòd ſi nulla eſſet ſubſtantia ſpiritualis, prima omnium ſcientiarum eſſet naturalis Philoſophia, ſicut nũc prima eſt Metaphyſica. Et probatur ratione: nam dignitas eſſentialis ſcientiæ ſumitur ex dignitate eſſentiali obiecti,

iecti, ſed Metaphyſica habet perfectius obiectum, cùm de ſubſtantiis ſpiritualibus ſecundum proprias eſſentias differat. Et poſt hanc perfectius obiectum habet naturalis Philoſophia, quàm Mathematicæ, nam illa de ſubſtantia rerum naturaliũ agit, iſtæ verò de quodam eius accidente, quod eſt quantitas; ergo Philoſophia ſecundum locum tenet ordine dignitatis quam tamen excedunt Mathematicæ diſciplinæ quadam accidentali perfectione ex certitudine demonſtrandi deſumpta: nam Mathematicæ ex vna parte magis abſtrahunt à materia, & ex alia agunt de accidentibus magis notis ſecundùm ſenſum nempe de lineis, figuris, atque numeris, & ideò ex vtroque ſequitur certiores eſſe Philoſophia naturali ſecundùm ſe propter primam rationem, & etiam quoad nos propter ſecundam. Sed Metaphyſica ſolùm ſunt certiores quoad nos, propter ſecundam rationem. Metaphyſica verò ex natura rei conſiderata certiores habet demonſtrationes Mathematicis, quia magis, quàm illæ abſtrahit à materia, ſed quia faciliùs percipiuntur à nobis demõſtrationes Mathematicæ, quia circa accidentia magis ſenſibilia, & propterea nobis notiora verſantur, propterea certiores ſunt Mathematicæ eadem Metaphyſica quoad nos.

14 Sed quantum ad modum quo nobis traduntur ſcientiæ, diuerſum, & quaſi oppoſitum ordinem habent: nam prius tradendæ ſunt mathematicæ diſciplinæ, deinde Philoſophia naturalis: poſtea Moralis, & tandem Metaphyſica. Ita docet Ariſtoteles, quem ſequuntur omnes 1. li. Ethic. cap. 1. & lib. 6. cap. 8. cuius rationem reddit, quia licèt Philoſophia naturalis verſetur circa motum, quem ſenſu percipimus, & ex hac parte notior nobis foret, ex altera verò ab effectibus ferè ſemper procedit, & ideò experientiæ innititur, quam cùm non habeant iuuenes, nec ſunt tam capaces addiſcendi eam; Facilè autem Mathematicas addiſcunt diſciplinas, quæ de accidentibus notioribus agunt, nec experientiæ innituntur, ſed demõſtrationibus à priori, quas in eiſdem accidentibus conſtituũt. Poſt naturalem verò Philoſophiam tradendam eſſe moralem probat Ariſtoteles, quia de virtutibus agit ad ſedandas paſſiones requiſitas, quare quietum requirunt animum, & à perturbatione paſsionum liberum, quem iuuenes non habent, ſed nimis perturbatum ab eiſdem paſsionibus in ea ætate inſurgentibus, priùs ergo tradenda eſt eis naturalis, deinde quietum iam per ætatem habentes animum, moralis Philoſophia.

Quòd verò vltimo loco metaphyſica, probat, quia de altiſsimis rebus, & à ſenſibus remotiſsimis (quales ſunt intelligen

intelligentiæ) agit, quarum cognitio diſpoſitum requirit intellectum per alias ſcientias.

De vtilitate naturalis Philoſophiæ.

QVatuor præſertim vtilitates habet inter alias naturalis 15
Philoſophia, nam 1. vtilis eſt ad cognoſcendam primam cauſam, nempe Deum verum, & eius vnitatem, vtrunque enim demonſtrat ex ordine cauſarum, & effectuum: in quibus cùm non ſit procedendum in infinitum, neceſſe eſt ad vnam primam cauſam deuenire, à qua cęteræ participent virtutem operandi, & procedendi ſuos effectus. Quam vtilitatem explicuit Paulus ad Rom. 1. illis verbis: *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Secundò, vtilis eſt ad percipiēdos ſenſus Scripturæ ſacræ, in qua multa continentur, quæ ex proprietatibus, atque effectibus rerum naturalium intelligēda ſunt. Vtilis eſt tertiò ad conſequendas cæteras ſcientias, quæ poſt eam tradendæ ſunt, vt moralem Philoſohiam, Metaphyſicam, & Medicinam, imò etiam diuinam Theologiam, quæ de rebus diuinis, & ſupernaturalibus agit, in quibus producendis, atque ordinandis, naturis, & proprietatibus rerum ſeſe accommodat Deus, & propterea ex his maximè dependet notitia earum. Vtilis tandem eſt propter ſemetipſam, quia cū ſit ſcientia ſpeculatiua, per ſe expetenda eſt, & procuranda, tāquam maximum quoddam bonum perficiens noſtrum intellectum, cuius quaſi pabulum iucundum, ac ſuaue eſſe docuit Tullius lib. 2. Academicarum quæſtionum.

Generalis totius Philoſophiæ naturalis diuiſio.

PHiloſophia naturalis, vt nobis eſt tradita ab Ariſtotele, iuxta naturam ſui obiecti adæquati, quod eſt ens mobile, ſic diuidenda eſt: Ens mobile ſex modis conſiderari poteſt. Primò, in communi, prout continet principia, cauſas, & proprietates rerum naturalium, & de eo ſic accepto agunt octo libri Phyſicorum. Secundò conſideratur, vt continet principiū motus localis, & circa illud hoc modo ſumptum verſantur libri de Cœlo & Mundo, in quibus de compoſitione totius vniuerſi, ex corporibus ſimplicibus & mixtis, motibuſque eorū localibus agitur. Tertiò conſideratur prout habet in ſe principium motus ad formam, per quem corpora generantur, & cor-

rum

rumpuntur, augentur, & alterantur, & de eo ita accepto diſputant libri de generat.& corrupt. Sed quia inter corpora naturalia quædam ſunt mixta imperfectæ compoſitionis: quæ non ex omnibus elementis, ſed ex quibuſdam tantùm fiunt, nec in omni loco,ſed certo quodã,ac determinato,& propterea appellantur Meteorologica, ideò ſpeciale, ac diſtinctum opus de his edidit Ariſtoteles quod Meteora nuncupauit quatuor libris contentum. Quarta conſideratio entis mobilis eſt pro digniori eius parte habente principium vitæ (quam vocat animam) de qua compoſuit tres libros. Conſideratio quinta,prout continet principia quarundam affectionum corporũ viuentium: de quibus quædam alia opuſcula edidit (parua Naturalia nuncupata) vt de ſenſu,& ſenſibili,de ſomno,& vigilia, de iuuentute, & ſenectute, ac de vita,& morte. Vltima tandẽ
16 conſideratio entis mobilis eſt, in quantum continet ſpeciale principium generationis animalium, ad quam conſiderationẽ pertinet diuerſitas partium,ex quibus componuntur. De horũ igitur generatione, & quaſi ſtructura, aut compoſitione egregium opus compoſuit Ariſtot.in tres partes diſtributum. His nominibus nuncupatum, *de hiſtoria animalium, de generatione animalium, & de partibus animalium.* Totam autem hanc doctrinam de animalibus, *libros octoginta talentorum* Greci vocant, vt referunt Plinius lib.8.hiſt.natur.cap.6. & Budæus lib. 2. de aſſe. Eo quod tot talenta impenderit Magnus Alexand. ad obſeruationem eorum, quæ in eis pertractantur, ſumma diligẽtia quærens diuerſa, atque exquiſita genera animalium, & aſportare faciens, ad præſentiam eiuſdem Ariſtotelis. Ad hanc vltimam partem Philoſophiæ reduceretur opus de plantis, quod Ariſtot.ipſe promiſit in initio Meteororum, & quod ſe edidiſſe teſtatur, lib. 5. de hiſtoria animalium, cap. 1. ſed temporis etiam iniuria periiſſe credimus. Nam qui circunfertur ſub nomine Ariſtotel. diuerſum longè ſtylum, & loquendi phraſim habere videtur, & ideò ex eius officina non prodiiſſe. Et ecce totam Philoſophiam naturalem ab Ariſtotele traditã, & in ſcholis explicari ſolitam in ſex partes diſtributam iuxta ſex conſiderationes entis mobilis.

Speciale, ac breue proœmium in octo libros de Phyſica auſcultatione.

17 INſcriptio horum librorum *de Phyſico auditu, ſeu auſcultatione* iamdiu in ſchola recepta eſt. Cuius rationem vt redderent grauiſſi

grauiſsimi authores, nempe Plutarch. in vita Alexand. Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromatum, Tullius lib. 5. de finibus, & Simplicius in proœmio huius operis, duorum ſcriptorum genera edidiſſe Ariſtot. referunt, vnum quod Exotericum vocauit, hoc eſt extraneum, quod cùm faciliorem, & minùs elaboratam ſcribendi rationem contineret, & vulgi captui magis eſſet accommodatum, minùs requirebat magiſtri, aut interpretis vocem. Alterum acromaticum ſubtilioris Philoſophiæ doctrinam continens, & à vulgari philoſophandi genere valde remotum, quod præterea auſcultatorium nuncupauit, eo quòd ab auditoribus maiori ſtudio, & attentione audiri, ſeu anſcultari, & à præceptoribus accurratiùs enarrari poſtularet. Huius generis ſcriptorũ meminit Ariſt. ipſe in epiſt. ad Alexandrum, quam retulit Gellius lib. 20. cap. 4. addens morem fuiſſe Ariſtoteli acromaticam doctrinam explicare matutino tempore, vt potè ad difficilia percipienda aptiſsimo: Exotericam verò veſpertino potiùs minùs attentioni accommodato. Et quia acromatica doctrina continet Metaphyſicam & totam naturalem Philoſophiam, (cuius pars eſt opus hoc Phyſicorum,) ideo de Phyſica auſcultatione inſcribitur. Quod nomen licèt toti doctrinæ acromaticæ tribuendum eſſet, his libris ſpecialiter attributum eſt, quia quaſi caput eius eſt, continens prima, atque vniuerſalia fundamenta à cætera intelligenda, quæ in reliquis Philoſophiæ partibus, & in tota Metaphyſica traduntur valde neceſſaria. Metaphyſica verò, & reliquæ partes eiuſdem Philoſophiæ particularibus inſcriptionibus gaudent.

Ordo horum librorum reſpectu aliarum partium Philoſophiæ talis eſt, vt primum locum inter omnes teneant, tanquã prima totius Philoſophiæ pars ſecundùm communem ſententiam omnium interpretum, quod & Ariſtoteles ipſe in eorum proœmio teſtatur, dicens, ſtatim ſibi diſſerendum eſſe de principiis naturalibus.

De modo procedendi.

Methodum verò procedendi in eis à ſe ſeruandam propoſuit idem Ariſtoteles in eodem proœmio dicens cõmunia priùs à ſe tractanda eſſe, perinde particularia ſuis propriis locis, quod patet ad methodum diuiſionis, & reſolutionis pertinere; & hoc idem in principio 1. lib. de partibus animalium repetit.

De

De ſubiecto huius operis.

18 SVbiectum huius operis idem ens mobile eſt,quod pro ſubiecto totius Philoſophiæ naturalis deſignauimus, diuerſa tamen ratione cōſideratum, nempe in communi; & vt abſtractum ab inferioribus. Duobus enim modis conſiderari poteſt ens mobile.Primò,in communi,& quaſi abſtractum à particularibus, in quantum ſolùm dicit principia communia motuū ſub nomine naturæ comprehenſa, quæ ſunt materia,& forma, ex quibus ens naturale completum componitur. Secundò conſideratur, non ſolùm, vt communia, hæc principia motus continet: ſed particularia etiam huius,& illius entis mobilis, nempe localiter mobilis,aut ſecundùm formam,vel vitæ principium. Et primo modo eſt obiectum horum libr.de Phyſico auditu, ſub ſecunda verò conſideratione eſt obiectum adæquatum totius Philoſophiæ naturalis.

Generalis diuiſio huius operis.

OPus hoc in octo membra, vel libros diuiditur. Primus agit de tribus principiis rerum naturalium, Materia, Forma, & Priuatione.Secundus de natura, & cauſis rerum naturalium. Tertius de motu, & infinito. Quartus de loco, vacuo,& tempore. Quintus de vnitate, contrarietate, atque ſpeciebus motus. Sextus de diuiſione motus in partes, & principia, ex quibus componitur. Septimus, & octauus de primo motore, eiuſque attributis, aut proprietatibus. Sed quare omnes dicantur de principiis, cùm duo tantùm priores de principiis differant? Reſpondeo meritò hos omnes libros de principiis vocari,quia cùm obiectum eorum ſit ens mobile pro radice, ſeu origine motus, radix autem, ſeu origo motus ſit materia,& forma,quæ non poſſunt intelligi, niſi intellecto, aut explicato motu, ſicut potentia, aut virtus quælibet non poteſt intelligi, niſi per ſuum actum. Hinc eſt, ad doctrinam eorundem principiorum pertinere tractatum de motu,& conſequenter de loco, & tempore: in quibus natus eſt fieri. De vnitate etiam, contrarietate, & ſpeciebus eius in communi ſaltem conſideratis,nec non de partibus, ac principiis,ex quibus componitur,& tandem de primo motore à quo fit.

LIBER

LIBER PRIMVS DE PHYSICO AVDITV, ſeu auſcultatione.

CAPVT PRIMVM de ordine procedendi.

TEXT. ARISTOT.

Quoniam intelligere, ac ſcire contingit circa omnes ſcientias, &c.

Breuis expoſitio textus.

PRIMVM cap. quaſi procemium eſt totius operis,in quo duo agit Ariſtoteles.Primò proponit ea de quibus in toto ipſo opere præcipuè agendum eſt. Secundò proponit methodum à ſe ſeruandam in eorundem notitia tradenda. Materia, à qua incipiendum eſt in his libris, docet eſſe principia rerum naturalium, & ſimul probat hac ratione: In tradenda cognitione cuiuslibet rei habentis principia, cauſas, & elementa, à notitia harum incipiendum eſt, ex qua dependet notitia eiuſdem rei cognoſcendæ: ſed res naturalis, cuius cognitio in hoc opere intenditur,habet principia, cauſas,& elementa: ergo ab his inchoanda eſt tractatio eius. Quid autem per principia,cauſas, & elementa intelligat Ariſtot.bene explicat D.Tho.quem ſequuntur ferè omnes interpretes, aſſerens, tria hæc ſe habere, tanquam ſuperius & inferius, ita vt principium ſuperius ſit, & eo inferius cauſa, infimum verò elementum, quod ſignificat primum,ex quo componitur res. Principium itaque dicit illud àquo res quomodocunque incipit, ſiue tanquam à cauſa, ſiue ſolùm tanquam à termino à quo. Vnde priuatio etiam comprehenditur ſub nomine principij, ſed cauſa addit influxum,ita vt cauſa ſit principium, à quo res habet eſſe per influxum: vnde à ratione cauſæ priuatiò excluditur, quia neque in generationem rei, neque in eius eſſe influxum habet. Elementum verò influxum dicit, ſed addit eſſe primū, ex quo componitur res, vt littera dicitur elementum orationis. Et reſpectu rei naturalis ſola materia dicitur propriè elementum, quia ſola illa eſt primum, ex quo fit res,nam forma ex potentia eius educitur: & ideò non eſt primum, nec propriè elementum 19

Digitized by Google

mentum. Quidquid igitur elementum eſt, etiam eſt cauſa, & quidquid eſt cauſa, eſt etiam principium, ſed non omne principium eſt cauſa, vt de priuatione conſtat, neque omnis cauſa eſt elementum, vt patet de efficiente, & forma, bene ergo Ariſtot. procedendum eſſe in tradenda cognitione rei naturalis à principiis, cauſis, & elementis docuit, vt his tribus vocibus omnia comprehenderet, ex quorum cognitione, notitia eius dependet.

20 In 2. parte proponit methodum obſeruandam in tradenda cognitione horum, nempe ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia, & à confuſis ad diſtincta procedendum eſſe. Quod etiam probat hac ratione: Inſitum nobis eſt à natura, vt in tradendis diſciplinis ab his procedamus, quæ nobis ſunt notiora, vt per hæc poſſimus aſſequi cognitionem aliorum, quæ minus nota nobis ſunt, ſed vniuerſaliora & magis confuſa ſunt nobis notiora; ergo ab his incipiendum eſt. Minor euidens eſt. Sed eam probat Ariſtoteles tribus exemplis. Primò quidem totius ſenſibilis, quod prius nobis occurrit ſub quadam confuſa ratione, quàm partes, & ideò prius à nobis cognoſcitur cognitione confuſa. Deinde ex toto intelligibili, quod eſt vniuerſale prædicatum prius etiam nobis occurrente in progreſſu cognitionis intellectiuæ, quàm particularia. Vt prius corpus, quàm animal, vel homo. Et tandem exemplo puerorum, qui prius vocant omnes patres quadam confuſa ratione, quam ſpeciali nomine alicuius vtantur, ex quibus ſequitur ab vniuerſalioribus procedere quamlibet notitiam rerum. Per confuſa autem, & vniuerſaliora, non diuerſa, ſed eadem intelligit Ariſtoteles ſecundùm expoſitionem D. Thom. à pluribus probatam.

Dubium vnicum circa textum expoſitum.

21 DVo aſſerit Ariſtot. in hoc breui cap. quæ videntur ſibi contraria. Primum, quòd in tradenda rerum naturalium ſcientia, à principiis, cauſis, & elementis earum ſit procedendum. Cùm ex notitia horum dependeat illarum ſcientia. Secundum aſſerit in eiſdem principiis tradendis à notioribus nobis procedendum eſſe, quæ ſunt vniuerſaliora, atque confuſa. Hæc autem contraria eſſe, probatur in eadem Philoſophia: in qua ab effectibus ſæpè proceditur, tanquam nobis notioribus, vt per eos cognoſcamus cauſas, & principia, atque elementa rerum naturalium. Non ergo ſemper ab his incipiendum eſt. Quod etiam patet in primis inuentoribus eiuſdem Philoſophiæ: qui ex effectibus cœperunt cognoſcere

cauſas,& principia rerum,quare non inceperunt ab his, vt incipiendum eſſe docet Ariſtoteles.

Huic dubio reſpondent Conimbricenſes, duabus viis comparari ſcientiã, videlicèt propria inuentione, vel induſtria Magiſtri,& dum propria inuentione comparatur non eſſe neceſſarium à principiis cauſis atque elementis procedere,ſed procedi poteſt ab effectibus nobis notioribus. Si verò cõparetur ſcientia induſtria Magiſtri, neceſſe eſt ab illis procedatur. Et quia Ariſto. in his lib.aliis tradebat ſcientiam: hoc modo ſibi eſſe procedendum docuit. Primi ergo inuentores ab effectibus potuerunt procedere, quin huic regulæ Ariſt.fuerint contrarij. Hæc tamen ſolutio non poteſt dubio ſatisfacere. Quod ſic probo,non ſolùm primi inuentores Philoſophiæ proceſſerunt ab effectibus,ſed etiam Ariſtoteles ipſe in tradenda nobis Philoſophia ſępè ab eiſdẽ procedit,& raró à cauſis:vnde ferè ſemper procedit per demonſtrationes, quia, & nunquàm ferè per demonſtrationes propter quid; ergo neque in vno, neque in alio modo aſſequendi, vel tradendi ſcientiam neceſſe eſt per principia,& cauſas à priori demonſtrare, ſed in vtroque poſſumus procedere ab effectibus per demonſtrationes quia.

Alio igitur modo ſoluendum eſt dubium: quia aliud eſt in tradenda ſcientia rerum naturalium incipiendum eſſe à principiis, cauſis, & elementis earum, aliud per demonſtrationes à cauſis procedendum eſſe. Primum eſt, quod Ariſtoteles docuit in præſenti cap. & hoc ſemper fieri debet procedendo à notioribus nobis,ſiue notiora nobis ſint effectus, ſiue cauſæ. Itaque vtroque modo demonſtrandi à priori, & à poſteriori vti poſſumus in aſſequenda, vel tradenda ſcientia rerum naturalium, ſiue propria inuentione eam aſſequamur, ſiue eam aliis tradamus, ſemper tamen in aſſequenda, vel tradenda à priori, vel à poſteriori, hoc eſt, ſiue per cauſam,vel effectum demonſtrando, incipiendum nobis eſt à principiis, cauſis,& elementis earundem rerum naturalium: cùm ſemper earum notitia,quomodocunque aſſequenda, vel tradenda ab eis dependeat. 22

Secundum verò, quòd per demonſtrationes à cauſis, vel ab effectibus procedendum ſit in tradenda, vel aſſequenda ſcientia earundem rerum, nec docuit Ariſtoteles nec docere potuit, quia nec verum eſt,nec neceſſarium,ſed vtroque modo procedi poteſt,dummodo à notioribus nobis ſemper procedatur.Itaq; duo hæc ſimul, & ſemper obſeruanda eſſe docuit Ariſtoteles, nempe in tradenda, vel aſſequenda ſcientia alicuius rei,à principiis,cauſis,& elementis eius incipiendum eſſe,quia ex horum notitia 23

notitia dependet. Et rurſus ad cognoſcenda hæc incipiendum eſſe à notioribus nobis,hoc eſt ab vniuerſalioribus,& confuſis, ſiue per viam effectus à poſteriori demonſtrando procedatur, ſiue per viam cauſarum demonſtrando à priori, de quo nihil prorſus præcepit,ſed liberum reliquit. Et ita potuerunt primi inuentores Philoſophiæ procedere ab effectibus,vel cauſis, in ſuis demonſtrationibus, & Ariſt.etiam in tradenda nobis ſciẽtia rerum naturalium. Semper tamen illi,& ſemper etiam iſte, inceperunt à principiis,cauſis, & elementis rerum naturalium, & in horum cognitione aſſequenda, vel tradenda ab his, quæ ſibi erant notiora,ſiue effectus eſſent, ſiue cauſæ. Ex his etiam ſolutum eſſe conſtat argumentum, pro ratione dubitandi propoſitum,duaſque regulas ab Ariſt.traditas nihil contrarietatis continere.

QVÆSTIO I.

An neceſſe ſit ad perfectam rei notitiam omnes cauſas eius cognoſcere.

24 COgnitionem cuiuſlibet rei habentis principia,cauſas, & elementa, ex horum notitia dependere docuit Ariſtoteles, & ideò à notitia earundem incipiendum eſſe in tradenda ſcientia eiuſdem rei. Quærimus ergo,an ad perfectam cognitionem eius requiratur cognitio omnium cauſarum, vel ſufficiat aliquas cognoſcere. Vt autem intelligatur quæſtio;diſtinguenda eſt imprimis cognitio in quidditatiuam, ſeu eſſentialem,& accidentalem. Quidditatiua eſt, per quam eſſentia rei cognoſcitur:Accidentalis, per quam ſolùm cognoſcuntur eius accidentia. Et de Accidentali non procedit quæſtio, ſed de Quidditatiua: quæ adhuc eſt duplex, nam alia eſt ſimplex (quam definitiuam vocant) quia ex incomplexis, atque eſſentialibus prædicatis,per quæ res ſolet definiri,reſultat: & talis eſt cognitio hominis,quæ habetur,per hæc prædicata,ſubſtantia,corpus,viuens,animal,& rationale. Alia eſt cognitio complexa, & ſcientifica, quæ habetur de obiecto alicuius ſcientiæ per paſſiones, quæ de illo demonſtrantur, vt de homine per riſibilitatem, admirationem, & capacitatem diſciplinæ: nam licèt paſſiones ſint accidentia rei, per eſſentiam tamen, à qua procedunt, demonſtratur ei conuenire, & ideò eſſentia ipſa eſt, quæ ſcientifico modo cognoſcitur. Sed vtramque tandem diuidunt in perfectam ſimpliciter, aut in certo genere, vel ſecundùm quid. Et perfectam omnes ferè vocant eam, per quam res cognoſcitur, quantum cognoſcibilis eſt eſſen-

tialiter,quare cum comprehenſiua conuerti aſſerunt,& ita eſt: quia cùm perfectum ſimpliciter ſit, cui nihil deeſt, ex his, quæ nata ſunt ei conuenire; perfecta cognitio rei erit ea tantùm, cui nihil deeſt: & talis eſſe non poteſt, niſi per eam cognoſcatur res, quantum apta eſt cognoſci, vel quantum cognoſcibilis eſt. Et hoc idem eſt,atq; comprehendi. Cognitio verò perfecta rei in certo genere, aut ordine eſt ea,per quā cognoſcitur res, quantùm cognoſcibilis eſt in illo genere, vt ſi homo cognoſcatur ſub conſideratione, vel ordine entis naturalis, quantum ſub tali conſideratione cognoſcibilis eſt, dicetur cognoſci quidditatiuè, ſed imperfectè, quia aliis modis cognoſci poteſt.

Cauſa etiam duplex eſt, per ſe, & per accidens. Per ſe eſt illa, à qua per ſe dependet effectus, vt cauſa per ſe ſtatuæ eſt ſtatuarius. Cauſa verò per accidens, à qua non per ſe, ſed per accidens dependet, vt muſicus dicitur cauſa per accidens ſtatuæ, quia accidit, vt muſica coniungatur ſtatuario, à quo per ſe dependet. Et quidem de cauſa per accidens non intelligitur quæſtio; quia cùm res non accipiat per ſe ab ea ſuum eſſe, certum eſt quidditatiuam eius cognitionem non dependere ab ea. Solùm ergo intelligitur de cauſa per ſe, quæ eſt quadruplex, finalis, efficiens, formalis, & materialis: & ideò ſenſus eius eſt: An ad cognitionem quidditatiuam, atque perfectam rei, neceſſe ſit cognoſcere omnes has cauſas, vel ſatis ſit aliquas cognoſcere. Et quia in omnibus ferè conueniunt authores, dicemus breuiter ea, quæ tenenda ſunt ex conſenſu omnium, vno, aut alio verbo ſignificantes, id in quo vnus, aut alter diſſentiat ab aliis. 25

Quod, vt clariùs fiat, aliud notandum eſt, nempe ad quidditatiuam rei cognitionem duobus modis aliquid eſſe neceſſarium, vel tanquam aliquid ei eſſentiale, aut tanquam id, ſine quo eſſentialia non poſſunt intelligi, vt ad cognitionem quidditatiuam relatiui, neceſſe eſt cognoſcere terminum: quia licèt non ſit de eſſentia eius, non tamen poteſt eſſentia relationis intelligi niſi cognito termino.

His ſuppoſitis duabus concluſionibus reſpondetur propoſitæ quæſtioni. Prima eſt, Ad quidditatiuam cognitionem rei, ſiue definitiuam, ſiue ſcientificam non perfectam ſimpliciter, aut non comprehenſiuam, ſed ſolùm perfectam ſecundùm quid, hoc eſt in aliquo genere, aut conſideratione, non requiritur cognitio omnium prædicatorum eſſentialium, quæ ſub quacumque conſideratione habere poteſt, nec etiam cauſarum omnium, ſed ſufficit cognoſcere de ea prædicata eſſentialia 26

tialia Phyſica, Phyſicas proprietates eius, & etiam quatuor genera cauſarum, vt in Phyſica conſiderantur. In hac concluſione conueniunt omnes, præter Tholetum, qui hanc cognitionem rei vocat perfectam ſimpliciter, contra communem eorum conſenſum, & contra rationem perfecti ſimpliciter, cui nihil deeſſe debet in vllo genere. Et ratio eius eſt manifeſta: quia ſi hæc de re aliqua cognoſcantur, cognoſcetur, quantùm cognoſcibilis eſt in ordine, vel conſideratione philoſophica; ergo talis cognitio eius perfecta erit in tali genere. Probatur minor, quia cognitio quidditatiua incomplexa eius ſolùm dependet ex prædicatis eſſentialibus; quæ ſub tali modo abſtractionis à materia conſiderari poſſunt de ea: & ſcientifica ſolùm ex proprietatibus Phyſicis, & cauſis, intrinſecis quidem, vt materiali, & formali: ex quibus componitur, tanquàm partibus eſſentialibus phyſicis, atque etiam ex cauſis extrinſecis, quæ ſunt efficiens, & finalis; quæ licèt non pertineant ad eſſentiam, non poſſunt eſſentialia eius intelligi, niſi eis ſub tali ordine cognitis. Sed non eſt hoc intelligendum de quacumque cauſa efficienti, aut finali, etiam Phyſica, ſed ſolùm de prima efficiente, & vltimo fine, qui eſt Deus; quia licèt etiam ab aliis dependeat, vt filius à patre, non tamen eſſentialiter, niſi à ſolo Deo, à quo ſolo conſtat produci poſſe ceſſantibus aliis, à quibus non niſi per virtutem liberè communicatam à Deo producitur. Quòd verò à Deo dependeat eſſentialiter, probatur euidenter: quia eſſe cuiuſlibet rei naturalis eſſentialiter eſt participatum à Deo, tanquàm à primo eius fonte; ergo eſſentialem dependentiam ab eo includit, tanquam à primo efficiente, à quo deriuatur: atque etiam, tanquam ab vltimo fine. Quia homo (gratia exempli) eſſentialiter eſt capax beatitudinis, quæ cùm in ſolo Deo, tanquam in vltimo fine conſequendo conſiſtere poſſit, eſſentialem dicit ordinem ad Deum, vltimum eius finem. Vnde ſequitur non poſſe eſſentiam eius perfectè cognoſci, etiam in tali ordine phyſico, niſi cognito Deo, vt primo eius efficiente, & vltimo fine.

27 Secunda concluſio, ad cognitionem rei ſimpliciter perfectam, aut comprehenſiuam, ſiue incomplexam, aut definitiuam, ſiue complexam, aut ſcientificam neceſſe eſt cognoſcere omnia prædicata eſſentialia, quæ ſub quacumque conſideratione ei poſſunt conuenire; omnes paſſiones, omnes potentias, aut virtutes, omnes etiam perfectiones, atque etiam omnes cauſas, non ſolùm intrinſecas, ſed extrinſecas, cuiuſcumque generis, aut ordinis, à quibus eſſentialiter dependet. In hac etiam conueniunt omnes. Et ratio eius eſt manifeſta: quia

B 3 cogni

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cognitio rei ſimpliciter perfecta talis eſſe debet, cui nihil deſit, ex his, quæ in quocunque genere, vel conſideratione habere poteſt; ergo vt talis ſit, debet per eam cognoſci res, quantum eſt cognoſcibilis, quod eſt eſſe comprehenſiuam, ſed per illa omnia cognoſci poteſt; ergo omnia requiruntur ad cognitionem eius ſimpliciter perfectam, aut comprehenſiuam.

Sed aduerſus hanc concluſionem eſt difficile argumentum: quia ſi vera eſt, ſequitur ex ea non poſſe perfectè cognoſci, aut comprehendi potentiam, niſi cognoſcantur omnia, quæ ſub obiecto eius continentur: vnde non poterit comprehendi intellectus, niſi cognoſcantur omnia entia exiſtentia & poſſibilia: nec potentia viſiua, niſi cognoſcãtur omnes colores poſſibiles, nec tandem materia prima, niſi cognoſcantur omnes formæ etiam poſſibiles. Probatur conſequentia, quia licèt obiectum non ſit de eſſentia potentiæ, nec forma de eſſentia materiæ, ordo tamen ad obiectum, vel ad formas eſſentialis eſt vtrique, ſed ordo non poteſt intelligi, ſine termino, cùm ſit relatio; ergo nec potentia, niſi cognitis his, quæ continentur ſub eius obiecto: aut materia ſine cognitione omnium formarum.

Huic argumento, quantum pertinet ad comprehenſionem materiæ, conantur reſpondere Conimbricenſes, ſed tandem viſum eſt eis ſolui non poſſe, ſed concedendum eſſe, quod intendit, videlicèt materiam non poſſe ab aliqua creatura comprehendi: cùm nulla ſit, quæ cognoſcere poſſit omnes formas poſſibiles, ſaltem virtute naturali, nam per ſupernaturalem reuelationem Dei cognoſci poterunt. Et eadem ratione concedunt nullam creaturam poſſe virtute naturali comprehendere continuum, quantumuis minimum: quia partes proportionales actu infinitas, quas habet, non poteſt cognoſcere.

Hæc tamen ſolutio videtur mihi contraria communi ſententiæ totius ferè ſcholæ. Probatur, quia omnes concedunt 28
ſuperiores angelos naturaliter comprehendere hominem, & etiam omnes angelos inferiores. Et ratio huius eſt manifeſta, quia ſuperiora alicuius ordinis ex propria natura comprehendere debent omnia inferiora ſui ordinis. Vt patet in corporibus, nam aër comprehendit aquam, ignis aërem, primum cœlum ignem, & alia elementa, & ſuperiores cœli comprehẽdunt inferiores, & quod in corporibus contingit ſecundùm comprehenſionem materialem contingere abſq; dubio debet in ſpiritibus ſecundùm comprehenſionem formalem cognitionis, at ſecundùm

ſecundùm hanc ſolutionem impoſſibile hoc eſt. Quia ſi intellectum hominis, aut angeli inferioris non poſſunt naturaliter comprehendere ſuperiores angeli, nec poterunt comprehendere animam, vel ſubſtantiam angeli, cuius virtus, & potentia eſt. Quia ad comprehenſionem rei, neceſſaria eſt comprehenſio omnium virtutum, & potentiarum eius, vt nos probauimus, & ipſimet concedunt.

Pro ſolutione igitur argumenti explicandùm eſt in particulari, quid requiratur, & ſufficiat ad comprehenſionem quidditatiuam rei. Dicimus autem illud requiri, & ſufficere, vt cognoſcatur quantum cognoſcibilis eſt eſſentialiter, aut quidditatiuè. Ad hoc verò requiritur quidem, atque etiã ſufficit cognitio eorum, ex quibus magis cognoſcibilis quidditatiuè redditur, vel certè nouo modo cognoſcibilis, & cùm in tantùm fit res cognoſcibilis, in quantum eſt ens, illa neceſſariò cognoſcenda ſufficient ad comprehenſionem; ex quibus entitas rei, aut ratio formalis eius aliquo modo creſcit, vel perfectior fit ſubſtantialiter.

29 Ex quibus colligitur non eſſe neceſſarium ad comprehenſionem rei ſubſtantialem ea cognoſcere: ex quibus purè accidentaliter, aut extenſiuè, vel per ſolam denominationem extrinſecam magis perficitur, magis aut nouo modo cognoſcibilis redditur. Probatur euidenter, quia ſine his poteſt cognoſci, quantum cognoſcibilis eſt ſubſtantialiter. Quare non erit neceſſarium ad comprehendendam potentiam cognoſcere omnes actus, quos producere poteſt circa diuerſa obiecta materialia numero, aut ſpecie diuerſa; imò neque obiecta ipſa materialia. Probatur conſequentia, quia nihil horum pertinet ad perfectionem eſſentialem potentiæ. Quod enim plura entia, vel pauciora contineantur ſub obiecto intellectus, aut plures ſpecies coloris ſub obiecto viſus: quòd plures etiam actus circa ea poſſint exercere, non variat eſſentialem rationem harum potentiarum, quæ ex ratione formali obiectiua ſolùm accipitur, non ex obiectis materialibus, ſed ad quandam extenſionem accidentalem pertinent; quare non erit neceſſarium ad ſubſtantialem comprehenſionem ea in particulari cognoſcere, ſed ſatis eſt, ſi cognoſcatur rationem formalem veri, aut intelligibilis, ſeu viſibilis ad quæcumque entia, & ad quoſcumque colores extendere ſe poſſe, & quoſlibet actus poſſe circa ea exercere has potentias. Et eadem ratione non pertinet ad eſſentialem perfectionem materiæ, quòd plures poſſit formas recipere, ſed maxima imperfectio eius eſt, & adhuc imperfectio hæc non creſcit ſubſtantia-

liter ex eo, quòd plures poſſit, vel pauciores recipere, numero, aut ſpecie diuerſas, ſed ſolùm extenſiua quadam ratione, & accidentali; quare non eſt neceſſarium omnes cognoſcere ad comprehenſioné ſubſtantialem materiæ, ſed ſufficit cognoſcere, in communi, quòd poteſt recipere omnes formas amiſſibiles, ex quo diſtinguitur ſpecie à materia Cœlorum. Nec tandem ad comprehenſionem continui cognoſcere infinitas partes proportionales diſtinctè & in particulari, quia hæc non pertinent ad perfectionem eſſentialem eius, ſed extenſiuam, & quaſi accidentalem, cùm materiale prorſus hoc ſit. Sed ſatis eſt cognoſcere in communi, quòd infinitas partes actu habeat. Et ex hac doctrina luce clarius conſtat ſolutum eſſe argumentum cui neganda eſt conſequentia, quòd hæc omnia non poſſint comprehendi à creatura aliqua.

QVÆSTIO II.

An qualibet ſcientia demonſtret ſuas concluſiones per omnia genera cauſarum.

OCcaſionem ſumpſit quæſtio hæc ex eo, quod Ariſt. docuit cap. præſenti, nempe in tradenda ſcientia cuiuſlibet rei à principiis, & cauſis eius eſſe procedendum. Si enim à cauſis, meritò dubitatur, an ab omnibus demonſtret ſcientia quælibet proprietates ſui obiecti, vel ſolùm per vnam, vel alteram demonſtrando procedere ſufficiat, hoc eſt, per formalem, aut materialem, & quia tres ſunt gradus ſpeculatiuarum ſcientiarum, de quibus quæſtio procedit, ſecundùm triplicem abſtractionem à materia, de ſingulis ſpecialiter loquendum eſt.

Quid ſit ſentiendum de modo demonſtrandi metaphyſicè.

IN primo gradu collocatur metaphyſica, quia omnimodo abſtrahit à materia. De qua primò dicendum eſt, an omnibus generibus cauſarum vtatur in ſuis demonſtrationibus, vel quibuſdam tantùm. Et quòd tribus generibus, videlicet formali, finali, & efficiente vtatur, certum eſt apud omnes, vt teſtantur Commen. lib. 2. Meta. Commen. 6. Albert. Mag. lib. 3. tractat. 3. cap. 1. & lib. 12. tract. 1. cap. 3. P. Pererius 3. lib. cap. 5. ſed præcipuè D. Tho. lect. 1. horum Commentariorum his verbis: *Metaphyſica demonſtrat per cauſam formalem, & finalem præcipuè, & etiam agentem.* Et huius ratio manifeſta eſt, quia 30

de primo

de primo ente agit,qui eſt primum efficiens,& vltimus finis:& rerum omnium eſſentias conſiderat ſecundùm proprium modum abſtrahendi à materia, docétque per genus & differentiam, tanquam per partes eſſentiales eſſe definiendas. Definitio autem formale genus cauſæ continet reſpectu definiti;ergo negari non poteſt, quin his tribus generibus cauſarum in ſuis demonſtrationibus vtatur.

31 Solùm de materiali poteſt eſſe dubium, quia metaphyſica abſtrahit, non ſolùm à materia ſenſibili, ſed etiam intelligibili; ergo pugnat cum proprio modo abſtrahendi à materia conſideratio cauſæ materialis. Probatur conſequentia, quia cauſa materialis non eſt aliud ab ipſa materia. Hoc tamen non obſtante ſentiunt omnes,tam antiqui, quàm moderni, aliquo modo conſiderare cauſam materialem, quo autem modo poſſibile hoc ſit,non omnes eodem modo explicant.

Priùs tamen, quàm diuerſos modos explicandi referamus, duo ſunt reiicienda, tanquam apertè falſi. Primus eorum,qui metaphyſicam in duas ſcientias diuidunt ita vt vna ſit, quæ de prædicamentis per ſe agat. Sub quibus certum eſſe aiunt collocari materiam, & materialia omnia: alioqui non poſſent conſtare coordinationes prædicamentales ex communibus prædicamentis rerum materialium, & immaterialium factas. Alia ſcientia metaphyſica eſt, quæ agit de ſolis entibus ſpiritualibus, vt de Deo, & intelligentiis; quæ licèt non poſſit per cauſam materialem demonſtrare,poteſt tamen prima.

32 Alij verò quos citat P.Franciſcus Suarius Tomo 1.ſuæ Metaphy. diſput.1.ſectio.4. ad finem licèt non diſtinguant duplicem ſcientiam metaphyſicam, diſtinguunt tamen duplicem conſiderationem eiuſdem. Nam primò conſideratur, vt particularis ſcientia diſtincta à cæteris: Secundò vt vniuerſalis ars, quo pacto cæteris ſcientiis, & artibus præeſt, & omnium domina, atque regina vocatur, vt docet Ariſtoteles primò poſt, textu 23.& in principio Metaph. Et ſub prima conſideratione non poteſt conſiderare cauſam materialem, bene tamen ſub ſecunda.

Vtraque autem hæc ſententia eſt contra Ariſtotelem, & contra rationem,nam Ariſtoteles 3.lib.Metaph. textu 2. & li. 6.textu 3. expreſsè docet Metaphyſicam eſſe vnam ſcientiam, & non multiplicem:cuius ratio euidens eſt; quia vnitas ſcientię ex vnitate ſui obiecti accipienda eſt,ſed ens ſub omnimoda abſtractione à materia, quæ eſt ratio formalis obiectiua eius, comprehendit non ſolùm prædicamenta, ſed etiam ſpirituales ſubſtantias,vt per ſe eſt manifeſtum;ergo non poteſt diſtingui

in duplicem ſcientiam, quare falſa eſt prior ſententia. Et ex conſequenti ſecunda, quia ſi ſub ratione vnius ſcientiæ diſtinctæ ab aliis non poteſt materialem cauſam comprehendere; ergò nec etiam ſub ratione vniuerſalis artis. Probatur euidenter conſequentia, quia ars quælibet determinatum obiectum, & determinata principia debet habere, & ſcientifica quidem, ſi ars ſit liberalis, ſed non poteſt habere Metaphyſica aliam rationem obiectiuam, nec alia principia ſcientifica in ratione artis, diuerſa ab his, quæ habet in ratione ſcientiæ: cùm ratio artis, ſi eam haberet, in eadem ratione ſcientiæ deberet eſſe fundata; ergo ſi in ratione ſcientiæ non poteſt ſe extendere ad conſiderandam cauſam materialem, nec etiam in ratione artis. Præterquam, quòd nullus vnquam dixit metaphyſicam eſſe artem; cùm conſtet non ordinari ad aliquod opus efficiendum, vel dirigendum; ergo falſum ſupponit ſecũdus modus dicendi.

His opinionibus refutatis, eſt opinio alia modernorum aſſerentiũ metaphyſicam cõſiderare per ſe ſubſtantias ſeparatas à materia: materiales verò, & materiam ipſam, ex qua componuntur, non per ſe, ſed ſolùm, in quantum notitia earum neceſſaria eſt, vt ab eis ſeparentur ſpirituales ſubſtantiæ, & hac ſola ratione agitur in metaphyſica de prædicatis eſſentialibus ſubſtantiæ materialis, nempe de eo quòd ſit ens per ſe, compoſita ex materia, & forma, quòd ſit vnum, & verum. Quod ſolùm eſt conſiderare materiam, & materiales ſubſtantias, in quantum eis conueniunt prædicata tranſcendentalia. 33

Vera tamen ſententia colligitur euidenter ex Ariſt. 2. lib. Met. Sum. 2. cap. 1. vbi ſubſtantiam materialem, atque etiam materiam, & formam ex quibus componitur per ſe, conſiderari docet à Metaphyſica, & Philoſophia naturali, diuerſa tamen ratione: nam Metaphyſica eam conſiderat, vt eſt quid compoſitum ex potentia, & actu reali, tanquam ex partibus: quod patet non habere ſubſtantias ſpirituales: materiam verò, & formam, vt ſunt potentia, & actus realis componentes eandem ſubſtantiam. Sed naturalis Philoſophia eandem ſubſtantiam corpoream conſiderat, non ſolùm vt compoſitam ex his, ſed vt habet radicem motus, materiamque, & formam, non ſolùm, vt eam componentes, ſed vt ſunt primæ radices motus, & hoc eſt conſiderare illam, vt habet naturam, vel vt eſt ens naturale: materiam verò, & formam, vt partiales naturæ eam componentes. Et vt vno verbo mentem, atque ſenſum Ariſtotelis explicemus, dicimus metaphyſicam conſiderare materialia, & materiam ipſam, non modo materiali, quia non in ordine ad motum, ſed abſtrahendo ab illo, & ex conſequenti à modo materiali.

Google

materiali. Naturalem verò Philoſophiam conſiderare materiam, & materialia, materiali etiam, ac ſenſibili modo; cùm ea conſideret in ordine ad motum. Et ideò vtraque conſiderat cauſam materialem, vtraque ea vtitur in ſuis demonſtrationibus: illa quidem modo non materiali,ſed abſtrahendo ab illo, hæc verò materiali modo. Ex quibus conſtat non pugnare duo hæc inter ſe, videlicet metaphyſicam abſtrahere omnino à materia, & nihilominus materiam, & materialem ſubſtantiam conſiderare, quia abſtractio omnimoda à materia ſolùm tollit modum materialem eam conſiderandi,non conſiderationem eius, quam habere poteſt modo non materiali iuxta proprium modum abſtractionis, & iuxta eundem poteſt per ſe conſiderare formalem,& materialem cauſam,eiſque vti in ſuis demonſtrationibus, & non ſolùm, vt diſtinguat ſpirituales ſubſtantias à corporeis. Et ex his conſtat ſolutum eſſe argumentum.

Quibus generibus cauſarum vtantur mathematicæ diſciplinæ in ſuis demonſtrationibus.

34 PRima opinio tenet nullam cauſam propriè conſiderare, ſed demonſtrationes earum per quaſdam rationes priores procedere veris cauſis ſimiles. Quemadmodum demonſtrationes, quibus vtitur Metaphyſica ad probandum aliqua attributa Deo conuenire per alia, vt eſſe indiuiſibilem: quia eſt intellectualis,& eſſe vnum; quia eſt primum ens, & etiam ſolet probari, quòd ſit æternus; quia eſt immutabilis. Et nihilominus demonſtrationes iſtæ, atque etiam mathematicæ veræ ſunt, & potiſſimæ. Ita Niphus, & Venetus cap.præſenti, & Burida. in procem. Met. quos ſequuntur aliqui ex modernis addentes mathematicas diſciplinas non eſſe propriè ſcientias, ſed certam quandam notitiam numerorum, & figurarum tradere,nec per cauſam,nec per effectum.

Probant teſtimonio Ariſtotelis 2.lib. Moralium ad Eudemum, cap. 7. vbi aſſerit ſolùm vti quibuſdam principiis initio ſcientiæ præſuppoſitis ad inferendas concluſiones,quibus ſublatis neceſſe eſt omnes demonſtrationes tolli.

Probant deinde ratione; primò quia Mathematicæ abſtrahunt à motu,cùm abſtrahant à materia ſenſibili;ergo ab omni genere cauſæ. Probatur conſequentia, quia omnes cauſæ habent neceſſariam connexionem cum motu, materia tanquam ſubiectum, efficiens, vt vnde procedit motus, finis, vt cuius gratia res mouetur, & forma vt per eundem motum acquiſita tanquam terminus eius.

Secundò

Secundò,quia mathematicæ agunt de quibuſdam accidentibus,vt de linea,& numero, ſed accidentia carent materia, & forma,ex quibus componantur, vt ex ſe eſt manifeſtum: ergo impoſſibile eſt aliquid de eis demonſtrare per cauſam materialem, & formalem, & ex conſequenti, per duo alia genera cauſarum,ad quæ ordinantur materialis,& formalis.

Secunda opinio, ſolam cauſam formalem eis concedit, ita 35
Alexander, & Auerroes cap. præſenti, quos videtur ſequi D. Thom.lectione 1.horum Commentariorum. Vbi ſic ait, *Mathematica non demonſtrat,niſi per cauſam formalem.* Et videtur probari,quia veras habent demonſtrationes à priori,in quibus negari non poteſt, quòd principia ſint ratio formalis aſſentiendi concluſionibus, ergo nec poteſt ab eis excludi cauſa formalis.

Tertia opinio,non ſolùm formalem, ſed etiam materialem cauſam conſiderare docet,ita Toletus cap.præſenti,quod probat hoc argumento, mathematicæ aliquando demonſtrant, quòd figura ſit diuiſibilis in duas partes, quod habet ratione partium integrantium linearum, ex quibus tanquam materia conſtat,ergo etiam demonſtrant per cauſam materialem.

Noſtra ſententia duabus concluſionibus explicatur in doctrina Ariſtotelis expreſsè contentis,prima eſt,Mathematicæ diſciplinæ per veras cauſas demonſtrant ſuas concluſiones, hanc docet Ariſtot.6.lib.Meta.in principio his verbis: *Mathematicorum quoque principia,elementa,& cauſa ſunt. Et ſimpliciter omnis intellectualis ſcientia, ſiue aliquo modo intellectu participans circa cauſas,& principia,aut certiora,aut ſimpliciora eſt.* Et probatur ratione, quia in vera demonſtratione à priori neceſſe eſt principia eſſe veram cauſam concluſionis, vt docet Ariſtoteles 1.lib.poſt.cap.2.Definiens demonſtrationem, *Quòd procedat ex primis,veris,notioribus, cauſiſque concluſionis.* Sed de Mathematicis diſciplinis nemo dubitat, quin veras demonſtrationes à priori habeant: ergo neceſſe eſt per veras cauſas demonſtrare ſuas concluſiones.Nec ſoluitur argumentum ſi dicatur eſſe rationes quaſdam cauſis ſimiles,vel eſſe cauſas non eſſendi,ſed cognoſcendi,quia rationes illæ, per quas demonſtrant, ex natura rei ſunt priores effectibus, aut concluſionibus demonſtratis,& non tantùm per intellectum.Veris etiam definitionibus vtuntur aliquando, quibus negari non poteſt cauſalitas formalis:Vnde ſequitur non eſſe cauſas cognoſcendi tantùm, ſed etiam eſſendi ſuo modo,quod non reperitur in attributis diuinis, de quibus communis eſt ſcholæ ſententia, non diſtingui,niſi per noſtrum intellectum.

36 *Secunda* concluſio, Mathematicæ diſciplinæ demonſtrant per cauſam formalem,& materialem tantum. Hæc etiam continetur in doctrina Ariſtotelis: nam quod demonſtret per cauſam formalem docet expreſsè 2.lib.Phyſicorum,textu 68. his verbis: *Aut enim ad ipſum quid eſt, reducitur ipſum propter quid vltimum in immobilibus, vt in Mathematicis: ad definitionem enim recti, aut commenſurabilis, aut alius cuiuſpiam reducitur vltimum.* Per quid eſt autem, ſeu per definitionem conſtat intelligi cauſam formalem, non ſolùm ex hoc loco: ſed ex textu 70. eiuſdem libri, vbi in eadem re coincidere docet aliquando finalem cauſam,& formalem, ſeu quodquid eſt, his verbis: *Veniunt autem tres in vnam plerumque, ipſum enim quid eſt, & id cuius gratia vna eſt.* Materiali verò etiam mathematicum vti docet expreſsè 2.lib.poſt.text.11. Exemplo anguli in ſemicirculo facti, quem rectum eſſe demonſtrat: quia eſt dimidium duorum rectorum, quod eſt demonſtrare per partes integrantes, in quas diuiditur, partes autem integrantes reſpectu totius integralis, quod componunt: materialem cauſam continere docet idem Ariſt. 2. lib. Phyſic. text. 31. vbi exemplum cauſæ materialis in eis ponit.

Et ratione probatur, quod vtraque cauſa vtatur Mathematicus, nam euidens eſt definitione vti, & etiam eſt euidens definitionem eſſe formam definiti,& cauſam formalem reſpectu illius continere. Euidens eſt etiam multa probare per diuiſionem angulorum in partes integrantes, nec eſt minus euidens diuiſionem in partes integrantes eſſe materialem, cùm partes integrantes ſint materialis entitas totius, vt patet de medietatibus lineæ vel ſuperficiei,& de capite, brachio,& pedibus hominis.

37 Quòd verò non vtantur Mathematicæ finali, & efficienti cauſa, euidens eſt in doctrina Ariſt. De cauſa quidem finali id docet 3.lib.Met.text.3. aſſerens de immobilibus diſſerere, nihilque de bono, aut malo conſiderare, finis autem per ſe bonus eſt; ergo nihil de fine conſiderant. Vnde ſequitur nihil etiam de efficiente conſiderare, quia efficiens nihil operatur, niſi motum à fine.

Vt autem veritas noſtræ ſententiæ melius intelligatur, & argumenta primæ opinionis facilius ſolui poſſint, notandum eſt, quamlibet ſcientiam per vnum, vel alterum genus cauſæ demonſtrare ſecundùm modum propriæ abſtractionis, ita vt Philoſophia naturalis, quamlibet cauſam conſideret in ordine ad motum,& ſenſibilia; materialem quidem, & formalem, vt ſunt primæ radices motus; efficientem, vt id, à quo procedit motus,

motus,& finale, vt cuius gratia mouet efficiens. Metaphyſica verò non ſic: ſed materialem, & formalem, vt ſunt actus, & potentia,ex quibus componitur ens corporeum. Efficientem verò,vt eſt firmum quid,& immobile, à quo cætera dependẽt in eſſe,& finalem,vt id cuius gratia eodem modo dependent, & ab eo accipiunt eſſe.Et eadẽ ratione Mathematicæ conſiderãt cauſam materialem, & formalẽ ſecundùm propriã abſtractionem à motu,& materia ſenſibili: & cũ non verſentur circa ſubſtantiam, ſed circa accidentia, quæ non componuntur ex materia, & forma, non conſiderant cauſam materialem,aut formalẽ,quę ſint partes ſubſtãtię,aut principia motus,ſed quæ in tali modo abſtractionis rationem habent materiæ & formę: quod ſufficit,vt vera cauſa materialis, & formalis dicantur in tali ſcientia; licèt non ſint materia,& forma naturalis:Et certè in ordine ad demonſtrationem, eo habent perfectiorem rationem cauſarum, quo minus materiales ſunt, quia certiores longè demonſtrationes efficiunt. Vnde in hoc videntur decipi aliæ opiniones aſſerentes mathematicum non vti aliquo genere cauſæ, vel non materiali, quia non conſiderat cauſas modo naturali,aut Phyſico,ſeu materiali, quę ratio inſufficiẽs eſt: nam alioqui, nec metaphyſica poſſe conſiderare aliquam cauſam; veras igitur cauſas eſſendi, & demonſtrandi conſiderat Mathematicus, ſed non naturales,aut phyſicas. Quia non modo materiali,hoc eſt, non in ordine ad motum, aut ſenſibilia accidentia, ſed abſtrahendo ab his. Et vt vno verbo dicatur, conſiderat quidem materiam, non ſenſibilem cùm ab hac abſtrahat, ſed intelligibilem, ſub qua agit de omnibus. Hanc doctrinam accepi ex D.Tho. 2. lib.poſteriorum,lect.9. ante medium, cuius dilucida verba habes in hac eadem quæſtione copioſiùs agitata in primis noſtris Comment.

Et ex ea facilè ſoluuntur argumenta aliarum opinionum. 38
Et teſtimonium Ariſtot. pro prima, difficultate caret, quia ſolùm negare vult Mathematicum conſiderare cauſas naturales,aut naturali, vel materiali modo.

Ad primum conceſſo antecedenti, diſtinguendum eſt conſequens,quòd Mathematicus abſtrahat ab omni genere cauſę: nam ſi intelligatur ab omnibus cauſis abſtrahere,vt reſpiciunt motum, verum eſt; ſi verò, eas non conſiderare ſecundùm modum propriæ abſtractionis,falſum.

Ad ſecundum conceſſa maiori, & minori, eodem modo diſtinguendum eſt conſequens: nam materialem, & formalem cauſam, vt dicunt partes naturalis ſubſtantiæ; in qua eſt radix motus non conſiderat Mathematicus,neque vt dicunt materiam,

teriam, & formam naturalem, & ſenſibilem, ſed vt dicunt materiam & formam intelligibilem ſecundùm modum propriæ abſtractionis, ſub qua veram rationem cauſæ habent. Argumenta aliarum opinionum pro noſtra faciunt, & ideò non ſunt ſoluenda.

An per omnia genera cauſarum demonſtret Philoſophia naturalis.

39 EXpreſſa eſt ſententia Ariſtotelis quòd Philoſophia naturalis per ſe conſideret quatuor genera cauſarum, eiſque vtatur in ſuis demonſtrationibus, quod ex tota eius Philoſophia euidenter conſtat. Sed paucis verbis id docet 2. lib. Phyſic. textu 70. ſic inquiens: *Cùm autem cauſæ quatuor ſint, de omnibus eſt Phyſici cognoſcere, & ad omnes reducens ipſum propter quid, aſſignauit Phyſicè materiam, formam, ipſum mouens, & id cuius gratia, &c.* Et probatur euidenti ratione, quia euidens eſt Philoſophiam naturalem de rebus naturalibus per ſe agere atque adeò de natura earum, quam definiuit Ariſtot. 2. lib. Phyſic. ſed natura dicitur primò, & per ſe de materia, & forma, tanquàm de principiis radicalibus motus; ergo per ſe conſiderat cauſam materialem, & formalem. Euidens eſt etiam naturam agere propter finem, vt in eodem lib. 2. demonſtrat Ariſto. Nec minus euidens eſt eãdem naturam in ſuis operationibus dirigi à primo eius authore, tanquàm à primo efficiente, à quo ſicut eſſe cauſarum naturalium procedit, ſic etiam omnes earum motus; ergo euidens eſt Philoſophiam conſiderare, cauſam finalem, & efficientem, atque adeò omnia quatuor genera cauſarum.

QVÆSTIO III.

An magis vniuerſalia ſint nobis notiora cognitione actuali confuſa.

40 VT intelligatur quęſtio, notandum eſt, duplicem eſſe cognitionem, ſimplicem, & complexam. Simplex cognitio, eſt, per quam ſimplicia cognoſcimus: vt hominem, aut Petrũ. Complexa, per quam cognoſcimus orationem, vel propoſitionem, & ſub hac comprehenditur cognitio principiorum, & concluſionum, atque adeò totus proceſſus ſcientificus, vt per hæc cognoſcantur concluſiones; ſed de ea non procedit quæſtio, quia certum eſt in proceſſu ſcientifico, de quo præcipuè agit

agit Ariſtot. cap. præſenti à principiis eſſe incipiendum, ex quibus deducuntur concluſiones, ſed principia ſunt vniuerſaliora concluſionibus; quia plures concluſiones continentur in eodem principio; & eadem ratione ſunt notiora concluſionibus; ergo certum erit ab vniuerſalioribus eſſe incipiendum. Solùm ergo procedit quæſtio de cognitione ſimplici, an in cognoſcēdis ſimplicibus ſit incipiendum ab vniuerſalioribus tanquam à nobis notioribus. Sed in eadem cognitione ſimplicium duplex comparatio fieri poteſt. Prima ſolùm inter vniuerſalia prædicata, quorum cognitio proximè deſeruit ſcientiæ: nam de ſingularibus non datur ſcientia. Secunda inter vniuerſalia, & ſingularia, & primò agendum eſt de vniuerſalibus: de quibus certum eſt agere Ariſtotelem: deinde de comparatione horum cum ſingularibus. Et ideò duplicē partem habebit quæſtio, & ſenſus primæ erit, an dum incipimus cognoſcere vniuerſalia prædicata: primum cognitum à nobis ſit vniuerſalius, vel minus vniuerſale.

Prima pars quæſtionis de cognitione prædicatorum vniuerſalium.

SEd quia vniuerſalia habent rationem totius, & partis diuerſo modo conſiderata: adhuc diſtinguenda eſt cognitio eorum; nam quędam eſt actualis, per quam cognoſcitur totum actuale, vt cognitio; per quam cognoſcitur ſpecies infima, vel ſubalterna: quia totum actuale eſt compoſitum ex genere, & differentia. Alia eſt cognitio potentialis, per quam cognoſcitur totum potentiale, vt cognitio, per quam cognoſcitur animal, vt contrahibile per rationale, & irrationale, hoc enim modo totum potentiale dicitur. Deinde cognitio actualis, alia eſt diſtincta, alia confuſa; actualis diſtincta eſt, per quam cognoſcitur totum actuale diſtinctè, hoc eſt, cognitis diſtinctè partibus, ex quibus componitur, vt cognitio per quā cognoſcitur homo cognita eius definitione. Actualis verò confuſa, per quam cognoſcitur totum actuale, non diſtinctè, ſed confusè, vt cognitio per quam cognoſcitur homo, non cognitis diſtinctè partibus definitionis eius. Cognitio etiam potentialis, alia eſt diſtincta, per quam cognoſcitur totum potentiale diſtinctè, nempe cognitis partibus poteſtatiuis eius, quę ſunt ſpecies; vt cognitio qua cognoſcitur animal, vt totum potentiale eſt cognitis ſpeciebus, hominis, equi, leonis, ac cæteris. Alia verò eſt cognitio potentialis confuſa, per quam cognoſcitur totum potentiale confusè, hoc eſt non cognitis 41

cognitis diſtinctè partibus poteſtatiuis, vt animal, non cognitis ſpeciebus.

42 Inter has autem cognitiones talis eſt ordo ex natura rei, vt confuſa ſemper præcedat diſtinctam eiuſdem rationis, nempe confuſa actualis diſtinctam etiam actualem, & confuſa potentialis diſtinctam potentialem, quod his verbis docuit Ariſto. cap. præſenti 3. *Sunt autem primùm nobis dilucida, ac manifeſta confuſa magis: poſterius autem ex his nota fiunt elementa, & principia his, qui diuidunt hæc.* Et ratio eſt manifeſta, quia prius ſe nobis offert id, quod confuſum eſt, vt totum, quàm cognoſcamus diſtinctè partes; ergo prius illud cognoſcimus cognitione confuſa, pòſt verò cognitis partibus diſtinctam notitiam eius conſequimur. Quod adeò neceſſarium eſt, vt repugnet confuſam ſimul, ac diſtinctam notitiam habere eiuſdem rei.

His explicatis, quædam ſunt in hac re certa. Primum eſt, notitia actuali diſtincta vniuerſaliora prius à nobis cognoſci, quàm minus vniuerſalia. Probatur euidenter, quia notitia actualis diſtincta, eſt illa, per quam cognoſcitur totum actuale diſtinctè, hoc eſt, cognitis eius partibus: ſed vniuerſaliora ſunt partes totius actualis, vt genera ſuperiora partes ſpeciei; ergo impoſſibile eſt diſtinctè cognoſcere illud, niſi per hæc, atque adeò neceſſarium, quod hæc prius cognoſcantur, vt ad cognitionem actualem diſtinctam hominis neceſſe eſt prius cognoſcere animal, viuens, corpus, & ſubſtantiam, ex quibus tanquam ex partibus componitur.

Secundum eſt certum eadem ratione, quod cognitione potentiali diſtincta prius ſint nobis cognoſcenda minus vniuerſalia, quia ſunt partes poteſtatiuæ eius, & ideò non poteſt diſtinctè cognoſci, niſi eis prius cognitis, vt ſi velimus cognoſcere animal, vt eſt totum contrahibile, & potentiale, neceſſe eſt prius cognoſcamus hominem, equum, & leonem, cæteraſque eius ſpecies: de quibus conſtat eſſe minus vniuerſales.

43 Tota igitur difficultas quæſtionis conſiſtit in cognitione actuali confuſa, & potentiali etiam confuſa, an primum cognitum in his cognitionibus debeat eſſe magis vniuerſale. Et quia frequentior eſt vſus cognitionis actualis confuſæ, quàm potentialis; & magis ſcientiis accommodata, quæ ſemper agunt de toto aliquo actuali, tanquam de proprio obiecto. Ideò ad actualem confuſam reducitur quæſtio, & ſenſus eius eſt, an inter vniuerſalia prædicata cognitione actuali confuſa cognoſcenda, primum, quod à nobis debet cognoſci ſemper, ſit magis vniuerſale, vel minus vniuerſale. Cognitio autem actualis confuſa ad omne illud extenditur, quod vel totum

actuale eſt, vel modum, aut ſimilitudinem totius actualis habet, qualia ſunt ſuprema genera prædicamentorum, quæ licèt non componantur ex partibus, quaſi compoſita cenſentur noſtro modo intelligendi, ex entitate, & modo intrinſeco particulari, vt ſubſtantia ex entitate, & modo per ſe, ſicque de cæteris. Imò & ens ipſum, & accidens, quaſi compoſita cenſentur, ex modis omnibus intrinſecis prædicamentorum, quos actu ſaltem confuſo videntur includere: ideò quaſi per modum totius actualis apprehenduntur à nobis, & cognitio eorum, per quam cognoſcuntur non cognitis diſtinctè his, ex quibus quaſi compoſita cenſentur, vocanda eſt actualis confuſa, ſicut cognitio aliorum prædicatorum vniuerſalium, & de omnibus procedit prima pars quæſtionis.

Circa quam eſt prima opinio Scoti 1. lib. Meta. q. 10. & in 1. d. 3. q. 2. aſſerentis primũ cognitum à nobis cognitione actuali confuſa non eſſe vniuerſalius prædicatum ſed potius ſpeciem ſpecialiſſimam, vt in cognitione actuali confuſa hominis, prius à nobis cognoſci hominem ipſum, quàm aliquod ex ſuperioribus prædicatis, & magis vniuerſalibus, ex quibus componitur, vt prius quam corpus, ſubſtantiam, vel ens, hæc verò poſterius, ac difficilius à nobis cognoſci. 44

Probat teſtimonio Ariſt. 1. lib. poſteriorum, cap. 2. textu 5. & 1. libr. Meta. cap. 2. quibus locis aſſerit, illud eſſe nobis notius, quod propinquius eſt ſenſibus: quia omnis noſtra cognitio à ſenſibus incipit, & per eos peruenit ad intellectum res cognoſcenda. Ex quo ſic arguit, ſpecies atoma propinquior eſt ſenſibus cæteris prædicatis vniuerſalibus; ergo inter vniuerſalia prædicata primò à nobis eſt cognoſcibilis. Antecedens probatur, quia ſpecies atoma propinquior eſt ſingularibus, in quibus ſunt accidentia ſenſibilia; ergo propinquior eſt ſenſibus, cætera verò prædicata, quò vniuerſaliora, eò ſunt à ſenſibus remotiora; ergo difficiliùs à nobis cognoſcuntur. Ex hoc deducitur aliud in confirmationem, quia vniuerſalia intelliguntur à nobis per abſtractionem à ſingularibus; ergo illud erit primum cognitum, quod magis ad ſingularia accedit, quod eſt ſpecies atoma.

Probat etiam ratione, quia cauſa naturalis non impedita nobiliſſimum effectum quem poteſt, producit, quia ſecundùm totam virtutem, & modo naturali ex determinatione ad vnum operatur, ſed intellectus eſt cauſa naturalis, & etiam potentiæ ſenſitiuæ, & phantaſmata, cum eo concurrentia; ergo ſi non impediatur, producet ſtatim perfectiſſimam cognitionem, ſed hæc eſt cognitio ſpeciei infimæ: cùm conſtet hanc 45

by Google

hanc eſſe perfectiorem omnibus prædicatis vniuerſalioribus in ſua eſſentia incluſis; ergo hæc erit primo cognita ab intellectu inter vniuerſalia prædicata. Scotum ſequuntur Mayronius, Lichetus, & Bargius in 1. d. 3. q. 2. Antonius Andræas 1. lib. Met. q. 10. Aquilinus 1. lib. ſuæ phyſicæ, Fraſcatorius 1. lib. de intellectione ad finem. Eandem ſequuntur plures moderni, ſed hoc modo eam explicant.

Prima intellectio noſtra duobus modis fieri poteſt. Primò poſitis quibuſdam impedimentis, vt maxima diſtantia ex parte obiecti, vel indiſpoſitis potentiis ſenſitiuis, per quas ad intellectum peruenire debet. Etſi ita fiat, non producet ſtatim intellectus perfectiſſimam operationem, ſed prius imperfectam, & ideò non ſtatim cognoſcet ſpeciem aromam, ſed prius vniuerſaliora prædicata, quorum cognitio imperfecta eſt: ſed ſi fiat debita approximatio obiecti, & nulla ſit indiſpoſitio in ſenſibus, primum quod cognoſcit via originis, id eſt, prima cognitio, quam ſimpliciter habet, eſt ſpeciei infimæ, poſt eam verò cognoſcit vniuerſaliora prædicata. Et hoc modo intellectam opinionem Scoti (vt verè ab eo intelligitur) veram eſſe aiunt. Sed ne videantur loqui contra D. Thom. addunt, quòd quando D. Tho. aſſerit primum cognitum à nobis eſſe prædicatum magis vniuerſale, loquitur de cognitione facta primo modo, non ſecundo, ideò non eſt contrarius Scoto.

46 Secunda ſententia, eſt D. Tho. in prooemio huius operis, in opuſculo de ente & eſſentia, cap. 7. & 1. part. q. 85. art. 3. quibus locis aſſerit primum conceptum vniuerſalem, quem de quacumque re formamus non eſſe infimæ ſpeciei, ſed entis, non in tota ſua vniuerſalitate, quia cùm noſter intellectus pro ſtatu, quo anima eſt in corpore, nihil intelligat, niſi per ſenſus, & ſenſus nihil præter corpora per ſe percipiant, nihil etiam intellectus, niſi corporea per ſe intelligit, ſpiritualia verò per ſpecies corporum. Ideò primum conceptum vniuerſalem, quem per ſe format de re quacunque, eſt conceptus entis corporei, vel corporis in communi. Quam ſententiam aliis verbis obſcurioribus explicare ſolent alij, dicentes, primum cognitum à nobis cognitione actuali confuſa eſſe ens concretum quidditate ſenſibili, quod clarius dicitur eſſe ens corporeum, vel corporis, quod eſt ſecundum prædicatum prædicamenti ſubſtantiæ. Cum D. Thom. ſentiunt omnes præter Scotum, & qui eum ſequuntur, Auicen. 1. lib. ſuæ Meta. cap. 1. Simplicius cap. præſenti. Themiſtius in ſua paraphraſi ſuper 1. libro Phyſic. cap. 4. Rich. in 2. d. 24. art. 3. q. 4. Alenſis in Commentariis primi, & quinti lib. Meta. Capreol. in 1. d. 35. quæſt. 2. ad 7.

Gregorij, Ferr. 1. lib. contra gent. cap. 48. Venetus, Niphus, & Iauellus cap. præſenti. Soncinas 6. Meta. q. 12. Caie. opuſc. de ente, & eſſentia, in principio. Scotus 1. lib. Phyſ. q. 2. Ægidius 7. libr. Met. q. 1. Caietatienſis 1. Phyſ. q. 5. Vicomercatus in procemio huius operis, Zimara, c. præſenti, *& eſt communis in ſchola, & tenenda.*

Probatur teſtimonio Ariſtotelis cap. præſenti, vbi expreſsè docet in tradendis diſciplinis, imò in cognoſcenda quacunque re, ab vniuerſalioribus prædicatis, quæ ei conuenire poſſunt incipiendum eſſe: vt per hæc poſſimus ſpecialia cognoſcere, quod adeò neceſſarium, & naturale eſſe docet, vt non ſolùm in cognitione noſtra ſenſitiua, & intellectiua, probetur verum, ſed exemplo puerorum qui primò omnes vocant patres, deinde eos tantùm, à quibus geniti ſunt: ergo prius vniuerſaliora cognoſcunt, & magis confuſa, deinde ad particularia deſcendunt.

Probatur deinde ratione, quia natura in ſuis operationibus 47 procedit ab imperfectioribus, vt per hæc ad perfectiora perueniat. Vt conſtat in generatione hominis, in qua non ſtatim introducitur anima rationalis in corpus. Sed prius aliæ formæ imperfectiores, & vniuerſaliores, vt forma embrionis, cùm diſpoſitionibus etiam imperfectioribus, & ſibi conuenientibus: vnde prius viuit corpus vita ſenſitiua, quàm rationali, ſed imperfectiores operationes ſunt vniuerſaliores; ergo ab vniuerſalioribus procedit ſemper, ſed intellectus eſt potentia naturalis, atque etiam ſenſus, quibus mediis obiecta ad ipſum perueniunt; ergo ſic etiam procedet in ſuis operationibus, vt primò imperfectiores efficiat, vt per eas ad perfectiores perueniat. Imperfectiores autem ſunt, per quas vniuerſalia, & magis confuſa intelligit, cum hæc ſint imperfectiora prædicata: perfectior verò operatio eſt, per quam intelligit ſpeciem atomam; ergo hæc non poteſt eſſe primum cognitum ab eo, ſed vniuerſaliora prædicata.

Vt autem veritas huius ſententiæ melius intelligatur, & argumenta oppoſitæ commodiùs ſoluantur notandum eſt, intellectum noſtrum, quamdiu eſt in corpore nihil cognoſcere, niſi per ſenſus; & cùm ſenſus ſolùm percipiant corporea, nihil niſi corporeum per ſe cognoſcit, & per corpora, cognoſcit ſpiritualia. Itaque adæquata, & propria eius ratio obiectiua eſt entitas corporea, & adæquatum, atque proprium obiectum, quod eſt corpus. Vnde ſequitur illud prædicatum prius cognoſcere, cuius accidentia prius, ac fortius mouent ſenſus, & cuius ſingulare prius ab eis percipitur, ſed fortius, & prius mouent ſenſum

ſenſum accidentia corporis, & prius ſingulare corporis percipitur ab eis, quàm accidentia ſpeciei atomæ, vel ſingulare eius; ergo primum cognitum ab intellectu eſt vniuerſale prædicatum corporis, quàm atoma ſpecies. Probatur minor, quia vel ſucceſſiuè applicatur obiectum ſenſui, ita vt prius remota fiat applicatio: deinde proxima, & aliquod eſt impedimentum ex parte ſenſus, & tunc euidens eſt prius mouere vniuerſaliora accidentia, quàm minus vniuerſalia, quod patet, dum rem videmus à longè, quam primò cognoſcimus eſſe corpus, deinde viuentem per accidentia motus, mox cognoſcimus eſſe animal, & tandem hominem. Vel ſtatim fit perfecta applicatio obiecti & nullum eſt impedimentum ex parte ſenſus, & tunc etiam non eſt minus euidens, quod prius, & fortius moueant ſenſum accidentia vniuerſalioris prædicati: nam licèt ſtatim ſenſibus ſe offerat homo vel Petrus, ſed prius eum mouent magnitudo & color eius, quàm ſpecialia accidentia, & prius ſenſus percipit eſſe corpus, quàm hominem, vel Petrum, prius quidem non tempore, aut certè breuiſſimo, atque inperceptibili, ſed prius natura: cùm ſint accidentia magis notiora, & quæ vniuerſaliùs mouent; ergo primo ſaltem natura, vel tempore breuiſſimo cognoſcit intellectus ſingulare corporis, quàm hominis, & cùm vniuerſalia cognoſcat per abſtractionem à ſingularibus, prius natura, vel tempore cognoſcet vniuerſalius prædicatum, quàm ſpeciem atomam.

48 Et in hoc videtur mihi conſiſtere deceptionem oppoſitæ ſententiæ: quæ ideò putat primò cognoſci ſpeciem, quia ſtatim offeruntur ſenſibus accidentia eius, & ſtatim percipitur aliquod ſingulare eius, ita vt nullum obiectum magis vniuerſale prius ei obiiciatur. Quod apertè falſum eſt, quia repugnat accidentia ſpeciei, & ſingulare eius obiici ſenſibus quin prius tempore, vel natura in eiſdem accidentibus eius, & in eodem eius ſingulari obiiciantur accidentia corporis, vt magnitudo, aut quantitas, & etiam ſingulare corporis, vt dum Petrus ſtatim obiicitur viſui, prius in eo obiicitur corpus ſingulare, & accidentia eius, quàm ſingularis homo, vel eius accidentia; ergo neceſſe eſt, priùs ſaltem natura intelligi, quòd ſit hoc corpus, quàm hic homo, vel Petrus, & ex conſequenti priùs intelligitur corpus in communi, quàm homo in communi, & hoc eſt, primum cognitum à nobis ſemper eſſe vniuerſalius prædicatum, quàm ſpeciem atomã. Quod ita verum eſt, vt non ſemper ſit neceſſarium intellecto corpore, prius poſt corpus intelligi viuens, deinde animal, & tandẽ homo, ſed ſtatim poteſt vnum, vel alterum intelligi, aut etiam ſpecies atoma ſecundùm

 modum

modum applicationis obiecti. Et ratio huius eſt, quia prius debet percipi à potentia adæquata ratio ſui obiecti, atque etiam obiectum eius adæquatum, vt quod, ſi, vt quod, poſſit eam ſtatim mouere, quàm cætera obiecta, vel rationes inadæquatæ, inter quas nullus debet ordo ſeruari, niſi applicationis ad potentiam, ſed ratio obiectiua adæquata intellectus pro hoc ſtatu eſt ratio corporis, & obiectum etiam adæquatum, quod percipit, eſt etiam corpus; ergo primò debet corpus; & ſingulare corpus percipere, quàm cætera prædicata, inter quæ non eſt alius ordo neceſſariò ſeruandus, niſi ſecundùm modum applicationis obiecti, & expeditionis potentiarum. 49

Ex quibus patet iam veritas communis ſententiæ. Et ad teſtimonium Ariſtot. pro Scoto concedendum eſt id aſſerere; ſed negandum, quòd ſpecies infima propinquior ſit ſenſibus, ſed propinquius abſque dubio eſt corpus, cuius accidentia propinquiora ſunt, & fortius, ac prius mouent ſenſum, vt de magnitudine, & cæteris probatum eſt, & ideò prius per ſenſum percipitur hoc corpus, quàm hic homo, vel Petrus, & ex conſequenti priùs percipitur ab intellectu, & cùm vniuerſale cognoſcat intellectus per abſtractionem à ſingularibus, priùs vniuerſale corporis, quàm hominis cognoſcit.

Ad argumentum verò neganda eſt maior, quòd cauſa naturalis non impedita, ſtatim producat effectum perfectiſſimum, quem poteſt. Cùm oppoſitum conſtet experientia; nam primò producit ignis imperfectas diſpoſitiones, deinde perfectiores, vt tandem ad perfectiſſimam perueniat, quas forma introducenda ſequitur, & eodem modo procedunt cæteræ cauſæ naturales in productione fructuum, & aliorum effectuum vitalium.

Secunda pars quæſtionis de cognitione vniuerſalis cum ſingulari comparati.

PRobato iam, quòd in proceſſu cognitionis vniuerſalium 50
prædicatorum, primum cognitum ſit vniuerſalius prædicatum potius quàm atoma ſpecies, reſtat aliquid dicere de cognitione vniuerſalium comparata ad ſingularia. Ideò quærimus, quod ſit primò cognitum ab intellectu, vniuerſale, an ſingulare, & videtur eſſe vniuerſale, quia abſolutè docuit Ariſtot. ab vniuerſalioribus procedere cognitionem noſtram, tanquàm à nobis notioribus: ergo ſentit vniuerſale prædicatũ prius ſemper debere cognoſci, quàm minus vniuerſale, atque etiã quàm ſingulare. Et ex natura intellectus videtur probari, qui dum eſt in corpore, non cognoſcit directè ſingularia corporis, quæ non

ſunt ei proportionata; cùm ſit potentia ſpiritualis; ſed ſolùm vniuerſalia, quaſi ſpiritualizata per abſtractionem à ſingularibus, & cognitis vniuerſalibus per quandam reflexionem procedit ad cognoſcenda ſingularia, quæ ideò poſteriùs, quam vniuerſalia cognoſcit. Et ita tenet prima opinio multorum, quos modò non refero, quia quæſtio hæc maximè dependet ex alia de modo, quo intellectus ſingularia cognoſcit, quam diſputant 3. lib. de Anima, & propterea ibi referendi ſunt pro hac opinione omnes qui tenent ſingulare materiale non cognoſci directè ab intellectu, ſed per reflexionem: nunc verò ſatis ſit opinionem eorum referre.

51 *Secunda* opinio aſſerit primam omnium cognitionum, quas habet intellectus noſter eſſe rei ſingularis, & ideò facta comparatione inter vniuerſale, & ſingulare, primum cognitum ab eo eſſe ſingulare. Hæc eſt iam communis ferè ſententia ſcholæ, pro qua nullum etiam authorem refero, quia in eodem 3. lib. de Anima referendi ſunt. Nam omnes, qui tenent ſingulare materiale directè cognoſci ab intellectu, aſſerunt priùs cognoſci quàm ſingulare, *& hæc ſententia videtur nobis probabilior, & ſequenda.*

Probatur vnico argumento, vniuerſale cognoſcitur ab intellectu per abſtractionem à ſingularibus, & abſtractio ipſa eſt operatio intellectus, per quam cognoſcit rationem communem in eiſdem ſingularibus exiſtentem, non conſideratis ſingularitatibus, per quam contracta eſt, ſed repugnat cognoſcere rationem communem in ſingularibus exiſtentem, niſi prius cognitis ſingularibus; ergo repugnat cognoſcere vniuerſale, niſi poſt cognitionem vnius, vel plurium ſingularium, à quibus abſtrahitur. Quare primum cognitum ab intellectu erit ſingulare.

52 Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondetur, ſolùm loqui de cognitione vniuerſalium: quia hæc eſt, quæ proximè deſeruit cognitioni ſcientificæ de qua ipſe agebat cap. præſenti, in quo conſtituere voluit ordinem procedendi in tradendis diſciplinis, quæ non ſunt de ſingularibus, ſed de vniuerſalibus. Quare non comparat cognitionem vniuerſalium cum cognitione ſingularium, ſed ſolum cognitionem vniuerſalium prædicatorum inter ſeſe, in qua docet ab vniuerſalioribus incipiendum eſſe.

Ad argumentum verò negandum eſt antecedens, quod intellectus, dum eſt in corpore, non cognoſcat directè ſingularia; quia ſi ea non cognoſcit directè, ſed per reflexionem ex cognitione vniuerſalis, non videtur, quomodo poſſit vniuerſale

cognoſcere non cognito priùs ſingulari, à quo illud abſtrahere debet. Directè igitur illud cognoſcit, & ideò priùs, quàm vniuerſale, vt ex eo poſſit vniuerſale abſtrahere, & abſtractum cognoſcere: nam vniuerſale prædicatum non eſt aliud, quàm ratio communis abſtracta à ſingularibus.

QVÆSTIO IV.

An eadem ſint notiora nobis, & notiora natura vel diuerſa.

QVæſtio hæc proponitur propter diuerſa teſtimonia Ariſtot. in quibus videtur vtrumque aſſerere, nempe eadem eſſe notiora naturæ, & notiora nobis, atque etiam diuerſa. Et imprimis, quòd non ſint eadem, ſed diuerſa docet cap. præſenti his verbis: *Non enim ſunt eadem, & nobis nota, & ſimpliciter.* Per ſimpliciter nota intelligens nota ſecundùm naturam, & 1. lib. poſter. text. 5. ita ait: *Priora verò ſunt, & notiora bifariàm, non enim idem prius natura, & ad nos prius neque notius, & nobis notius.* Quòd verò eadem ſint notiora ſecundùm naturam, & nobis, colligitur euidenter ex duobus locis. Primus eſt cap. præſenti, vbi aſſerit vniuerſaliora eſſe nobis notiora, atque etiam notiora eſſe ſecundùm naturam docet 1. lib. poſter. cap. 2. aſſerens nobis notiora eſſe, quæ ſunt propinquiora ſenſibus: notiora verò ſecundùm naturam, quæ magis ab eis remota ſunt: & ideò vniuerſaliora: quia magis à ſenſibus remota ſunt, notiora eſſe ſecundùm naturam, ſingularia verò notiora nobis, quia ſenſibus ſunt propinquiora. 53

Circa ſenſum horum teſtimoniorum, & circa quæſtionem ipſam diuerſo modo loquuntur interpretes Ariſto. quorum ſententias non refero, quia tam variæ ſunt, vt rem potiùs confundere videantur, quàm eam explicare, ſed ex eadem doctrina Ariſtotelis, & D. Th. quæſt. ſoluenda eſt. Notandum eſt igitur, priora, & notiora ſecũdùm naturam multis modis accipi apud Ariſt. & D. Th. Primò illud dicitur prius, & notius ſecundùm naturam, quod eſt generatione prius. In qua acceptione litteræ priores, & notiores ſunt ſyllabis, & vniuerſaliter partes notiores toto ex eis compoſito, & vniuerſaliora minus vniuerſalibus, quæ ex illis componuntur, vt animal prius, & notius eſt homine in hac acceptione. Ita docet expreſsè Ariſtoteles 6. lib. Top. cap. 1 loco 18. & 2. lib. de generatione animalium, cap. 3. vbi imperfectiores formas, à quibus vniuerſaliora prædicata accipiuntur, priores & notiores natura eſſe ait: quia prius ordine naturæ generantur, vt forma vegetatiua prior eſt ſenſitiua, & hæc

& hæc prior, & notior anima rationali.

54 In 2. acceptione dicuntur priora, & notiora ſecundùm naturam, quæ ſunt poſteriora generatione, & hoc modo totũ priùs eſt, & notius partibus, & minùs vniuerſalia notiora etiam ſunt vniuerſalioribus, quia perfectiorem habẽt entitatem, & eſſentiam, & magis ſunt intenta à natura ipſa. Hanc acceptionem ponit expreſsè Ariſtot. 2. lib. de partibus animalium, cap. 3. & eandem ſimul cum præcedenti D. Tho. 1. p. q. 85. art. 3. ad 1. Ex quibus colligitur idem eſſe prius & notius natura altero, & etiam poſterius, & minùs notum natura diuerſa ratione, vt partes ſunt priores, & notiores natura toto, in quantum priùs, quàm totum fiunt, & etiam in quãtum totum ab eis habet eſſe, & per eas cognoſcitur. Et vniuerſaliora ſunt notiora minùs vniuerſalibus, quia priùs etiam fiunt, & partes eorum ſunt, à quibus eorum cognitio dependet: ſed totum prius, & notius eſt partibus, & minùs vniuerſalia priora & notiora vniuerſalioribus, quia partes ordinantur ad totum, tanquàm ad finem, propter quem fiunt à natura, & vniuerſaliora ad minùs vniuerſalia: totum etiàm perfectiorem eſſentiàm habet, quàm ſingulæ partes, & minùs vniuerſalia, quàm vniuerſaliora. Vt homo perfectior eſt eſſentialiter animali, & hac ratione prior, & notior eo ſecundùm naturam. Et ex hoc intelligitur has duas acceptiones non eſſe contrarias, ſed diuerſas, propter diuerſos titulos, vel conſiderationes, quas habent.

55 Tertio modo dicuntur notiora ſecundùm naturam, quæ magis diſtant à materia, à corpore, & à ſenſibus. In qua acceptione Deus, & Angeli dicuntur notiores ſecundùm naturam ſubſtantiis corporeis, & ex prædicatis vniuerſalibus, vniuerſaliſſima, quæ abſtrahunt à corpore, notiora ſunt minùs vniuerſalibus, vt ens cum ſuis paſſionibus notius eſt corpore, & cæteris prædicatis corpore inferioribus. Hanc acceptionem poſuit expreſsè Ariſtot. 1. lib. poſter. cap. 2. per maximè vniuerſalia ea intelligens, quæ abſtrahunt à corpore. De Deo autem, & intelligentiis loquitur 2. lib. Meta. vocans has ſubſtantias immateriales maniſeſtatiſſima naturæ, ad quæ percipienda, ait ſe habere intellectum noſtrum, ſicut oculi veſpertilionum ad lumen ſolis: ad ſignificandam difficultatem, quam habet intellectus noſter ad eas cognoſcendas, ex eo prouenientem, quod ſicut abſtrahunt à materia, ita etiam à ſenſibus, à quibus remotiſſima eſſe dicuntur.

Notiora autem nobis explicuit Ariſt. 1. lib. poſt. cap. 2. text. 5. his verbis: *Dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ ſunt propinquiora ſenſui.* Et idem docuit cap. præſenti, dum aſſeruit

notiora nobis eſſe vniuerſaliora,& confuſa. Per vniuerſaliora, non quæcunque intelligens, ſed ſolùm corporea, hoc eſt, corpus vniuerſaliter ſumptum,& cętera prædicata eo inferiora,vt viuens, animal, homo, ac ſimilia, quæ non alia ratione nobis notiora vocari poſſunt, niſi quia proximiora ſunt ſenſibus, ex eo, quòd ſingularia eorum facilè mouent ſenſum. Et propter eandem rationem principia quædam vniuerſaliſſima, quæ in ordine ad ſcientias vocantur dignitates, notiſſima ſunt nobis, quia termini eorum facilè percipiuntur ex ſenſibilibus, vt in mathematicis: *Omne totum maius eſſe ſua parte. Et ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſint æqualia.*

His expoſitis,tribus concluſionibus reſpondemus quęſtioni propoſitæ ſecundùm mentem Ariſt.& D.Tho. Prima eſt, ſæpe contingit non ſolùm in Mathematicis,ſed etiam in Phyſica eadem eſſe notiora ſecundùm naturam, & etiam nobis. Probatur hoc teſtimonio Ariſt.2. lib. de Generatione animalium,cap.3. & 6.lib.Top.cap.1. quibus locis vniuerſaliora docet eſſe natura notiora: quia priùs à natura generantur: per vniuerſaliora ſolùm corporea intelligens, quia hæc ſola ſunt generatione priora, non alia, quæ abſtrahunt à corpore, vt per ſe eſt manifeſtum. De eiſdem autem vniuerſalioribus corporeis loquens cap. præſenti, docet eſſe nobis notiora. Et probatur euidenti ratione:quia ſenſibus ſunt propinquiora; ergo ſunt nobis notiora. Sunt etiam partes inferiorum prædicatorum, vt corpus, eſt pars viuentis. Viuens, & animal partes hominis; ergo ſunt notiora ſecundùm naturam eiſdem inferiorib. Probatur conſequentia, quia cognitio totius ex natura rei dependet ex cognitione partium;ergo ex natura rei partes ſunt notiores toto. 56

Secunda concluſio, non ſemper ſunt eadem notiora ſecundùm naturam,& nobis,ſed maiori ex parte diuerſa.Hæc etiam colligitur ex teſtimoniis Ariſt.citatis.Et probatur euidenti ratione,quia ſubſtantiæ ſpirituales ſunt notiſſimę ſecundùm naturam vt Deus,& Angeli,propter perfectiſſimas eſſentias earũ, & tamen non ſunt notiores nobis: ſed difficilè cognoſcuntur, quia remotiſſimæ ſunt a ſenſibus: & eadem ratione vniuerſaliſſima prædicata,quæ abſtrahunt à corpore, minùs ſunt nobis nota, & notiora ſecundùm naturam. Et ex alia parte effectus ſenſibiles,& ſenſibilia prædicata nobis ſunt notiora,quia proximiora ſenſibus; ergo non ſunt eadem notiora natura, & nobis,ſed ſæpe diuerſa.

Tertia concluſio, ex diuerſis cauſis prouenit, quòd res ſint notiores ſecundùm naturam, & nobis, & ideò non repugnat, quòd eadem res ſimul ſit notior natura, & nobis. Probatur 5[illegible]

hæc,

hæc, quia diuerſæ cauſæ poſſunt concurrere in eadem re, ita vt propter vnam ſit notior ſecũdùm naturam, & propter aliam ſit notior nobis; ergo non repugnabit ſimul habere vtrumque. Gratia exempli, in partibus reſpectu totius, concurrunt duæ rationes. Prima, quòd ſint priores generatione, ita vt prius generentur, quantum ad executionem, quàm totum, ex quo habent, quòd ſint priores natura, & ideò natura notiores. Concurrit etiam in eis alia ratio, nempe, quòd per illas ſit cognoſcendum à nobis totum. ex qua habent, quòd nobis ſint notiores. Et eodem modo minus vniuerſalia ſunt notiora natura; quia perfectiora, & magis ab ea intenta: cùm ſint quaſi finis vniuerſaliorum prædicatorum, & ex alia parte ſunt propinquiora ſenſibus & ex hoc ſunt notiora nobis. v. g. prædicatum corpus perfectius eſt prædicato ſubſtantiæ: cùm ſit ſpecies ex eo compoſita, tanquam ex genere, & ideò notius eſt ſecundùm naturam: & ex alia parte propinquius eſt ſenſibus quia corporea accidentia eius ſunt eis propinquiora, quàm accidentia ſubſtantiæ, quæ abſtrahunt à corpore, ex quo habet vt ſit nobis notius; ergo non repugnat, quòd idem ſit vtroque modo notius: nempe natura, & nobis diuerſa ratione.

58 Duo tantùm explicanda ſunt, quæ continentur in teſtimoniis Ariſtot. in principio adductis, & videntur contraria. Primum eſt, quòd capite præſenti aſſerit vniuerſaliora eſſe nobis notiora, & ideò ab illis eſſe incipiendum in tradendis ſcientiis, ex alia verò parte primo pòſt, text. 5. & 2. Met. tex. 1. aſſerit vniuerſaliora difficilimè à nobis cognoſci, quia ſunt remotiſsima à ſenſibus; ergo ſimul aſſerit vniuerſaliora eſſe nobis notiora, & ignotiora, quod repugnat. Reſpondeo vtrũque aſſerere, non tamen de eiſdem vniuerſalioribus; ſed de diuerſ. Nam vniuerſaliora duplicia ſunt: quædam corporea, quala ſunt prædicatũ corporis, & alia eo inferiora, vt viuens, animal, homo. Alia ſunt ſuperiora corpore, & quæ à corporeis & incorporeis rebus abſtrahunt, & hæc dicuntur vniuerſaliſsima, vt ſubſtantia, & ens. Dum ergo Ariſtot. aſserit vniuerſaliora eſse nobis notiora, de corporeis ſolum loquitur, de quibus verum eſt: quia ſenſibus ſunt propinquiora, & etiam ſunt partes prædicatorum minus vniuerſalium, per quas debẽt cognoſci à nobis. Sed dum dicit vniuerſaliora difficillimè à nobis cognoſci, de his poſtremis tantum loquitur à corpore abſtrahentibus. Probatur euidenter ex ratione per quam id probat, nempe, quia ſunt remotiſsima à ſenſibus, hoc enim ſolum de his verum eſse poteſt, non de vniuerſalibus corporeis; de quibus notum eſt potius eſse ſenſibus propinqui

propinquiora. Cùm ergo vtrunque dictum ab Ariſtot. intelligatur ab eo, de diuerſis vniuerſalioribus, nihil contrarietatis continet.

Secundum quod aſſerit hoc loco eſt vniuerſaliora eſſe nobis notiora, quàm minus vniuerſalia, vel quod idem eſt, quàm ſingularia, ſed primo poſteriorum, cap.2. textu 5. affirmat vniuerſaliora difficilè à nobis cognoſci, ſingularia verò eſſe nobis notiora; ergo de ſingularibus affirmat eſſe nobis notiora, & ignotiora, quod repugnat. Reſpondet D. Thom. capite præſenti, non loqui Ariſtotelem de eiſdem ſingularibus in his locis, ſed de diuerſis. Ita vt cap. præſenti ſingularia pro minus vniuerſalibus accipiat eiuſdem ordinis corporei, cum vniuerſalioribus, & ita ſenſus eius ſit, vniuerſaliora corporea notiora nobis eſſe minus vniuerſalibus etiam corporeis: quod verum eſt, ac neceſſarium, vt probauimus. In alio verò loco de veris ſingularibus ſenſibilibus loquitur: cum quibus cõparat vniuerſaliora, non quæcũque, ſed quæ abſtrahũt à corpore, de quibus ignota nobis eſſe docet: quia à ſenſu remotiſsima; ſingularia verò ſenſibilia nobis notiora, notitia ſenſitiua, quia ſenſui propinquiora. 59

Secundò reſpondere poſſumus in vtroque teſtimonio loqui de cognitione intellectiua, & in vtroque etiam ſingularia accipere, non pro indiuiduis: ſed pro minus vniuerſalibus corporeis, qualia ſunt ſpecies atomæ; ſed cap. præſenti de vniuerſalioribus corporeis tantùm loqui, quæ conſiderantur in Philoſophia naturali, in alio verò loco de vniuerſaliſsimis abſtrahentibus à corpore, quia dicit eſſe à ſenſibus remotiſſima. Senſus igitur vtriuſque loci eſt, inter vniuerſaliora, & minus vniuerſalia corporea, illa eſſe notiora, & ideò ab eis eſſe incipiendum, ſed inter vniuerſaliora à corpore abſtrahentia, & minus vniuerſalia corporea, hæc eſſe notiora nobis quia ſenſibus propinquiora: illa verò valde ignota, quia à ſẽſibus remotiſsima & ideò nihil contrarium eſt in his teſtimoniis bene intellectis.

CAPVT II.
De principiis aduerſus Parmenidem, & Meliſſum.

IAM incipit Ariſtoteles agere de principiis rerum naturalium, & primò errores aliorum philoſophorum, qui ſuo tempore circunferebantur, reiicit, deinde veram, ac propriam doctrinam proponit, 60
procedens

procedens in hoc ad modum agentium naturalium, quæ primò expellunt à materia oppoſitas diſpoſitiones, & formam, deinde introducunt propriam. Et cap. præſenti incipit ab errore Parmenidis, & Meliſsi, quem refutare intendit. Diuiditur autem caput in duas partes: nam primò oſtendit tot fuiſſe antiquorum Philoſophorum opiniones de principiis rerum naturalium, quot poſsibiles erant; deinde proponit opinionem Parmenidis, & Meliſsi, aſſeritque indignam eſſe, quæ à Philoſopho naturali refutetur, quia de principiis rerum naturaliũ non loquitur naturaliter, hoc eſt, non ſecundum principia naturalis Philoſophiæ; ſed tandem iam reiicit duplici argumento. Opinio igitur Parmenidis, & Meliſsi fuit principium rerum naturalium vnum tantum eſſe, & immobile: ſed Parmenides dicebat eſſe finitum, Meliſſus verò infinitum; & propter vtramque conditionem aſſerit, non loqui de principiis rerum naturalium naturaliter, (hoc eſt non ſecundùm principia naturalis ſcientiæ neceſſariò præſupponenda. Ideò non eſſe philoſopho naturali diſputandum contra illos, quia contra negantes principia propria alicuius ſcientiæ, non poteſt ſcientia illa diſputare, cùm ad eam non pertineat probare propria principia, ſed fortè ad vniuerſaliorem, qualis eſt Metaphyſica, aut Dialectica: particularis verò ſcientia præſupponit proptia principia tanquam certa,) quia vtraque conditio deſtruit principia Philoſophiæ naturalis. Quod hàc ratione probat, de prima: nam apud hos Philoſophos, principium ex quo aliquid fit, & id quod fit ex eo, vna, & eadem res ſunt ſecundùm ſubſtantiam; idem eſt ergo ponere vnum principium rerum omnium naturalium, ac dicere omnes res naturales vnam, & eandem eſſe: quod contrarium eſt cuidam principio naturalis Philoſophiæ, nempe principium, & id quod ab eo procedit, res eſſe diſtinctas, quia relatio realis debet eſſe inter ea; procedentis, & eius à quo procedit, quæ appellatur relatio originis; relatio autem realis non poteſt eſſe, niſi inter res diſtinctas. Probat etiam de ſecunda conditione, nempe immobilitate, quòd ſit contra principia veræ Philoſophiæ; quia in ea principium per ſe notum eſt, motum dari in rerum natura, ſed qui dicit principium rerum naturalium vnum eſſe, & immobile, tollit prorſus motum, & conſequenter principia veræ Philoſophiæ; ergo contra principia rerum naturaliũ loquitur. Quare indignum eſt, vt à Philoſopho naturali refutetur.

1 Sed tandem refutat eandem opinionem duplici argumento. Primò, quia ſi principium rerum naturalium vnum tantum eſt,

tum eſt, vel dicit ſubſtantiam cum quantitate, vel ſine illa, ſi cum quantitate; ergo nō eſt vna res, ſed multiplex: quia quantitas res eſt diſtincta à ſubſtantia. Si verò dicit ſubſtantiam ſine quantitate, ergo nec eſt finitum, nec infinitum. Probatur conſequentia, quia finitum, & infinitum propria paſsio quantitatis eſt. Secundò, quia ſi vnum eſt, vel eſt diuiſibile, & tunc iam erit plura, ſaltem in potentia: vel indiuiſibile, & ita non erit quantum, nec proinde finitum, nec infinitum, vt aſſerunt.

CAPVT III.

REFVTATA opinione Parmeniadis, & Meliſsi cap. præcedente, intendit Ariſt. in præſenti reſpondere rationibus eorum. Diuiditur autem in duas partes. In prima, reſpondet argumento Meliſsi. In ſecunda argumento Parmenidis. Argumentum autem Meliſsi non propoſuit Ariſt. in litera, ſed ex ſolutione quam ei tribuit, colligunt omnes interpretes tale fuiſſe: Quod genitum eſt, habet principium, ergo quod non eſt genitum, nō habet principium. Sed ens non eſt genitum; ergo non habet principiū: & ex conſequēti non habet finem; quia quod caret principio, neceſſe eſt etiam fine careat. Probat minorem, quia ſi ens eſſet genitum, aut ex nihilo, aut ex aliquo: non ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit: ſed nec ex aliquo; quia ſi ex aliquo fieret, priùs eſſet, quàm fieret, quia in eo ſaltem, à quo fieret, aliquo modo eſſet, priuſquàm fieret, eſſe autem aliquid antequam fiat, impoſsibile eſt. Vlterius, quod caret principio, & fine, eſt infinitum; ergo ens eſt infinitum, quare erit immobile, & vnum. Reſpondet Ariſtot. vitioſam eſſe primam conſequentiam; quia procedit ab inferiori ad ſuperius negatiuè; vt ſi ita arguatur, eſt homo; ergo eſt animal, non eſt homo; ergo non eſt animal. Probatur ſic procedere: quia vel principium ſumit pro principio, à quo accipit ſuum eſſe, vel pro principio durationis, aut pro principio magnitudinis: non primo modo, quia dum Philoſophus iſte ponebat principium infinitum, non ſumebat infinitum pro infinito duratione: ſed pro infinito in magnitudine, aut eſſentia: quo ſuppoſito non ſequitur, non habere principium, à quo procedat; ergo eſſe infinitum: cùm Cœlū apud eoſdem Philoſophos non eſſet genitum, & tamen eſſet finitum. Nec ſumit principium pro principio durationis: quia minus bene ſequitur; non habet principium durationis; ergo eſt infinitum magnitudine, vel eſſentia. Sumit ergo principium pro principio magnitudinis, & tunc euidens eſt habere

principium

principium, non conuerti cum eo, quod eſt eſſe genitum: ſed ſuperius eſſe, habere principium, cùm eidem cœlo conueniat: cui ex ſententia eorundem Philoſophorum non conuenit eſſe genitum; ergo conſequentia ſic procedens, non eſt genitũ; ergo non habet principium, vitioſa erit ab inferiori negato ad ſuperius etiam negatum procedens, daturque in eodem Cœlo, antecedens verum, & conſequens falſum; cùm verum ſit de eo enuntiare, quod non ſit genitum; falſum verò, quod non habeat principium magnitudinis.

62 Argumentum Parmenidis ſic procedebat, vt colligitur ex eodem Ariſtot. 1. lib. Met. in principio, vbi opinionem horum Philoſophorum etiam tangit, & ex ſolutione eius: Quidquid eſt præter ens, eſt non ens; ſed non ens eſt nihil; ergo quidquid eſt præter ens, eſt nihil, ens autem eſt vnum; ergo quidquid eſt præter vnum, eſt nihil, & ex conſequenti omnia ſunt vnum ens, nec plura principia ſunt ponenda. Vlterius, quòd ſolum eſt, licèt finitum ſit, non habet à quo moueatur, immò nec habet, quo tendere poſsit, aut moueri; ergo illud vnum erit immobile. Hoc autem argumentum vitioſum quoque eſſe probat Ariſt. quia vtitur termino æquiuoco; aut ſaltem analogo abſque diſtinctione eius, nempè, ente; quod multis modis dicitur de ſubſtantia, & accidentibus, & etiam vtitur eo æquiuocè, hoc eſt, diuerſa ratione ſumpto in vna, & altera conſequentia eiuſdem diſcurſus. Vnde licèt bonus ſit primus ſyllogiſmus ſumpto ente pro ſubſtãtia, & accidenti, falſa tamen eſt minor ſtatim ſubſumpta, nempè, ens eſt vnum, non eſt enim vnum, ſed multa, quia ſubſtantia, & accidentia multa ſunt. Si verò dicatur ens ſumi vtrobique aut pro ſola ſubſtãtia aut pro ſolo accidẽti, tunc falſum erit cõſequens ſecũdi ſyllogiſmi; ergo quidquid eſt præter ens eſt nihil, cùm accidẽs ſit præter ens ſumptum pro ſola ſubſtantia, & ſubſtantia ſit præter ens ſumptũ pro ſolo accidenti.

QVÆSTIO I.

An totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus.

63 ARiſtoteles cap. præſenti hoc argumento vſus eſt ad probandum contra Parmenidem, & Meliſſum, quòd principium rerum naturalium non ſit vnum. Principiũ illud eſt totum; ergo habet partes, ex quibus cõponitur, ſed partes diſtinguũtur à toto: nam ſi ab eo non diſtinguerẽtur; ergo nec inter ſe poſſent diſtingui; ergo non eſſet vna res, ſed plures, nempe totum & partes. Propter hanc rationem Ariſt. ab omnibus interpretibus, tã antiquis, quã modernis excitatur quæ. de

diſtinctione

diſtinctione totius à partibus, an ſit realis, vel ſolùm rationis. Pro cuius intellectu explicandæ ſunt diuerſæ acceptiones totius. Totum vnum eſt per ſe; aliud per accidens. Totum per ſe eſt illud, quod reſultat ex potentia per ſe, & actu per ſe, vt homo ex corpore, & anima. Totum per accidens, quod continet multa caſu, aut per accidens concurrentia, vt cumulus, vel album, quod eſt ſubſtantia, & accidenti per accidens conuenientibus conſtat. Totum per ſe diuiditur, Secundò in potentiale; quod conſtat multis partibus poteſtatiuis, quale eſt genus reſpectu ſpecierum, & differentiarum. Et in actuale, quod ex multis partibus actualibus per ſe vnitis conſtat, vt lapis, vel lignum. Et hoc totum actuale diuiditur; Tertiò in Phyſicum, Metaphyſicum, & Integrale, Phyſicum eſt, quod componitur ex materia, & forma naturaliter vnitis, vt homo ex corpore, & anima. Metaphyſicum, quod componitur ex genere & differentia, vt animal ex viuenti, & ſenſibili. Integrale, quod conſtat ex multis partibus integrantibus entitatem eius ſubſtantialem, vel accidentalem, vt linea ex multis partibus quantitatiuis, & aqua ex multis partibus ſubſtãtialibus aquæ. Quod totum integrale tandem diuiditur in homogeneum, cuius partes ſunt eiuſdem rationis, vt aqua: & in heterogeneum habens partes diuerſæ rationis, vt homo conſtans capite, brachio, & pede.

His acceptionibus expoſitis, priuſquam diuerſas opiniones referamus, proponenda ſunt ea, in quibus opinantes conueniunt. Primò igitur certum eſt apud omnes totum per accidẽs atque etiam totum poteſtatiuum, & totum Metaphyſicum nõ diſtingui realiter, nec ex natura rei à partibus eius, ſed ratione tantum. Cuius ratio eſt manifeſta, quia totum per accidens non dicit vnam aliquam naturam reſultantem ex partibus, imò neque aliquam vnionem earum, ſed ſolùm entitates earum ſimul concurrentes; ergo nec poteſt continere aliquam entitatem, præter entitatem partium. Totum autem potentiale, & actuale metaphyſicum non eſt compoſitum ex partibus realiter diſtinctis, ſed ſolùm eſt conceptus obiectiuus, ex pluribus etiam conceptibus obiectiuis ab eadem entitate reali deſumptis compoſitus: ideò non eſt res diſtincta à qualibet eius parte, nec ab omnibus ſimul, ſed ſolum per intellectum, à quo fit compoſitio vtriuſque: vt ſpecies non eſt res diſtincta à genere, & differentia, ex quibus componitur, nec genus à differentiis, & ſpeciebus ſub ſe contentis. 64

Solum ergo procedit quæſtio de toto Phyſico, & integrali, de quibus etiam eſt certum, quòd à qualibet parte per ſe ſumpta diſtinguan

diſtinguantur realiter , diſtinctione quidem reali includentis, & incluſi: quia cùm partes ſint res diſtinctæ , neceſſe eſt totum includens omnes diſtinctam entitatem includere præter ſingulas per ſe ſumptas: nempe entitatem aliarum; ergo neceſſe erit diſtingui realiter hoc genere diſtinctionis à ſingulis per ſe ſumptis. Certum eſt etiam , adhuc ab omnibus ſimul ſumptis realiter diſtingui. Probatur euidenter: quia fieri poteſt, vt partes omnes ſimul ſint, & quia non ſunt vnitæ, nondum eſt totum etiam realiter, vt anima rationalis, & corpus etiam ſi ſimul ſint, ſi tamen anima non ſit corpori vnita, non ſunt homo etiam realiter; ſed homo,qui ex eis iam vnitis per generationem reſultat, alia res diſtincta ab eis eſt. Solum ergo eſt quæſtio de partibus ſimul ſumptis, & vnitis:Quæ adhuc vnitæ duobus modis ſumi poſſunt, collectim, & diuiſim, & hoc ſecundo modo accipiuntur, dum dicitur materiam informatam,ſeu vnitam formæ conſtituere totum , atque etiam ex hac medietate cum illa copulata termino communi totum continuum reſultare. Hoc etiam modo dicitur partes vnitas origine,aut cauſalitate antecedere totum, eſſeque cauſam eius materialem,& formalem:ſi totum ſit eſſentiale Phyſicum , vel omnes eſſe cauſam materialem, ſi ſit totum integrale. Collectim verò ſumuntur non ſolùm, vt ſunt ſub vnione, ſed quaſi ſub vna,eademque collectione,in eo ſenſu quo dicere ſolemus, tres vnitates ordinatas conſtituere numerum ternarium, aut corpus,& anima vnita conſtituere hominem,& in primo ſenſu diſtinguuntur realiter à toto, quia videntur ſumi, vt ſunt ſub vnione in fieri,& non in facto eſſe. Difficultas igitur quæſtionis reducitur ad ſenſum collectiuum, an partes, vt vnitæ ſint eadem entitas realis cum toto, vel totum ſit alia entitas præter entitatem earum.

65 Et eſt prima opinio Scoti 3. Meta.q. 4. & in 3.d.1. quæſt. 1.art.1.tenens totum Phyſ.eſſe tertiam quandam entitatem diſtinctam ab entitatibus materiæ, & formæ, atque etiam totum integrale ab entitatibus duarum medietatum. Quam tenuit Auic.3 Meta.c.4.& ſequuntur Capr. in 3.d.2.q. vnica,art. 1.& ibidem Duran.Caie.3.part.q. 6. art. 5. ad 1. Ferr.4 contra gent. c.81.Herueus in 3.d.2.14.Fonſ.5.Met.c. 2. q.2.ſect.2.& Conimb.1.Phyſ.c.2.q.1.art.3.

Probatur teſtimoniis Ariſt.2.lib.de Anima,text.27.Meta.c. 5.text. 7. quibus locis ſubſtantiam corpoream diuidit in tria membra,materiam videlicet,formam, & compoſitum,aſſerens tres eſſe ſubſtantias,& 5.Meta.cap.14.text.19. ait ſex non eſſe bis tria,ſed ſemel ſex,& lib.7.cap.17. text. vltimo: *Vbi ſyllaba,*

inquit, non eſt ipſa elementa, nec idem, quod, b, & a, nec caro ignis, & terra. Diſſolutis namque hæc quidem amplius non ſunt, vt caro & ſyllaba; elementa verò ignis, & terra ſunt, eſt ergo ſyllaba aliquid, non ſolùm elementa, vocalis, & muta, ſed etiam aliquid aliud, & caro non ſolùm ignis, & terra, aut calidum, & frigidum, ſed etiam aliquid aliud. Et lib. 8. text. 15. *Omnium namque quæcunque plures partes habent, & non eſt totum quaſi coaceruatio, ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes, eſt aliqua cauſa.* Ex quibus hoc argumentum colligitur, totum eſt aliquid præter partes ex mente, ac verbis Ariſtotelis, & non poteſt eſſe aliud præter vnitatem ſubſtantialem, ad quam ordinatur vnio earundem partium; ergo eſt aliquid aliud præter partes, adhuc, vt vnitas. Probatur conſequentia, quia id, quod ad aliud ordinatur, diſtinctum eſt ab eo, ſed partes vt vnitæ ordinantur ad vnitatem ex eis reſultantem; ergo hæc diſtincta erit entitas ab eis, & conſequenter totum per ipſam. Et certè ſi non eſſet alia entitas præter partes, nullum eſſet diſcrimen inter totum per ſe, & per accidens, cùm hoc ſit idem realiter cum ſuis partibus: conſequens verò expreſsè contrarium eſt verbis Ariſtō. Probatur etiam ratione, primò, quia partes ſimul ſumptæ imò etiam vnitæ ſunt vera cauſa realis totius; ergo diſtinguntur realiter ab eo. Euidens eſt conſequentia, quia inter cauſam realem, & eius effectum eſt relatio realis; ergo diſtinctio realis: ſed probatur antecedens, quia partes non cauſant totum, niſi media vnione, vt forma non cauſat, niſi media informatione, nec materia, niſi media receptione, ergo verum eſt quòd etiam, vt vnitæ ſint cauſa realis totius, atque adeò diſtinctæ realiter ab eo.

Secundò generatio non terminatur ad partes etiam vnitas, quæ ſolùm dicunt entitatem incompletam, ſed ad completam entitatem totius: neque corruptio ad non eſſe earum, ſed ad non eſſe completæ entitatis totius, & ex hac entitate procedunt paſſiones, cui etiam attribuuntur operationes, & nihil horum partibus vnitis; ergò entitas completa totius diſtincta eſt à partibus. Probatur tandem ex vnione Verbi diuini cum integra humanitate, quæ in morte eius diſſoluta fuit, & nihilominus perſeuerauit vnio cum partibus; ergo diſtincta fuit hæc ab illa, & proinde tota ipſa humanitas diſtincta à partibus, per aliam vnionem vnitis: vnde in Concilio Cōſtantienſi ſeſſ. 8. inter errores Ioannis Huſs damnatur iſte: *Duæ naturæ, diuinitas, & humanitas ſunt vnus Christus.* Error autem non eſſet, ſed vera propoſitio, ſi totum non diſtingueretur à partibus: nam in ſenſu ſaltem identico de eis prædicaretur. 66

Secunda

Secunda opinio aſſerit totum non eſſe tertiam entitatem diſtinctam à partibus, vt vnitis, ſed alium modum realem includere præter illas, & vnionem, ratione cuius diſtinctum modum eſſendi habet ab eis: cùm ſit entitas completa, & ei attribuantur plura, quæ non poſſunt attribui partibus, & ideò licèt non diſtinguatur ab eis diſtinctione reali, quæ verſatur inter duas res, diſtinguitur diſtinctione modali, quę vocari ſolet ex natura rei. Hanc retulit P. Franciſcus Suarius, tom. 2. ſuæ Met. diſp. 36. ſect. 3. nu. 5.

Tertia opinio negat omninò totum includere tertiam entitatem præter partes, vt vnitas, aut modum realem, & ideò negat diſtingui ab eis diſtinctione reali, aut modali, vel ex natura rei, ſed ſolùm diſtinguitur diſtinctione rationis ratiocinatæ, habentis fundamentum in re. Hæc eſt D. Tho. 4. lib. contra gentes, cap. 81. & 1. part. q. 77. art. 1. quam ſequuntur Græci omnes interpretes cap. præſenti: Philopo. Simplicius, Alexand. Eudemus, & ibidem Ægidius, Themiſtius in ſua paraphraſi ſuper 1. lib. Phyſic. Grego. in 1. d. 24. Sotus 1. lib. Phyſ. q. 3. Valleſius, controuerſia 4. ad Tyrones, Toletus q. 6. huius lib. & P. Franc. Suarius vbi ſuprà, & videtur *nobis probabilior, & tenenda.* Colligitur ex Symbolo Athanaſij, vbi dicitur, ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus. Et ex D. Aug. 9. lib. de ciuitate Dei, c. 3. vbi Varronem laudat, quia hominem, nec animam ſolùm, nec ſolùm corpus, ſed animam ſimul, & corpus eſſe docebat. Probatur duplici argumento. Primò, quia ſi totum eſſet tertia entitas diſtincta à partibus, ſequeretur non eſſe totum; conſequens eſt falſum: ergo etiam antecedens. Probatur conſequentia, quia ea quæ diſtinguuntur aliqua diſtinctione non ſe includunt ſecundùm ſenſum eius, vt ſi diſtinguantur ratione formali, non poſſunt formaliter ſe includere; ergo ea quæ diſtinguuntur realiter, non poſſunt realiter ſe includere: ſi ergo totum diſtinguitur realiter, aut ex natura rei à partibus vt vnitis; ergo realiter, aut ex natura rei eas non includit, & ex conſequenti non erit totum ſic diſtinctum: quia totum non poteſt eſſe realiter ſine partibus.

67 Secundò probatur; quia partes vt vnitæ includunt omnem entitatem, & omnem modum realem excogitabilem in toto; ergo non diſtinguitur ab eis realiter, nec modaliter. Probatur antecedens, quia partes vt vnitæ includunt, non ſolùm materiam, formam, & vnionem, ſed omnem effectum formalem, & materialem vtriuſque, quem euidens eſt præſtare eo ipſo, quòd vnitæ ſunt: nam forma vnita materiæ informat eam, & materia

recipit formam, & per informationem, & receptionem præſtant omnem effectum formalem, & materialem, quem poſſunt, ſed quæcumque entitas totius, & quicumque modus eius eſt effectus formalis formæ, & materialis materiæ; ergo includitur in partibus vt vnitis: quare non poteſt ab eis realiter, aut ex natura rei diſtingui. His accedit nunquam eſſe multiplicandas entitates reales, aut modales ſine vrgenti neceſſitate; ſed nulla vrget neceſſitas multiplicandi tertiam entitatem realem, aut modalem totius, præter entitatem partium; ergo non eſt multiplicanda. Probatur minor: quia per ſolam diſtinctionem rationis verificari poſſunt de toto ea, quæ non verificantur de partibus formaliter, ſed ſolùm in ſenſu identico, vt quòd totum operetur formaliter, quòd ab eo procedant paſſiones, & cætera. Et ideò ſufficit diſtinguere totum à partibus diſtinctione rationis cum fundamento in re, vt intelligamus illud ſic diſtinctum dicere vnitatem partium, modum eſſendi completum, entitatem completam, & terminum completum generationis, quæ non dicunt formaliter partes vt vnitæ, licèt dicant realiter.

Pro ſolutione argumentorum notandum eſt totum, præter omnes partes includere entitatem realem ab eis diſtinctam, non ſolùm relatiuam, ſed ſubſtantialem, & abſolutam, quæ eſt ratio fundandi relationem vnionis earum. Hæc entitas realis eſt vnio realis, & ſubſtantialis, quæ per generationem producitur, & eſt modus realis per quem vniuntur partes ad conſtituendum totum, imò eo ipſo quòd vnitæ ſunt per talem modum vnionis: cenſentur totum conſtituere; quare præter partes, & vnionem, nulla alia entitas, vel modus intelligi poteſt, quem totum includere dicatur: nam vnitas non eſt res diſtincta ab vnione, ſed quaſi vnio ipſa in facto eſſe; & ideò modus eſſendi completus totius, quem habent partes ratione vnitatis etiam includitur realiter in partibus vt vnitis: quia ſicut non eſt alia entitas, etiam modalis ab vnitate diſtincta, ſic etiam, nec diſtincta ab vnione, quamuis ſecundùm rationem formalem diſtinguantur, vnio, vnitas, & modus idem completus eſſendi totius. 68

Et ex his patet iam ſenſus, quem tenuit Ariſtoteles in omnibus illis teſtimoniis: loquitur enim de partibus ſimul ſumptis, cum quibus totum comparat aſſerens aliquid aliud eſſe præter illas, quod verum eſt, cùm includat modum vnionis realem & ſubſtantialem; quem non includunt partes, ſed non loquitur de partibus vt vnitis, vt verba eius facilè oſtendunt. Et ratione eiuſdem vnionis per ſe, quam includit totum

præter partes vera eſſe ait D. Thomas quæ in vltimo teſtimonio dicuntur, de diſtinctione totius per accidens, à toto per ſe. nam cùm totum per accidens (ſi de caſuali loquamur vt de cumulo,) nullam includat vnionem partium, ſed eas ſolùm ſimul concurrentes, non eſt vnum per ſe, ſed per accidens. Totum verò per accidens, (ſi de accidentali loquamur, vt de albo) non includit vnionem ſubſtantialem, aut per ſe, ſed accidentalem tantùm: vnde non reſultat ex rebus vnitis vna aliqua natura per ſe, quæ poſſit explicari per vnam definitionem: ex partibus verò per ſe vnitis, ratione eiuſdem vnionis reſultat vna natura, & vnum ens per ſe definibile. Vnde ſequitur differentiam inter hoc totum, & cumulum eſſe: quòd iſte nihil prorſus dicit præter partes, ſimul ſumptas, nam cùm non vniantur, non poteſt totum includere vnionem, nec ideò aliam entitatem realem præter illas, totum verò per ſe aliquid reale diſtinctum eſt, præter partes ſimul ſumptas, propter modum vnionis realem, quem includit, quam non includunt partes, & hæc eadem eſt differentia, quam inter ipſum, & cumulum poſuit Ariſtoteles, realem quidem, cùm tamen inter totum per ſe, & totum accidentale, ſolùm ſit diſtinctio formalis vnius per ſe, & per accidens, ita D. Thom. expreſsè in Comm. huius loci.

69 Ad 1. argumentum reſpondent plures diſtinguendo antecedens, quòd partes cauſent totum, quod de illis ſimul ſumptis concedunt, negant tamen de eiſdem vnitis: quia hoc modo ſumptas aſſerunt iam eſſe ipſum totum potius quàm cauſam eius. Sed cùm partes non cauſent, niſi dum vniuntur, non poteſt omninò negari, quòd adhuc ſtantes ſub vnione ſint cauſa totius. Quare dum dicitur partes, vt vnitas eſſe cauſam totius, alio modo diſtinguendum eſt, quia partes vnitæ duobus modis conſiderari poſſunt, diuiſim, vel copulatim. Diuiſim ſumuntur, dum vna accipitur in ordiue ad alteram, vt ſi dicamus materiam, vt informatam, vel vt vnitam formæ cauſare totum, vel formam, vt informantem materiam, vel vt ei vnitam, aut in ea receptam, & hoc modo veram habent cauſalitatem, non tamen ſimul acceptæ ſub vnione: quia licèt ſimul tempore, vel in eodem inſtanti cauſent, non ſimul acceptæ, ſed quælibet per ſe, vt vnita alteri propriam cauſalitatem exercet, hoc autem modo ſumptæ etiam, vt vnitæ diſtinguuntur realiter à toto, quod eas ſimul, & vnitas continet, & non vnam vt vnitam alteri, quod certè non eſt aliud, quàm totum diſtingui à qualibet, vt vnita alteri: hoc etiam modo ſumuntur: vt vnitæ in fieri, non in facto eſſe, hoc

eſt, vt vniuntur, non vt ſunt vnitæ. Si verò ſumantur, vt vnitæ copulatim, negandum omninò eſt, quòd ſint cauſa totius, quia iam ſumuntur, vt vnitæ in facto eſſe, quo pacto non cauſant, ſed tanquam terminus factus, & quaſi cauſatus ab eiſdem diuiſim ſumptis, & ſub vnione intelliguntur, & ideò tanquàm totum ipſum, ſub quo includuntur: quare non diſtinguntur ab eo realiter.

Ad 2.diſtinguendum eſt antecedens:nam ſi de termino reali 70
loquamur,negandum eſt, quòd generatio non terminetur ad partes vt vnitas: nam cùm totum nullam entitatem realem præter partes,& vnionem dicat, idem eſt realiter terminari ad partes vt vnitas, & ad totum, ſi verò de ratione formali termini ſermo ſit,negandum eſt, quòd generatio terminetur ad partes, vt vnitas: quia partes vt vnitæ non habent modum vnius completi terminantis generationem: hoc tamen non probat diſtinctionem realem inter totum, & partes, ſed formalem tantùm,vel rationis ex diuerſo modo,quo concipiuntur ab intellectu factam, quæ etiam ſufficit, vt dicatur totum operari, & non partes vt vnitas, & ab eo procedere proprias paſſiones, & non à partibus,quamuis vera etiam ſint hæc de partibus vt vnitis realiter vel identicè loquendo.

Ad 3.neganda eſt conſequentia,quòd diſtincta vnione fuerit vnitum Verbum diuinum toti humanitati & partibus, ſed eadem fuit vnitum, cum mediis partibus aſſumpta fuerit ab eo humanitas, eadem autem vnio in principio facta perſeuerauit in triduo mortis Chriſti in partibus, diſſoluta vnione earundem partium inter ſeſe, & conſequenter deſinente,humanitate ipſa per ſeparationem animæ à corpore. Ex quo ſolùm poteſt colligi, quòd humanitas diſtinguatur realiter à partibus ſeparatis, non vt vnitis: quia quamdiu vnitæ fuerunt inter ſe, eadem vnio integra in principio facta cum tota humanitate, & partibus eius perſeuerauit. Error autem Ioannis Huſs non proceſſit ex identitate totius, & partium ſimul vnitarum, quia natura diuina, & humana Chriſti, non componebant perſonam eius, tanquam partes: ſed tanquam naturæ completæ, in quibus ſubſiſtebat, ſed fortè error eius fuit aſſerere Chriſtum ſic eſſe humanitatem, & diuinitatem, quaſi non eſſet perſona in vtraque natura ſubſiſtens: vel certè Chriſtum eſſe humanitatem, & diuinitatem ponebat quaſi confuſa quadam ratione in eo eſſet vtraque natura permixta alteri, vt antiquiores hæretici poſuerunt damnati ab Eccleſia.

QVÆST

QVÆSTIO II.

An materia, vel ſubſtantia ex ea, ac forma compoſita habeat à ſe partes integrantes, vel ſolùm à quantitate eas recipiat.

71 Alia ratione impugnauit Ariſtoteles opin. Parmenidis, & Meliſſi de vnitate principij, cap. præſenti, quia illud vnum principium, quod ponebat, non poterat non eſſe totum diuiſibile in partes, & ideò plura ſaltem in potentia. Circa quam rationem aliam quæſtionem excitant moderni; an principium materiale, de quo loquitur Ariſtoteles, vel ſubſtantia ex eo compoſita habeat ex ſe partes integrantes, vel ſolùm à quantitate eas accipiat, ex ſe verò prorſus ſit indiuiſibilis.

Et prima opinio negat omninò materiam, vel ſubſtantiam ex ea compoſitam habere partes integrantes, ſed eas à quantitate accipere intelligit, & ſine ea eſſe prorſus indiuiſibilem. Ita Capr. in 2.d.19.q. vni. ad 1. Caiet. 1. p. q. 52. art. 1. Ferr. 1. lib. Phyſ. q. 4. Sonci. 5. Met. q. 1. Iauel. 7. Met. q. 1. Niph. 5. Met. diſp. 9. cap. 3. Sotus cap. de Quantitate, q. 2. Tol. q. 5. huius 1. lib. Duran. in 1. d. 34. q. 1. Alb. Mag. 1. Phyſ. q. 6. & videtur eam ſequi D. Tho. in 2. d. 3. q. 2. art. 1. & 4. lib. contra gentes, cap. 65. Vbi ait ſubſtantiam remota quantitate eſſe omninò indiuiſibilem ſecundùm Ariſt.

Probatur teſtimonio Ariſtot. c. præſenti, vbi ſic arguit contra Meliſſum: Si vnicũ eſt principiũ rerum naturalium infinitum; ergo illud erit quantum, quia finitum, vel infinitum non conueniunt ſubſtantiæ, niſi ratione quantitatis: quòd ſi quantũ ſit, non vnum, ſed duo erit, quia ſubſtantia, & quantitas duę res ſunt. Ex quo argumento ſumitur aliud in fauorẽ huius ſententiæ, hoc modo: Si ſubſtantia haberet à ſe partes, & non à quantitate; ergo vna ſubſtantia ex ſe eſſet maior alia, atque adeò finita, vel infinita, quare nihil probaret argumentum Ariſtot.

72 Sed probatur rationẽ, quia extenſio, & diuiſibilitas ſunt eſſentia, & propria paſſio quantitatis; ergo ſubſtantia ſine quantitate, nec erit extenſa, nec diuiſibilis, ſicut non erit alba ſine albedine; erit igitur indiuiſibilis ſecundùm rationem integralem, & ex conſequenti partibus integrantibus ex ſe carebit, & à ſola quantitate eas accipiet.

Secundò, ſi ſubſtantia habet partes integrantes ſine quantitate, ponamus ſeparatam à quantitate diuidi, & tunc partes eius ſeparatæ permanebunt, & vna extra alteram, imò extra locum alterius; habebit igitur ſubſtantia ex ſe partem extra partem, & erit loci occupatiua, quod eſt habere extenſionem

D 4 partium

partium inter ſeſe, & in ordine ad locum, & non à quantitate, quod repugnat.

Secunda opinio tribuit materiæ, atque ſubſtantiæ proprias partes integrantes non acceptas à quantitate. Ita Scotus in 2. d.12.q.1. parag. Reſpondeo. Maior. in 4.d.12. q. 1. Henricus quodl. 1.q.4. Marſil.in 2.q.49.art.2. Ægidius theorem.30.Venetus in Summa Metaphyſicę,cap.12.& 13.Baſolius in 4.d.12. q.1.art.1.Aſtud.1. Phyſic.q.3. Fonſeca 5.Meta.cap.13.q.2.ſect. 3.Conimbricenſes 1.lib. Phyſic.cap.2.q.2.art.3.& moderni ferè omnes, quare iam videtur communis in ſchola, *& nobis videtur probabilior, & tenenda.*

Vt autem eam ſimul explicemus, & probemus, notandum eſt,quid habeat ex ſe quantitas,& quid poſſit tribuere ſubſtantiæ, vt ex eo conſtare poſſit, quid etiam recipiat ſubſtantia à quantitate, & quid habeat ex propria natura. Propria igitur ratio quantitatis eſt extenſio partium ſecundùm magnitudinem, & molem occupatiuam loci. Ita vt toti quantitati debeatur tantus locus, & ſingulis partibus ſecundùm magnitudinem cuiuſque debeatur tantus locus diſtinctus ab eo, qui debetur alteri parti. Itaque quantitas ex propria ratione habet molem, & magnitudinem, per quam apta eſt extendi in loco, eumque occupare, & aliam ab eo expellere, ita vt non poſſit ſimul cum alia occupare eundem locum, vel eandem partem eius. Et hinc procedit, quòd non ſit naturaliter poſſibile duas quantitates ſe penetrare in eodem loco: nam penetratio eſt occupatio eiuſdem loci. Hinc etiam procedit, quod eſſe impenetrabilem formaliter ſit propria paſſio quantitatis, & eſſe impenetrabilem radicaliter, ſit eſſentia eius, quæ non eſt aliud, quàm extenſio molis, & magnitudinis: quam ſolent explicare dicentes extenſionem quantitatis eſſe habere partem extra partem.

Secundò, notandum eſt, habere partem extra partem duobus modis contingere, aut ſecundùm molem, & magnitudinem iam explicatam, aut ſecundùm entitatem,& vtroque modo conuenit quantitati, quia ſi habet vnam partem diſtinctam ab alia ſecundùm molem,hoc eſt,diſtinctæ partis loci occupatiuam, cùm hæc ſit entitas earundem partium quantitatis, atque eiuſdemmet quantitatis ex eis compoſitæ, ſequitur etiam habere vnam partem extra aliam,aut diſtinctam ab alia ſecundùm entitatem; quia ſicut magnitudo, & moles vnius partis diſtincta eſt à mole, & magnitudine alterius, ſic etiam entitas, quæ non eſt alia ab eadem mole, & magnitudine. De ſubſtantia verò certum eſt quòd ex ſe non habeat hanc extenſionem

partium

partium ſecūdùm molem,& magnitudinem loci occupatiuam, & ex conſequenti, nec ex ſe habet impenetrabilitatem, quia hæc ex illa prouenit. Vnde ſi ex ſe illam non habet, nec ex ſe habebit hanc: ſed vtramque ei communicat quantitas ei inhærens, & accidentaliter quidem ſicut albedo communicat ei eſſe album. Tota igitur difficultas quæſtionis eſt, an ſubſtantia habeat ex ſe vnam partem extra aliam ſecundùm entitatem, vel indiuiſibilis prorſus ſit ſecundùm partes integrantes entitatiuas, & ſubſtantiales, & ſi dicatur non indiuiſibilem eſſe ſecundùm partes integrantes entitatiuas, & ſubſtantiales, euidens eſt, numquam poſſe eas habere: quia quantitas non tribuit ei partes entitatiuas ſubſtantiales,ſed ſolùm partes extenſionis accidentales. Quare ſi ex ſe non habet illas, nec à quantitate eas habebit, immo contradictionem implicabit eas habere; cùm in eo genere ſit indiuiſibilis.

Et prima opinio aſſerit indiuiſibilem eſſe, ita vt tales partes ex ſe non habeat, nec omnino habeat alias partes integrantes, niſi ſecundùm molem & extenſionem, quas accidentaliter ei tribuit quantitas. Et vt vno verbo ſenſum eiuſdem opinionis explicemus, nullam compoſitionem ſubſtantialem, aut entitatiuam ex partibus integrantibus tribuit ſubſtantiæ, quam ex ſe habeat, vel à quantitate recipiat; ſed ſolùm accidentalem ex partibus extenſionis ſecundùm molem, quam ei tribuit quantitas. Secunda verò opinio admittit quidem ſubſtantiam ex ſe non habere partes extenſionis ſecundùm molem, nec eſſe loci occupatiuam, aut penetrabilem, vel impenetrabilem cum alia: ſed hoc totum habere accidentaliter communicatum ſibi à quantitate. Aſſerit tamen habere ex ſe, partes integrantes ſubſtantiales, & entitatiuas, & vnam extra aliam, hoc eſt, diſtinctam ab alia ſecundùm entitatem, & eſſe diuiſibilem in eaſdem partes, atque etiam continuam ſubſtantialiter; quia tales partes ſubſtantiales non poſſe vniri arbitratur ad componendam ſubſtātiam in ratione totius integrantis, niſi per indiuiſibilia ſubſtantialia ſimilia indiuiſibilibus quantitatis, quæ appellantur puncta.

74 Quam ſententiam ſic explicatam probo primò; quia in qualibet ſubſtantia corporea extenſa per quantitatem, neceſſe eſt ponere vtraſque partes integrantes, nempe partes extenſionis ſecundùm molem, & partes etiam integrantes ſecundùm entitatem, & ſubſtantiam, ſed has non poteſt accipere à quantitate, ſed ſolùm illas accidentaliter; ergo habebit eas ex ſe. Maior euidens eſt; quia non ſolùm in brachio eſt alia pars quantitatis diſtincta à parte quantitatis, quæ eſt in pede, ſed

etiam alia pars ſubſtantiæ, & entitatis, alioqui eadem ſubſtantia indiuiſibilis ſecundùm entitatem eſſet in brachio, & in pede, nec plus entitatis ſubſtantialis eſſet in toto corpore, quàm in paruo digito: quod eſt abſurdum. Et probatur euidenti ratione diſtinctam habere entitatem, & ſubſtantiam; quia ſi tales partes diuidantur, diſtincta entitas ſubſtantialis, & entitatiua erit in vna, & in alia, quam certum eſt non acquiſiſſe per diuiſionem; quia diuiſio non poteſt producere ſubſtantiam; ergo diſtinctam habebat priùs, quamuis non haberet diuiſam, ſed continuatam. Minor verò, quòd has partes integrantes ſubſtantiales, non poſſit recipere à quantitate, non minus euidens eſt, quia quantitas eſt accidens ſubſtantiæ; ergo nihil ſubſtantiale poteſt ei tribuere, ſed ſolùm accidentale; quare nec poteſt ei tribuere partes integrantes ſubſtantiales, vel entitatiuas, ſed accidentales tantùm ſecundùm extenſionem, & molem: quòd non eſt aliud, quàm partes integrantes ſubſtantiales, & entitatiuas, quas habet extendere ſecundùm molem loci occupatiuam, vel eis hanc extenſionem, & impetrabilitatem accidentaliter tribuere, ſicut albedo tribuit eidem ſubſtantiæ eſſe album accidentaliter. Quòd ſi tales partes ſubſtantiales non poteſt ei tribuere quantitas, habebit eas ex ſe, & à ſe, & non à quantitate.

Quòd probatur 2. quia dum quantitas recipitur in materia, 75
aut in ſubſtantia compoſita ex materia, & forma, vel tota quantitas recipitur in tota ſubſtantia, & pars in parte, ſicut tota albedo recipitur in tota, & pars albedinis in parte, vel recipitur tota quantitas in tota ſubſtantia, & tota etiam in qualibet parte: ſicut recipitur tota anima rationalis in toto corpore, & tota etiam in qualibet parte: hoc ſecundum eſt impoſſibile: nam ex eo ſequeretur quantitatem habere modum indiuiſibilem informandi ſubſtantiam, quod pugnat cùm natura eius. Et præterea brachium non extenditur per quantitatem capitis, vel pedis, ſed per aliam partem quantitatis ab eis diſtinctam; ergo in brachio non recipitur tota quantitas corporis; ſed quædam eius pars diſtincta ab aliis; ideò neceſſarium eſt ſecundum, quòd tota quantitas recipiatur in toto corpore, & partes eius in partibus ſubſtantiæ. Ex quo efficaciter colligitur, receptioni quantitatis in ſubſtantia præſupponi partes eiuſdem ſubſtantiæ, quas conſtat non poſſe à quantitate recipere: quia quantitas nihil ei poteſt tribuere, niſi per informationem; ergo non poteſt tribuere ei partes, informationi eius præſuppoſitas in eadem ſubſtantia, ſed ſicut neceſſarium eſt præſupponi informationi eiuſdem quantitatis; ſic eſt

ſic eſt neceſſarium eas habere ſubſtantiam à ſe, & non à quantitate.

Probatur tandem ex conſecratione Euchariſtiæ: in qua certum eſt ſacerdotem poſſe conſecrare medietatem hoſtiæ determinatam, vel deſignatam à ſe, & non aliam medietatem: & tunc ſubſtantia panis, quæ erat in medietate Hoſtiæ conſecratæ deſinet eſſe ad præſentiã corporis Chriſti, ſubſtantia verò panis alterius medietatis permanet ergo ſubſtantia vtriuſq; meditatis non erat eadem indiuiſibilis ante conſecrationem, ſed diſtincta realiter, non diſtinctione totali: ergo partiali: habebat igitur ſubſtantia panis partes integrantes ſubſtantiales, præter extenſionem earum, quam recipit à quantitate.

76 Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondeo, ſolum negare, quòd ſubſtantia non habeat partes extenſionis ſecundùm molem à ſe; ſed ſolum à quantitate, & ideò in hoc genere ſentit eſſe indiuiſibilem ex ſe. De partibus verò integrantibus entitatiuis aut ſubſtantialibus eius non loquitur; quia ſenſus iſte nihil efficere poterat ad propoſitum refutandi opinionem Melíſsi, ſed ſolùm prior. Cuius ratio eſt manifeſta; quia ſubſtantia non dicitur maior, vel minor, nec finita, vel infinita niſi ratione extẽſionis molis, quam accipit à quantitate, de hac igitur ſola loquendum erat, vt poſſet probari aduerſus illum, quod principium rerum naturalium non poteſt eſſe vnũ, & infinitum; quia ſi infinitum eſſet, non ſolam ſubſtantiam, ſed etiam quantitatem habere debebat, & ideò non eſſet vna res, ſed plures; quia ſubſtantia, & quantitas plures res ſunt. In eodem etiã ſenſu debet explicari D. Thomas dum aſſerit ſubſtantiam ex ſe non habere partes, ſed eas accipere à quãtitate, ſine qua in hoc genere partium extenſarum ſecundùm molem indiuiſibilis prorſus erit.

Secundum argumẽtum cõcedendum eſt totum, quia ſolum colligit ſecundum extenſionem molis indiuiſibilem eſſe ſubſtãtiam, & eandem extẽſionem à ſola quantitate recipere, & ex cõſequenti partes integrantes ſecundùm eandem extenſionẽ non habere à ſe, ſed ab eadem quantitate, omiſit autem alias partes integrantes, ſubſtantiales, & entitatiuas, quas ſubſtantia habet ex ſe, & ideò quantitati præſupponuntur, & ab ea recipiunt extenſionem molis accidentalem iam explicatam.

77 Ad 2. admitti debet, quòd ſubſtantia ſeparata à quantitate diuidatur, vt in antecedenti aſſumitur (à Deo quidem ſupernaturaliter, nam ab agente naturali certum eſt diuidi non poſſe. Facta autem diuiſione dicimus partes eiuſdem ſubſtantiæ non ſolum diſtinctas permanere diſtinctione ſubſtantiali,

aut enti

aut entitatiua: nam hoc etiam habebant ante diuiſionem, ſed diuiſas in hoc genere, non tamen in eadem parte loci, nec in diuerſis: quia ſine quãtitate non poſſunt eſſe in loco, vel occupare locum: ſed in hoc genere haberent modum prorſus indiuiſibilem & hoc ſibi voluerunt authores antiqui aſſerentes, partes ſubſtantiæ remota ab eis quantitate fluere ad punctum non de fluxu materiali per motum loquentes, ſed hoc ſolum dicere volentes, quòd remota quantitate haberent modum eſſendi indiuiſibilem (quantum ad locum pertinet) nihilominus per ſimpliciem præſentiam, id eſt, non localem, quælibet pars eiuſdem ſubſtantiæ correſponderet partibus loci, quas ante diuiſionem ratione quantitatis, quam habebant, occupare dicebatur, ſed de hac re in 4. & 6. lib. copioſiùs dicetur.

CAPVT IIII.

De principiis contra naturaliter loquentes.

TEXT. ARIST.

Vt autem Phyſici dicunt, duo modi ſunt: hi enim vnum facientes, quod eſt corpus, &c.

Breuis expoſitio Text.

REFVTATA iam opinione Parmenidis, & Meliſsi, qui de principiis rerum naturalium non naturaliter loquebantur, hoc eſt, non ſecundùm principia veræ Philoſophiæ: ſed contra illa, intendit Ariſt. cap. præſenti refutare alios Phyloſophos, qui naturaliter de illis loquebantur, hoc eſt admiſſis principiis naturalis Philoſophiæ: quia non auferebat motum; ſed illum admittebant. Diuiditur autem caput in duas partes. In 1. refert opiniones eorum. In 2. reiicit eam, quæ ponebat infinita principia ſub nomine Anaxagoræ. 78

Philoſophos igitur, qui naturaliter loquebantur de principiis; quaſi in duas ſectas diuiſos fuiſſe aſſerit: nam quidam dicebant vnum eſſe principium, vt aërem, aquam, vel ignem; (terram namque nullus eorum pro primo principio poſuit) & præter hoc vnum principium primum ponebant contrarietatem raritatis, & denſitatis, ratione cuius, res ex eo generari poſſent. quia principia veræ Philoſophiæ eſſe putabant, quodlibet fieri ex ſuo contrario, & ita ex illo per rarefactionem, & condenſationem multa fiebant.

Alij

Alij verò, vt Empedocles, Anaximander, & Anaxogoras, plura ponebant principia, & etiam contraria, quæ dicebant contineri, & quaſi claudi in infinito quodam receptaculo, quod vocabant Chaos. Et Empedocles quidem pro principiis ponebat quatuor elementa contenta in illo Chao. Quod, vt eá continens dicebat eſſe primum principium, & ideò vnum potius principium ponebat, quàm multa. Alij verò duo non tam Chaos illud, in quo continebantur, principium vocabant, quàm contenta in eo, quę cùm plura eſsent, plura potius, quã vnum ponebant. Hæc autem principia dicebant eſse infinitas quaſdam particulas rerum omnium, vt carnis, oſsis, ſanguinis, lapidis, ligni, &c. adeò minimas, & indiuiſibiles, vt propterea eas vocarent Atomos, ex quibus aliquid ſemper extrahebatur iuxta naturam rei generandæ, ex quo fieret: vnde principia rerum naturalium dicebant eſse infinita.

79 Hanc vltimam opinionem Anaxagoræ reiicit Ariſtot. in 1. parte, cap. duobus argumentis. Primò, quia infinitum eſt incognoſcibile, ſed principia rerum naturalium ſint infinita; ergo non ſunt cognoſcibilia, quare res naturales ex parte principiorum erunt incognoſcibiles. Secundò, quia res quęlibet generanda determinatam quantitatem poſtulat, ſub qua poſsit membra certæ magnitudinis habere, vt petunt propriæ operationes, quas per ea debet exercere, vt in viuente oſsa, nerui, & caro certam quantitatem habere debent, vt ex eis poſsint membra, etiam certæ magnitudinis fieri ad operandum; nam tam magna, vel tam parua excogitari poterunt, vt non ſint apta ad exercendas vitales operationes, falſum igitur eſt, quod ex minimis, atque indiuiſibilibus particulis fieri poſsint.

TRACTATVS DE TERMINIS rerum naturalium ſecundùm magnitudinem, & paruitatem in duas quæſtiones diuiſus.

80 AGENS Ariſtot. cap. præſenti contra Anaxagoram præſupponit carnem, & cæteras partes viuentium determinatam quantitatem poſtulare, ſub qua generentur, & ſub qua exiſtant vt apta eſse poſsint ad exercenda opera vitæ. Verba autem Ariſtotelis hæc ſunt: *Carnis autem determinata eſt quantitas, & magnitudine, & paruitate, manifeſtum eſt, quod ex minima carne nullum ſegregabitur corpus, erit enim minor minima.* Ex quibus occaſionem deſumpſerunt eius interpretes diſputandi de ter-

minis

minis rerum naturalium, quamuis plures moderni hanc diſputationem ad 6. lib. referant, vbi de partibus magnitudinis, eiuſque indiuiſibilibus agitur; ſed iis eſt proprius locus eius. vt autem vniuerſalis ſit diſputatio, hunc tractatum inſtituimus, in quo duplicem quæſtionem agitabimus. Prima, de viuentibus, an terminos magnitudinis, tam intrinſecos, quàm extrinſecos habeant. Secunda, de corporibus vitæ expertibus.

QVÆSTIO I.

An corpora viuentia habeant terminos ſuæ magnitudinis, & paruitatis intrinſecos, vel ſolum extrinſecos.

VT intelligatur quæſtio, primò explicandi ſunt termini 81
magnitudinis, & paruitatis, tã intrinſeci, quã extrinſeci. Terminus igitur magnitudinis duplex eſt, intrinſecus, & extrinſecus: intrinſecus eſt illa quãtitas, ſub qua ita poteſt generari, vel eſſe ſubſtãtia, vt ſub maiori nõ poſſit generari, aut eſſe, & ideò hunc terminum vocant maximũ quod ſic, vt ſi homo poſſit habere magnitudinem quinque cubitorum, & non maiorem, illa erit terminus intrinſecus. Et maximum quod ſic ſuæ magnitudinis. Terminus extrinſecus eſt quantitas illa, quam non poteſt habere, bene tamen quamcunque minorem, & ideò vocatur terminus iſte, minimum quod non, quia eſt minima quantitas, ex his, quæ non poteſt habere corpus, vt ſi leo non poſſit habere quantitatem ſex cubitorum, ſed quãlibet minorem, illa erit terminus extrinſecus & minimum quod non, ſuæ magnitudinis. Terminus etiam paruitatis eſt duplex, intrinſecus & extrinſecus, & intrinſecus eſt illa quantitas, ſub quà poteſt eſſe res, & non ſub minori, vocaturque minimum quod ſic, quia eſt minima quantitas, quam habere poteſt, ita vt non poſſit eſſe ſub minori; vt ſi homo poſſit generari ſub quantitate vnius palmi, & non ſub minori, hæc erit terminus intrinſecus paruitatis generationis eius. Terminus verò extrinſecus paruitatis eſt quantitas illa, ſub qua non poteſt eſſe corpus, bene tamen ſub qualibet maiori, & ideò vocantur maximum quod non, quia eſt maxima quantitas, ex his quæ non poteſt habere.

Secundò paucis explicari debent modi incipiendi, & deſinẽdi rerum: nam copioſior eorum explicatio, & tractatio pertinet ad lib. 6. Duo ſunt modi incipiendi, & duo alij deſinendi. Primus modus incipiendi intrinſecus eſt, & appellatur primum eſſe rei, quæ incipit. Quia eſt inſtans temporis, in quo

verum

verum eſt dicere nunc eſt & immediatè antè non erat, & propterea vocatur intrinſecus; quia in eo res habet eſſe, vt inſtans ille in quo anima rationalis introducitur in corpuſculum formatum in vtero matris, dicitur primum eſſe hominis quia verum eſt dicere in eo, nunc primò eſt homo, & immediatè, hoc eſt, in tempore, quod fuit immediatè ante idem inſtans, non erat. Modus incipiendi extrinſecus vocatur vltimum non eſſe rei incipientis, & eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc vltimò res iſta non eſt, & immediatè, hoc eſt, in tempore, quod ſtatim ſequitur poſt hoc inſtans erit: vt ſi aliquid incipit moueri in hoc inſtanti, verum erit dicere, nunc non mouetur, & immediatè pòſt mouebitur, & tunc non eſt motus, & immediatè poſt hoc erit. Vocatur autem extrinſecus motus incipiendi; quia in illo adhuc res non eſt, ſed erit in tempore proximè ſequenti. Modi deſinendi etiam ſunt duo, vnus vocatur Vltimum eſſe rei, quæ deſinit, & eſt inſtans temporis, de quo verum eſt dicere, hoc eſt vltimum inſtans, in quo res iſta habet eſſe, & in tempore proximè ſequenti, iam non erit, & propterea poteſt vocari modus intrinſecus deſinēdi; quia res tunc videtur intrinſecè deſinere, quandò vltimò eſt. Quando verò iam non eſt, potius dicetur extrinſecè deſinere, & ideò ſecundus modus deſinendi, qui vocatur Primum non eſſe, poteſt appellari extrinſecus, & eſt inſtans illud in quo primò res non habet eſſe; ſed in tempore proximè præcedenti fuit. Vt inſtans illud, in quo peruenit corpus, quod mouetur ad locum in quo quieſcit; dicitur primum non eſſe motus eius, quia verum eſt dicere in eo, nunc primò non eſt motus, & immediatè antè fuit.

82 His expoſitis, quædam ſunt tanquam certa præſupponenda, in quibus conueniunt omnes opinantes. Primum eſt, reſpectu diuinę omnipotentiæ nullum terminum habere res naturales intrinſecum, nec extrinſecum. Nam præter punctum verſus paruitatem, ſub quo certum eſt non poſſe conſiſtere vllo modo corpus, & præter infinitam actu molem verſus magnitudinem, quam probabilior opinio tenet dari nullo modo poſſe, etiam per potentiam Dei abſolutam; quamlibet finitam habere non repugnat; quia poſsibile eſt hominem effici à Deo maiorem toto cœlo, & etiam ſub qualibet minima generari poteſt, & conſeruari, etiam per diuinam potentiam. Solum ergo procedit quæſtio naturaliter: in quo ſenſu adhuc eſt certum in tota corporum multitudine dari aliquod ita maximū, vt ſupremum cœlum, vt nullum detur maius, & aliquod etiam ita minimum, quale inuenitur in ſpecie aliqua rerum

viuentium,

viuentium, aut non viuentium, vt nullum detur minus, licèt illud determinatè non cognoſcamus. Difficultas ergo quæſtionis eſt de poſſibili ſecundum naturam, an res naturales cuiuſlibet ſpeciei petant determinatam magnitudinem, verſus maximum, & minimum, ita vt ſub minori eſſe non poſſint, neque etiam ſub maiori, & id quidem via generationis, & augmenti, vt homo determinatam quantitatem poſtulet, in qua generetur, ita vt non poſſit ſub minori generari naturaliter, & ad tantam magnitudinem poſſit peruenire per viam augmenti, vt non poſſit naturaliter creſcere, vel maiorem magnitudinem habere. Vel extrinſecè tantum deſignari debeant ei termini, hoc eſt minima quantitas, ſub qua non poſſit generari, bene tamen ſub qualibet minori. Et verſus maximum aliqua etiam ſit deſignanda, quam non poſſit habere, bene tamen minorem quamcunque, ex his enim conſtabit, quid ſit dicendum de eiſdem terminis quantum ad conſeruationem.

Et de viuentibus quidem (de quibus ſolùm procedit quæſtio præſens) eſt prima opinio Veneti cap. præſenti, qui negat viuentia vllum terminum intrinſecum habere, hoc eſt nec minimum quod ſic, ſub quo generari debeant, nec maximum quod ſic, vltra quem non poſſint creſcere. Probat vtrumque hoc argumento ſi datur maximum quod ſic, vel minimum quod ſic, deſignetur vnus homo, qui iam ſit ſub primo, & alter, qui ſit genitus ſub ſecundo; & tunc certum eſt poſſe primum per tumefactionem creſcere; & alteri poteſt oppoſita infirmitas ſuperuenire, per quam membra eius contrahantur, & minora fiant; & tunc inquirendum eſt, an poſſint breui aliquo tempore ſub tali diſpoſitione viuere, vel ſtatim perire debeat. Et ſi primum concedatur, euidens eſt vtrumque excedere terminum intrinſecum magnitudinis, aut paruitatis: ſi verò non permaneant ſub tali diſpoſitione, ſequitur euidenter deſinere vtrunque per vltimum ſui eſſe. Probatur conſequentia, quia tumefactio primi, & condenſatio ſecundi, motus alterationis ſunt ſucceſſiui, qui incipiunt per vltimum non eſſe; verum igitur erit dicere, nunc non eſt tumefactio, neque condenſatio, & immediatè poſt hoc erunt, etſi ſub eis non permanent duo illi homines, ſed ſtatim moriuntur, verum quoque erit de vtroque dicere in eodem inſtãti, quod eſt vltimum non eſſe condenſationis, & tumefactionis, nunc non eſt homo iſte, ſed tempore immediatè præcedenti hoc inſtans fuit, quod eſt deſinere per vltimũ eſſe, & hoc eſt abſurdum; nam ex eo fieret dari materiã ſine forma, vel duo inſtãtia immediata, vt probatur in 6. lib. ergo non ſunt ponendi termini intrinſeci in viuentibus. 83

Secunda

84 Secunda opinio eſt huic omnino oppoſita, tenens, viuentia habere terminos intrinſecos magnitudinis, & paruitatis, nempe, minimum quod ſic, ſub quo generari petunt, ita vt non poſſint generari, neque eſſe ſub minori quantitate, & maximum quod ſic, ita vt non poſſint vltra illum creſcere. Ita Comment. Philop. Them. & Alex. cap. præſenti, D. Thom. 1. lib. Phyſ. lect. 9. lib. 2. de Anima, lect. 8. in 2. d. 13. q. 1. art. 1. ad 4. & d. 10. q. 2. art. 2. & 1. par. q. 7. art. 3. Scot. 5. Meta. q. 9. & in 2. d. 2. q. 9. ante medium, parag. ad iſta arg. Rich. quodlib. 3. q. 5. Duran. in 2. d. 18. q. 1. Greg. in 1. d. 17. q. 2. art. 3. Capre. & Hiſp. in 2. d. 19. q. 1. Caiet. 1. par. q. 17. artic. 3. Ferr. 1. lib. Phyſ. q. 7. Soncin. 8. lib. Meta. quæſt. 3.

Tertia opinio eſt media inter has duas extremas, quam tenent plures moderni aſſerentes viuentia in bono ſtatu naturali genita, vel exiſtētia vtrumq; terminum intrinſecum magnitudinis, & paruitatis poſtulare, ſed in malo ſtatu genita, vel ſi per infirmitatē tendant in corruptionē, non terminari terminis intrinſecis, ſed poſſe illos excedere, ita vt poſſint generari in minori quantitate, minimo quod ſic, eis deſignato, vel per infirmitatem ad minorem etiam quantitatem eodem minimo peruenire. Quod aliis verbis explicare ſolent, dicentes viuentia via generationis, aut in bono ſtatu terminos intrinſecos habere, ſed via corruptionis, aut in malo ſtatu ſolùm extrinſecos, ita vt ſub aliqua minima quantitate generari non poſſint, vel vſque ad illam diminui, vel minora fieri, bene tamen ſub qualibet maiori, & aliquam etiam quantitatem determinatam habere non poſſint, etiam via corruptionis, bene tamen quamlibet minorem. Et hanc ſecundam partem ſuæ opinionis probant 1. argumentum Veneti 2. ex Gigantibus, de quibus aſſerit Scriptura ſacra in lib. Gen. longè ſupereſſe magnitudinem cæterorum hominum; ergo maiorem longè habuerunt magnitudinem, ea quam pro termino intrinſeco petat humana ſpecies: quia geniti fuerunt extra ſtatum naturalem, & congruentem humanæ naturæ.

85 Noſtra verò ſententia hac concluſione explicatur, viuentia tam via generationis, aut in bono ſtatu, quàm via corruptionis, aut in malo ſtatu petunt terminos intrinſecos magnitudinis, & paruitatis, quos non poſſunt, niſi per miraculum excedere. Hanc concluſionem tenet ſecunda opinio, & omnes authores pro ea citati. Et eſt expreſſa ſentētia Ariſtotelis 4. lib. de Generatione animalium, cap. 4. his verbis: *Perficiendi cuiuſque animalis certa eſt magnitudo, tum ad maius, tum ad minus, quem terminum non ſupergrediuntur, vt vel maiora, vel*

minora euadant, ſed in medio magnitudinis ſpatio, exceſſum, defectúmve inter ſe capiunt. Et cap. præſenti: *Manifeſtum eſt igitur, quod impoſſibile eſt carnem, aut os, aut aliquid aliud, quantumcunque magnitudine, aut in maius, aut in minus.* Et tandem 2. libr. de Anim. text. 41. *Natura autem conſtantium omnium terminus eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti, hæc autem animæ ſunt, & rationis magis quàm materiæ.*

Ex quibus teſtimoniis colligũtur duo argumẽta ad probandum viuentia vtrunque terminum intrinſecum petere. Primũ probat terminum intrinſecum paruitatis, ſub quo generari petunt, ita vt ſub minori non poſſint generari, nec eſſe, ex natura animæ, vt inquit Ariſtot. & hoc modo formandum eſt: *Anima eſt actus corporis phyſici & organici potentia vitam habentis.* Vt definit ipſemet Ariſtot. 1. lib. de anima; ergo poſtulat corpus habens partes, & inſtrumenta diuerſa, & accommodata ad diuerſas operationes vitæ exercendas, quæ tantæ magnitudinis eſſe debent, & non maioris. Quod probatur euidenter ex arte qualibet, quæ ex propria natura poſtulat inſtrumenta tantæ magnitudinis, vt commodè poſſint deſeruire ad operationes, & effectus proprios præſtandos, ita, vt ſi maiora ſint, 86
vel minora inepta prorſus cenſeantur, vt docet etiam expreſsè Ariſtot. 7. lib. Politic. c. 4. Multò ergo maiori ratione anima ad exercenda opera vitæ, & præſtandos vitales effectus poſtulabit inſtrumenta corporis, imò & corpus ipſum tantæ magnitudinis, ita vt ſi maiora ſint, vel minora, inepta prorſus cenſeantur ad talem finem conſequendum, corpus namque ex eiſdem inſtrumentis compoſitum eſt, tanquam ex partibus, vt ex capite, brachiis, pedibus, ac cæteris, ſi autem partes debent habere determinatam magnitudinem, ita vt maiores, aut minores eſſe non poſſint, eandem poſtulabit corpus, ita vt in minori generari non poſſit, nec poſtquam genitum eſt ad minorem peruenire.

Secundum argumentum ad probandum terminum intrinſecum magnitudinis colligitur etiam ab Ariſtotele ex natura eiuſdem animæ, hoc modo: Corpus augetur virtute animæ, quæ vtitur potentiis vitalibus actiuis, vt nutritiua, & augmentatiua ad ipſum augendum: tantùm igitur, & non plus illud augere poterit anima, quanta fuerit virtus harum potentiarum, ſed omnes potentiæ actiuæ ex ſua natura habent terminum intrinſecum magnitudinis in ordine ad ſuos effectus producendos, ita vt tantùm poſſint producere effectum, & non maiorem, vt docet idem Ariſtot. 1. lib. de Cœlo, text. 116. & experientia notum eſt in omnibus potentiis; ergo corpus viuens

uens ad tantam magnitudinem poteſt peruenire virtute naturali, vt maiorem non poſſit habere, quod eſt terminum habere intrinſecum verſus magnitudinem. Et his teſtimoniis, & argumentis probatur noſtra ſententia, & communis aduerſus primam opinionem Veneti.

Sed probatur aduerſus tertiam opinionem modernorum, quòd hos terminos habeant, non ſolùm via generationis, aut in bono ſtatu, ſed etiam via corruptionis & in malo, ita vt nec eos excedant, nec excedere poſſint, niſi per miraculum. Primò eiſdem teſtimoniis Ariſtotelis, qui abſque dubio ſciebat hominem poſſe tumefieri, vel condenſari, aliáve infirmitate contrahi, & nihilominus expreſsè aſſerit non poſſe viuentia hos terminos excedere; ergo ſentit non poſſe ad maiorem, vel minorem quantitatem peruenire per infirmitatem, vel via corruptionis.

87 Probatur deinde ratione, quia per tumefactionem, condenſationem, vel quamlibet aliam infirmitatem, non poteſt viuens acquirere maiorem quantitatem, quam habebat acquiſitam per virtutem augmentatiuam, neque aliquam deperdere ex ea, in qua fuit genitum; ergo etiam via corruptionis, vel in malo ſtatu non poterit excedere terminos intrinſecos, quos petit naturaliter. Probatur antecedens, quia tumefactio, & condenſatio alterationes quædam ſunt, per quas acquiruntur qualitates quædam, nempè tumor, & denſitas: ſed per alterationem non poteſt adquiri quantitas, vt ex ſe euidens eſt, ſed per ſolam augmentationem: quia illa terminatur per ſe ad qualitatem, hæc ad quantitatem; ergo per eaſdem infirmitates, vel ſimiles non acquirit corpus nouam quantitatem, nec deperdit aliquam ex ea, quam habebat, & conſequenter nec fit maius, nec minus, nec excedit terminos intrinſecos magnitudinis & paruitatis ſibi à natura deſignatos. Sed ſolùm quantitas, quam habebat ab extrinſeco extenditur, vel contrahitur, vt maiorem, vel minorem occupet locum ratione qualitatis contrariæ per tumefactionem, vel condenſationem acquiſitæ. Quemadmodum quando rareſit aqua præ nimio calore, vel liqueſit cera, licèt videantur maiores fieri, nullam prorſus acquirunt quantitatem, nec verè fiunt maiores, ſed ab extrinſeco dilatantur per raritatem alteratione acquiſitam, & maiorem locum, vel minorem, quàm prius occupant: non quidem propter maiorem quantitatem, vel minorem, ſed propter eandem dilatatam, vel contractam ab extrinſeco ratione qualitatis contrariæ acquiſitæ. Et hoc decepit planè modernos authores tertiæ opinionis, falsò putantes,

per has infirmitates aliquam quantitatem acquiri, vel deperdi,& ideò excedere terminos intrinſecos viuentia,& ſolùm habere extrinſecos in malo ſtatu,& in via corruptionis.-

Quod argumenta eorum non probant, nam ad primum negandum eſt antecedens,quod tanquam certum præſupponitur, nempe viuentia per tumefactionem maiora fieri, vel per contractionem minora: quia licèt videantur maiorem quantitatem acquirere, vel aliquam deperdere, falſum hoc eſt,ſed ſolùm acquirunt qualitatem quandam aduerſam, ratione cuius quantitas quam habebant,dilatatur,vel contrahitur, & maiorē locum ſic dilatata occupat, vel minorem ſic contracta.Et propterea ſenſu iudicantur maiora, vel minora fieri, ſed intellectus ratione potius, quàm apparentia ductus contrarium cognoſcens,ſenſum hac in parte corrigit.

Ad ſecundum de Gigantibus duo dicimus,primum,quòd in ſtatu naturali geniti ſint, nam ſicut natura vno tempore valdè longiorem vitam, quàm aliis tribuebat hominibus eodem modo, tali tempore, tali loco, & ex talium hominum cum talibus mulieribus coniunctione, homines longè maioris magnitudinis producebat, & id quidem naturaliter, quia intra latitudinem totius naturæ, & naturalium cauſarum ad tantam magnitudinem eis tribuendam poteſt ſe extendere, ſicut etiam ad tantam durationem. Secundò dicimus Gigantes non exceſſiſſe terminum magnitudinis naturæ humanæ debitum, quia terminus iſte,quem vocant maximum quod ſic non conſiſtit in indiuiſibili, ſed magnam habet latitudinem ſe extendentem ad totam illorum quantitatem. Quod efficaciter probatur ex eo, quòd Gigantes illi conuenienter exercebant opera vitæ; ergo membra illorum, & integra corpora erant conuenientia inſtrumenta pro eiſdem operibus vitæ exercendis, ſed in ordine ad eiuſmodi opera aſſignatur terminus intrinſecus; ergo hunc non exceſſerunt. Ex quibus ad argumentum negandum eſt totum quod aſſumit, & ita cenſetur facilè ſolutum.

QVÆSTIO II.

An corpora non viuentia habeant terminos intrinſecos magnitudinis,& paruitatis,vel ſolùm extrinſecos.

CIrca quam conueniunt omnes opinantes, quòd eiuſmodi corpora vtrunque terminum extrinſecum habeant, 88
quia

quia neque poſſunt verſus paruitatem generari, aut eſſe in puncto, neque verſus magnitudinem habere quantitatem actu infinitam; ergo pro termino paruitatis extrinſeco ſaltem habebunt punctum indiuiſibile, vel minimam aliquam quantitatem, ſub qua eſſe non poſſint, & pro termino magnitudinis infinitam quantitatem.

89 Conueniunt ſecundò, quòd ſecundùm propriam naturam conſiderata verſus magnitudinem non habeant terminum intrinſecum. Cuius ratio eſt manifeſta, nam quantum eſt ex propria naturâ, non repugnat in infinitum creſcere, vt de igne docet expreſsè Ariſt. 2. lib. de Anima, text. 41. vbi in infinitum creſcere poſſe ait, ſi infinita ei apponantur combuſtibilia. Probaturque euidenti ratione; nam quantumlibet magnum ignem excogitemus, euidens eſt poſſe conuertere ſtupam ſibi applicatam, & conſequenter maiorem fieri, quare nullus poteſt deſignari ei terminus, vltra quem non poſſit creſcere, & quod de igne probatum eſt, de cæteris poteſt eodem modo probari. Nec eſt eadem ratio de his, ac de viuentibus, quantum pertinet ad augmentum. Propter duo: Primò, quia viuentia propriè augentur, videlicet per intus ſumptionem, & virtutem caloris naturalis, qui ſicut conuertit alimentum in ſubſtantiam aliti, ſic etiam conſumit partes eiuſdem viuentis, & multis modis impediri poteſt virtus eius ab internis diſpoſitionibus eiuſdem corporis viuentis, ne poſſit tantum alimenti conuertere. Nec ſolùm calor naturalis limitatur in ſuo effectu; quia eſt virtus actiua, ſed ex parte finis: in quem ordinatur operatio eius, qui eſt augmentum viuentis, & membrorum eius determinatam magnitudinem poſtulantium ad exercendum opera vitæ, quare non plus augeri poſſunt virtute caloris naturalis, quàm petit proportio magnitudinis requiſitæ ad tales operationes exercendas. Secundum eſt, quòd calor naturalis non creſcit ab extrinſeco, ita vt ei adueniat noua pars caloris naturalis, cum noua parte ſubſtantiæ, quam conuertit, & hoc ideò; quia calor naturalis non eſt diſpoſitio pro forma viuentis introducenda, ſed purum inſtrumentum animæ. In non viuentibus verò diuerſæ omnino conditiones reperiuntur. Nam primò non augentur propriè, hoc eſt per intus ſumptionem, ſed per iuxta poſitionem nouæ materiæ, nec calor elementaris impeditur ab aliqua alia diſpoſitione ignis, ſed nec auget ignem, aut partes eius, tanquam inſtrumenta vitalium operationum, nec eſt purum inſtrumentum ignis, ſed ſimul diſpoſitio pro introductione formæ eius in nouam materiam, & ideò operando creſcit, quia cum nouis

partibus materiæ,quas conuertit, adueniunt nouæ partes caloris, tanquam diſpoſitiones formæ ignis. Propter hæc igitur omnia augmentum viuentium habet terminum intrinſecum, augmentum verò non viuentium nulla ex parte limitatur. ſed in infinitum creſcere poſſunt, & conſequenter non habent terminum intrinſecum magnitudinis ex propria natura, ſed ſolùm extrinſecum.

Si verò conſiderentur eadem corpora ſecundùm ordinem totius vniuerſi, terminum intrinſecum magnitudinis habent: quia natura ſic diſpoſuit corpora,quæ ſunt partes vniuerſi, vt non poſſint terminos aliorum pertranſire, ignis enim non poteſt creſcere,niſi vſq; ad concauum lunæ, neque aër,niſi vſque ad concauum ignis,ſicque de cæteris.

Tota igitur difficultas quæſtionis conſiſtit in termino intrinſeco paruitatis, qui vocatur, minimum quod ſic, an ſicut conceditur viuentibus, ſic etiam non viuentibus debeat concedi,& ita ignis, vel aqua certam quantitatem poſtulent, in qua generari debeant, vt in minori non poſſint generari, nec etiam ad minorem peruenire per diminutionem,poſtquam genita ſunt.

Prima opinio cõcedit eis,minimum quod ſic,via generationis,non minus quàm viuentibus. Ita tenent omnes quos citauimus quæſtione præc.pro minimo intrinſeco viuentium,prę ter eos,quos referemus ſtatim pro ſecunda opinione.Probãtq; duobus teſtimoniis poſtremis, quos pro minimo viuentiũ adduximus quęſtione pręc.ſed ex eis nihil prorſus colligi poteſt: cùm expreſſis verbis loquatur in eis Ariſt.de viuentibus. 90

Sed probant ratione. Primò, quia ad generationem corporis non viuentis, vt ignis, vel aquæ requiruntur certæ,ac determinatæ diſpoſitiones in materia: in qua introducenda eſt forma ſubſtantialis pro tali generatione, vt determinatus gradus caloris, & ſiccitatis, ſed inter diſpoſitiones requiſitas vna eſt quantitas; ergo hæc etiam requiritur determinata, ita vt tanta ſit, & non minor; ergo talis quantitas erit, minimum quod ſic,ad generationem eorum requiſitum.

Secundò natura producit rem qualibet etiam non viuentem propter aliquam operationem ab eadem exercendam. Vt docet Ariſt.2.lib.de cœlo,c.3.tex.17. & 1.Ethic.c.7.nullum ergo producit corpus niſi in ea quantitate in qua poſſit præſtare proprias operationes. Probatur conſequentia, quia tam parua poteſt eſſe res,vt operari non valeat, ſed ſtatim ac producta eſt, pereat, determinatam ergo requirunt quantitatem, in qua generentur, & ſint. Et ſi dixeris ſufficere determinatam

tam

tam extrinſecè, probatur quòd ſit neceſſaria intrinſecè terminata; nam ſi deſignetur minima quantitas, ſub qua non poſſit ignis eſſe, & eam augeamus, deueniemus ad aliam, in qua primò eſſe poſſit, & non in minori, & hæc erit minimum quod ſic, neceſſarium ad generationem eius.

Secunda opinio negat non viuentia habere, minimum quod ſic, ſed ſolùm eis concedit, maximum quod non, quam tenent Scotus & Venetus locis citatis quæſtione præcedenti, quos ſequuntur Ocham in. 2. diſt. 28. & Valleſius controuerſia 5. ad Tyrones, & maior modernorum pars, ita vt ferè communis ſit iam in ſcholâ. *Et videtur mihi probabilior; & tenenda.*

Probat Scotus multis rationibus, ex quibus hæc ſola efficax eſt, & propter quam ego ſemper ſecutus ſum ſententiam eius. Si corpora non viuentia poſtulant minimum quod ſic, ad ſui generationem, ſit minima quantitas ad generationem ignis requiſita digitalis, & hæc applicetur igni. Tunc ſic arguo, omne agens naturale applicatum paſſo, prius & fortius agit in primam medietatem eius (cùm ſit diuiſibile) quàm in ſecundam, quia hæc eſt proximior; ergo prius imprimit ei ignis diſpoſitiones neceſſarias pro introductione formæ ſubſtantialis, quàm parti ſecundæ, ſed in puncto in quo habuerit vltimam diſpoſitionem requiſitam introducetur in ea forma ſubſtantialis; ergo prius generabitur ignis ex medietate, quàm ex toto; quare tota quantitas, quæ pro minimo deſignata eſt, non eſt neceſſariò requiſita, ſed in minori poteſt introduci forma ignis, quod eſt non habere terminum intrinſecum.

91 Hoc argumentum conantur ſoluere moderni, admittentes quidem principium illud, omne agens naturale applicatum paſſo prius agit in proximiorem partem eius, quàm in remotiorem, quia euidens eſt in Philoſophia: diſtinguentes tamen modum agendi eius, quantùm ad diſpoſitiones, & formam ſubſtantialem, concedenteſque omnes gradus caloris introducere ignem in proximiori parte illius quantitatis digitalis, (quæ pro minimo quod ſic, deſignatur) prius quàm in remotiori, non tamen formam ſubſtantialem ignis, quouſque ad reliquas partes totius eandem vltimam diſpoſitionem extendat. Vnde non ſequitur, quòd ignis generetur in minori quantitate minimo quod ſic, pro generatione eius deſignato. Et rationem huius ſolutionis aſſignant alij, quia non introducitur forma ſubſtantialis cum vna tantùm diſpoſitione vltima, quouſque adſint omnes neceſſariæ; ſed vna ex neceſſariis ad generationẽ ignis eſt digitalis quantitas, ita vt in minori non poſſit ge-

E 4 nerari

nerari; ergo licèt vltima diſpoſitio caloris prius ſit in dimidia quantitate, non introducetur forma ſubſtantialis ignis quouſque ſe extendat per totam, vt ita ſint ſimul omnes diſpoſitiones requiſitæ.

Sed hæc ratio eiuſdem ſolutionis manifeſtam petitionem principij continet, quia ſupponit id, quod probandum eſt, & de quo eſt tota quęſtio, videlicet minimū quod ſic, eſſe diſpoſitionē neceſſariam ad generationem ignis. De hoc eſt enim tota controuerſia, quod etiam non probatur, ſed ſupponitur; ergo non poteſt pro ratione afferri ſine vitio petitionis principij. Qua refutata, ſic impugno ſolutionem: nam ſi ignis prius producit calorem, vt octo, in prima medietate minimi, quàm in poſtrema; ergo prius etiam introducit ſiccitatem vt octo, & cæteras diſpoſitiones in eodem gradu vltimo requiſitas, & ſufficientes ad introductionem formæ ſubſtantialis; ſed vltimas diſpoſitiones naturaliter, & neceſſariò conſequitur introductio formæ; ergo prius etiam introducetur forma in prima medietate, & prius ex ea generabitur ignis, vel expectandum eſt tempus in quo eaſdem diſpoſitiones extendat ignis ad aliam medietatem. Ex quo ſequuntur hæc abſurda. Primum, quòd pro illo breui tempore agens naturale agat in partem remotiorem, & non in ſibi proximam. Secundum, quòd agens debitè approximatum paſſio non imprimat ei proprium effectum, pro quo eſt ſufficienter, & vltimatè diſpoſitum.

Ad 1. argumentum alterius opinionis diſtinguenda eſt minor, quòd determinata quantitas ſit vna ex diſpoſitionibus neceſſariò requiſitis ad introductionem formæ, & de determinata intrinſecè neganda eſt, ſed de determinata extrinſecè concedenda. 92

Ad 2. eodem modo eſt diſtinguendum conſequens; determinata enim quantitas requiritur ad generationem non viuentium, quia tam minima eſſe poſſunt, vt non poſſint exercere ſuas operationes, non tamen determinata intrinſecè, ſed extrinſecè ſufficit, quia operationes eorum non ſunt ita perfectæ, ſicut vitales, nec determinata inſtrumenta requirunt, ſed homogeneæ ſunt, & per quamlibet partem corporis eodem modo, ac per alias poſſunt exerceri, ideò nec requirunt partes ita determinatæ magnitudinis, ſicut viuentia, nec etiam totum corpus, minimo quod ſic, determinatum. Dum autem additur, deſignandam eſſe quantitatem, quo termino extrinſeco eis ſufficit, deſignari admittimus, eamque eſſe ſub qua non poſſunt generari, bene tamen ſub quacunque maiori

Vnde

Vnde etiam ſi augeatur non perueniet ur ad eam, ſub qua primo generari poſſunt, cum ſub qualibet maiori poſſint generari, vt eſt ſatis manifeſtum.

CAPVT V.

Quòd principia rerum naturalium ſint contraria.

TEXTVS ARIST.

Omnes igitur contraria principia faciunt, & qui dicunt, quòd ſit vnum omne, & immobile, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

93 INTENTVM Ariſt. c. præſenti eſt, quandã conditionem principiorũ rei naturalis proponere, & probare, vt ex ea colligat in ſequenti certum numerum eorundem principiorum. Et hoc ſolum præſtat in toto capite, videlicet conditionem ipſam proponere, & probare authoritate omnium Philoſophorum, & vnica ratione. Conditio principiorum eſt, quòd ſint contraria, quam vno vel alio modo poſuerunt omnes Philoſophi: nam ſiue vnum, ſiue plura, vel etiam infinita poſuerint principia, aliquam contrarietatem in eis poſuerunt: nempe rari, & denſi: calidi, & frigidi: vacui, & pleni: & quamuis per vias, & modos diſſimiles contrarietatem eorum poſuerint, omnes tamen neceſſariò ponendam eſſe ratione naturali conuicti docuerunt. Ratio autem naturalis, qua probatur principia rerum naturalium debere eſſe contraria, ſic formanda eſt: Principia talia eſſe debent, quæ nec fiant ex aliis, nec ex alterutris, ſed omnia fiant ex ipſis, ſed talia ſunt prima contraria; ergo prima contraria ſunt principia, & per conuerſionem ſimplicem, prima principia erunt prima contraria. Maior euidens eſt, quia ſi principia fierent ex aliis, non eſſent prima, vt ex ſe eſt manifeſtum: & eadem ratione, ſi fierent ex alterutris, hoc eſt ſi vnum ex alio fieret: quod verò ex eis fiant cætera; patet ad rationem primorum principiorum pertinere. Vt autem probet minorem, præſupponit contraria duplicia eſſe prima, & ſecunda. Prima contraria ſunt primæ qualitates, vt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum: contraria ſecunda ſunt ſecundæ qualitates, quæ ex mixtione primarum fiunt, vt album, & nigrum. Itaque contraria quaſi

ſecundaria ex aliis,nempe ex primis contrariis fiunt, ſed prima contraria ex eo, quòd ſunt prima, non fiunt ex aliis contrariis, alioqui procederetur in infinitum, & nulla darentur prima. Hoc ſuppoſito probat minorem, quòd prima contraria non fiant ex aliis, nec ex alterutris, ſed omnia fiant ex ipſis. Nam ex eo quòd prima ſunt,non fiunt ex aliis,nec ex alterutris, hoc eſt, neque vnum ex altero. Nam etſi calidum fiat ex frigido, in quantum ſubiectum,quod nunc eſt calidum,prius fuit frigidum, ſed calor ipſe nunquam ex frigore fit. Quòd verò ex eis fiant omnia, probat: nam quidquid fit, per actionem,& paſſionem fit, ſed nihil agit per ſe niſi in ſuum contrarium, vt calidum non agit per ſe, niſi in frigidum; ergo quidquid fit, ex ſuo contrario fieri debet, quare omnia debent fieri ex primis contrariis. Quod intelligitur proximè, vel remotè, in quantum ex primis contrariis fiunt, vel ex his deriuantur ſecundaria, ex quibus proximè fiunt alia.

QVÆSTIO VNICA.

An prima contraria ſint principia rerum naturalium.

RAtio Ariſtotelis,qua probauit principia rerum naturalium eſſe contraria examinanda eſt, vt intelligamus, quam habeat efficacitatem ad id probandum. Conſtat autem duplici parte,nempe maiori,& minori vnius ſyllogiſmi. Maior eſt definitio principiorum. Minor verò applicatio eiuſdem definitionis ad prima contraria. Vtraque autem examinanda eſt, & ideò in duas partes diuiditur quæſtio. In 1. examinabitur definitio principiorum.In 2. an eadem definitio conueniat primis contrariis, & ita prima contraria ſint prima principia, & ex conſequenti prima principia rei naturalis ſint prima contraria, hæc eſt enim concluſio intenta ab Ariſtotele. 94

Vt autem definitionem in prima parte examinemus, vnum, aut alterum proponemus argumentum aduerſus eam,vt ex eorum ſolutione conſtet eſſe legitimam. Prima particula definitionis eſt, quòd principia non fiant ex aliis: quòd ſic,probatur falſa. Materia, & forma ſunt in prædicamento; ergo habent genus, & differentiam,ex quibus componuntur. Habent etiam partes integrantes, cùm materia diuiſibilis ſit, & ferè omnes formæ;ergo componuntur ex partibus eſſentialibus generis,& differentiæ, atque etiam ex integrantibus, quare ex vtriſque fieri dicentur.

Secunda

Secunda particula eſt, quòd non fiant ex alterutris, hoc eſt vnum non fiat ex altero, quæ ſic impugnanda eſt: Forma fit ex materia, de cuius potentia educitur, & ex materia habente priuationem eius, alioqui non fiet ex contrario, quia materia non eſt contraria formæ, niſi ratione priuationis; ergo etiam fit ex priuatione: quare non poteſt negari, quòd vnum principium fiat ex alio.

Sed probatur tandem, quòd ex principiis non fiant cætera: nam vel particula (ex) dicit partem componentem, vel ſolùm terminum à quo, ſi dicat primum, excludenda eſt priuatio, quæ non eſt pars componens, vt ex ſe patet. Si verò dicat ſecũdum, excludenda eſt materia, quæ non eſt pars componens, ſed ſolùm terminus à quo; ergo definitio non eſt bona, quia non conuenit omnibus principiis, immò nullis videtur conuenire. Quòd ſic probari poteſt; quia ex principiis aquæ ſola aqua fieri poteſt, & ex principiis ignis ſolus ignis; ergo non dantur aliqua principia, ex quibus fiant omnia, quare nullis principiis in particulari poteſt cõuenire definitio; nec ex conſequenti principiis in communi, quia repugnat conuenire aliquid prædicato communi, & repugnare particularibus ſub eo contentis.

Pro explicatione definitionis, & argumentorum ſolutione notanda ſunt duo. Primum eſt, quòd principium & cauſa ſe habent, tanquàm ſuperius, & inferius prædicatum: nam principium ſuperius quid eſt, cùm ſignificet omne illud ex quo aliquid eſt, vel fit, aut incipit, cauſa verò addit influxum & dependentiam eius, quòd fit ab ea. Vnde ſequitur de pluribus dici principium, & non ſolùm de cauſis: dicitur enim de puncto, à quo incipit linea, & de termino, à quo incipit motus; in quibus nulla eſt ratio cauſæ reſpectu lineæ, vel motus. Quidquid ergo eſt cauſa, principium eſt; ſed non quidquid eſt principium, eſt cauſa, & ideò licèt priuatio non ſit cauſa generationis naturalis, principium eius vocari poteſt. Materia verò, & forma non ſolùm principia ſunt rei naturalis, ſed etiam cauſæ, materialis, & formalis verum influxum habentes in compoſitione eius. Quare in ratione principij conueniunt cum priuatione, & in ratione cauſæ diſtinguuntur ab ea. Conuenire autem in ratione principij non vniuocè, ſed analogicè intelligendum eſt; quia cùm priuatio non ſit entitas poſitiua, ſolùm ab ea incipit generatio, tanquam à negatione formæ in materia apta eam ſuſcipere; materia verò, & forma principia ſunt per poſitiuas entitates, & ideò ratio principij ſimpliciter eis conuenit, priuationi verò, non niſi ſecundùm quid. Quòd verò Ariſt. 12. Met. tex. 12. dixit, materiam, formam, & priuationem eſſe

tres

tres cauſas, & tria principia rerum naturalium, non de cauſa ſecundùm propriam ſignificationem accipitur, ſed ſecundùm vulgarem: quo pacto, quidquid ad aliud quomodocunque neceſſarium eſt, cauſa eius ſolet appellari.

Secundò notandum eſt, ter eſſe repetitam particulam (ex) ab Ariſtot. in definitione, diuerſis autem modis in vno, & alio loco ſumere eam docent plures ex interpretibus, videlicet in vno pro ſola habitudine partium eſſentialium componentiũ, in alio prout excludit cauſam efficientem, alij verò in aliis etiam ſignificationibus. Nos verò cum maiori parte eorum dicimus ſemper ſumi in eadem ſignificatione, alioqui, ſi in diuerſis ſumeretur, æquiuocè ea vteretur Ariſto. in eadem definitione, quod magnum inconueniens eſt. Significatio verò quam habet ſemper, eſt communis ratio principij abſtrahens à rationibus particularibus cauſæ, & ſolius principij, aut à ratione partium componentium, vel ſolius termini à quo. Vnde ſenſus definitionis eſt, omnia fieri ex principiis, tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo, quibus modis principia ipſa, nec ex aliis, nec ex alterutris fiunt. Excluduntur etiam omnia corpora naturalia, quæ ex his principiis fieri conſtat, ita Aegidius Romanus, & Conimbricenſes cap. præſenti. Et ita per primam particulam, *quæ neque fiunt ex aliȷs*, excluduntur omnes cauſæ extrinſecæ, vt finalis, efficiẽs atque exemplaris, quia propriè loquendo nihil dicitur ex eis fieri, ſed finalem eſſe id, cuius gratia cætera fiunt, efficientem à qua effectiuè producitur, & exemplarem ad cuius imitationem fit. Principium verò rei naturalis, aut generationis eius eſt, ex quo aliquid conſtat, aut ex quo procedit generatio eius. Per ſecundam verò, *quæ neque fiunt ex alterutris*, excluduntur quatuor elementa, quæ ex ſe inuicem genetari dicuntur, vt ignis ex aqua, aut ex aëre. Per tertiam denique, *ſed omnia fiunt ex ipſis*, excluduntur omnia accidentia, & omnes etiam negationes, ex quibus nihil propriè dicitur fieri ex altero, ratione ſubiecti, in quo vtrumque recipitur, vt calidum ex frigido. 95

Ex his reſpondetur ad 1. arg. concedendo, quòd materia, & forma ſint in prædicamento, ſaltem reductiuè ſub genere corporis, cuius partes ſunt, & ideò aliquo modo fieri, aut componi ex genere, & differentia, hoc verò non eſt in genere naturali, ſed metaphyſico. quare non tollit, quin in proprio genere naturali, in quo ſunt principia, non fiant ex aliis, quo pacto ſumuntur verba in definitione: vnde verum eſt, principia rerum naturalium, in eo genere, in quo ſunt principia

cipia non fieri ex aliis, hoc eſt tanquam ex principiis eſſentialibus Phyſicis, qualia ſunt materia ipſa, & forma, quaſi dicatur non fieri ex aliis eo modo, quo cœtera fiunt ex ipſis, quam conditionem non tollunt partes ipſorum integrantes, cùm non ſint principia eſſentialia, vt conſtat.

Ad 2. negandum eſt antecedens, quòd forma fiat ex materia aut priuatione: nam ſecundùm proprietatem Phyſicam, forma, nec generatur, nec fit, ſed compoſitum, vt docet expreſsè Ariſt. 1. lib. Phyſ. text. 64. his verbis: *Quare manifeſtum eſt ex dictis, quòd omne quod fit, ſemper eſt compoſitum.* Et D. Tho. in eorum expoſitione. Et probat hæc ratio, fieri rei ordinatur ad eſſe eius; ergo eius tantum eſt fieri, cuius eſt eſſe; forma verò non eſt, ſed ſolùm dicitur ratio eſſendi compoſito; quod propriè dicitur eſſe; ergo forma non fit, ſed compoſitum. Quod ſi non fit, ergo nec fit ex materia, nec ex priuatione; ſed compoſitum dicitur ex vtraque fieri ratione formæ, à qua habet eſſe, & cuius principia ſunt materia, forma, & priuatio. Educi autem de potentia materiæ, non eſt per ſe fieri; ſed in actum exire, tanquam rationem eſſendi compoſiti, quod per ſe generatur, & fit.

Tertium argumentum ſolutum eſt iam ex doctrina tradita, quia particula (ex) nón dicit particularem aliquam habitudinem, ſeu generalem principij, ſub qua comprehenduntur partes eſſentiales componentes & etiam terminus, à quo generatio eiuſdem rei naturalis incipit, & ideò nec priuatio excludenda eſt, nec materia, vel forma. Quod verò additur de principiis particularibus, difficultate caret. Nam vltima particula definitionis (*quòd omnia fiant ex ipſis*) ſecundùm diſtributionem accommodam intelligenda eſt, ita vt ſenſus ſit, omnia fiunt ex principiis in communi acceptis, & ex eiſdem acceptis in particulari omnia etiam ſui generis, vel ſpeciei.

Secunda pars quæſtionis.

96 IN ſecunda parte examinandum eſt, an definitio principiorũ conueniat primis contrariis, & ita prima contraria ſint prima principia, & per ſimplicem conuerſionem prima principia rei naturalis ſint prima contraria. In quo duo continentur: Primum, quòd prima principia ſint contraria. Secundum, quòd ſint prima contraria.

Vtrunque autem videtur falſum. Primum quidem, quia materia, & forma ſunt ſubſtantiæ: ſubſtantiæ verò nihil eſt contrarium, vt idem Ariſt. docet in prædicamento ſubſtantiæ; ergo materia, & forma contrario carent. Præterea contraria vt

docet

docet idem Ariſt. 5.Meta.cap.10.text. 16. duplicem conditionem habere debent, nempè quòd ſub eodem genere diſtinguantur ſpecie,& quòd non poſſint ſimul eſſe in eodem ſubiecto, ſed vtraque conditio eis repugnat: quia materia, & forma non ſolum ſpecie non differunt,ſed eandem ſpeciem componunt, & in eodem compoſito permanent; ergo contrariæ eſſe non poſſunt.

Et multò minus poſſunt eſſe prima contraria, quia vera contrarietas in ſolis qualitatibus reperitur mutuò ſe expellentibus ab eodem ſubiecto, ergo prima contrarietas in ſolis primis qualitatibus, quæ proptereà vocantur primæ, quia ex eis fiunt cæteræ omnes, falſum eſt ergo,quod Ariſtoteles aſſerit prima contraria eſſe prima principia rei naturalis, & prima principia eſſe prima contraria.

His tamen non obſtantibus probatur, quòd principia rei naturalis ſint contraria,hac ratione: Generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe; ergo illud dicitur generari, quod nunc eſt, cùm prius ſimpliciter non eſſet. Vnde infero quodlibet fieri ex ſui non eſſe, vt ignis ex non igne, & homo ex non homine, non tamen fit ex pura negatione ſui, ſed ex eo, quod cùm non habeat ſuum eſſe, poteſt illud habere, vt ignis non fit ex quocunque non igne, ſed ex materia proximè diſpoſita pro forma eius. Quod exemplo artificialium probatur. Nam artifex non inducit formam ſtatuæ in lignum quodcunque, ſed dolatum, & paratum iam aptumque ad ſuſcipiendam talem formam. Eodem igitur modo agens naturale non inducit naturalem formam in quamlibet materiam non habentem illam, ſed in eam tantum,quæ pro ea ſuſcipienda diſpoſita eſt, & aptitudinem habet eam ſuſcipiendi; ſed negatio formæ in ſubiecto apto ſuſcipiendi illam eſt priuatio; ergo quodlibet fit ex priuatione ſuæ propriæ formæ, tanquam ex termino à quo incipit generatio eius: forma autem, & priuatio ſunt oppoſita: cùm ſe excludant ab eadem materia, nec ſimul in ea vllo modo eſſe poſſint; ergo principia rei naturalis contraria ſunt.

Secundò generatio, & corruptio rerum naturalium fit per actionem,& paſsionem,ſed actio, & paſsio ſunt inter contraria,quia nihil agit,niſi in ſuum contrarium, nec patitur, niſi ab eo,non enim agit calidum in aliud calidum; ſed in frigidũ, nec patitur ab alio calido,ſed à frigido; ergo principia generationis naturalis contraria ſunt.

Vt autem intelligamus,quonam modo contraria ſunt,notãdum eſt, contrarietatem duobus modis ſumi, vt docet Ariſt. 5. lib. Met. cap. 12. text. 16. Primò ſtrictè, & propriè pro oppoſitio

oppoſitione eorum, quæ mutuò ſe expellunt ab eodem ſubiecto,& hoc modo ſolum reperitur in primis qualitatibus. Secundò ſumitur minus propriè pro oppoſitione ei ſimili eorum, quæ licèt actiuè, & paſsiuè non ſe expellant ab eodem ſubiecto, habent tamen rationes oppoſitas, & repugnantes in ordine ad illud: & ideò non poſſunt ſimul in eo eſſe. Et ita ſe habenr forma,& priuatio in ordine ad materiam, vel ſubiectum. Et propterea pro contrariis accipiuntur ab Ariſtotele qui etiam de hac conrrarietate loquitur 10.lib. Met. text. 23. aſſerens in quolibet genere reperiri vnam contrarietatem,quę vocarur habirus,& priuationis. Idque probat,quia quodlibet genus diuiditur per duas differentias oppoſitas inæqualis perfectionis, quarum imperfectior ſignificatur nomine habitus; perfectior verò nomine priuations, & vna includit priuarionem perfectionis alterius, vt animal diuiditur in rationale, & irrationale,quod tanquam imperfectius caret perfectione rationalis, & ideò hoc ſignificatur nomine habitus, aut formæ, illud verò nomine priuationis.

97 Secundò notandum eſt, hanc contrarietatem eſſe primam omnium,propter duo. Primum, quia includitur in quacunque alia contrarietate etiam propriiſsima: nam propriiſsima contraria, ita ſe habent, vt vnum ſit perfectius altero, vt calidum eſt perfectius frigido, & propterea includit priuationem perfectionis eius,& nomine priuationis ſignificatur; perfectũ verò,vt calidum nomine formæ,vel habitus. Secundum,quia hęc contrarietas, & non alia reperitur in ſubſtantia, quæ eſt primum prædicamentum & omnium perfectiſsimum; ergo meritò vocatur prima,ad quam reducitur omnis alia, etiam propriiſsima. Vrrumque docet Ariſtoteles 10.lib:Metaph. cap. 3.text.15.his verbis: *Prima verò contrarietas habitus,& priuatio eſt, non tamen omnis priuatio,ſed quacunque perfecta ſit.* Et poſt pauca: *Omnis namque contrarietas habet alterius contrariorum priuationem.* Et cùm principia rerum naturalium ſinr principia ſubſtanriæ,& ſubſtantialis generationis,vt materia,forma & priuatio,meritò appellantur ab Ariſtotele prima contraria, quia primam contrarietatem ad quam reducuntur omnes,habent; & eadem prima contrarietas primò eis conuenit, & ab eis deriuatur ad cætera contraria.

Quia ſicut ſubſtantia eſt prima omnium entium, non ſolum naturâ, ſed tempore, & dignitate, ita contrarietas habirus, & priuationis, vel formæ in principiis eius reperta, meritò vocatur prima, & propter eandem eius principia non ſolum vocantur contraria, ſed iure vocantur prima

contra

contraria; ergo ſunt plura, & non vnum tantùm. Antecedens ſupponit iam probatum capite præcedente, ſed conſequentiam probat, contrarietas verſatur inter duo extrema; quia idem non eſt ſibi contrarium; ergo ſi principia contraria ſunt, plura eſſe debent. Vlteriùs, principia non ſunt infinita, nec tantùm duo, nec plura tribus; ergo erunt tria, ita vt nec plura, nec pauciora. Conſequentia euidens eſt, ſed antecedens habet triplicem partem ſigillatim probandam. Probatur ergo prima pars, quòd principia non ſint infinita, quia ſcientia alicuius rei ex cognitione principiorum eius dependet, ſed infinita principia non poſſunt cognoſci; ergo ſi principia rei naturalis infinita ſunt, non erunt cognoſcibilia, & ex conſequenti nec res ipſa naturalis erit per ſcientiam cognoſcibilis: quod patet eſſe falſum. Probatur ſecunda pars antecedentis, quòd principia non ſint tantùm duo. Quia vnum contrarium non tranſmutat aliud, nec in tertium conuertit, ſed illud expellit ab eodem ſubiecto, circa quod vtrumque verſatur, vt calidum non deſtruit frigidum illud conuertens in aliud, ſed expellendo frigiditatem ab eodem ſubiecto, circa quod verſatur vtrumque vt ab aqua, gratia exempli. Quod ex definitione contrariorum euidenter colligitur: nam contraria ſunt, quæ ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt; ergo quælibet contraria poſtulant cõmune ſubiectum, circa quod ſe tranſmutent, ac deſtruant, quare præter duo contraria principia requiritur neceſſariò tertiũ, circa quod ſe expellant, ac deſtruant, & per expulſionem, ac deſtructionem eorum circa ſubiectum generentur, & corrumpantur omnia, & ideò plura duobus eſſe debent, ita vt præter formam, & priuationem ponenda ſit materia tanquam commune ſubiectum, circa quod priuatio expellat formam, & corrumpatur compoſitum præexiſtens, & rurſus forma alia expellat priuationem præexiſtentem, & generetur aliud compoſitum, & ita tria ad minus poni debeant principia. Sed probatur tandem, quòd non ſint plura tribus: quia pro vna contrarietate tantùm ponuntur duo extrema, & vnum ſubiectum, ſed in vno prædicamento tantum eſt vna contrarietas; ergo in ſubſtantia ſolùm eſt vna contrarietas, quæ verſabitur inter principia eius, & ideò vnum tantum ſubiectum, quod eſt eſſe tria, ita vt nec ſint plura, nec pauciora.

CAPVT VII.

Quòd principia rei naturalis re ſint duo, ratione verò ſint tria.

TEXT. ARISTOT.

Hic igitur nos dicamus primò de omni generatione aggredientes, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INtentum Ariſtotelis in hoc capite eſt rurſus confirmare concluſionem in capite præcedente poſitam, quòd principia rerum naturalium tria ſint, eaque diſtinguere, & magis explicare. Diuiditur autem cap. in duas partes: in prima id probat ratione ſimul, & inductione in omnibus mutationibus omnium prædicamentorum: in 2. diſtinguit principia inter ſeſe, ex quibus colligit quodammodo eſſe duo, & quodammodo eſſe tria. Probat igitur principia eſſe tria hac ratione; in omni mutatione dantur duo termini, vnus, à quo incipit mutatio, & alter in quem tēdit, & præter duos terminos datur ſubiectum, quod ab vno in alterum tranſit vtrumque in ſe ſucceſsiuè recipiens; ergo tria ſunt principia in quacunque mutatione, ſed generatio rei naturalis eſt mutatio ſubſtantialis; ergo dabuntur in ea terminus, à quo incipiat, qui eſt priuatio, & terminus in quem formaliter tendat, qui eſt forma, & commune ſubiectum, quod ab vno in alterum mutetur, vtrumque in ſe ſucceſsiuè recipiens, & hoc eſt materia, quam ſimul cum termino à quo, vel etiam cum termino ad quem ſumere poſſumus ad explicandum quid per mutationem fiat, dicemuſque ex non homine fieri hominem, hoc eſt ex materia exiſtente ſub priuatione animæ rationalis, per coniunctionem cum eadem forma fieri hominem. Per nudum verò ſubiectum explicari non poteſt, quid per mutationem naturalem fiat, ſed ſolum quid fiat per artificialem; non enim dicimus hominem fieri ex materia aut album ex homine, bene tamē quòd Cathedra fiat ex ligno.

Hæc autem tria principia, nempè Priuatio, Forma, & Subiectum, quod eſt materia, ſic diſtinguit in 2. parte cap. in omni genere mutationis, ait, vt priuatio non faciat numerum realiter cum materia, ſed ſolum ſecundùm proprias rationes formales, per quas diſtinguuntur. Forma verò numerum ſimpliciter efficiat cùm vtraque & ratio huius manifeſta eſt. Quia accidens non facit numerum cum ſubiecto, ſed pro eadem re computatur

computatur realiter cum eo, ſed ſolùm ſecundùm rationem formalem,& eſſentiam,quam habet ab eo diuerſam, non enim dicimus hominem, in quo eſt albedo,& album duo eſſe, ſed vnum, priuatio verò quaſi accidens eſt materiæ nullum eſſe ſubſtantiale ei tribuens; ergo non facit realiter,& ſimpliciter numerum cum ea, ſed pro eadem re computantur,faciunt tamen numerum, ſi ſecundùm rationes formales accipiantur, quas conſtat eſſe diuerſas. Forma verò numerum facit cum materia, quia non eſt accidens eius,ſed alia pars ſubſtantialis rei naturalis à materia diuerſa:nec etiam eſt accidens priuationis,ſicut nec priuatio eſt accidens eius,ſed cùm contraria ſint, numerum ſimpliciter efficiunt. Ex quibus ſequitur principia rerum naturaliùm quodammodo eſſe duo, hoc eſt ſecundùm numerum realem, propter materiam,& priuationem numerũ realem non efficientes, & quodammodo eſſe tria, quia ſecundùm rationes formales diuerſas quas habent, numerum efficiunt.

QVÆSTIO VNICA.

An prima principia rerum naturalium ſint tria,ita vt nec plura,nec pauciora.

99 Non oportet varias antiquorum Philoſophorum opiniones repetere,de numero principiorum, ſed ad tres claſſes eas reducere poſſumus. Nam quidam vnum tantùm poſuerunt. Alij infinita,alij denique plura,ſed non infinita. Ariſtoteles verò refutatis omnium ſententiis, tria poſuit, ita vt nec plura ſint, nec pauciora. Loquitur autem de principiis ſubſtantiæ,& ideò de primis ſolùm, quia cùm ſubſtantia ſit primum ens,& fundamentum cæterorum, tantum principia eius vocantur prima,& ex conſequenti de ſolis principiis rei naturalis: quia ſola ſubſtantia ens naturale eſt: non ergo de principiis accidentium, vel generationis eorum: quia nec accidentia ſunt entia naturalia, ſed ad ſummum vocantur entia ſecundùm naturam,tanquam aliquid ſubſtantiæ, quare nec productio eorum vocatur ſimpliciter generatio.Ideò non oportet quærere principia eius,nec etiam aliarum productionum ſubſtantialium, quæ primam generationem præſupponunt, ſed principia horum omnium regulanda ſunt per principia rei naturalis,& generationis eius,quæ prima vocantur. De his ergo ſolùm docet Ariſtoteles tria tantùm eſſe. Nempè, Materiam, Formam,& priuationem.

Quòd autem non ſint tria,ſed plura, hoc argum. probatur: quia res naturalis non ſolum dependet ab his tribus, [illegible]

cauſa efficienti, à qua generatur, & à cauſa finali, cuius gratia generatur, tanquam à principiis propriis; ergo plura erunt principia tribus. Et ſi dicas, principia quidem hæc eſſe, ſed extrinſeca. Ariſtotelem verò ſolum de intrinſecis loqui. Contra hoc eſt; quia licèt reſpectu rei naturalis, quæ generatur, extrinſeca ſint, ſed reſpectu generationis intrinſeca. Nam generatio naturalis quædam actio eſt. Actio verò intrinſecum dicit reſpectum ad agens, à quo procedit, & ex conſequenti ad finem in quem ab eodem agente ordinatur; ergo erunt principia generationis intrinſeca, & plura efficient ſi addantur materiæ, formæ, & priuationi.

Quòd verò pauciora ſint tribus, probatur. Primò, quia forma, & priuatio non poſſunt eſſe principia; ergo ſolum reſtabit materia, & ita vnicum erit principium. Probatur antecedens de forma, quæ ideò eſt principium generationis, quia terminus eius eſt, in quem tendit, vt docuit Ariſtoteles, ſed terminus eſſe non poteſt; ergo nec principium. Probo minorem. Nam terminus generationis eſt, quod fit per generationem, vel quod generatur, ſed forma nec fit, nec generatur, ſed totum compoſitum ex forma, & materia; ergo hoc tantum eſt terminus generationis, & non forma. Probatur deinde de priuatione, quia principia, vt docet expreſsè Ariſtot. cap. præſenti, textu 56. oportet ſemper manere; ſed priuatio non permanet, ſed expellitur à forma adueniente; ergo non eſt principium. Et etiam ſi principium eſſet, non poteſt eſſe principium per ſe, ſed per accidens, vt docet Ariſtot. tex. 66. huius cap. his verbis: *Quod fit non ſecundùm accidens ex ipſo hoc eſt, ex ſubiecto fit, priuatio autem, & contrarietas accidens.* Et probat hæc ratio: Si priuatio eſt principium generationis, maximè eſt quia ab ea incipit generatio, ſed hoc etiam conuenit formæ expulſæ per generationem nouæ; ergo etiam erit principium, quod nemo concedit. Probatur minor; nam ideò generatio incipit à priuatione, quia materia appetit nouam formam, quã non habet, quare neceſſariò præſupponitur generationi ea priuata, ſed quamdiu priuata eſt forma futura, neceſſe eſt informari antiqua per eam expellenda; ergo ſicut neceſſe eſt generationem incipere à priuatione, ita etiam à forma expellenda quæ etiam erit principium, ſi priuatio ponatur principium generationis.

Concluſio tamen reſponſiua huic quæſtioni eſt, veram eſſe ſententiam Ariſtotelis, quòd prima principia rerũ naturalium tria ſint, ita vt nec plura, nec pauciora, & ita vt rei naturalis, quæ generatur, ſint duo, nempe materia, & forma, generationis verò

verò tria, quia eiſdem additur priuatio pro termino à quo eiuſdem generationis. Quæ licèt pluribus ſit probata rationibus ab eo, hoc breui argumento probatur: Generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, non quidem de puro non eſſe, quia purum eſſe eſt nihil, ex nihilo autem nihil generari poteſt; (licèt poſſit aliquid per creationem fieri) ergo procedit generatio ab eo, quod non eſt, ſed eſſe poteſt, & talis eſt materia cum priuatione, non habens formam per generationem inducendam, ſed tamen habere potens. Tria igitur concurrunt neceſſariò, & per ſe ad generationem naturalem, nempè forma, & præter illam materia, & priuatio in ea exiſtens, tanquam principia eius; nec aliud principium eſt neceſſarium, vt iam probauit Ariſtoteles; ergo tria ſunt principia, ita vt nec plura ſint, nec pauciora.

Ad primum argumentum negandum eſt antecedens, quòd principium efficiens, & finale ſint intrinſeca generationi; nam generatio dupliciter conſideratur, vel ſub ratione formali generationis; quo pacto eſſentialiter eſt mutatio; aut ſub ratione materiali actionis, & paſſionis, & ſub prima conſideratione intrinſecum ordinem dicit ad terminum à quo, & ad quem; qui ſunt forma, & priuatio; agentem vt ſic non reſpicit, ſed ſub ratione actionis, quaſi materialiter incluſa in ea, & ideò agens non eſt principium intrinſecum generationis naturalis, vt generatio eſt, ſed actionis tantum, & ex conſequenti principia generationis intrinſeca tantum ſunt tria ab Ariſtotele deſignata; nam quod de principio efficienti dicitur, de finali eſt etiam intelligendum.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quòd forma, & priuatio nõ ſint principia; quòd verò de forma colligitur non eſſe terminum generationis, ſed compoſitum; diſtinguendum eſt: nam duplex eſt terminus, quo, & quod, ſeu formalis, aut totalis, atque completus; & forma quidem terminus generationis formalis eſt, & vt quo, tanquam id, quo compoſitum eſt, compoſitum verò eſt terminus completus, qui fit, habens eſſe per formam. Vnde forma eſt terminus tanquam principium eſſendi; compoſitum verò tanquam principiatum, & hoc modo intelligitur formam eſſe principium, quia eſt terminus, in quem tendit generatio, licèt non fiat per generationem, ſed hoc ſolùm conueniat compoſito; quare forma potius, quàm compoſitum principium eſt.

Aliud verò, quod in eodem argumento primò dicitur de priuatione, nempe, quòd principia debent permanere: diſtinguendum eſt. Nam principium quoddam eſt rei naturalis,

aliud generationis eius tantùm, & principia rei permanere debent quia ſunt partes componentes: quod verò ſolius generationis principium eſt, vt priuatio tranſit cum generatione ipſa. Ariſtoteles ergo loquitur de principiis rei, dum illam conditionem aſsignat, non de principio ſolius generationis, quod ideò non neceſſariò permanere debet. Et idem eſt ſenſus aliorum verborum, quibus docet per accidens ſe habere priuationem, & contrarietatem ad rem naturalem, materiam verò per ſe, quaſi dicat ad conſtitutionem eius per accidens ſe habere priuationem; quia per ſe ſolùm componitur ex duobus principiis, quæ ſunt materia, & forma. Quòd verò materia fuerit ſub priuatione formæ, per accidens eſt ad talem compoſitionem, ſed reſpectu generationis per ſe; quia per ſe incipit à priuatione, tanquam à termino à quo. Vnde ſequitur quòd licèt priuatio ſit principium per accidens rei naturalis, generationis verò ſit per ſe.

Ad rationem denique diſtinguenda eſt minor, quia duobus modis poteſt intelligi neceſſarium eſſe, quòd materia quamdiu eſt ſub priuatione, ſit informata forma expellenda: etſi intelligatur neceſſarium eſſe ad generationem, falſum eſt; quia non minus poſſet generari ignis ex ligno, ſi materia ligni ſine vlla eſſet forma, ac ſi ſit ſub forma ligni, ſolum ergo eſt neceſſarium propter imperfectionem materiæ, quæ non poteſt eſſe ſine vlla forma ſaltem naturaliter. Quod verò materia ſit ſub priuatione, neceſſarium eſt per ſe ad generationem, quia priuatione ſublata aufertur appetitus materiæ ad formam: materia verò non appetens formam ad eam non tenderet, & cùm tendentia materiæ in formam ſit per generationem, impoſsibilis eſſet generatio naturalis ſublata priuatione, quare per ſe ad illam requiritur, & per ſe eſt principium eius.

CAPVT VIII.

Quo opinionibus antiquorum reſpondetur, & ratio materiæ aperitur.

TEXT. ARIST.

Quod autem vnico modo ſic ſoluitur, & antiquorum dubitatio, &c.

Breuis expoſitio Text.

POSTQVAM Ariſt. egit de principiis in communi, 1
& errores antiquorũ circa ea exortos refutauit, rationibuſq; eorũ reſpõdit, incipit iã agere de eiſdẽ principiis

principiis in particulari & cap. præſenti de materia, ſequenti verò (quod eſt vltimum huius libri) de priuatione.

Cap. igitur præſenti refert quendam errorem antiquorum Philoſophorum circa principium materiale, & illum reijcit, argumentoque illorum, quo ab eiſdem probatur, reſpondet. Et hoc eſt intentum huius cap. quod nō indiget alia diuiſione.

Error igitur fuit eorum, qui putabant, generationem ſubſtantialem eſſe impoſſibilem, ſed ſolùm dari mutationes accidentales, per quas vnicum principium materiale, quod eſt ens actu diuerſis modis, hoc eſt ſecundùm diuerſa accidentia tranſmutatur, nempè ſecundùm raritatem, denſitatem, calorem, frigiditatem; quare cætera omnia, quæ fiunt, accidentaliter ſolùm ab eo differunt, licèt ſenſus iudicent differre ſubſtantialiter. Probabant hoc argumento, ſi aliquid de nouo fit per generationem ſubſtantialem, aut fit ex ente, aut ex non ente; ex non ente fieri repugnat; quia non ens eſt nihil, & ex nihilo non poteſt aliquid fieri; ſed etiam repugnat fieri ex ente, quia quod iam eſt, non fit, ſed ens iam eſt; ergo non poteſt fieri.

2 Reſpondet Ariſtoteles huic argumento, ſic eſſe intelligendum aliquid ſubſtantialiter de nouo fieri, vt ſecundùm aliquid præſupponatur, quòd per ſe ſit ens in potentia, & per accidens eſt ens actu, atque etiam per accidens non ens actu, & hoc eſt materiale principium, ex quo fiunt omnia, quæ generantur. Itaque materia per ſe ſolùm eſt ens in potentia (loquimur autem de ente completo) per accidens autem contingit in ordine ad rem generandam, quòd ſit ens actu, quod habet per aliam formam ſub qua præſupponitur, & etiam per accidens, eſt quòd ſit non ens, quod habet ratione priuationis, ſub qua etiam præſupponitur. Et ratio vtriuſque eſt manifeſta, quia res generanda ex ſola, & nuda materia cum forma componitur, nec minus ſufficienter eſſet eis compoſita, ſi in materia nulla forma, nec vlla priuatio præceſſiſſet; ergo reſpectu rei generandæ, & compoſitionis eius, per accidens eſt, quòd materia, ex qua cōponitur, ſit informata alia forma, per quam eſt ens actu, aut ens ſimpliciter vel ſolam priuationem habeat, per quam eſt non ens actu; nam cùm priuatio opponatur formæ, quæ dat eſſe rei, ſimpliciter, dicitur non ens, & materia per illam dicitur non ens actu; ſolùm ergo poſtulat compoſitio rei generandæ materiam ſecundùm ſe, quæ eſt ens in potentia, & per accidens componitur ex ea, vt eſt ens actu per aliam formam, & etiam vt non ens actu per priuationem. Ad formam igitur argumenti reſpondet, quòd res, quæ generatur, non fit per ſe ex ente actu, vel ſimpliciter, nec ex non ente

ditur, nec ſolùm cum forma non concurrit ad conſtitutionem rei, ſed eiuſdem rei conſtitutæ per formam quaſi intendit corruptionem; nam eo ipſo, quòd priuatio aduenit materię, incipit appetere nouam formam, & ab appetitu incipit tendentia in illam, quæ tendentia eſt generatio nouæ formę, & expulſio antiquæ. Vnde ſequitur diuerſas eſſe, & oppoſitas rationes formales priuationis, & formæ, & ideò neceſſariò eſſe diſtinguendas.

4 In tertia parte capitis docet Ariſtoteles materiam ex propria natura eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, & ideò non per ſe, ſed per accidens generari, & corrumpi. Probat primùm hoc argumento, impoſſibile eſt prius aliquid eſſe, quàm fiat, ſi autem materia generaretur, eſſet prius quàm fieret; ergo impoſſibile erit eam generari. Probatur minor, quia generationi intrinſecum eſt, quòd ei præſupponatur ſubiectum, ex quo fiat, id quod generaretur; ergò ſi materia generaretur, ex alio ſubiecto deberet fieri, ſed materia ipſa eſt primum ſubiectũ ex quo generātur omnia; ergo materia ipſa præſupponeretur proprię generationi, eſſētque priuſquā fieret. Et eodem modo probatur eſſe incorruptibilē per ſe; quia ſi corrumperetur, permaneret poſtquam corrupta eſſet, quod repugnat. Probatur conſequentia, quia quod corrumpitur, reſoluitur in materiam ſub vtroq; termino corruptionis permanētē; ergo permaneret materia adhuc in termino ad quem corruptionis; qui eſt non eſſe rei, quæ corrumpitur, & conſequenter poſtquam corrupta eſt.

Probat ſecundum, quod per accidens generetur, & corrumpatur hoc modo; priuatio fit in materia abſente forma, & deſinit eſſe in ea forma adueniente; & propterea eſt quaſi accidens materiæ, quæ in ea incipit, & deſinit eſſe, ſicut calor in aqua; ſed dum incipit calor in aqua, dicitur aqua quodammodo generari; & dum deſinit eſſe in ea, dicitur quodammodo corrumpi, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm ratione accidentis in ea facti, vel corrupti, & ideò non per ſe, ſed per accidens; ergo dicetur etiam materia per accidens generari, dum in ea fit de nouo priuatio; & corrumpi, dum eadem priuatio deſinit eſſe in ea. Quamuis per ſe, & ſecundùm propriam entitatem, & ſubſtantiam, nec poſſit generari, nec corrumpi.

TRACTATVS I.

De materia, quæ eſt primum principium rerum naturalium.

5 Circa hæc duo poſtrema capita, in quibus de principiis rerum naturalium in particulari diſputat Ariſtoteles, agen-

dum eſt nobis de ſingulis, vt naturã eorum intelligamus, quod vt commodius fiat, ſingulos tractatus de ſingulis inſtituemus, in quibus propriis quæſtionibus diſputabuntur omnia, quæ ad ſingulorum naturam pertinent. Et primus tractatus erit de materia, de qua nouem quæſtiones diſputabuntur. Prima, an detur primum principium materiale rerum naturalium. Secunda, quidnam illud ſit, pura potentia, vel aliquem actum in ſua eſſentia includens. Tertia, habeátne propriam exiſtentiam partialem à ſe, vel non niſi à forma eam accipiat. Quarta, an habeat etiam propriam ſubſiſtentiam partialem. Quinta, an poſſit materia exiſtere in rerum natura ſine vlla forma, ſaltem per potentiã Dei abſolutam. Sexta, an potentia, & appetitus ad formam ſint eſſentiales materię. Septima, an materia ſit pars eſſentialis ſubſtantiæ completæ. Octaua an materia ſit vna ſpecie, & numero. Nona, quot, & quæ ſint proprietates materiæ.

QVÆSTIO I.

An detur primum principium materiale, & ſimplex rerum naturalium.

DE principiis rerum naturalium generabilium, & corruptibilium agit Ariſtoteles in hoc opere, quod probat numerus ternarius eorum ab eo conſtitutus, materiæ, formæ, & priuationis: nam de principiis corporum cœleſtium (in quibus non videtur priuatio locum habere) ſpecialem tractatum compoſuit ſub nomine librorum de Cœlo, & Mundo, quem propediem (Deo dante) noſtris Commentariis illuſtrabimus. Solum ergo de principio materiali rerum generabilium agimus etiam nos in præſenti tractatu, quod Philoſophi omnes poſuerunt, licèt non eodem modo. Nam quidam vnum, alij plura, ſed finita, alij demùm infinita poſuerunt: omnes tamen decepti putauerũt materiale principium rerum naturalium eſſe ens actu. Et ratio huius deceptionis communis, etiam fuit communis ratio: quia non videntur cognouiſſe generationem ſubſtantialem, ſed tranſmutationes ſolùm accidentales (quas nos vocamus alterationes) per quas materiale principium, vnum, vel plura diuerſas alterationes patiebatur, & per eaſdem res diuerſæ ſolùm accidentaliter fiebant, quamuis ſenſu appareat fieri diuerſas ſecundùm ſubſtãtiam, & per ſubſtantiales generationes; & cùm alterationibus præſupponatur ſubiectum pro materiali principio iam conſtitutum in actu ſubſtantiali, & proinde, quòd ſit ens actu, propterea putauerunt omnes principium materiale debere eſſe ens actu (ex vna deceptione aliam 6

incurren

7 incurrentes) & tale illud poſuerunt.

Solus Ariſt.& primus cognoſcens naturalem generationem hanc veritatem aſſecutus eſt. Quod primum principium rerum naturalium non poteſt eſſe ens actu,neq; completum, ſed ens in potentia, atq; incompletum, & partiale, vt ita poſſit cum altero principio(quod eſt forma) rem naturalem completam eſſentialiter componere. De hoc igitur principio quærimus nos,an detur in rerum natura. Nec neceſſe eſt opiniones referre,quia opiniones Philoſophorum,qui Ariſtotelem præceſſerunt,iam ab eo relatæ ſunt,& impugnatæ in præcedentibus capitibus:poſt eum verò nemo contrariam ſententiam tenuit:,ſed principium materiale, vt ab eo poſitum omnes recipiunt,ideo tribus concluſionibus reſpondebimus quæſtioni, quibus ſimul probabitur dari tale principium, & natura eius explicabitur.

Prima concluſio,neceſſariò ponendum eſt primum principium materiale rerum naturalium permanens in omnibus generationibus & ex quo res omnes naturales componuntur, tanquam ex altera parte eſſentiali.

Probatur duplici ratione,prima procedit ex continua tranſmutatione rerum naturalium: nam euidenti experientia conſtat corpora ſublunaria continuis tranſmutationibus ſubiecta eſſe, non ſolùm accidentalibus, ſed etiam ſubſtantialibus, ita vt vnum corrumpatur ſubſtantialiter, & aliud ſubſtantialiter etiam generetur numero, aut etiam ſpecie diuerſum; nam ex aëre generatur ignis,& ex aëre aut vaporibus aqua,& in viuētibus videmus hominem, & cætera animalia paſſim de nouo generari:cùm prius non eſſent,atque etiam corrumpi,& deſinere eſſe per mortem: ſed generatio ſubſtantialis eſſentialiter eſt mutatio: & mutatio omnis poſtulat cōmune ſubiectum,quod per eam mutetur manens ſub vtroque termino eius à quo,& ad quem, (hoc enim ſolùm mutari propriè dicitur) vt in mutationibus accidentalibus euidens eſt,ergo dum aliquid ſubſtantialiter corrumpitur, & aliud ſubſtantialiter ex eo generatur, vt ex aëre ignis: neceſſe eſt deſignare commune ſubiectum,quod verè mutetur:cùm euidens ſit non mutari genitum, neque corruptum, ſed vnum ſimpliciter deſinere eſſe, & aliud ſimpliciter incipere; cùm prius non eſſet. Vlterius: vel hoc ſubiectum commune dimittens vnam formam, & ſuſcipiens alteram dependet ab alio ſubiecto priori, vel non: ſi nòn dependet, erit primū,vltra quod non ſit aliud:ſi verò dependet ab altero priori, vel deueniendum eſt ad vnum, quod ab altero priori non dependeat, & illud erit primū, vel procedendum in infinitum.

Secunda ratio procedit ex modo, quo res fiunt per generationem ſubſtantialem, per quam euidens eſt non fieri totam ſubſtantiam, nec per corruptionem totam ſubſtantiam deſinere; alioqui productio cuiuslibet ſubſtantiæ ex nihilo fieret & corruptio eiuſdem in nihilum deſineret, eſſetque illa creatio, & hæc anihilatio; vel ſi vna totaliter deſineret in alteram inceptio vnius, & deſitio alterius eſſet conuerſio ſubſtantialis vnius re in alteram: & vtrumque patet eſſe falſum; neceſſe eſt ergo dum ſubſtantia corrumpitur aliquid eius permanere, ex quo ſimul cum forma adueniente fiat integra ſubſtantia, quæ generatur. Et hoc permanens ſub vtraque forma ſucceſſiuè, vocatur primum ſubiectum, atque commune generationis, & corruptionis ſubſtantialis, vocatur prima materia, & primum principium materiale rerum naturalium. 8

Secunda concluſio: Hoc principium materiale vnum eſt, & non plura. Hanc probauit Ariſtoteles cap. 6. huius libri, quia vna eſt contrarietas in vno prædicamento, ergo vna tantum erit in prædicamento ſubſtantiæ inter principia generationis eius reperta, quæ ſunt forma, & priuatio, ſed pro vna contrarietate ſufficit vnum ſubiectum, circa quod ſe expellāt contraria, & per mutuam expulſionem generentur & corrūpantur res naturales: & hoc ſubiectum eſt materia, aut materiale principium; ergo hoc tantum eſt vnum. An verò ſit vnum ſpecie, & numero, inferius diſputabitur.

Tertia concluſio, primum principium materiale non eſt ſubſtantia completa, aut compoſita ex materia, & forma, ſed ſimplex, & incompleta componens completam ſubſtantiam ſimul cum alio principio, quod eſt forma. Probatur hoc argumento, primum principium materiale ponitur pro ſubiecto primæ contrarietatis, cuius extrema ſunt forma, & priuatio, quæ mutuo ſe expellunt ab eo; ergo neutram ex ſe habere poteſt, ita deſitio vnius ſit corruptio, & inceptio alterius generatio, nā ſi vnam ex propria natura haberet, non poſſet alteram ſuſcipere, quia neutra ſuſcipitur, niſi per expulſionem alterius; impoſsibile eſt ergo quòd materiale principium ſit ſubſtantia habens formam, ſed quod non habet formam non eſt ens cōpletum, aut compoſitum eſſētialiter in genere Phyſ. ergo principium materiale ſimplex, atque incompletum, vt ita poſsit ſimul cum principio formali componere ens naturale completum.

QVÆST

QVÆSTIO II.

An materia eſſentialiter ſit pura potentia, vel intra eſſentiam includat aliquem actum.

9 QVæſtio hæc ad quidditatem materiæ pertinet, quam vt meliùs intelligamus afferendæ ſunt duæ definitiones, quibus eam definiuit Ariſtoteles, atque etiam explicandæ. Primam definitionem aſsignauit Ariſtoteles cap. vltimo huius lib.text.82.his verb. *Materia eſt primum ſubiectum, ex quo fit aliquid, cùm inſit, non ſecundùm accidens, & ſi corrumpitur, in hoc abibit vltimum.* Prima particula huius definitionis ſecundùm debitum ſenſum eius,eſt,*ſubiectum*; in quo conuenit materia cum ſubſtantia completa, quæ ſubiectum etiam dicitur accidentium, ſed differt ab eadem per ſecundam, qua dicitur materiam eſſe ſubiectum *primum*,hoc eſt formæ ſubſtantialis, quæ eſt prima forma, primuſque actus, ſubſtantia verò completa potius dicitur ſecundum ſubiectum, quia non eſt ſubiectum primæ formæ,ſed ſecundarum,tales enim vocantur accidentales, imò & ſubſtantia eadem completa materia ſecunda vocari ſolet.Per ſecundam & per eandem excluditur forma quæ non eſt ſubiectum,ſed actus,quem primum ſubiectum in ſe recipit.Per ſequentem particulam, *Ex quo fit aliquid*, excluduntur omnes cauſæ extrinſecæ, vt efficiens,& finalis, ex quibus non dicuntur res fieri,ſed ab efficiente procedere,& gratia finis fieri.Per particulam,*cùm inſit*,excluditur priuatio, ex qua licèt fiat res naturalis,nòn tamen tanquam ex eo, quod ineſt, quia non tanquam ex parte componente,ſed tanquam ex termino à quo, qui per formam expellitur. Reliqua verba maioris explicationis gratia addita ſunt ab Ariſtotele, vt ex eis intelligatur materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem. Alia definitione definiuit Ariſtoteles materiam, 7. lib. met. cap.3. tex. 8.per negationem omnium prædicamentorum,dicens: *Materia non eſt quid,nec quan tum,nec aliorum,quibus ens determinatur.* Quaſi dicat,non eſſe actu ſubſtantiam,neque aliquod aliud determinatum ens, ſed ſolum in potentia.

10 His definitionibus expoſitis notandum eſt, actum duplicẽ eſſe,phyſicum & metaphyſicum; actus phyſicus eſt, per quem conſtituitur res in ſpecie phyſica,& talis eſt forma ſubantialis cuiuſque rei. Metaphyſicus verò per quem conſtituitur in ſpecie metaphyſica,& talis eſt differentia. Deinde actus rei vnus eſt eſſentialis, per quem conſtituitur eſſentia rei, alius ſubſtan-

ſubſtantialis, per quem eſſentia, vel natura dicitur eſſe extra cauſas, & actus iſte vocatur exiſtentia, qui extra eſſentiam quidem eſt, ſed per eum dicitur eſſe eſſentia ipſa extra cauſas, hoc eſt actu in rerum natura, & non ſolum in potentia cauſarum, vt res, quæ hodie fit, heri non erat extra ſuas cauſas, ſed ſolum in potentia earum, hodie verò iam extra illas eſt, & actu in rerum natura, quia heri nō habebat exiſtentiam, hodie eam habet, & ratione eius dicitur eſſe extra cauſas. Tertiò diuidunt alij actum, in vniuerſalem, vel tranſcēdentem, quem vocant entitatiuum, & eſſentialem, quem res quælibet habere dicitur intra ſuam eſſentiam, eo ipſo, quòd entitas realis eſt.

Et de actu quidem formali phyſico certum eſt apud omnes, 11 eum non habere materiam intra eſſentiam, quia eſſentialiter diſtinguitur à forma, imò realiter; ergo eam nec in ſua entitate reali, nec in ſua eſſentia includit. Probatur euidenter conſequentia, quia ea quę diſtinguuntur, vt ſic diſtincta non ſe includunt. Quæſtio igitur non procedit de actu formali, nec de actu exiſtentię, quem omnes ſentiunt extra eſſentiam creaturæ eſſe (licèt non ſit certum, an diſtinguatur ab ea realiter vel ratione tantùm, & ideò exiſtentia materiæ, ſiue à ſe illam habeat, vel à forma, certum erit non pertinere ad eius eſſentiā. Solum ergo procedit quæſtio de actu vniuerſali, & tranſcendentali, quem plures ponunt in ſingulis rebus præter formalē phyſicum, & metaphyſicum, atque etiam de actu metaphyſico, qui eſt differentia, an aliquem horum, vel vtrunque habeat materia intra ſuam eſſentiam. Vnde ſenſus quæſtionis eſt, an materia ita ſit pura potentia, vt nullum prorſus includat actum eſſentialiter, vel potentia quidem ſit non ita pura, quin aliquem ex his duobus vltimis actibus eſſentialiter includat.

Et prima opinio tenet non ſic eſſe puram potentiam eſſentialiter, quin intra ſuam eſſentiam includat actum entitatiuè. Ita Henr. quodlib. 1. q. 10. & quodlib. 4. q. 16. Scotus in 2. d. 12. q. 1. Rich. ibidem art. 1. q. 4. ad 2. Gab. & Greg. cum cæteris Nominalibus, P. Pererius lib. 5. cap. 13. & Toletus 1. lib. Phyſ. q. 11. eandem ſequuntur moderni quidam addentes, præter actum entitatiuum habere etiam formalem metaphyſicum, qui eſt differentia.

Præcipua ratio huius ſententiæ, qua probat habere actum entitatiuum, hæc eſt: Materia eſt ens reale incompletum, & partiale actu, & extra cauſas componens ſimul cum forma cōpletam ſubſtantiam tanquam realis, & actualis pars eius; ergo eſſentialiter includit actum entitatiuum. Probatur conſequentia, quia realis, & actualis entitas non eſt intelligibilis ſine reali

reali

reali actu entitatiuo,nec realis,& actualis pars ſubſtantiæ,ſine actu reali,& ſubſtantiali incompleto, quem nemo poteſt materiæ denegare.

Secundò probatur, quòd actum eſſentialem metaphyſicum habeat,quia materia eſt ſubſtantia; ergo pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ,ſed quidquid pertinet ad prædicamentum excepto ſupremo genere,componitur ex genere,&differentia; ergo materia habet proprium genus,& propriam differentiam & conſequenter actum eſſentialem metaphyſicum, qui appellatur differentia, quam habere neceſſe eſt: cùm diſtinguatur ſpecie materia rerum corruptibilium à materia Cœlorum, & omnis diſtinctio ſpecifica ſit per differentiam.

12 Secunda opinio negat materiam vllum prorſus actum eſſentialem habere, ſed eſſe omnino puram potentiam. Ita D. Tho.de potentia,qu.4.art.1.quodlib.3.artic.1.& 1.p.q.66.art. 1.Comment. 2.lib. Phyſ. Com 12. Auicenna 2. Met.cap. 3. Capreol.in 1.d.12.q.1.Ferr.3.lib. contra gentes,cap.4. & 20. Caiet. tom.3.opuſ.tract.7.q.8. Soncin. 7.Met. q.17. Iauellus ibidem q.5.Sotus 1.lib.Phyſ.q.6.art.1.Duran.in 2. d. 12. qu. 3. Fonſ.1.lib.Met.cap.7.qu.3. ſect. 8. & Conimbricenſes 1. libr. Phyc.in cap.9.q.3.art.1.&2.*hæc eſt probabilior,& tenenda.*

Probatur teſtimonio Ariſtot.qui vbicunque de materia loquitur,nullum ei tribuit actum,ſed puram potentiam eſſe docet, præſertim 1.lib.de Gen.tex.12.his verbis: *Dico autem, vt nunquid erit quantum,aut quale, aut vbi,id quod potentia ſolum eſt hoc, & ens,ſimpliciter autem non hoccine neque eſt ens.* Quibus nõ ſolum aſſerit materiam non eſſe ens actu alicuius prædicamẽti,ſed neque in communi eſſe ens actu,ſed ſolum in potentia. Quare non ſolum ei denegat actum formalem, ſed etiam entitatiuum, quem ponit prima opinio,non ſolum aſſerens eſſe non ſubſtantiam;aut non qualitatem,ſed non ens actu, quod omnem prorſus actum excludit.Vnde neque in definitionibus eiuſdem materiæ vllum verbum poſuit, ex quo colligi poſsit aliquis actus eius.

Probatur etiam ratione,quòd non habeat actum entitatiuũ. Primò, quia actus entitatiuus, quem ponunt in materia, non poteſt eſſe verus, ſed apparens tantum; ergo nec in materia nec in re alia admitti debet. Probatur antecedens, quia talis actus entitatiuus, & tranſcendens realis eſt, ſed non eſt dabilis extra cauſas actus realis in communi, niſi determinatus per aliquem actum in particulari, ſicut non eſt dabilis potentia in communi, niſi determinata per aliquam potentiam particularẽ;materia verò nõ habet aliquem actum particularẽ

per

per quem determinetur talis actus in communi; cùm actus particularis ſit à forma; ergo nec datur actus entitatiuus, qui non ſit actus particularis alicuius ſpeciei; quemadmodum, nec datur entitas in communi, niſi determinata per entitatem particularem alicuius ſpeciei. Fingitur ergo actus entitatiuus materiæ, cùm ei denegetur particularis alicuius ſpeciei, per quem determinari poſsit.

Secundò ideò ponitur in materia actus realis entitatiuus, quia eſt entitas realis actualis extra cauſas, ſed hæc ratio eſt inſufficiens; ergo non eſt ponendus in ea. Probatur minor. Primò, ratione præterita, quia non datur entitas realis in cōmuni extra cauſas, niſi determinata per entitatem talis ſpeciei realis, ſed materia non habet entitatem actualem alicuius ſpeciei realis ex ſe: ergo neque actum entitatiuum. Probo iterum minorem, quia entitas realis non habet determinatam ac realem ſpeciem, niſi per formam, vt euidenti inductione conſtat in omnibus rebus: ſed materia ex ſe non includit actũ formalem, vt concedit eadem ſententia; ergo nec entitatem realem alicuius ſpeciei. Et ſi dicas habere entitatem realem potentiæ, quæ ſpecifica eſt, ratione cuius materia eſt in genere & in ſpecie prædicamentali. Contra hoc eſt: quòd entitas realis potentiæ ſubſtantialis ex ſe eſt incōpleta, non habens ſpeciem realem, & Phyſicam, niſi per ordinem ad formam, cum qua componere poteſt completam ſubſtantiam; ergo ex ſe non dicit actum realem alicuius ſpeciei, & ex conſequenti, nec actum entitatiuũ in generali includere poteſt. Probatur. 2. eadem minor, quia entitas realis extra cauſas abſtrahit ab entitate reali, quæ eſt actus, & ab entitate reali, quæ eſt realis potentia, vt docet expreſsè Ariſtot. 5. Met. tex. 14. & lib. 9. text. 1. quibus locis ens reale prima diuiſione diuidendum eſſe ait in actum, & potentiam, ſub ente in potentia enumerans paſsiuã materię, quã affirmat eſſe principium totius tranſmutationis; ergo nõ bene infertur de re aliqua, ex eo, quòd ſit entitas realis actualis, vel extra cauſas, quòd aliquem actum realem habeat intra ſuam eſſentiam, quia potentialitas eius, per quam apta eſt recipere formam, & informari ab ea, entitas realis eſt, non quæ ſit actus, ſed quæ ſit pótentia. Quòd verò hæc entitas realis potentiæ ſubſtantialis ſit actualis, & extra cauſas, non habet per actum eſſentialem, ſed per actualem exiſtentiam, quæ extra eſſentiam cuiuslibet rei eſt; ergo non bene infertur ex eo, quòd ſit entitas realis, & actualis extra cauſas, quòd actum realem, & eſſentialem habeat, ſed entitas realis eſt potentiæ, aut potentialis eſſentialiter: actualis verò, & extra 13

cauſas

cauſas per actualem, ac realem exiſtentiam, non pertinentem ad eſſentiam eius.

14 Probatur tandem, quòd nec habeat actum metaphyſicum: Quia materia ex ſe non eſt ſubſtantia completa, ſed partialis: partes verò non habent per ſe genus, nec ſpeciem in prædicamento: imò nec ad prædicamentum per ſe pertinent, niſi indirectè, aut reductiuè ad genus, & ſpeciem totius completi, cuius ſunt partes; ergo nec per ſe habent differentiam, quæ eſt actus formalis Metaphyſicus: ſed ſola ſubſtantia completa ex eis compoſita per ſe, & propriè habet genus, & differentiã: quam participat quælibet pars ſecundùm propriam naturam, & modum componendi totum, quem habet, materia quidem tanquam potentia ſubſtantialis, forma verò tanquàm actus Phyſicus eam informans. Ex quibus intelligitur primò materiam reductiuè tantum eſſe in prædicamento ſubſtantiæ ſub genere ſupremo ſubſtantiæ, & ſub ſpecie ſubalterna corporis, cuius differentiam participat, tanquam pars eius, quæ eſt potentia realis, & intrinſecum ordinem dicit ad actum realem, qui eſt forma: & ſub eodem genere corporis etiam reductiuè collocatur materia Cœli, à qua diſtinguitur ſpecie materia ſublunaris, non quidem ſpecie completa, ſed incompleta, & partiali, nec per actum, ſed per ordinem ad actum, hoc eſt, per ordinem ad diuerſas formas, quas reſpiciunt. Secundò intelligitur materiam non habere genus, nec differentiam, ſed ſolùm eſſe partem eius, quòd habet genus, & differentiã, & partem quidem potentialem, cuius intrinſeca ratio nõ eſſe actum, ſed potentiam includentem ordinem ad actum, & ſecundùm hanc rationem reductiuè, etiam & indirectè dicitur habere differentiam, ex quo non ſequitur habere actum etiam metaphyſicum, ſed eſſe partem eſſentialem eius, quod illum habet, & per diuerſam rationem eſſentialem partis diſtingui ſpecie partiali ab alia materia.

15 Ad primum argumentum de actu entitatiuo, conceſſo antecedenti: quòd materia ſit entitas realis, & actualis extra cauſas, neganda eſt conſequentia, quòd habeat actum entitatiuum intra eſſentiam: nam entitas realis in actum, & potentiam diuiditur ab Ariſtotele, & ideò non valet conſequentia à diuiſo ad vnum membrum ſumptum per ſe, ſicut non valet, eſt animal; ergo eſt rationale; materia igitur eſt entitas realis, quæ eſt realis, & ſubſtantialis potentia receptiua formæ, actualis verò, aut extra cauſas, non per eſſentiam, quia nulla res creata id habet per ſuam eſſentiam: ſed per actualem exiſtentiam, quam habet à ſe, vel accepit à forma, vt inferiùs dicetur.

Secundum argumentum de actu metaphyſico iã ſolutum eſt per vltimum argumentum noſtrum, & ad formam eius diſtinguenda eſt maior & minor: nam dupliciter eſt aliquid in prædicamento, atque in genere, & ſpecie, propriè, & per ſe, vel impropriè, & reductiuè. Primo modo genera tantum, & ſpecies ſunt in prædicamento. Secundo modo partes ſpeciei, quæ ideo non dicuntur habere genus, & differentiam per ſe, aut in recto, ſed ſolùm ratione ſpeciei, cuius ſunt partes, & in obliquo, vt conſtat de partibus integrantibus, vt de capite, & brachio. Et multò minus dicuntur habere genus, & differentiam partes eſſentiales: nam illæ ſuo modo componuntur ex materia, & forma, iſtæ verò potius ſunt materia ipſa, & forma primò componentes ſpeciem.

Et ſi dicas materiam eſſe in ſpecie potentiæ. Reſpondeo non dari per ſe genus, nec ſpeciem potentiæ ſubſtantialis: quia ex propria natura eſt quid incompletum, & pars, ideo ſolùm reductiuè pertinet ad ſpeciem corporis, cuius eſt intrinſeca pars, nec habet per ſe, aut in recto genus, nec differentiam, ſed ſolùm in obliquo quod eſt eſſe partem ſpeciei habentis illa per ſe, & in recto. Potentia verò accidentalis genus, & differentiã habet per ſe in prædicamento qualitatis, quia ens completum eſt in genere accidentali.

QVÆSTIO III.

An materia habeat propriam exiſtentiam ex ſe, vel ſolùm eam accipiat à forma.

EXiſtentia ſecundùm communem ſententiam ſcholæ eſt actus ſubſtantialis naturæ, vel eſſentiæ ſubſtantialis, per quem actu eſt in rerum natura, & extra ſuas cauſas, quem hoc modo intelligere debemus, vt priuſquam res fiat, non ſit ens actu in natura rerum, ſed ſolùm ens in potentia, nec habeat eſſe extra ſuas cauſas, ſed intra eas, hoc eſt, in earum potentia. Ita ſe habet roſa in hyeme, & cæteri fructus arboris. Dum verò res fit, vt dum fructus ab arbore procedunt, iam ſunt actu entia, & dicuntur habere eſſe extra ſuas cauſas, qui iam ab eis exierunt, & habent eſſe diſtinctum realiter ab eiſdem, cùm prius illud non haberent, ſed ſolùm diſtinctum quaſi virtualiter. Hoc autem eſſe actuale, & extra cauſas habent per actum, non quidem eſſentialem, quia ſi eſſentialis eſſet, prius illud haberent, nec per actum accidentalem, quia ad complementum ſubſtantiæ pertinet, ſed per actum ſubſtantialem, 16

lem, quem vocamus exiſtentiam. Et ſi aliqui ex antiquioribus vocarunt actum accidentalem, non de actu verè accidentali id intellexerunt, ſed ſecundùm vulgarem modum locuti ſunt, quo accidentia appellari ſolent omnia, quæ ſunt extra eſſentiã rei. iam verò in ſchola propriùs loqui debemus diſtinguentes tres actus, eſſentialem videlicet, accidentalem, & ſubſtantialem, aſſerenteſque ſubſtantialem, quaſi medium eſſe inter eſſentialem, & accidentalem. De hoc igitur actu ſubſtantiali, (quem vocant exiſtentiam) quærimus, an eum habeat materia a ſe, & ideò proprium, vel à forma recipiat.

17 Et prima opinio aſſerit materiam non habere propriam exiſtentiam à ſe, ſed eam accipere à forma, vel compoſito, cuius eſt pars. Ita Duran. in 2. d. 12. q. 2. Caiet. de ente & eſſentia, c. 5. q. 8. Ferr. 1. lib. contra gentes, cap. 4. & 1. lib. Phyſ. q. 11. Soncin. 7. lib. Met. q. 17. & lib. 8. q. 1. Iauel. 5. Met. q. 3. & lib. 8. q. 1. Sotus 1. lib. Phyſ. q. 5. dub. 2. Vall. Controu. 7. ad Tyron. & videtur expreſſa apud D. Tho. multis ſuæ doctrinæ locis, ſed præſertim 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. vbi ita ait: *Materia prima non exiſtit in rerum natura per ſeipſam: cùm non ſit ens actu, ſed potentia tantùm: unde magis eſt aliquid concreatum, quàm creatum.* Et q. 4. de potentia art. 1. *Quidquid in rerum natura inuenitur, actu exiſtit, quod quidem non habet materia, niſi per formam, quæ eſt actus eius: unde non habet ſine forma in rerum natura inueniri.*

18 Probatur teſtimonio Ariſt. 4. lib. Met. cap. 4. text. 15. vbi ita loquitur: *Materia eſt potentia, quia progredi poteſt ad formam: cùm verò actu ſit, tunc in forma eſt.* Quibus verbis aſſerit materiam actu eſſe in rerum natura per formam, ſed actu eſt per exiſtentiam; ergo exiſtit per formam, & non ex ſe, vel à ſe ex mente Ariſtot.

Probatur etiam ratione, quia actus exiſtentiæ eſt ſubſtantia procedens ab eſſentia tanquam à cauſa; ergo ſi materia habet ex ſe actualem exiſtentiam, procedet ab eius eſſentia, tanquam à cauſa, ſed eſſentia materiæ eſt pura potentia nullum includens actum: & exiſtentia eſt actus, qui ex ſua natura eſt nobilior potentia; ergo non poteſt procedere à materia tanquam à cauſa, alioqui effectus nobilior eſſet ſua cauſa, quare materia cùm ſit pura potentia, non poterit habere à ſe actualem, ac propriam exiſtentiam.

Secundò, materia eſt primum principium materiale, atque ſimplex, quod propterea vocatur primum elementum rerum naturalium, & ideo prima potentia paſſiua, ergo non poteſt eſſe compoſita ex potentia, & actu, ſed tota erit potentia, vel tota erit actus, conſtat autem non eſſe purum actum;

ergo erit pura potentia nullum habens actum.Probatur hæc vltima conſequentia, quia ſi habeat actu exiſtentiæ, ex eo, & propria ratione potentiæ compoſita erit.

19 Secunda opinio concedit materiæ propriam exiſtentiam actualem, quam à ſe habet, & non à forma,nec à compoſito. Ita Henricus quodlib.1.quæſt.10.& quodlib.4.quæſt.16.Scotus in 1. d.12.q.2.quem ibidem ſequuntur Gab. Greg.& cæteri Nominales, Themiſt. 1. lib. Phyſ. textu 61. Pererius libro quinto,capite 13. Toletus 1.lib.Phyſ.quæſt.13. Fonſeca 1.lib. Meta. cap. 7. quæſt.3.ſect.3. Franc. Suarius Tom.1.ſuæ Meta. diſt.13.Sect. 4. *& hæc eſt probabilior, & magis conformis doctrinæ Ariſtotelis.* Sed vt eam probemus ſimul, & explicemus, notandum eſt,duplicem eſſe exiſtentiam,totalem,& completam, atque incompletam, & partialem, quam diſtinctionem colligo, ex D.Thom.1. part.quæſtio.75.arric.2. vbi diuidit ita ſubſiſtentiam, eſt autem eadem ratio de exiſtentia, quantum ad hoc, cùm vtraque ſit actus ſubſtantialis naturæ. Exiſtentia cõpleta eſt,quæ conuenit naturæ completæ,incompleta verò quę conuenit naturæ partiali. Et quemadmodum natura completa cõponitur ex naturis partialibus materiæ, & formæ,tanquam ex partibus realibus, & eſſentialibus, ita exiſtentia completa eius componitur ex partialibus, ac ſimplicibus exiſtentiis formæ,& materiæ, cuius ratio eſt,quia exiſtentia iuxta probabiliorem ſententiam, & magis communem in ſchola, idem eſt realiter cum eſſentia, vel natura cuius eſt,& ideo ſi entitas ſpecifica naturæ componitur ex entitatibus materiæ, & formæ, conſequenter fatendum eſt componi exiſtentiam completam eiuſdem naturæ ex partialibus exiſtentiis earum.

20 Sic explicata ſecunda ſententia probatur primò, ex principiis Ariſtotelis qui tria docet habere materiam ex ſe,& independenter à qualibet forma, & compoſito. Primum,quòd ſit entitas realis, & actualis extra cauſas diſtincta à quocunque compoſito, & forma. Secundum, quòd ex propria eſſentia ſit primum ſubiectum omnium generationum. Tertium, quòd deſtructis compoſitis,& formis eadem perſeueret, & ideò ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed hæc omnia poſtulant actualem exiſtentiam,quam à ſe habeat; ergo ei tribuenda eſt. Probatur minor,quia ſicut per ſe agere præſupponit neceſſariò exiſtentiam agentis, ita per ſe pati præſupponit exiſtentiam paſſi, ſed materia per ſe, & ſine dependentia à quocunque compoſito, & forma patitur; ergo per ſe habet exiſtentiam. Probo iterum minorem, nam deſtructo hoc compoſito, & deſtructa hac forma,ſubditur materia actioni agentis

tis naturalis; ergo patitur ab eo, ſine dependentia ab eis, cùm ſit ſubiectum corruptionis eorum, & nouæ eductionis formæ de propria potentia, atque à Deo nouæ generationis, in qua ſicut non poteſt dependere à forma præſenti, quæ educitur, neque à nouo compoſito, quod per talem eductionem generatur, multo minus poteſt dependere à forma expulſa, & compoſito corrupto. Probatur cõſequentia, quia in inſtanti nouæ generationis iam non ſunt; ergo nec ab eis dependere poteſt, ſed ſubiectum generationis, & corruptionis ex ſe, & à ſe eſt, ſine dependentia ab vlla forma aut ab vllo cõpoſito, quod non poteſt habere, niſi à ſe habeat exiſtentiam, ſine dependentia ab eis.

11 Probatur etiam ratione, primò, quia vel exiſtentia eſt eadem entitas realis cum eſſentia, vel diſtincta: Si primum concedatur (quod longè probabilius eſt) euidens eſt materiam habere propriam exiſtentiam à ſe: cùm ſit euidens habere propriam entitatem realem à ſe, & non à forma, per quam componit ſubſtantiam, tanquam pars diſtincta realiter à forma. Si verò exiſtentia ſit entitas diſtracta ab eſſentia: probatur adhuc, eam à ſe habere, quia non eſt intelligibile aliquid eſſe entitatem realem extra cauſas, quia intelligatur eſſe actu exiſtens, nam per actualem exiſtentiam eſt actualis entitas extra cauſas, ſed materia eſt actualis entitas extra cauſas, ſine dependentia à forma, & compoſito quocunque; ergo erit etiam actu exiſtens ſine dependentia ab eis: quod eſt à ſe habere exiſtentiam, & non ab eis. Probatur minor: quia priuſquam hoc compoſitum, & hæc forma eſſent, materia erat actualis entitas extra cauſas, & erit etiam poſt corruptionem vtriuſque; ergo ſine dependentia ab eis. Et eadem ratione probatur quod ſine dependentia à quibuſcunque compoſitis, & formis præcedentibus, cùm poſt eorum corruptionem perſeuerauerit cum eadem entitate actuali extra cauſas, quam habebat, dum eis erat coniuncta.

Secundò quia ſi materia accipit exiſtentiã à toto, vel à forma, ſequitur tot mutare exiſtentias, quod mutantur compoſita, vel formæ. Probatur conſequentia: quia ſi ab eis habet exiſtentiã, dependebit illa eadẽ exiſtentia in conſeruari ab eiſdẽ, & illis deſtructis deſtruetur, & ſuccedet noua alia exiſtentia à noua forma. & cõpoſito. Quod imprimis non poteſt ſuſtineri, ſi exiſtentia ſit eadẽ entitas realis cũ eſſentia, nã permanẽte eſſentia materiæ, nõ poterit non permanere exiſtẽtia. Sed etiã ſi ſit entitas diſtincta, falſum eſt, quòd tot varientur exiſtentiæ: nã ſi variarẽtur, eſſet materia diuerſum exiſtẽs nũc, & priùs, & toties diuerſum, quoties corrumpitur cõpoſitum, quod eſt abſurdum.

Pro ſolutione argumentorum notandum eſt, exiſtentiam materiæ non ſolùm eſſe imperfectam, quia partialis eſt & incompleta, ſed quia in hoc genere partialis debiliſſima, iuxta debilitatem, & imperfectionem naturæ eiuſdem materiæ, & propter vtramque imperfectionem non poteſt ſuſtentare materiam, niſi adiuncta ſit compoſito, & formæ, a quibus foueatur. 22

Ad teſtimonia igitur D. Tho. & Ariſtotelis reſpondetur, materiam ex ſe nō habere exiſtentiam determinatam ad aliquam ſpeciem, nec per quam poſſit actu exiſtere ſaltem naturaliter, niſi per formam, à qua fouetur, & per cuius exiſtentiam reducitur exiſtentia materiæ ad determinatam ſpeciem, & in hoc ſenſu intelliguntur verba eorum, ita vt non velint denegare materiæ illam ſuam imperfectiſſimam exiſtentiam, quam ei concedunt, vt ex aliis locis deduximus.

Ad 1. argumentum negandum eſt antecedens, quòd exiſtentia procedebat ab eſſentia, tanquam à cauſa: nam cùm ſit eadem entitas realis cum eſſentia, nulla poteſt cauſalitas realis intercedere: ſed ſolùm per intellectum eas diſtinguentem intelligitur eſſentia prior, & per exiſtentiam, tanquam per actum ab ea procedentem terminata, ſine reali tamē proceſſione, nam exiſtentia adeo eſt intima eſſentiæ actuali extra cauſas exiſtenti, vt ſine ea non poſſit vt ſic intelligatur ſine illa ſecundùm ſua prædicata eſſentialia. Et etiam ſi realiter diſtingueretur ab ea, à qua procederet tanquam à cauſa, non ſequitur cauſam nobiliorem eſſe ſuo effectu: quia licèt in ratione actus, & potentiæ nobilior ſit exiſtentia, ſed ſecundùm entitatem, & eſſentiam nobilior eſſet eſſentia, quia quidquid perfectionis habet materia, & quæcumque præſtat in generatione rerum naturalium, habet, & præſtat ratione eſſentiæ. Et poteſt eſſe exemplum in ſubſtantia completa, & accidentibus eius quæ in ratione potentiæ, & actus perfectiora ſunt, ſed ſimpliciter longè imperfectiora conſideratis abſolutè rationibus eſſentialibus, atque entitatibus eorum.

Ad 2. eodem ferè modo reſpondendum eſt, diſtinguendo conſequens primi enthimematis, nam ſi de eſſentialibus materiæ loquamur, tota eſt potentia, ſi verò de his quæ ſunt extra eſſentiam eius, aliquem habet actum ſubſtantialem, qui eſt exiſtentia, & nihilominus non eſt compoſita ex potentia, & actu: quia cùm actus exiſtentiæ non diſtinguatur ex natura rei à potentia materiæ, quæ eſt eius eſſentia, non poteſt efficere compoſitionem realem cum ea. Si verò diſtingueretur, compoſitionem efficeret, non tamen eſſentialem, ſed ſubſtantialem ex natura, & modo ſubſtantiali eius, qui eſt extra eſſentiam, quæ 23

compo

compoſitio non tolleret ſimplicitatem eſſentialem materiæ, nec tolleret quin eſſentialiter eſſet ſola, & plura potentia, quod ſufficit vt primum principium materiale eſſe poſſit.

QVÆSTIO IV.

An materia habeat propriam ſubſiſtentiam partialem.

24 NOn eſt modò diſputandum, an ſubſiſtentia ſit modus poſitiuus naturæ, vt tenet communis ſententia ſcholæ, vel in negationibus conſiſtat, vt ſingulariter tenet Scotus. Nec etiam, an diſtinguatur realiter, vel ex natura rei ab exiſtentia, aut eam præcedat, vel ſequatur, quia quæſtiones iſtæ ad metaphyſicam pertinent. Hoc ſufficiet nobis præſupponere ad intelligendam præſentem quæſtionem, quòd ſubſiſtentia eſt modus ſubſtantialis naturæ diſtinctus ab ea ex natura rei, per quem conſtituitur in ſuppoſito, ſi ſit natura ſubſtantialis, vel etiam in perſona, ſi ſit natura rationalis, vnde ſubſiſtentia idem eſt, quod ſuppoſitalitas, vel perſonalitas, & in his omnes opinantes conuenire debent. Et hæc quidem de ſubſiſtentia completæ naturæ vera ſunt. Sed præter hæc præſupponendum eſt, ſubſiſtentiã diuidi in totalem, & partialem, ſeu in completam, & incompletam: quæ diuiſio cõmuni ferè cõſenſu totius ſcholæ recepta eſt, & neceſſariò recipienda, vt ſuo loco oſtendetur. Deſumitur autem ex D. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. ad 2. & quæſtio præſens nõ procedit de ſubſiſtentia completa, vel totali, quam certum eſt non habere ex ſe materiam, cùm ſit quid incompletum, ſed ſolùm de incompleta, & partiali, de qua quærimus an concedenda ſit materiæ, ſicut ei conceſſimus partialem exiſtentiam: quam quæſtionem ſolùm diſputant moderni.

25 *Et prima* opinio negat materiam habere ex ſe partialem ſubſiſtentiam, ita P. Molina. 1. p. q. 29. artic. 2. diſp. 3. Fonſeca 9. Met. cap. 8. q. 5. ſect. 4. & alij ex modernis. Et probatur teſtimoniis D. Thom. 3. p. q. 4. artic. 2. ad 3. vbi docet per vnionem naturæ humanæ non eſſe deſtructam propriam perſonalitatem eius, ſed impeditam, ne flueret ab ea; ſi verò materiæ concedatur propria ſubſiſtentia, deſtructa erit in eadem vnione diuini Verbi: cùm ſit certum, quòd non permaneat. Et q. 6. artic. 4. ad 3. docet materiam, ſeu corpus humanitatis Chriſti prius naturâ vnitam eſſe animæ, quam verbo, cuius rationem reddit, quia ex vnione cum anima habet caro Chriſti, quòd poſſit vniri Verbo: ſentit igitur materiam non eſſe vnibilem Verbo ex ſe, ſed per animam, & ex conſequenti, quòd non

habeat ex ſe ſubſiſtentiam, quia vnio verbi cum humanitate fit per ſubſiſtentiam. Et 1.p.q.95.artic.2.ad 2. aſſerit propriè,& per ſe illud tantum ſubſiſtere, quod neque eſt pars,neque accidens,aut forma materialis.

Probatur etiam ratione. Primò,quia ſi materiæ concedenda eſt ſubſiſtentia partialis: tribus tantum de cauſis ei concedi poteſt. Primò, vt ſit incommunicabilis (hic enim eſt effectus ſubſiſtentiæ.) Secundò, vt in ſe, & per ſe ſubſiſtat deſtructo cõpoſito, & forma. Tertiò, vt ſimul cum ſubſiſtentia partiali formæ componat completam ſubſiſtentiam naturæ, ſicut componere diximus completam exiſtentiam eius per propriam,ſed propter nullum horum debet ei concedi; ergo non habet illam. Probatur minor: quia materia ex propria natura eſt pars ordinata ad compoſitionem totius; ergo ex ſe communicabilis eſt: & ideò repugnat ei incommunicabilitas, & ex conſequenti ſubſiſtentia per quam res fit incommunicabilis. Sed nec eſt ei neceſſaria ſubſiſtentia vt in ſe, & per ſe ſubſiſtat,quia vnica ſubſiſtentia totius ſufficit, vt per eam ſubſiſtant partes; ergo ſufficit completa ſubſiſtentia naturæ, vt per eam ſubſiſtat materia; quare non debet ei concedi propria, quia fruſtra per plura fiũt,quæ poſſunt fieri per pauciora.Nec minus repugnat, quòd ei concedatur propter compoſitionem ſubſiſtentiæ totalis, quia formæ materiales, vt inferiùs probabitur,non habent partiales ſubſiſtentias, cum quibus materia poſſit completam ſubſiſtentiam naturæ componere; ergo ſi ei concedatur propria: inutilis prorſus, & otioſa permanebit nihil componens: cùm tamen partialis ſit, & ideò ſua natura ordinata ad componendum:ſed natura nihil otioſum permittit; ergo non conceſſit materiæ propriam ſubſiſtentiam. Ex quo etiam aliud argumentum deſumi poteſt, quia formæ ſubſtantiales materiales longè perfectiores materia ſunt,ſed certum eſt his non conceſſiſſe naturam proprias ſubſiſtentias partiales; ergo multò minus eam conceſſit materiæ.

Secunda opinio aſſerit materiã habere propriã ſubſiſtentiam partialẽ.Ita tenet P. Franc. Suarius to.2. ſuæ Met.diſp.24.ſect. 5.n.3.& 3.p.diſp.14.ſect.4. pro qua citat Genebr.lib.2.de Trinit.pag.93.& 94.& eam ſequũtur ex modernis plures, videtúrque mihi probabilior,& magis conformis doctrinæ D.Tho. 26

Quod vt probemus, & explicemus ſimul, duo ſunt notanda in doctrina D. Thom. expreſsè contenta 1. part. quæſt.75. artic. 2. Primum, quòd ſubſiſtentia, atque ſubſiſtens diuidenda eſt in totalem, & partialem. Secundum, quòd ſubſiſtentia partialis ſolùm excludit inhærentiam accidentis, & formæ

formæ materialis. Ita docet in ſolutione ad primum eiuſdem articuli. Et ex primo ſequitur, quòd partibus poteſt concedi partialis ſubſiſtentia, vt ipſe concedit brachio, capiti, quare ex hac parte non repugnabit materiæ, ex eo quòd ſit pars compoſiti. Ex ſecundò verò infero materiæ eſſe concedendam ex mente D. Thom. Quod ſic probo; materia, nec inhæret ſubiecto ſicut accidens, nec etiam materiæ, ſicut forma materialis, imò repugnat ei quælibet inhærentia; ergo propriam habebit ſubſiſtentiam ex mente D. Thom. Et ex his autem duobus infero tertium, nempe quid requiratur, & ſufficiat, vt aliquid ſubſiſtat per ſe. Requiruntur enim & ſufficiunt duo. Primum, quod non inhæreat alteri, vt ſubiecto dependenter ab illo: defectu cuius, nec accidentia, nec formæ materiales poſſunt ſubſiſtere. Secundum, quòd non ſit in alio, tanquam in ſuppoſito per vnionem ſubſtantialem, defectu cuius humanitas Chriſti non habet ſubſiſtentiam propriam, ſed ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Diuini Verbi, cui vnita eſt ſubſtantialiter. Et cùm materia habeat vtrumque, vt ex ſe eſt manifeſtum, ſequitur ex mente D.Tho. ei eſſe concedendam partialem ſubſiſtentiam.

7 Probatur 2. ex doctrina eiuſdem D.Tho.1.p.q.66.art.1.& 4. & q.45.art.4 ad 3. nam in 1. loco docet, quòd licèt materia non fuerit creata prius tempore, quàm formæ fierent, ſed creatam fuiſſe prius origine, & natura formis. In ſecundo autem loco docet expreſsè ſolis ſubſiſtentibus conuenire creationem, & ideò accidentia non creari, quia non ſubſiſtunt: ergo ex vtroque infertur materiam habere propriam ſubſiſtentiam, per quam terminare potuit creationem. Probatur conſequentia: quia quod prius eſt, non dependet à poſteriori; ergo quod creatur prius natura altero, non creatur dependenter ab illo; ſed materia fuit prius natura creata, quàm forma, & ex conſequenti, quàm compoſitum; ergo creata eſt independenter ab eis. Vnde ſequitur per ſe terminaſſe creationem, quod non poteſt fieri, niſi per ſubſiſtentiam, vt dicitur expreſsè in ſecundo loco. Et tandem 3.p.q.6.art.3. aſſerit D.Thomas quod licèt in eodem inſtanti aſſumpſerit Verbum Diuinum naturam humanam cum ſuis partibus, quæ ſunt materia, & forma, tamē prius, natura ordine executionis aſſumpſit partes. Ex quo ita arguo, executio aſſumptionis incepit à partibus; ergo ſi prius natura fuerunt aſſumptæ in hoc ordine, ſine dependentia à toto aſſumptæ fuerunt: ſed aſſumptio fit per communicationem ſubſiſtentiæ; ergo partes prius natura, & ſine dependentia à toto, fuerunt capaces diuinæ ſubſiſtentiæ: & nihil eſt capax

alienæ ſubſiſtentiæ, niſi ſit capax propriæ: quia vnio eſt ſubrogatio alienæ ſubſiſtentiæ loco propriæ; ergo partes ex ſe ſunt capaces propriæ ſubſiſtentiæ, & ideò eam habebunt ex mente D. Thomæ.

Sed probatur ratione. Primò, quia anima rationalis ſaltem à corpore ſeparata habet propriam ſubſiſtentiam partialem; quæ non poteſt ei concedi, ſi materiæ denegetur; ergo non eſt deneganda materiæ. Prima pars antecedentis communi conſenſu Theologorum conceditur, & ex principiis fidei efficaciter deducitur hoc modo: Fides docet, quòd anima rationalis Chriſti in triduo mortis eius fuit vnita Verbo Diuino; ergo certum eſt in fide, quòd tunc habuerit ſubſiſtentiam Verbi, ſed nihil eſt capax alienæ ſubſiſtentiæ per vnionem, niſi ſit capax propriæ, quia vnio eſt ſubrogatio alienæ loco propriæ; ergò negari non poteſt, quòd anima rationalis Chriſti fuerit capax propriæ ſubſiſtentiæ, quam proinde haberet, ſi non aſſumeretur à verbo, & eadem eſt ratio de quacunque anima rationali, cui neceſſariò concedenda eſt propria ſubſiſtentia partialis. 28

Secunda verò pars eiuſdem antecedentis, quòd non poſſit materiæ denegari ſubſiſtentia propria, ſi conceditur animæ, ſic probatur; Nam vel materiæ denegatur, quia eſt in alio per inhærentiam, vel quia eſt pars primum patet eſſe falſum: & ſecundum non tollit, quin concedatur animæ rationali; ergò nec tollere poteſt, quin concedatur materiæ.

Secundò materia exiſtit per ſe, vt ex ſuperiori quæſtione patet, & non eſt in alio per inhærentiam, nec ſuſtentatur ab alio; ergo eſt ſubſiſtens per ſe.

Pro ſolutione argumentorum alterius opinionis notandum eſt, quòd licèt materiæ concedatur propria ſubſiſtentia, imperfectiſſima tamen hæc eſt: non ſolùm quia partialis, & incompleta, ſed quia eſt rei imperfectiſſimæ, cuius eſſentia eſt eſſe puram potentiam, & receptaculum formæ. 29

Ad teſtimonium D. Thomæ reſpondeo, verum eſſe, quòd per vnionem Verbi Diuini non fuit deſtructa ſubſiſtentia propria humanitatis, ſed impedita, ne procederet ab ea, & eodem modo fuit impedita propria ſubſiſtentia materiæ, ne ab ea procederet, & nõ deſtructa: ex quo ſolùm ſequitur, quòd eam non habuerit, non tamen, quòd non eſſet eam habitura, ſi non aſſumeretur ad vnionem aſſumpta humanitate. Vnde nec ſequitur, quòd eam non habeat in cæteris corporibus.

Ad 2. teſtimonium reſpondetur in eo loqui D. Thomam de ſubſiſtentia completa, à qua excluduntur partes. Probatur euidenter, quòd de ea tantũ loquatur ex alio loco eiuſdem à nobis

citato

citato in eadem 1.p.q.75.art.1.ad 1. vbi expreſsè docet à ſubſiſtentia completa excludi partes,non ab incompleta.

30 Ad 1.argumentum reſpondetur propter tres illas cauſas cõcedi materiæ ſubſiſtentiam, ſed ad primam dicendum eſt per ſolam ſubſiſtentiam completam fieri rem omnino incommunicabilem, quia illa ſola eſt vltimus, & completus terminus naturæ:per incompletam verò fit incommunicabilis in ordine tantum ad vnionem ſubſiſtentiæ, cum altero: non tamen ad vnionem compoſitionis, per quam conſtituit naturam completam, & ideò non conceditur animæ partialis ſubſiſtentia, vt fiat incommunicabilis hoc ſecundo modo, ſed tantùm primo, cum quo patet ſtare poſſe, vt ſe communicet formæ, & compoſito. Secundam cauſam neceſſariam eſſe dicimus, quia materia eſt primum ſubiectum generationis, & corruptionis independenter à forma, & compoſito, quibus etiam deſtructis permanet; & ideò non poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam totius, vel formæ, ſed neceſſariò eſt ei concedenda propria. Tertiam cauſam etiam dicimus eſſe neceſſariam, & ita concedi materiæ partialem ſubſiſtentiam, vt componat totalem ſimul cum ſubſiſtentia partiali formæ, quam compoſitionem poteſt in quibuſcumque compoſitis facere, quantùm eſt ex ſe,& eam facit ſemper in homine, cuius forma habet etiam partialem ſubſiſtentiam, quòd verò in aliis compoſitis non efficiat compoſitionem ſubſiſtentiæ, per accidens eſt, ex defectu aliarum formarum, quæ non habent proprias ſubſiſtentias. Quare hoc non tollit, quin per ſe ordinetur propria ſubſiſtentia materiæ ad compoſitionem,nec facit otioſam permanere, cùm in multis compoſitis eam efficiat: & ex ſe poſſit eam in omnibus facere: & cùm aliæ duæ cauſæ propter quas conceditur materiæ,ſemper maneant, etiam ſi non ſemper componat Vnde ſequitur non eſſe verum, nec tenendũ, quod moderni quidam aſſerunt, materiam per propriam ſubſiſtentiam ſemper componere ſubſiſtentiam completam cuiuslibet compoſiti ſubſtantialis; nam licèt formæ materiales non habeant partiales ſubſiſtentias, cum quibus componant, habent tamen modos quoſdam ſubſtantiales inhærentiæ in eadem materia,ex quibus ſimul cum ſubſiſtentia partiali materiæ, componi poteſt totalis, & completa naturæ ſubſtantialis. Hoc tamen dicimus non eſſe verum, nec tenendum. Quod probatur hoc argumẽto,ex ente per ſe,& in alio nõ poteſt componi tertium ens per ſe,quia ens in alio non poteſt eſſe pars ſubſtãtialis entis per ſe;ergo ſubſiſtẽtia per ſe cõpleta; non poteſt cõponi ex vna ſubſiſtẽtia partiali per ſe & ex modo

inhęren

inhærendi alteri: qui licèt ſit ſubſtãtialis, non eſt modus ſubſiſtendi, ſed potius inexiſtendi, & intrinſecè dependens ab alio tanquam à ſubiecto: quod repugnat ſubſiſtentiæ: repugnabit igitur componi ſubſiſtentiam completam, ex modo inhærendi formarum materialium. Sed circa has tres cauſas ponendi ſubſiſtentiam in materia, vno verbo dicimus, ſecundam eſſe potiſsimam, & quę ſufficeret, etiam ſi non eſſent aliæ, quia materia ex ſe eſt primum ſubiectum, ex quo habet duo. Primũ quòd non poſsit fieri, niſi per creationem & cùm creari ſit ſubſiſtentium, indiget propria ſubſiſtentia. Secundum habet, quod permaneat deſtructis quibuſcunque compoſitis, & formis, & ſine dependentia ab illis ſubiiciatur agenti naturali, ad eductionem formarum, cuius actionem ſuſtineat, & à quo patiatur, quæ non poteſt præſtare materia, ſine ſubſiſtentia partiali, quæ ideò concedenda eſt ei: cæteræ verò cauſæ quaſi ſecundariæ ſunt, & ideò ſufficit vno, vel alio modo concurrere.

Quod denique de formis materialibus dicitur in eodem 31
argumento difficultate caret, quia licèt ſint longè perfectiores materiæ ſecundùm entitatem, & eſſentiam, ſed quantum ad modum eſſendi, in ſubiecto imperfectiores ſunt, quia materia non eſt in ſubiecto, ſed potius eſt primum ſubiectum, ex quo debetur ei propria, & partialis ſubſiſtentia.

QVÆSTIO V.

An poſſit materia exiſtere ſine forma per potentiam Dei abſolutam.

CErtum eſt apud omnes, quòd etiam ſi materia habeat propriam exiſtentiam partialem, atque etiam propriam ſubſiſtentiam, non poſsit naturaliter exiſtere, niſi coniuncta alicui formæ, quia propria exiſtentia, vel ſubſiſtentia debiliſsima eſt, & per quam non poteſt ſuſtentari. Ideo ſolum proponitur quæſtio an fieri poſsit per potentiam Dei abſolutam, ſicut poteſt fieri, quòd accidens exiſtat ſine ſubiecto.

Et partem negatiuam tenent imprimis omnes illi, qui tenuerunt q.3. materiam non habere propriam exiſtentiam, ſed eam recipere à forma. Et præter illos D. Bonau. in 2.d. 12.art.1. q.1. Aegidius cap.1.& 2.ſui Exameron, Heru.quodlib. 6.q.1. Iand.1.lib.phyſ.q.26. Zimaratheo 15. Hugo Victor. 2.lib.de Sacramentis, p. 1. cap.4. & eiuſdem ſententiæ videtur eſſe D. Thomas 1.p.q.66.art.1.vbi ita ait: *Terminus creationis eſt ens actu*

actu, ipſum autem, quod eſt actus, eſt forma: dicere igitur materiam praecedere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem.

32 Et probatur ratione, quia repugnat aliquid eſſe in rerum natura ſub determinato genere, quin ſit ſub determinata ſpecie, vt quòd ſit animal, quin ſit rationale, vel irrationale, ſed contrarium ſequeretur, ſi materia daretur ſine vlla forma: ergo impoſſibile reputandum eſt. Minorem probo, quia ſi daretur nuda materia, eſſet ſub genere ſubſtantiæ, ſicut eſt modo cùm ſit ex ſe pars ſubſtantiæ, ſed non eſſet ſub aliqua ſpecie, quia ſpecies cuiuſcunque rei prouenit à forma; ergo eſſet ſub genere, & non ſub aliqua ſpecie.

Secunda opinio tenet poſſe materiam conſeruari à Deo ſine vlla forma per potentiam ſupernaturalem. Sic Rich. in 2.d.12. qu.4. Scotus qu.2. & ibidem Lychetus, Mayronius, Baſolius, atque Greg. Gab. verò q.1. Marſi. in 2.q.8. quam etiam videtur tenere Sotus 1.lib.Phyſ.q.6. & eſt communis inter modernos. *Et videtur nobis probabilior*, ſuppoſito, quòd ex ſe habebat propriam exiſtentiam.

Probatur, quia exiſtentia materiæ non dependet à forma neque à compoſito ſecundùm genus cauſæ intrinſecum, nempè materiale, vel formale; ergo talis dependentia poteſt ſuppleri à Deo. Euidens eſt conſequentia, quia euidens eſt genus cauſæ extrinſecum poſſe ſuppleri à Deo. Sed probatur antecedens, quia entitas materiæ, atque eſſentia eius non dependet à forma, quæ potius eſt effectus materiæ: cùm ex potentia eius educatur; ergo nec dependebit eius exiſtentia, quæ eadem entitas eſt, quare ſicut entitas realis materiæ præſupponitur naturaliter formæ, ita etiam exiſtentia eius, ideò non poteſt ab ea in genere cauſę materialis, nec formalis dependere, & conſequenter, neque à compoſito, quia materia non dependet à compoſito, niſi media forma, à qua informatur. Solū ergo dependebit à forma, tanquam ab actu concomitante: cum quo naturalem habet connexionem, & ſine quo non poteſt naturaliter exiſtere propter debilitatem propriæ exiſtentiæ. Hanc autem concomitantiam certum eſt poſſe ſuppleri à Deo per infinitam eius efficientiam, ſicut ſuppletur depēdentia à ſubiecto reſpectu accidentis.

33 Secundò quia ſi materia non poſſet exiſtere ſine forma, ideò eſſet, quia exiſtentia eſt actus ſubſtantialis eſſentiæ: & omnis actus eſt à forma, ſed hæc ratio inſufficiens eſt; ergo falſum eſt, quòd non poſſit conſeruari à Deo ſine forma. Probatur minor, quia duplex eſt actus, formalis, atque completus, &

tus, & eſſentialis tribuens ſpeciem rei completæ. Alter eſt actus ſubſtantialis extra eſſentiam rei, per quem dicitur entitas actualis extra cauſas. Et ille quidem à forma procedit in genere cauſæ formalis, & ideò non niſi media forma poteſt à Deo tribui materiæ. Iſte verò non prouenit à forma in his rebus, quarum entitas, vel eſſentia non componitur ex ea, ſed ab eodem, à quo entitas ipſa prouenit, cum qua identificatur realiter: & talis eſt exiſtentia materiæ, quæ non poteſt prouenire à forma, ſicut nec entitas eiuſdem materiæ, ſed à ſolo Deo, à quo facta eſt materia per creationẽ; ergo poteſt Deus conſeruare illam ſine forma, ſicut eam dedit materiæ, ſine dependentia neceſſaria ab illa.

Ad teſtimonia D. Tho. reſpondetur loqui de creatione ſecundùm communem ordinem rerum, & vt poſtulat natura rei creatæ, quo pacto nihil creatur, niſi in ſpecie aliqua, & indiuiduo, ſicut nec producitur aliquod accidens, niſi in determinato ſubiecto. Vnde ſi in prima creatione rerum crearetur materia prius tempore, quàm forma, & compoſitum fierent, eſſet ens actu in ſpecie, & indiuiduo, & ſine forma, à qua cùm ſpecies rerum procedat, & conſequenter actuale eſſe indiuiduorum, inquam ab actu formali, daretur ens actu ſine actu, quod repugnat. Itaque de actu eſſentiali, & ſpecifico loquitur D. Thomas qui à forma procedit, & cum quo deberet creari materia ſecundùm communem ordinem rerum, quare ſi nuda crearetur ante formam, & compoſitum eſſet in actu eſſentiali, & ſpecifico, atque indiuiduali, vt poſtulabat creatio eius, & ſine illo, cùm eſſet ſine forma. De actu verò exiſtentiæ non loquitur D. Thomas cùm dicat formam eſse actum, & certum ſit apud ipſum formam non eſse actum exiſtentiæ, quare nec ex verbis colligi poteſt, quòd ſine forma exiſtere repugnet per potentiam ſupernaturalem, ex mente ipſius. 34

Ad arg. diſtinguenda eſt maior de ente completo, & incompleto, nam ens completum non poteſt dari ſub genere, quin detur ſub aliqua ſpecie, & atoma quidem, quia ſi ſit ens completum exiſtens in rerum natura, erit indiuiduum, & omne indiuiduum debet eſse ſub aliqua ſpecie atoma: de ente verò incompleto, quale eſt materia, non eſt id neceſsarium; quia nec ex ſe eſt indiuiduum, ſed pars eius, & non quę ſit actus, ſed potentia: quare neque ex ſe habet ſpeciem atomam determinatã, ſed eſt in potentia, vt reducatur ad omnes per diuerſas formas quas poteſt recipere. Solum ergo habet ex ſe eſse partem generis, aut ſpeciei ſubalternatæ, nempe corporis, ad quam reductiuè, aut indirectè pertinet: ad ſpecies verò ſubalternas

non

non pertinet, niſi ratione particularium formarum, quas recipere poteſt. Si igitur Deus materiam ſuſtentaret ſine vlla forma, non ſequeretur dari aliquod indiuiduum in rerum natura ſub genere, quod non eſset ſub ſpecie, ſed ſolum daretur quædam pars ſpeciei ſubalternæ corporis ad eam actu pertinentis per reductionem, & ad omnes ſpecies atomas in potentia, ſed ad nullam actu, quod non eſt inconueniens.

DVBIVM.

35 SEd quæret aliquis, quid eſset neceſsarium efficere Deum ad conſeruandam materiam ſine forma, & an conſeruaret eam cum ſola exiſtentia, & ſubſiſtentia partiali nullum nouum modum ei tribuens, vel neceſsarium eſset, quòd aliquem nouum modum ſubſiſtentiæ ei tribueret, vt poſset eſse in rerum natura, ſine vlla forma. Et reſpondeo, non opus eſse, quòd nouum aliquem modum ei tribueret, ſed eo ipſo, quòd corrumperetur compoſitum, impediret Deus ſucceſſionem nouæ generationis, & nouæ formæ, & remaneret materia nuda cum ſola propria exiſtentia, & ſubſiſtentia partiali, per quas illam conſeruaret ſupplendo per modum efficientis dependentiam, quam habebat a forma, & compoſito. Quod conſtat eſse poſſibile, quia licèt repugnet Deum concurrere in genere cauſæ formalis, vel materialis ad aliquem effectum, propter intrinſecam imperfectionem harum cauſarum, non tamen repugnat in genere cauſæ efficientis præſtare quod cauſæ iſtæ præſtant in propriis generibus cauſandi, dummodo id non ſit primarius effectus formalis, aut materialis, quos conſtat pręſtari non poſse, niſi recipiendo, vel informando, qualis non eſt conſeruare materiam ſine forma, & compoſito; cùm ad eum non requiratur informatio formæ, niſi per quandam concomitantiam naturalis connexionis, quam habent partes iſtæ inter ſeſe, & hanc ſupplere Deus in genere cauſæ efficientis concurrendo, ſicut ſupplet concurſum materialem ſubiecti in cōſeruatione accidentis. Sed ad ſupplendum vtrunque neceſse eſt Deum maiorem præſtare concurſum efficientem, quàm præſtabat conſeruando illam medio ſubiecto, aut forma: quia ſe ſolo pręſtaret, quod his mediis cauſis pręſtabat, quod abſq; dubio nouam poſtulat virtutem.

36 Et ſi dicatur, Deum non conſeruare accidens ſine ſubiecto, vt quantitatem Euchariſtię, niſi tribuendo ei modum aliquem perſeitatis, qui licèt non ſit ſubſiſtentia: quia hæc eſt modus ſubſtantialis, cui non videtur capax accidentalis natura,

eſt

eſt tamen ei valde ſimilis: cùm verum ſit, per eum quantitatem eſſe per ſe; ergo nec poterit conſeruare materiam, ſine nouo aliquo modo.

Reſpondeo, non eſſe cùm primis certum, Deum conſeruare accidens per nouum modum perſeitatis ei conceſſum, ſed poſſe etiam probabiliter dici, conſeruare eam ſolùm per extrinſecum concurſum efficientem, ita vt nec haberet modum actualis inhærentiæ, quem habebat, dum erat in ſubſtantia, quia de eſſentia talis modi eſt actu vnire accidens ſubiecto, & ita repugnat permanere in accidenti ſeparato, nec etiam loco huius datus ſit ei modus perſeitatis, ſed cum ſola exiſtentia permanere, & cum ea conſeruari per ſolam extrinſecam efficientiam Dei. Nihilominus probabilius mihi eſt Deum conſeruare quantitatem per modum perſeitatis ei conceſſum loco actualis inhærentiæ: quia per ſe eſſe in rerum natura, hoc eſt ſine actuali dependentia à ſubiecto, modus eſt eſſendi formalis naturæ, valdè diuerſus ab eo, quem habebat in ſubiecto, & qui aliquid addit ſupra communem exiſtentiam extra cauſas, & cùm ſit formalis non videtur eſſe poſſe ſolus extrinſecus concurſus efficientiæ, ſed aliquid in natura ipſa de nouo ei conceſſum. Sed tamen ad conſeruationem materiæ ſine forma non requiritur: quia iam habet præter partialem exiſtentiam, modum proprium ſubſiſtentiæ, per quem conſeruari poteſt à Deo per ſolam efficientiam extrinſecam, ſine alio nouo modo materiæ conceſſo, quem tamen ponerent fortè illi, qui concedentes materiæ propriam exiſtentiam, denegant ei ſubſiſtentiam partialem: & aſſerunt nihilominus poſſe à Deo cōſeruari ſine forma, hi enim dicent eodem modo conſeruandam eſſe à Deo, quo conſeruatur quantitas Euchariſtiæ per nouum modum perſeitatis ei tributum, niſi velint cum primo modo dicendi circa conſeruationem accidentis dicere, ſine tali modo poſſe conſeruari à Deo.

QVÆSTIO VI.

An potentia ad formam ſit de eſſentia materiæ.

CVm certum ſit in materia eſſe potentiam ad formam recipiendam, quærimus, an ſit de eſſentia materiæ, vel accidens ei ſuperadditum: nec intelligitur de potentia actiua, quam non habet materia, vt docet expreſsè Ariſto. 1. lib. de Generatione, textu 55. & lib. 2. tex. 53. atque etiam D. Auguſt. in lib. de natura boni aduerſus Manichæos, cap. 8. his verbis: *Neque*

Neque enim illa materies, quam antiqui hylem dixerunt, malum dicenda eſt, ſed ſylua Gracè dicitur, quod operantibus apta ſit, non vt ipſa aliquid faciat, ſed vnde aliquid fiat. Sed de ſola paſſiua.

De qua tenet prima opinio, quòd non ſit eſſentialis materiæ, ſed accidens ei ſuperadditum. Ita Auerroes 1. lib. phyſic. Comm. 99. Themiſtius digreſſione vltima eiuſdem libri. Iandunus quæſt. 25. quam ſimul defendit, & explicat Tolet. q. 12. huius libri hac diſtinctione: Potentia dupliciter ſumitur, primò pro aptitudine proxima ad agendum, vel recipiendum, in qua acceptione dicimus grauitatem eſſe potentiam actiuam lapidis ad motum deorſum, & aptitudinem ſubſtantiæ ad recipienda accidentia potentiam paſſiuam eius. Secundò ſumitur pro radice huius aptitudinis à qua procedit. Et potentia primo modo ſumpta accidens eſt ſuperadditum: ſed ſumpta ſecundo modo eſt eſſentia rei, à qua tanquam radice procedunt omnes potentiæ. Si ergo potentia materiæ accipiatur pro aptitudine, per quam immediatè tendit ad recipiendam formam, non pertinet ad eſſentiam materiæ, ſed accidens eſt ei ſuperadditum, & quaſi propria paſſio eius: ſi verò pro radice talis aptitudinis, eſt eſſentia eiuſdem materiæ, à qua eadem aptitudo oritur. Quemadmodum de riſibilitate paſſim dicunt logici, eſſe propriam paſſionem hominis ſumptam pro aptitudine ad ridendum, & ideò accidens ei ſuperadditum. Si verò pro radice talis aptitudinis eſt ipſa eſſentia hominis.

Probatur primò; quia omnis potentia alicuius eſſe debet; & ordinem ad actum dicere; ergo potentia materiæ aliquid eius eſt, eique attribuitur, & intrinſecum ordinem dicit ad proprium actum, qui eſt forma; ergo præſupponit materiam ipſam ordine naturæ, tanquam id cuius eſt, & ipſamet potentia eſt ſubiectum talis ordinis, vel relationis ad actum, & ex vtroque ſequitur eſſe accidens ſuperadditum. Probatur conſequẽtia, quia ſi materiam præſupponit; ergo eſſentiam eius: quare extra illam erit, etſi relationem dicit intrinſecam ad actum, non poteſt eſſe ſubſtantia, cuius eſſentia eſt abſoluta, ſed erit accidens, ratione cuius materia fundat talem relationem.

38 Secundò, omnis potentia ordinata ad actum deſinit eſſe, & quaſi extinguitur adueniente actu: ſed potentia materiæ ordinatur ad formam tanquam ad proprium actum; ergo adueniente forma deſinet eſſe, quare ſi ponatur eſſentialis materiæ, deſinet materia adueniente forma, quod eſt abſurdum. Quare dicendum eſt eſſe accidens eius, cùm poſſit adeſſe, & abeſſe ſine corruptione eius.

Secunda opinio aſſerit potentiam paſſiuam materiæ non eſſe

accidens ei ſuperadditum, ſed ipſammet eſſentiam materiæ. Ita D. Thom. expreſsè 1. part. quæſt. 115. art. 1. ad 2. his verbis: *Actus ad quem eſt in potentia materia prima, eſt ſubſtantialis forma: & ideo potentia materiæ non eſt aliud quàm eius eſſentia.* Et eſt communis ſententia ſcholæ, quam ſequuntur omnes moderni, *& videtur nobis vera, & neceſſariò tenenda in doctr.* Ariſtotelis.

Probatur quòd ſit vera hoc argumento deducto ex verbis eiuſdem D. Thom. hoc modo: Potentia ſumit ſuam ſpeciem ab actu, ad quem per ſe ordinatur, vt docet Ariſtoteles 2. libr. de anima, cap. 4. ergo talis eſt potentia, qualis eſt eius actus: ſed actus, ad quē per ſe ordinatur potentia materiæ, eſt ſubſtātialis: cū ſit ipſamet ſubſtantialis forma; ergo potentia ipſa etiam ſumpta pro aptitudine proxima, & non propria paſſio eius, vel accidens ſuperadditum, vt aſſerit prima ſententia.

Probatur 2. neceſſariò tenendum eſſe in doctrina Ariſtotelis quòd etiam pro aptitudine proxima ſit ſubſtantialis materiæ, ex lib. 8. Meta. tex. 15. vbi cùm rationem quæſiſſet, propter quā homo eſt vnum per ſe, ſubſtantiale, ex materia, & forma compoſitum, his verbis reſpondet: *Quòd ſi quemadmodum dicimus, hoc quidem materia, hoc verò forma eſt, & hoc quidem potentia, hoc verò actu, profectò non videtur amplius dubitatio eſſe, quod quæritur.*

Ex quibus tale argumentum colligo: Ideo aſſerit Ariſtoteles hominem eſſe per ſe vnum ſubſtantialiter, quia componitur ex potentia, quæ eſt materia, & ex actu, qui eſt forma; ergo materia eſt potentia ſubſtantialis ex mente ipſius, & forma actus ſubſtantialis: quare in doctrina eius non poteſt ſuſtineri, quòd potentia materiæ per quam recipit formam, & componit totum, ſit accidentalis, etiam ſi ſumatur pro aptitudine proxima: quia per hanc recipit formam, & componit cum ea compoſitum ſubſtantiale.

Sed vt clariùs conſtet veritas noſtræ ſententiæ, & deceptio oppoſitæ, faciliúſque argumenta ſoluantur, vnum eſt notandum, nempe ſuperadditas potentias ſubſtantiis neceſſarias eſſe ad actus accidentales præſtandos: quia ſubſtantia creata operatur medio actu accidentali, & non per ſeipſam, ſicut operatur ſubſtantia increata, & ideò non eſt immediatè operatiua per ſe, ſicut increata, ſed indiget quibuſdam virtutibus ſuperadditis (quas vocamus potentias) ad tales actus accidentales producendos, ſed materia prima per ſe ipſam eſt receptiua formæ, tanquā actus ſubſtantialis, quare non indiget potentia, quæ ſit accidens ſuperadditū ad eam recipiendam. Imò nec eam poteſt 39
recipere

recipere media potentia accidentali. Probatur euidenter: quia ſi eam reciperet media potentia accidentali, actus ipſe recipiẽdi, aut receptio ipſa accidentalis eſſet; quia actus, & potentia eiuſdem ordinis ſunt, receptio autem accidentalis; vel eſt accidentalis vnio, vel infert accidentalem vnionem; ergo materia, & forma vnirentur accidentaliter ad compoſitionem totius. Et ex vnione accidentali partium non poteſt reſultare, niſi totũm accidentale, ideò compoſitio ex materia, & forma eſſet accidẽtalis, & compoſitum ex ea reſultans totum accidentale, quod patet eſſe falſum. Quare dicẽdum eſt, materiam eſſe ſuammet potentiam, & per ſe ipſam recipere formam, non per aptitudinem, vel potentiam ſuperadditam, vnde diſtinctio illa potentiæ, pro aptitudine proxima, vel pro radice eius, non habet locum in materia, ſed ſolum in potentiis accidentalib. pro actibus etiam accidentalibus producendis conceſſis naturis ſubſtantialibus.

Ad primũ argu. diſtinguendum eſt antecedens, nam duobus modis contingit potentiam eſſe alicuius, & ordinem dicere ad actum; primò alicuius per ipſammet potentiam ſubſtantialiter conſtituti, & talis eſt potentia materiæ, quæ ordinem intrinſecum ad formam dicit, tanquam ad actum ſubſtantialem, & ex vtroque intelligitur eſſe ſubſtantialẽ. Secundo modo dicitur eſſe alicuius, tanquam extra eius eſſentiam, & ideò ordinem dicere ad actum, non eſſentialem, ſed accidentalem, & talis potentia præſupponit illud, cuius eſt, tanquam ſubiectum, & ideò eſt eius accidens, & relationem dicit accidentalẽ ad actũ, etiam accidentalem, & tales ſunt potentiæ ſuperadditæ ſubſtantiis, ſed cùm potentia materiæ conſtituat materiam ipſam eſſentialiter noſtro modo intelligendi (nã ex natura rei potius eſt ipſamet materia) negandum eſt, quod infertur, potentiam materiæ præſupponere materiam ipſam tanquam ſubiectum, vel reſpectum dicere ad formam, tanquam ad actum accidentalem.

Ad ſecundũ, negandum eſt antecedens, quòd potentia deſinat eſſe, vel extinguatur per actum, ſed remanet cum eo, non tamen ſubeſſe imperfecto, quod habebat ſine actu, ſed perfecta per ipſum, ideò potentia materiæ non extinguitur per aduentum formæ, ſed perfecta potius per eum permanet, licet non permaneat ſub eſſe imperfecto, quod habebat, dum carebat forma, & ea priuatà dicebatur, ſed priuatio ceſſat, & potentia materiæ perficitur.

QVÆSTIO VII.

An materia habeat appetitum ad formam.

TRia ſunt explicanda de appetitu materiæ ad formam, An ſit, Quid ſit, Et quonam modo diſtinguatur à materia. 40 Ex quorum explicatione ſoluentur quædam alia dubia ſcitu digniſſima de eodem appetitu. Circa primum fuit prima opinio Auicennæ 1.lib.ſuæ ſufficientiæ, negantis omnino appetitum aliquem in materia:quod videtur etiam tenere Alber. Mag.1.lib.Phyſ.tract.3.cap.7. Et probatur teſtimonio Ariſto. 1.libr. Magnorum moral. cap.11. & 12. vbi tres tantum enumerauit ſpecies appetitus, Cupiditatem, Furorem, & Voluntatem, & omnes docuit præſupponere aliquam cognitionem boni,quia omnis appetitus debet verſari circa bonum:ſed conſtat in materia nullam eſſe cognitionem; ergo neque vllus erit appetitus. Etſi dicas non loqui Ariſtotelem de appetitu naturali,ſed de elicito, qui ſequitur formam apprehenſam, & ideo non tollere appetitum materiæ,qui eſt naturalis. Contra hoc eſt,expreſſum teſtimonium D.Tho.1.par.q.87.art.4.aſſerentis appetitum naturalem procedere à forma naturali, ſicut appetitus elicitus procedit à forma apprehenſa,ſed materia ex ſe nullā habet formā; ergo nec habebit naturalem appetitum.

Sed probat Auicenna hoc argumento: materia non appetit formam,quia ea careat:cùm ſemper habeat aliquam formā,nec etiam appetit alteram diuerſam ab ea,quam habet:quia tædio afficiatur erga hanc:cùm æqualiter hanc,& omnes reſpiciat:ſed neque ab aliquo impellitur, vt in aliam formam tendat; ergo nulla eſt ratio,quare appetat habere alias formas,nec ideo dabitur in ea aliquis appetitus.

Secundò probatur: quia appetitus debet eſſe alicuius boni, cùm malum,vt tale,non ſit appetibile:ſed ſi ponatur appetitus in materia, erit circa malum; ergo non debet poni. Probatur minor: quia nemo appetit bonum, quod iam habet; ergo materia non appetit formam, quam habet, ſed quam non habet, ſed hanc non poteſt habere, niſi per expulſionem eius, quam habet,& conſequenter per corruptionem huius compoſiti:& corruptio eſt malum, non ſolùm eiuſdem compoſiti, & formæ præſentis,ſed ipſiuſmet materiæ, quæ per corruptionē amittere debet eſſe ſpecificum, quod accipit ab hac forma, & aliquando loco eius acquirere aliud eſſe minus perfectum, ſi forma aduenienſ imperfectior ſit; ergo repugnat, quod ponatur appetitus in materia,quin ſit circa malum,non ſolùm alte-

rius,

rius,ſed proprium,imò circa malum totius naturæ, quia appetitus iſte erit principium omnium corruptionum, & ſine illo permanebunt omnia, eruntque perpetua: perpetuitas verò eſt maximum bonum totius naturæ, & continua corruptio rerum naturalium maximum malũ,quare non debet poni in materia.

41 Secunda opinio eſt expreſſa apud Ariſt. in hoc 1.lib. text.81. vbi aſſerit materiã appetere formã,ſicut turpe appetit pulchrũ, & apud D.Th.1.part.q.59.art.2.quos ſequuntur cæteri omnes interpretes huius loci, *& hæc eſt vera, & tenenda.*

Probatur hac ratione deducta ex eodem teſtimonio Ariſto. Vnumquodque appetit naturaliter bonum ſibi proportionatum,atque conueniens, quod ex ſe non habet, & illud habere maxima perfectio eius eſt, ſed forma eſt quaſi diuinum quoddam bonum,cùm afferat ſecum ſpeciem, & eſſentiam completam,ac determinatam, per quam res aſſimilatur Deo, quibus bonis conſtat carere materiam, & eſſe ſibi valde proportionata,atque conuenientia; ergo naturali appetitu dicetur appetere formam,vt dum eam recipit,dicere poſſit, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Quid ſit appetitus materiæ, & quomodo ab ea diſtinguatur.

42 SEd vt ſententia Ariſto.& communis meliùs intelligatur, & argumenta faciliùs ſoluantur, duo alia explicanda ſunt, nempe, quidnam ſit appetitus materiæ, & quomodo ab ea diſtinguatur. Et vtrumque intelligere poſſumus ex doctrina D. Thom.1.part.q.80.art.1.vbi ait appetitum cuiuſlibet rei à forma eius procedere: & ideo ſecundùm diuerſitatem formarum diſtinguendos eſſe diuerſos appetitus: ſed forma duplex eſt, Naturalis,& Intentionalis. Naturalis dicitur Phyſica,tribuens rei ſpeciem, vt anima rationalis eſt forma Phyſica hominis. Intentionalis verò eſt principium cognitionis, per quod potentiæ cognoſcitiuæ cognoſcunt ſua obiecta. Cognitio autem duplex eſt,Senſitiua,& Intellectiua, & ideo forma intentionalis vna eſt, ſenſitiua, vt ſpecies coloris, per quam viſus eum cognoſcit. Alia eſt intellectiua: vt ſpecies intelligibiles Petri, vel hominis, per quam intellectus eum cognoſcit,dicitur forma intentionalis intellectiua. Secundùm hanc igitur diſtinctionem formarum,diſtinguendi ſunt appetitus, & ideò vnus eſt naturalis, qui procedit à forma naturali, vt appetitus, quem habet lapis ad centrum procedens ex propria eius forma ſubſtantiali, naturalis dicitur. Alter eſt appetitus cognitionis, qui eſt potentia,per quam tẽdimus in bonum ſuppoſita cogni-

tione eius. Et eſt duplex, ſicut cognitio ipſa, quam præſupponit, & ſequitur Vnus eſt ſenſitiuus, per quem tendimus, & deſideramus bona ſenſibilia. Alter eſt rationalis, per quẽ tendimus, & deſideramus bona intelligibilia: & appetitus iſte rationalis eſt voluntas exiſtens in anima rationali, tanquam potentia eius, cùm appetitus ſenſitiuus, in aliqua parte corporis ponatur, tanquam potentia ſenſitiua, atque corporea.

Relicto autem appetitu cognitionis: quia non pertinet ad 43
præſentem tractatum: Naturalis diuiditur in totalem, atque completum, qui ſequitur naturam completam & talis eſt grauitas in lapide per quam inclinatur in centrum, & illud dicitur appetere. Et appetitus iſte completus, vnus eſt accidentalis, qui ſequitur naturam completam eſſentialiter, & ſubſtantialiter, & ideo ordinatur in bonum accidentale, vt appetitus lapidis in centrum. Alter eſt ſubſtantialis: quia procedit à natura quidem completa eſſentialiter, non tamen ſubſtantialiter, & ordinatur in bonum ſubſtantiale, per quod cõpletur ſubſtantialiter. Appetitus ſubſtantialis dicitur, quẽ habet natura totalis, & completa eſſentialiter, ad proprium terminum ſubſtantialem, per quem completur ſubſtantialiter, vt inclinatio cuiuſlibet naturæ compoſitæ ex materia, & forma, vel etiam ſpiritualis ad propriam ſubſiſtentiam, per quam completur ſubſtantialiter, & conſtituitur in ſuppoſito, vel perſona, nam licèt completa ſit eſſentialiter, incompleta cenſetur ſubſtantialiter, quouſque per ſubſiſtentiam, conſtituatur.

Appetitus autem iſte ſubſtantialis non eſt accidens ſuperadditum eidem naturę, ſed eſt ipſamet natura eſſentialiter cõpleta, quæ per ſe ordinatur in proprium bonum ſubſtantiale, per quod ſubſtantialiter completur. Alter eſt appetitus incompletus, qui ſequitur naturam incompletam, & iſte eſſentialis vocatur: quia in complementum eiuſdem rei ad eſſentiam pertinens ordinatur, & talis eſt appetitus materiæ ad cõſtituendum compoſitum, tanquam ad finem; & vt formæ coniungatur, tanquam ad medium, nam vnio materiæ cum forma in eum finem ordinatur à natura, vt conſtituatur per eam compoſitum ſubſtantiale, per cuius ſpeciem materia etiam perficiatur in ea conſtituta, quam ex ſe non habebat. Similiterq; appetitum habet forma vt coniungatur materiæ, & conſtituat compoſitũ, licèt ex diuerſa cauſa procedat quia non tam ex indigentia boni, quã vt proprium bonum cõmunicet eidem materiæ, & ſuo modo cõpoſito. Et licèt iſte appetitus incõpletus, ex propria ratione incõpleta habeat, vt non ſemper procedat à forma, ſed ſemper ab eſſẽtia procedit, quæ quaſi forma rei eſt,

& ideo

& ideò ſuo etiam modo à forma procedere dicitur. Nec eſt accidens ſuperadditum naturæ, vel eſſentiæ rei, quia non habet pro termino aliquid accidentale, ſed eſt ipſamet natura, & eſſentia rei incompletæ, atque imperfectæ eſſentialiter, & ad propriam perfectionem, & complemẽtum eſſentiale ordinata.

45 Ex quibus ſequitur, quonam modo diſtinguatur appetitus materiæ ab eadem materia, non enim diſtinguitur realiter, nec ex natura rei, ſed ſola ratione, ſicut dicebamus de potentia eiuſdem materiæ. Quod hoc modo probandum ſimul, & explicandum eſt: Talis eſt appetitus, quale eſt bonum illud, in quod ordinatur. Sed appetitus materiæ non ordinatur in bonum accidentale, ſed eſſentiale; ergo non eſt accidentalis, ſed eſſentialis: & conſequenter non eſt accidens aliquod ſuperadditum eſſentiæ eiuſdem materiæ; ſed ipſamet eius eſſentia vt inclinata & propenſa in proprium bonum, & complementum eſſentiale; quare non erit entitas realis diſtincta ab eadem eſſentia materiæ, ſed ſolùm diſtinguetur ratione, ſicut potentia, imò ſola ratione ab ipſamet potentia, ita vt eadem eſſentia materiæ in quantum receptaculum eſt formæ, ſit potentia: ſed in quantum in eandem formam, quam poteſt recipere, inclinatur, & propenſa eſt, ſit appetitus ad formam. Sed priùs intelligimus potentiam in materia, quàm inclinationem, & ideò priùs potentiam, quàm appetitum, imò appetitum intelligimus quaſi potentiam conſequi: & ideò dicimus appetitum conſequi materiam, aut potentiam eius. Quæ ſecundùm rationem intelligenda ſunt, non ſecundùm conſequentiam realem, vel naturalem, cùm nulla ſit diſtinctio realis, vel ex natura rei inter eſſentiam materiæ, potentiam eius, & appetitum.

Secundò notandum eſt appetitum ſecundùm ſe non reſpicere rem abſentem, nec præſentem, ſed ab vtraque conditione abſtrahere, & ſolùm ex ſe dicere inclinationem, & propenſionem in bonum; quòd ſi abſens fuerit, deſiderium vocabitur idem appetitus; ſi verò præſens, dicetur complacentia, ſiue complacentiæ appetitus. Itaque appetitus rei abſentis imperfectus eſt, & ideò nomine deſiderij imperfectionem non habiti ſignificantis vocatur: appetitus verò rei præſentis perfectus eſt, & ideò perfecto nomine complacentiæ ſignificatur, ſed eadem eſt eſſentialis ratio appetitus ſignificata his tribus nominibus, & ſolùm diſtinguitur accidentaliter, quia, quòd ſit boni abſentis, aut præſentis, accidentia ſunt reſpectu eiuſdem appetitus abſtrahentis ab vtraque. Cuius hæc eſt ratio, quia ſicut abſentia, & præſentia, non ſunt differen-

tię eſſentiales boni, ſed accidentales, ita nec eſſentialiter diſtinguunt deſiderium, & complacentiam ab appetitu, ſed ſolùm accidentaliter, & hoc non realiter, ſed ſecundùm rationem.

Ex his reſpondeo ad teſtimonia Ariſtotelis & D. Thomæ quòd Ariſto. ſolùm loquitur de appetitu cognitionis, non de Naturali, qualis eſt appetitus materię, & D. Tho. loquitur quidem de Naturali, ſed ſolùm de completo, qui ſequitur veram formam, per quam conſtituitur res completa, non verò de appetitu materiæ, qui incompletus eſt, & ideò non neceſſariò ſequitur formam, neceſſariò tamen eſſentiam rei, ſimilem formę, & ideò ſub naturali conſequente formam fortè comprehenditur à D. Tho. Nihilominus licèt de eo non loquatur, expreſsè eum ponit in materia alio loco à nobis citato. 46

Ad primum argumentum, negandum eſt antecedens, quòd materia appetat formam propter aliquam ex illis tribus cauſis, ſed quia proprius actus eius eſt, & proprium bonum, quo medio proprium finem conſequitur, qui eſt conſtitutio compoſiti, ad quod tam materia, quàm forma ordinantur à natura, itaque materia in omnes formas æqualiter inclinatur, æqualiterque omnes appetit, ſed quas non habet appetit appetitu deſiderij, & quas habet appetitu complacentiæ.

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt, quòd cùm materia omnes formas æqualiter reſpiciat, & in omnes æqualiter inclinetur, nulla eſt quantumcunque perfecta, etiam ſi perfectiones cæterarum eminenter contineat, vt continet anima rationalis, quæ poſſit totaliter ſatiare appetitum eius, hoc eſt intenſiuè, & extenſiuè: nam licèt intenſiuè ſatiare fortè poſſet, non tamen extenſiuè: quia non omnes extenſiuè continet. Vnde, etiam dum habet animam rationalem, cæteras omnes formas appetit. Et ratione huius appetitus principium eſt perpetuitatis rerum naturalium, atque etiam corruptionis earum diuerſa ratione: nam hoc ſecundum habet reſpectu particularium, primum verò in ordine ad totam ſeriem, aut vniuerſitatem earum, illud etiam conuenit ei per accidens, hoc verò per ſe. Nam cùm materia appetat omnes formas, conſequenter appetit diſpoſitiones proprias earum, quæ ſæpè contrariæ ſunt; & cùm multa etiam ſint agentia contraria, quæ eas conantur introducere pro introductione formarum, fit vt materia ſubdita his omnibus agentibus, à contrariis ſæpè patiatur, & ab agente maioris virtutis intenſiores diſpoſitiones ſuſcipiat, & tandem formam, quam introducere intendit, quam cùm non poſſit recipere ſine expulſione eius quam habet, & corruptione compoſiti paſſim ſequũtur corruptiones plurium 47

rerum

rerum naturalium: ſed per accidens hoc eſt reſpectu materiæ, cuius appetitus non tendit per ſe in corruptionem, ſed in formam, & compoſitum, à quibus perficiatur. Et ecce quomodo appetitus materiæ eſt cauſa corruptionis rerum in particulari per accidens. Sed cùm per ſe appetat omnes formas, per ſe etiam tendit appetitus iſte in nouam formam, nouumque compoſitum: ita vt non deſtruatur hoc, niſi per nouam generationem alterius, & hoc eſt materiam per ſe appetere nouas generationes rerum, per quas perpetua efficitur ſeries, & vniuerſitas earum: quæ non fieret perpetua, ſi materia non appeteret ſemper nouas formas, non enim ſuccederent nouæ generationes: ſed per continuas corruptiones tandem conſumerentur omnes res naturales.

Ex quibus ad formam argumenti diſtinguenda eſt minor, quòd ſi appetitus ponatur in materia, ordinabitur in malum, nam per ſe falſum eſt, cùm ſemper ordinetur in nouã formam, & compoſitum, quæ ſunt bona ipſius materiæ, & ex qua ordinatione maximum bonum commune reſultat; per accidens verò concedi poteſt, quòd in malum tendat rerum particularium, & aliquando etiam in malum proprium, vel in minus bonum, quamuis hoc vltimum nunquam contingat; nam licèt per aduentum nouæ formæ imperfectioris, perfectiorem amittat, permanet tamen in ea appetitus ad eandem, quam amittit, per quem naturaliter poteſt conſequi alteram eiuſdem perfectionis, ſed ſiue hoc contingeret, ſiue non, ſemper appetitus materiæ per ſe tendit in bonum totius naturæ, tanto excellentius proprio, vel alieno, quanto vniuerſalius.

I. DVBIVM.

An ſit in materia, non ſolùm appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium.

48 SEd reſtant quatuor dubia breuiter ſoluenda pro complemento huius materiæ de appetitu, & eſt primum, An non ſolùm ponendus ſit in ea appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium. Et ratio dubitandi eſt ex vna parte, quia deſiderium alicuius boni videtur præſupponere cognitionem eius, quæ cùm non ſit in materia, nec videtur eſſe poſſe deſiderium.

Ex oppoſita verò parte, quòd deſiderium habeat, docet expreſsè Ariſtoteles tex. 81. huius lib. vbi de materia appetente formam ait: *Aliud autem, quòd natura aptum eſt appetere, & deſiderare ipſum ſecundùm ſuam naturam.* Et ratione probatur,

 quia

tię eſſentiales boni, ſed accidentales, ita nec eſſentialiter diſtinguunt deſiderium, & complacentiam ab appetitu, ſed ſolùm accidentaliter, & hoc non realiter, ſed ſecundùm rationem.

Ex his reſpondeo ad teſtimonia Ariſtotelis & D. Thomæ quòd Ariſto. ſolùm loquitur de appetitu cognitionis, non de Naturali, qualis eſt appetitus materię, & D. Tho. loquitur quidem de Naturali, ſed ſolùm de completo, qui ſequitur veram formam, per quam conſtituitur res completa, non verò de appetitu materiæ, qui incompletus eſt, & ideò non neceſſariò ſequitur formam, neceſſariò tamen eſſentiam rei, ſimilem formę, & ideò ſub naturali conſequente formam fortè comprehenditur à D. Tho. Nihilominus licèt de eo non loquatur, expreſsè eum ponit in materia alio loco à nobis citato. 46

Ad primum argumentum, negandum eſt antecedens, quòd materia appetat formam propter aliquam ex illis tribus cauſis, ſed quia proprius actus eius eſt, & proprium bonum, quo medio proprium finem conſequitur, qui eſt conſtitutio compoſiti, ad quod tam materia, quàm forma ordinantur à natura, itaque materia in omnes formas æqualiter inclinatur, æqualiterque omnes appetit, ſed quas non habet appetit appetitu deſiderij, & quas habet appetitu complacentiæ.

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt, quòd cùm materia omnes formas æqualiter reſpiciat, & in omnes æqualiter inclinetur, nulla eſt quantumcunque perfecta, etiam ſi perfectiones cæterarum eminenter contineat, vt continet anima rationalis, quæ poſſit totaliter ſatiare appetitum eius, hoc eſt intenſiuè, & extenſiuè: nam licèt intenſiuè ſatiare fortè poſſet, non tamen extenſiuè: quia non omnes extenſiuè continet. Vnde, etiam dum habet animam rationalem, cæteras omnes formas appetit. Et ratione huius appetitus principium eſt perpetuitatis rerum naturalium, atque etiam corruptionis earum diuerſa ratione: nam hoc ſecundum habet reſpectu particularium, primum verò in ordine ad totam ſeriem, aut vniuerſitatem earum, illud etiam conuenit ei per accidens, hoc verò per ſe. Nam cùm materia appetat omnes formas, conſequenter appetit diſpoſitiones proprias earum, quæ ſæpè contrariæ ſunt; & cùm multa etiam ſint agentia contraria, quæ eas conantur introducere pro introductione formarum, fit vt materia ſubdita his omnibus agentibus, à contrariis ſæpè patiatur, & ab agente maioris virtutis intenſiores diſpoſitiones ſuſcipiat, & tandem formam, quam introducere intendit, quam cùm non poſſit recipere ſine expulſione eius quam habet, & corruptione compoſiti paſſim ſequūtur corruptiones plurium 47

rerum

rerum naturalium: ſed per accidens hoc eſt reſpectu materiæ, cuius appetitus non tendit per ſe in corruptionem, ſed in formam, & compoſitum, à quibus perficiatur. Et ecce quomodo appetitus materiæ eſt cauſa corruptionis rerum in particulari per accidens. Sed cùm per ſe appetat omnes formas, per ſe etiam tendit appetitus iſte in nouam formam, nouumque compoſitum: ita vt non deſtruatur hoc, niſi per nouam generationem alterius, & hoc eſt materiam per ſe appetere nouas generationes rerum, per quas perpetua efficitur ſeries, & vniuerſitas earum: quæ non fieret perpetua, ſi materia non appeteret ſemper nouas formas, non enim ſuccederent nouæ generationes: ſed per continuas corruptiones tandem conſumerentur omnes res naturales.

Ex quibus ad formam argumenti diſtinguenda eſt minor, quòd ſi appetitus ponatur in materia, ordinabitur in malum, nam per ſe falſum eſt, cùm ſemper ordinetur in nouā formam, & compoſitum, quæ ſunt bona ipſius materiæ, & ex qua ordinatione maximum bonum commune reſultat; per accidens verò concedi poteſt, quòd in malum tendat rerum particularium, & aliquando etiam in malum proprium, vel in minus bonum, quamuis hoc vltimum nunquam contingat; nam licèt per aduentum nouæ formæ imperfectioris, perfectiorem amittat, permanet tamen in ea appetitus ad eandem, quam amittit, per quem naturaliter poteſt conſequi alteram eiuſdem perfectionis, ſed ſiue hoc contingeret, ſiue non, ſemper appetitus materiæ per ſe tendit in bonum totius naturæ, tanto excellentius proprio, vel alieno, quanto vniuerſalius.

I. DVBIVM.

An ſit in materia, non ſolùm appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium.

48 SEd reſtant quatuor dubia breuiter ſoluenda pro complemento huius materiæ de appetitu, & eſt primum, An non ſolùm ponendus ſit in ea appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium. Et ratio dubitandi eſt ex vna parte, quia deſiderium alicuius boni videtur præſupponere cognitionem eius, quæ cùm non ſit in materia, nec videtur eſſe poſſe deſiderium.

Ex oppoſita verò parte, quòd deſiderium habeat, docet expreſsè Ariſtoteles tex. 81. huius lib. vbi de materia appetente formam ait: *Aliud autem, quòd natura aptum eſt appetere, & deſiderare ipſum ſecundùm ſuam naturam.* Et ratione probatur,

 quia

quia ſi appetitus ſit boni non habiti, vocatur deſiderium, ſed materia appetit plures formas, quas non habet; ergo talis appetitus erit deſiderij.

Et ita tenent omnes moderni interpretes, ſed non omnes eodem modo, nam quidam aſſerunt materiam non habere appetitum ad formas particulares, ſed ſolùm ad formam in communi. Quod probant primò, quia deſiderium fundatur in appetitu, & ratione eius ſequitur; ſed materia non appetit formas in particulari, ſed ſolùm cõmunem rationem formæ amiſſibilis, ſicut viſus non tendit in colores particulares, ſed ſolùm in communem rationem viſibilis; ergo nec deſiderat aliquam in particulari. Secundò, quia deſiderium verſatur circa bonum non habitum, cuius carentiam præſupponit in deſiderante, ſed materia nulla forma in particulari caret: cùm ſemper habeat aliquam in qua continetur communis ratio formæ amiſſibilis, quæ eſt proprium obiectum appetitus eius: ergo nec aliquam deſiderat in particulari. Et certè, ſi aliquam deſideraret in particulari, violenter detineretur ſub eius oppoſita, vt ſi deſideraret formam ignis, violenter detineretur ſub forma aquæ, quod eſt falſum, quia materia ſub nulla forma poteſt detineri violenter, ſed potius in quacunque complacet, tanquàm in bono ſibi proprio ac proportionato.

Mihi tamen non placet hæc ſententia, ſed aſſero materiam 49
habere appetitum, non ſolùm ad formam ſub ratione communi amiſſibilis, ſed etiam ad quaſcunque in particulari. Quod probo primò, quia euidens eſt materiam habere potentiam non ſolùm reſpectu formæ in communi, ſed etiam reſpectu particularium, quas conſtat recipere poſſe naturaliter; ſed potentiam naturaliter ſequitur inclinatio, & propenſio, in quibus conſiſtit ratio formalis appetitus; ergo habet etiam appetitum ad omnes in particulari: & appetitus, ſi ſit de re non habita, eſt deſiderium; ergo habet etiam deſiderium reſpectu omniũ. Secundò, quælibet forma in particulari eſt actus perficiens materiam; ergo eſt maximum bonum eius, ſibique proportionatum, & quod naturaliter poteſt conſequi; ſed res quælibet naturaliter appetit bonũ ſibi proportionatum, quod poteſt naturaliter conſequi; ergo materia appetit omnes formas in particulari.

Sed notandum, diuerſo modo appetere eas ſub ratione communi formæ amiſſibilis, & ſub ratione particulari, nam primariò, & adæquatè reſpicit communem rationem formæ amiſſibilis, quæ eſt adæquata ratio obiectiua appetitus: particulares verò inadæquatè quidem, quia nulla forma particularis, vt talis, eſt

lis,eſt adæquata ratio obiectiua, ſed inadæquata, quia aliquid eſt rationis communis ſub ea contentum, atque etiam ſecundariò,& ex conſequenti, quia potentia primò reſpicit communem rationem ſui obiecti,& conſequenter,ac ſecundariò rationes particulares ſub ea contentas. Et ita appetitus materiæ, & ex conſequenti deſiderium ordinatur ad formas in particulari, non quidem ſimul habendas,ſed ſucceſſiuè.

Ad primum argumentum diſtinguenda eſt minor, quòd matéria non appetat formas in particulari, nam primariò, & adæquatè verum eſt: ſecundariò & inadæquatè falſum: & eodem modo rendit ad illas per deſiderium. Et eodem modo ſoluitur ſecundum, diſtinguendo minorem de carentia primaria, & adæquata, vel ſecundaria, & inadæquata, & de prima concedenda eſt, de ſecunda verò neganda.

Aliud tandem, quod dicitur, ſi materia deſideraret formam contrariam ei, quam habet, violenter ſub ea detineretur, negandum eſt, quia licèt appetat formam contrariam, non quidem vt contrariam, ſed vt continetur ſub ratione communi amiſſibilis formæ, quæ eſt adæquata ratio obiectiua deſiderij, ad quod per accidens ſe habet contrarietas, ſicut ad ſenſum tactus per accidens ſe habet contrarietas caloris, & frigiditatis, quas non reſpicit vt contrarias, ſed vt conueniunt in communi ratione qualitatis tangibilis, ſub qua continentur, tanquàm ſub adæquata ratione obiectiua talis ſenſus.

II. DVBIVM.

An materia æqualiter appetat omnes formas, vel nobiliores magis.

50 PRima opinio modernorum aſſerit, non æqualiter appetere omnes, ſed magis nobiliores. Quod probant ex appetitu rationali, qui eſt voluntas, tendente quidem in bonum, tanquàm in obiectum proprium,ſed magis inclinato in maius bonum, quàm in minus, magiſque illud appetente, ergo eadem erit ratio de appetitu naturali materiæ, conceſſo ab authore naturæ perfectiſſimè cognoſcente bonum.

Noſtra tamen ſententia eſt materiam æqualiter reſpicere omnes formas, & abſque vlla determinatione, ita, vt quantum ex parte ſua non magis determinetur ad perfectiorem, quàm ad imperfectiorem recipiendam, ſed ab agente ſolùm determinatur. Quod ſic probo; appetitus materiæ fundatur in potentia eius, ſupra quam ſolùm addit inclinationem: ſed potentia materiæ æqualiter reſpicit omnes formas: ſicut

accidens ei ſuperadditum, ſed ipſammet eſſentiam materiæ. Ita D. Thom. expreſsè 1. part. quæſt. 115. art. 1. ad 2. his verbis: *Actus ad quem eſt in potentia materia prima, eſt ſubſtantialis forma: & ideo potentia materiæ non eſt aliud quàm eius eſſentia.* Et eſt communis ſententia ſcholæ, quam ſequuntur omnes moderni, *& videtur nobis vera, & neceſſariò tenenda in doctr.* Ariſtotelis.

Probatur quòd ſit vera hoc argumento deducto ex verbis eiuſdem D. Thom. hoc modo: Potentia ſumit ſuam ſpeciem ab actu, ad quem per ſe ordinatur, vt docet Ariſtoteles 2. libr. de anima, cap. 4. ergo talis eſt potentia, qualis eſt eius actus: ſed actus, ad quẽ per ſe ordinatur potentia materiæ, eſt ſubſtãtialis: cũ ſit ipſamet ſubſtantialis forma; ergo potentia ipſa etiam ſumpta pro aptitudine proxima, & non propria paſſio eius, vel accidens ſuperadditum, vt aſſerit prima ſententia.

Probatur 2. neceſſariò tenendum eſſe in doctrina Ariſtotelis quòd etiam pro aptitudine proxima ſit ſubſtantialis materiæ, ex lib. 8. Meta. tex. 15. vbi cùm rationem quæſiſſet, propter quã homo eſt vnum per ſe, ſubſtantiale, ex materia, & forma compoſitum, his verbis reſpondet: *Quòd ſi quemadmodum dicimus, hoc quidem materia, hoc verò forma eſt, & hoc quidem potentia, hoc verò actu, profectò non videtur amplius dubitatio eſſe, quod quæritur.*

Ex quibus tale argumentum colligo: Ideo aſſerit Ariſtoteles hominem eſſe per ſe vnum ſubſtantialiter, quia componitur ex potentia, quæ eſt materia, & ex actu, qui eſt forma; ergo materia eſt potentia ſubſtantialis ex mente ipſius, & forma actus ſubſtantialis: quare in doctrina eius non poteſt ſuſtineri, quòd potentia materiæ per quam recipit formam, & componit totum, ſit accidentalis, etiam ſi ſumatur pro aptitudine proxima: quia per hanc recipit formam, & componit cum ea compoſitum ſubſtantiale.

Sed vt clariùs conſtet veritas noſtræ ſententiæ, & deceptio oppoſitæ, faciliúſque argumenta ſoluantur, vnum eſt notandum, nempe ſuperadditas potentias ſubſtantiis neceſſarias eſſe ad actus accidentales præſtandos: quia ſubſtantia creata operatur medio actu accidentali, & non per ſeipſam, ſicut operatur ſubſtantia increata, & ideò non eſt immediatè operatiua per ſe, ſicut increata, ſed indiget quibuſdam virtutibus ſuperadditis (quas vocamus potentias) ad tales actus accidentales producendos, ſed materia prima per ſe ipſam eſt receptiua formæ, tanquã actus ſubſtantialis, quare non indiget potentia, quæ ſit accidens ſuperadditũ ad eam recipiendam. Imò nec eam poteſt recipere 39

recipere media potentia accidentali. Probatur euidenter: quiã ſi eam reciperet media potentia accidentali, actus ipſe recipiẽdi, aut receptio ipſa accidentalis eſſet; quia actus, & potentia eiuſdem ordinis ſunt, receptio autem accidentalis; vel eſt accidentalis vnio, vel infert accidentalem vnionem; ergo materia, & forma vnirentur accidentaliter ad compoſitionem totius. Et ex vnione accidentali partium non poteſt reſultare, niſi totũm accidentale, ideò compoſitio ex materia, & forma eſſet accidẽtalis, & compoſitum ex ea reſultans totum accidentale, quod patet eſſe falſum. Quare dicẽdum eſt, materiam eſſe ſuammet potentiam, & per ſe ipſam recipere formam, non per aptitudinem, vel potentiam ſuperadditam, vnde diſtinctio illa potentiæ, pro aptitudine proxima, vel pro radice eius, non habet locum in materia, ſed ſolum in potentiis accidentalib. pro actibus etiam accidentalibus producendis conceſſis naturis ſubſtantialibus.

Ad primũ argu. diſtinguendum eſt antecedens, nam duobus modis contingit potentiam eſſe alicuius, & ordinem dicere ad actum; primò alicuius per ipſammet potentiam ſubſtantialiter conſtitui, & talis eſt potentia materiæ, quæ ordinem intrinſecum ad formam dicit, tanquam ad actum ſubſtantialem, & ex vtroque intelligitur eſſe ſubſtantialẽ. Secundo modo dicitur eſſe alicuius, tanquam extra eius eſſentiam, & ideò ordinem dicere ad actum, non eſſentialem, ſed accidentalem, & talis potentia præſupponit illud, cuius eſt, tanquam ſubiectum, & ideò eſt eius accidens, & relationem dicit accidentalẽ ad actũ, etiam accidentalem, & tales ſunt potentiæ ſuperadditæ ſubſtantiis, ſed cùm potentia materiæ conſtituat materiam ipſam eſſentialiter noſtro modo intelligendi (nã ex natura rei potius eſt ipſamet materia) negandum eſt, quod infertur, potentiam materiæ præſupponere materiam ipſam tanquam ſubiectum, vel reſpectum dicere ad formam, tanquam ad actum accidentalem.

Ad ſecundũ, negandum eſt antecedens, quòd potentia deſinat eſſe, vel extinguatur per actum, ſed remanet cum eo, non tamen ſubeſſe imperfecto, quod habebat ſine actu, ſed perfecta per ipſum, ideò potentia materiæ non extinguitur per aduentum formæ, ſed perfecta potius per eum permanet, licèt non permaneat ſub eſſe imperfecto, quod habebat, dum carebat forma, & ea priuata dicebatur, ſed priuatio ceſſat, & potentia materiæ perficitur.

H 2 QVÆS

QVÆSTIO VII.

An materia habeat appetitum ad formam.

TRia ſunt explicanda de appetitu materiæ ad formam, An ſit, Quid ſit, Et quonam modo diſtinguatur à materia. Ex quorum explicatione ſoluentur quædam alia dubia ſcitu digniſſima de eodem appetitu. Circa primum fuit prima opinio Auicennæ 1.lib.ſuæ ſufficientiæ, negantis omnino appetitum aliquem in materia:quod viderur etiam tenere Alber. Mag.1.lib.Phyſ.tract.3.cap.7. Et probatur teſtimonio Ariſto. 1.libr. Magnorum moral. cap.11. & 12. vbi tres tantum enumerauit ſpecies appetitus, Cupiditatem, Furorem, & Voluntatem, & omnes docuit præſupponere aliquam cognitionem boni,quia omnis appetitus debet verſari circa bonum:ſed conſtat in materia nullam eſſe cognitionem; ergo neque vllus erit appetitus. Etſi dicas non loqui Ariſtotelem de appetitu naturali,ſed de elicito, qui ſequitur formam apprehenſam, & ideo non tollere appetitum materiæ,qui eſt naturalis. Contra hoc eſt,expreſſum teſtimonium D.Tho.1.par.q.87.art.4.aſſerentis appetitum naturalem procedere à forma naturali, ſicut appetitus elicitus procedit à forma apprehenſa,ſed materia ex ſe nullã habet formã; ergo nec habebit naturalem appetitum. 40

Sed probat Auicenna hoc argumento: materia non appetit formam,quia ea careat:cùm ſemper habeat aliquam formã,nec etiam appetit alteram diuerſam ab ea,quam habet:quia tædio afficiatur erga hanc:cùm æqualiter hanc,& omnes reſpiciat:ſed neque ab aliquo impellitur, vt in aliam formam tendat; ergo nulla eſt ratio,quare appetat habere alias formas,nec ideo dabitur in ea aliquis appetitus.

Secundò probatur: quia appetitus debet eſſe alicuius boni, cùm malum,vt tale,non ſit appetibile:ſed ſi ponatur appetitus in materia, erit circa malum; ergo non debet poni. Probatur minor: quia nemo appetit bonum, quod iam habet; ergo materia non appetit formam, quam habet, ſed quam non habet, ſed hanc non poteſt habere, niſi per expulſionem eius, quam habet,& conſequenter per corruptionem huius compoſiti:& corruptio eſt malum, non ſolùm eiuſdem compoſiti, & formæ præſentis,ſed ipſiuſmet materiæ, quæ per corruptionẽ amittere debet eſſe ſpecificum, quod accipit ab hac forma, & aliquando loco eius acquirere aliud eſſe minus perfectum, ſi forma aduenięns imperfectior ſit; ergo repugnat, quod ponatur appetitus in materia,quin ſit circa malum,non ſolùm alterius,

rius,ſed proprium,imò circa malum totius naturæ, quia appetitus iſte erit principium omnium corruptionum, & ſine illo permanebunt omnia, eruntque perpetua: perpetuitas verò eſt maximum bonum totius naturæ, & continua corruptio rerum naturalium maximum malũ,quare non debet poni in materia.

41 Secunda opinio eſt expreſſa apud Ariſt. in hoc 1.lib. text.81. vbi aſſerit materiã appetere formã,ſicut turpe appetit pulchrũ, & apud D.Th.1.part.q.59.art.2.quos ſequuntur cæteri omnes interpretes huius loci, *& hæc eſt vera, & tenenda.*

Probatur hac ratione deducta ex eodem teſtimonio Ariſto. Vnumquodque appetit naturaliter bonum ſibi proportionatum,atque conueniens, quod ex ſe non habet, & illud habere maxima perfectio eius eſt, ſed forma eſt quaſi diuinum quoddam bonum,cùm afferat ſecum ſpeciem, & eſſentiam completam,ac determinatam, per quam res aſſimilatur Deo, quibus bonis conſtat carere materiam, & eſſe ſibi valde proportionata,atque conuenientia; ergo naturali appetitu dicetur appetere formam,vt dum eam recipit,dicere poſſit, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Quid ſit appetitus materiæ, & quomodo ab ea diſtinguatur.

42 SEd vt ſententia Ariſto.& communis meliùs intelligatur, & argumenta faciliùs ſoluantur, duo alia explicanda ſunt, nempe, quidnam ſit appetitus materiæ, & quomodo ab ea diſtinguatur. Et vtrumque intelligere poſſumus ex doctrina D. Thom.1.part.q.80.art.1.vbi ait appetitum cuiuſlibet rei à forma eius procedere: & ideo ſecundùm diuerſitatem formarum diſtinguendos eſſe diuerſos appetitus: ſed forma duplex eſt, Naturalis,& Intentionalis. Naturalis dicitur Phyſica,tribuens rei ſpeciem, vt anima rationalis eſt forma Phyſica hominis. Intentionalis verò eſt principium cognitionis, per quod potentiæ cognoſcitiuæ cognoſcunt ſua obiecta. Cognitio autem duplex eſt,Senſitiua,& Intellectiua, & ideo forma intentionalis vna eſt, ſenſitiua, vt ſpecies coloris, per quam viſus eum cognoſcit. Alia eſt intellectiua: vt ſpecies intelligibiles Petri, vel hominis, per quam intellectus eum cognoſcit,dicitur forma intentionalis intellectiua. Secundùm hanc igitur diſtinctionem formarum,diſtinguendi ſunt appetitus, & ideò vnus eſt naturalis, qui procedit à forma naturali, vt appetitus, quem habet lapis ad centrum procedens ex propria eius forma ſubſtantiali, naturalis dicitur. Alter eſt appetitus cognitionis, qui eſt potentia,per quam tẽdimus in bonum ſuppoſita cogni-

tione eius. Et eſt duplex, ſicut cognitio ipſa, quam præſupponit, & ſequitur. Vnus eſt ſenſitiuus, per quem tendimus, & deſideramus bona ſenſibilia. Alter eſt rationalis, per quẽ tendimus, & deſideramus bona intelligibilia: & appetitus iſte rationalis eſt voluntas exiſtens in anima rationali, tanquam potentia eius, cùm appetitus ſenſitiuus, in aliqua parte corporis ponatur, tanquam potentia ſenſitiua, atque corporea.

Relicto autem appetitu cognitionis: quia non pertinet ad 43
præſentem tractatum: Naturalis diuiditur in totalem, atque completum, qui ſequitur naturam completam: & talis eſt grauitas in lapide per quam inclinatur in centrum, & illud dicitur appetere. Et appetitus iſte completus, vnus eſt accidentalis, qui ſequitur naturam completam eſſentialiter, & ſubſtantialiter, & ideo ordinatur in bonum accidentale, vt appetitus lapidis in centrum. Alter eſt ſubſtantialis: quia procedit à natura quidem completa eſſentialiter, non tamen ſubſtantialiter, & ordinatur in bonum ſubſtantiale, per quod cõpletur ſubſtantialiter. Appetitus ſubſtantialis dicitur, quẽ habet natura totalis, & completa eſſentialiter, ad proprium terminum ſubſtantialem, per quem completur ſubſtantialiter, vt inclinatio cuiuſlibet naturæ compoſitæ ex materia, & forma, vel etiam ſpiritualis ad propriam ſubſiſtentiam, per quam completur ſubſtantialiter & conſtituitur in ſuppoſito, vel perſona, nam licèt completa ſit eſſentialiter, incompleta cenſetur ſubſtantialiter, quouſque per ſubſiſtentiam, conſtituatur.

Appetitus autem iſte ſubſtantialis non eſt accidens ſuper- 44
additum eidem naturę, ſed eſt ipſamet natura eſſentialiter cõpleta, quæ per ſe ordinatur in proprium bonum ſubſtantiale, per quod ſubſtantialiter completur. Alter eſt appetitus incompletus, qui ſequitur naturam incompletam, & iſte eſſentialis vocatur: quia in complementum eiuſdem rei ad eſſentiam pertinens ordinatur, & talis eſt appetitus materiæ ad cõſtituendum compoſitum, tanquam ad finem, & vt formæ coniungatur, tanquam ad medium, nam vnio materiæ cum forma in eum finem ordinatur à natura, vt conſtituatur per eam compoſitum ſubſtantiale, per cuius ſpeciem materia etiam perficiatur in ea conſtituta, quam ex ſe non habebat. Similiterq; appetitum habet forma vt coniungatur materiæ, & conſtituat compoſitũ, licèt ex diuerſa cauſa procedat quia non tam ex indigentia boni, quã vt proprium bonum cõmunicet eidem materiæ, & ſuo modo cõpoſito. Et licèt iſte appetitus incõpletus, ex propria ratione incõpleta habeat, vt non ſemper procedat à forma, ſed ſemper ab eſſẽtia procedit, quæ quaſi forma rei eſt,

& ideo

& ideò ſuo etiam modo à forma procedere dicitur. Nec eſt accidens ſuperadditum naturæ, vel eſſentiæ rei, quia non habet pro termino aliquid accidentale, ſed eſt ipſamet natura, & eſſentia rei incompletæ, atque imperfectæ eſſentialiter, & ad propriam perfectionem, & complemẽtum eſſentiale ordinata.

45 Ex quibus ſequitur, quonam modo diſtinguatur appetitus materiæ ab eadem materia, non enim diſtinguitur realiter, nec ex natura rei, ſed ſola ratione, ſicut dicebamus de potentia eiuſdem materiæ. Quod hoc modo probandum ſimul, & explicandum eſt: Talis eſt appetitus, quale eſt bonum illud, in quod ordinatur. Sed appetitus materiæ non ordinatur in bonum accidentale, ſed eſſentiale; ergo non eſt accidentalis, ſed eſſentialis: & conſequenter non eſt accidens aliquod ſuperadditum eſſentiæ eiuſdem materiæ; ſed ipſamet eius eſſentia vt inclinata & propenſa in proprium bonum, & complementum eſſentiale; quare non erit entitas realis diſtincta ab eadem eſſentia materiæ, ſed ſolùm diſtinguetur ratione, ſicut potentia, imò ſola ratione ab ipſamet potentia, ita vt eadem eſſentia materiæ in quantum receptaculum eſt formæ, ſit potentia: ſed in quantum in eandem formam, quam poteſt recipere, inclinatur, & propenſa eſt, ſit appetitus ad formam. Sed priùs intelligimus potentiam in materia, quàm inclinationem, & ideò priùs potentiam, quàm appetitum, imò appetitum intelligimus quaſi potentiam conſequi: & ideò dicimus appetitum conſequi materiam, aut potentiam eius. Quæ ſecundùm rationem intelligenda ſunt, non ſecundùm conſequentiam realem, vel naturalem, cùm nulla ſit diſtinctio realis, vel ex natura rei inter eſſentiam materiæ, potentiam eius, & appetitum.

Secundò notandum eſt appetitum ſecundùm ſe non reſpicere rem abſentem, nec præſentem, ſed ab vtraque conditione abſtrahere, & ſolùm ex ſe dicere inclinationem, & propenſionem in bonum; quòd ſi abſens fuerit, deſiderium vocabitur idem appetitus; ſi verò præſens, dicetur complacentia, ſiue complacentiæ appetitus. Itaque appetitus rei abſentis imperfectus eſt, & ideò nomine deſiderij imperfectionem non habiti ſignificantis vocatur: appetitus verò rei præſentis perfectus eſt, & ideò perfecto nomine complacentiæ ſignificatur, ſed eadem eſt eſſentialis ratio appetitus ſignificata his tribus nominibus, & ſolùm diſtinguitur accidentaliter, quia, quòd ſit boni abſentis, aut præſentis, accidentia ſunt reſpectu eiuſdem appetitus abſtrahentis ab vtraque. Cuius hæc eſt ratio, quia ſicut abſentia, & præſentia, non ſunt differen-

tię eſſentiales boni, ſed accidentales, ita nec eſſentialiter diſtinguunt deſiderium, & complacentiam ab appetitu, ſed ſolùm accidentaliter, & hoc non realiter, ſed ſecundùm rationem.

Ex his reſpondeo ad teſtimonia Ariſtotelis & D. Thomæ quòd Ariſto. ſolùm loquitur de appetitu cognitionis, non de Naturali, qualis eſt appetitus materię, & D. Tho. loquitur quidem de Naturali, ſed ſolùm de completo, qui ſequitur veram formam, per quam conſtituitur res completa, non verò de appetitu materiæ, qui incompletus eſt, & ideò non neceſſariò ſequitur formam, neceſſariò tamen eſſentiam rei, ſimilem formę, & ideò ſub naturali conſequente formam fortè comprehenditur à D. Tho. Nihilominus licèt de eo non loquatur, expreſſè eum ponit in materia alio loco à nobis citato. 46

Ad primum argumentum, negandum eſt antecedens, quòd materia appetat formam propter aliquam ex illis tribus cauſis, ſed quia proprius actus eius eſt, & proprium bonum, quo medio proprium finem conſequitur, qui eſt conſtitutio compoſiti, ad quod tam materia, quàm forma ordinantur à natura, itaque materia in omnes formas æqualiter inclinatur, æqualiterque omnes appetit, ſed quas non habet appetit appetitu deſiderij, & quas habet appetitu complacentiæ.

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt, quòd cùm materia omnes formas æqualiter reſpiciat, & in omnes æqualiter inclinetur, nulla eſt quantumcunque perfecta, etiam ſi perfectiones cæterarum eminenter contineat, vt continet anima rationalis, quæ poſſit totaliter ſatiare appetitum eius, hoc eſt intenſiuè, & extenſiuè: nam licèt intenſiuè ſatiare fortè poſſet, non tamen extenſiuè: quia non omnes extenſiuè continet. Vnde, etiam dum habet animam rationalem, cæteras omnes formas appetit. Et ratione huius appetitus principium eſt perpetuitatis rerum naturalium, atque etiam corruptionis earum diuerſa ratione: nam hoc ſecundum habet reſpectu particularium, primum verò in ordine ad totam ſeriem, aut vniuerſitatem earum, illud etiam conuenit ei per accidens, hoc verò per ſe. Nam cùm materia appetat omnes formas, conſequenter appetit diſpoſitiones proprias earum, quæ ſæpè contrariæ ſunt; & cùm multa etiam ſint agentia contraria, quæ eas conantur introducere pro introductione formarum, fit vt materia ſubdita his omnibus agentibus, à contrariis ſæpè patiatur, & ab agente maioris virtutis intenſiores diſpoſitiones ſuſcipiat, & tandem formam, quam introducere intendit, quam cùm non poſſit recipere ſine expulſione eius quam habet, & corruptione compoſiti paſſim ſequũtur corruptiones plurium 47

rerum naturalium : ſed per accidens hoc eſt reſpectu materiæ, cuius appetitus non tendit per ſe in corruptionem, ſed in formam, & compoſitum, à quibus perficiatur. Et ecce quomodo appetitus materiæ eſt cauſa corruptionis rerum in particulari per accidens. Sed cùm per ſe appetat omnes formas, per ſe etiam tendit appetitus iſte in nouam formam, nouumque compoſitum : ita vt non deſtruatur hoc, niſi per nouam generationem alterius, & hoc eſt materiam per ſe appetere nouas generationes rerum, per quas perpetua efficitur ſeries, & vniuerſitas earum : quæ non fieret perpetua, ſi materia non appeteret ſemper nouas formas, non enim ſuccederent nouæ generationes: ſed per continuas corruptiones tandem conſumerentur omnes res naturales.

Ex quibus ad formam argumenti diſtinguenda eſt minor, quòd ſi appetitus ponatur in materia, ordinabitur in malum, nam per ſe falſum eſt, cùm ſemper ordinetur in nouā formam, & compoſitum, quæ ſunt bona ipſius materiæ, & ex qua ordinatione maximum bonum commune reſultat; per accidens verò concedi poteſt, quòd in malum tendat rerum particularium, & aliquando etiam in malum proprium, vel in minus bonum, quamuis hoc vltimum nunquam contingat; nam licèt per aduentum nouæ formæ imperfectioris, perfectiorem amittat, permanet tamen in ea appetitus ad eandem, quam amittit, per quem naturaliter poteſt conſequi alteram eiuſdem perfectionis, ſed ſiue hoc contingeret, ſiue non, ſemper appetitus materiæ per ſe tendit in bonum totius naturæ, tanto excellentius proprio, vel alieno, quanto vniuerſalius.

I. DVBIVM.

An ſit in materia, non ſolùm appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium.

48 SEd reſtant quatuor dubia breuiter ſoluenda pro complemento huius materiæ de appetitu, & eſt primum, An non ſolùm ponendus ſit in ea appetitus ad formam, ſed etiam deſiderium. Et ratio dubitandi eſt ex vna parte, quia deſiderium alicuius boni videtur præſupponere cognitionem eius, quæ cùm non ſit in materia, nec videtur eſſe poſſe deſiderium.

Ex oppoſita verò parte, quòd deſiderium habeat, docet expreſsè Ariſtoteles tex. 81. huius lib. vbi de materia appetente formam ait: *Aliud autem, quòd natura aptum eſt appetere, & deſiderare ipſum ſecundùm ſuam naturam.* Et ratione probatur,

quia ſi appetitus ſit boni non habiti, vocatur deſiderium, ſed materia appetit plures formas, quas non habet; ergo talis appetitus erit deſiderij.

Et ita tenent omnes moderni interpretes, ſed non omnes eodem modo, nam quidam aſſerunt materiam non habere appetitum ad formas particulares, ſed ſolùm ad formam in communi. Quod probant primò, quia deſiderium fundatur in appetitu, & rationē eius ſequitur; ſed materia non appetit formas in particulari, ſed ſolùm cōmunem rationem formæ amiſſibilis, ſicut viſus non tendit in colores particulares, ſed ſolùm in communem rationem viſibilis; ergo nec deſiderat aliquam in particulari. Secundò, quia deſiderium verſatur circa bonum non habitum, cuius carentiam præſupponit in deſiderante; ſed materia nulla forma in particulari caret, cùm ſemper habeat aliquam in qua continetur communis ratio formæ amiſſibilis, quæ eſt proprium obiectum appetitus eius: ergo nec aliquam deſiderat in particulari. Et certè, ſi aliquam deſideraret in particulari, violenter detineretur ſub eius oppoſita, vt ſi deſideraret formam ignis, violenter detineretur ſub forma aquæ, quod eſt falſum, quia materia ſub nulla forma poteſt detineri violenter, ſed potius in quacunque complacet, tanquàm in bono ſibi proprio ac proportionato.

Mihi tamen non placet hæc ſententia, ſed aſſero materiam habere appetitum, non ſolùm ad formam ſub ratione communi amiſſibilis, ſed etiam ad quaſcunque in particulari. Quod probo primò, quia euidens eſt materiam habere potentiam non ſolùm reſpectu formæ in communi, ſed etiam reſpectu particularium, quas conſtat recipere poſſe naturaliter; ſed potentiam naturaliter ſequitur inclinatio, & propenſio, in quibus conſiſtit ratio formalis appetitus; ergo habet etiam appetitum ad omnes in particulari: & appetitus, ſi ſit de re non habita, eſt deſiderium; ergo habet etiam deſiderium reſpectu omniū. Secundò, quælibet forma in particulari eſt actus perficiens materiam; ergo eſt maximum bonum eius, ſibique proportionatum, & quod naturaliter poteſt conſequi; ſed res quælibet naturaliter appetit bonū ſibi proportionatum, quod poteſt naturaliter conſequi; ergo materia appetit omnes formas in particulari. 49

Sed notandum, diuerſo modo appetere eas ſub ratione communi formæ amiſſibilis, & ſub ratione particulari, nam primariò, & adæquatè reſpicit communem rationem formæ amiſſibilis, quæ eſt adæquata ratio obiectiua appetitus: particulares verò inadæquatè quidem, quia nulla forma particularis, vt talis, eſt

lis, eſt adæquata ratio obiectiua, ſed inadæquata, quia aliquid eſt rationis communis ſub ea contentum, atque etiam ſecundariò, & ex conſequenti, quia potentia primò reſpicit communem rationem ſui obiecti, & conſequenter, ac ſecundariò rationes particulares ſub ea contentas. Et ita appetitus materiæ, & ex conſequenti deſiderium ordinatur ad formas in particulari, non quidem ſimul habendas, ſed ſucceſſiuè.

Ad primam argumentum diſtinguenda eſt minor, quòd materia non appetat formas in particulari, nam primariò, & adæquatè verum eſt: ſecundario & inadæquatè falſum: & eodem modo tendit ad illas per deſiderium. Et eodem modo ſoluitur ſecundum, diſtinguendo minorem de carentia primaria, & adæquata, vel ſecundaria, & inadæquata, & de prima concedenda eſt, de ſecunda verò neganda.

Aliud tandem, quod dicitur, ſi materia deſideraret formam contrariam ei, quam habet, violenter ſub ea detineretur, negandum eſt, quia licèt appetat formam contrariam, non quidem vt contrariam, ſed vt continetur ſub ratione communi amiſſibilis formæ, quæ eſt adæquata ratio obiectiua deſiderij, ad quod per accidens ſe habet contrarietas, ſicut ad ſenſum tactus per accidens ſe habet contrarietas caloris, & frigiditatis, quas non reſpicit vt contrarias, ſed vt conueniunt in communi ratione qualitatis tangibilis, ſub qua continentur, tanquàm ſub adæquata ratione obiectiua talis ſenſus.

II. DVBIVM.

An materia æqualiter appetat omnes formas, vel nobiliores magis.

50 PRima opinio modernorum aſſerit, non æqualiter appetere omnes, ſed magis nobiliores. Quod probant ex appetitu rationali, qui eſt voluntas, tendente quidem in bonum, tanquàm in obiectum proprium, ſed magis inclinato in maius bonum, quàm in minus, magiſque illud appetente, ergo eadem erit ratio de appetitu naturali materiæ, conceſſo ab authore naturæ perfectiſſimè cognoſcente bonum.

Noſtra tamen ſententia eſt materiam æqualiter reſpicere omnes formas, & abſque vlla determinatione, ita, vt quantum ex parte ſua non magis determinetur ad perfectiorem, quàm ad imperfectiorem recipiendam, ſed ab agente ſolùm determinatur. Quod ſic probo; appetitus materiæ fundatur in potentia eius, ſupra quam ſolùm addit inclinationem: ſed potentia materiæ æqualiter reſpicit omnes formas: ſicut

ſicut æqualiter poteſt omnes recipere; ergo inclinatio eius, quæ eſt appetitus, æqualiter etiam omnes reſpicit. De appetitu verò rationali diuerſa eſt ratio, quia fertur in bonum cognitum per rationem præferentem vnum alteri, & determinantem eandem voluntatem, quantum ad ſpecificationem ſuorum actuum, quæ ideò in diuerſa bona tendit, vt à ratione cognita, & indicata, quo iudicio maius bonum minori præfert & ideò voluntas ipſa magis in illud, quàm in hoc inclinatur, apppetitus verò materiæ, cùm non ſequatur cognitionem, nec vllam habet diſcretionem maioris, vel minoris perfectionis formarum, ſed æqualiter omnes ex ſe reſpicit, & ab agente naturali determinatur ad recipiendum vnam potius, quàm alteram.

III. DVBIVM.

An materia appetat nobiliorem formam, dum minus nobilem habet.

CVi etiam reſpondent plures moderni non appetere nobiliorem pro tempore, quo habet minus nobilem, quia forma minus nobilis comparatione nobilioris non eſt bonum, ſed malum; in malum verò non poteſt tendere appetitus. Vnde plures aſſerunt voluntatem quantumuis liberam ſemper eligere maius bonum, ita vt non poſsit eligere minus in comparatione maioris; ergo nec materia appeteret formam minus nobilem, dum habet nobiliorem. Et D. Thom. 3. p. q. 4. art. 2. ad. 8. aſſerit humanitatem Chriſti non appetere propriam perſonalitatem, quia terminatur per diuinam in infinitam nobiliorem. 51

Dicendum tamen eſt materiam etiam pro tempore, quo habet nobiliorem formam, appetere minus nobilem. Probatur primò, quia dum habet nobiliorem, habet potentiam recipiendi minus nobilem; ſed potentiam ſequitur inclinatio, quæ eſt appetitus; ergo appetit ignobiliorem. Secundò quia ſi eam non appeteret, non poſſet naturaliter amittere nobiliorem & conſequenter non poterit naturaliter corrumpi compoſitum, quod cum nobiliori forma conſtituit, & ita homo erit naturaliter incorruptibilis, quod eſt abſurdum. Non eſt tamen intelligendum minus nobilem appetere, dum nobiliorem habet, ſimul cum ea recipiendam, ſed ſucceſsiuè.

Ad argumentum reſpondetur negando maiorem, quòd minus bonum comparatione maioris ſit malum ſimpliciter, non eſt enim niſi malum ſecundùm quid ex parte imperfectionis; 52

ſed

ſed ſimpliciter bonum; & ideò poteſt in illud tendere appetitus, etiam in comparationem minoris boni. Vel ſecundò etiam reſponderi poteſt, appetitum materiæ non diſcernere inter maius, & minus bonum, ſed naturaliter, & abſque vlla differentia tendere in vtrumque, & ideò æqualiter, quia non præſupponit cognitionem boni, & ideò materia non minus appetit formam minus nobilem, dum nobiliorem habet, quàm hanc, dum habet illam.. Diuerſa igitur ratio eſt de electione voluntatis, quę prǽſupponit conſilium intellectus, quo medio diſcernit inter maius, & minus bonum, & vnum præfert alteri, ſicut prælatum eſt per conſilium. Quamuis probabilius mihi ſit poſſe voluntatem eligere minus bonum in comparatione maioris propter ſuam libertatem, vt alibi oſtenditur. Ad aliud denique de humanitate Chriſti, reſpondeo diuerſam eſſe rationem de illa ac de materia; quia non appetit plures, vel omnes perſonalitates, ſicut materia prima appetit omnes formas, ſed determinatur appetitus eius ad perſonalitatem propriam, & cùm habeat aliam, in qua continetur perfectius propria, quàm vt eſt in ſe, ſatiatus eſt appetitus eius, & propterea non appetit propriam: materia verò appetit omnes formas, quare non poteſt ſatiari appetitus eius per vnam quantumcũque perfectam, quia non continet extenſiuè omnes.

IV. DVBIVM.

An materia appetat etiam formas, quas iam amiſit.

53 Reſpondent aliqui ſub hac diſtinctione, appetitus poteſt ſumi ſtrictè, & propriè, pro inclinatione in rem poſsibilem, quam naturaliter poteſt conſequi habens ipſum, & hoc modo non appetit materia eaſdem numero formas, quas ſemel habuit, quia repugnat naturaliter eaſdem iterum recipere: cùm non ſit agens naturale, quod poſsit eas iterum inducere in materiam, vel ex potentia eius educere. Alio modo ſumi poteſt appetitus impropriè pro quacunque aptitudine ad formã, & ita acceptus circa formas iam habitas verſatur, cùm materia ſit apta eas recipere.

Tenendum tamen eſt materiam verè, & propriè appetere formas iam habitas. Quod probatur hac ratione: Verè, & propriè datur potentia ad illas formas in materia, quas non minus ex parte ſua recipere apta eſt, quàm erat apta ad eaſdem recipiendas, priuſquam eas haberet: ſed modò eas non habet: ergo habebit priuationem earum. Probatur conſequentia, quia priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto: repugnat autem

autem priuationem dari ſine appetitu; ergo neceſſe eſt concedere in materia verum, ac proprium appetitum ad eaſdem formas, quas ſemel habuit.

Ad argumentum verò hac diſtinctione reſpondetur, eſſe aliquid impoſsibile reſpectu alicuius potētiæ, vel appetitus duobus modis contingit, vel ab intrinſeco, quia non habet proportionem cum eo, vel ab extrinſeco, quia ab aliquo extrinſeco impeditur, ne illud conſequatur. Et ſi primo modo ſit impoſsibile, non poteſt circa illud verſari appetitus. Si verò ſecundo modo poterit, quia impedimentum extrinſecum non tollit proportionem obiecti cum potentia, nec etiam inclinationem eius, quæ eſt appetitus. Formam igitur iam habitam poteſt materia recipere, quantum eſt ex parte ſua, quia eandē habet proportionem talis forma cum potentia eius, quam habebat, priuſquam reciperet eam, & ideò eadem inclinatio, idēque proinde appetitus ad illam permanet. Impoſsibilitas verò naturalis eam iterum recipiendi prouenit ab extrinſeco, quia non poſſunt redire eædem numero diſpoſitiones per virtutem agentis naturalis, & ideò non poteſt iterum induci eadem forma.

Et ſi dicas, voluntas non poteſt appetere rem iudicatam impoſsibilem, etiam ab extrinſeco; ergo nec materia appetet formam, quam habere non poteſt, etiam ab extrinſeco. Reſpōdeo diuerſam rationem eſſe de appetitu cognitionis, & purè naturali, qualis eſt appetitus materiæ: nam ille appetit finem, vt conſequendum per media, & ideò ſufficit media eſſe quomodocunque impoſsibilia in apprehenſione, vt non poſsit appetere finem, vt ſic conſequendum. Appetitus autem naturalis ſolum reſpicit bonum ſecundùm proportionem, quam ſecum habet, & ideo circa illud verſatur, etiam ſi ab extrinſeco ſit impedita conſecutio eius, & hęc eſt ratio propter quam materia æqualiter appetit formas, quas habuit, & quas nō habuit.

VLT. DVBIVM.

Quomodo ſe habeat priuatio reſpectu appetitus.

COmmuniter dici ſolet priuationem ſe habere ad appetitum, tanquam cauſam eius. Quód mihi videtur falſum, propter hoc argumentum: Priuatio non eſt entitas poſitiua; ſed quædam negatio in tali ſubiecto, ſed appetitus eſt entitas poſitiua; ergo priuatio non poteſt eſſe cauſa eius. Probatur conſequentia, quia negatio non poteſt habere cauſalitatē realē, & ſi eam haberet circa poſitiuū, effectus eſſet nobilior ſua cauſa. 54

Pro

Pro ſolutione huius dubii notandum eſt, appetitum ſolum dicere inclinationem, & propenſionem in bonum, & ideò abſtrahere à bono abſenti, vel præſenti, & ex conſequenti à deſiderio, & complacentia; nam deſiderium eſt de bono abſenti, aut nondum habito; complacentia verò de bono præſenti, quod iam poſſidetur: & cùm priuatio dicat carentiam vel abſentiam boni, ſequitur appetitum abſtrahere à priuatione, ſicut abſtrahit à bono abſenti, vel non habito, & ideò priorem eſſe priuatione ſecundùm rationem, quia quod abſtrahit ab aliquo, vniuerſalius eſt eo, & conſequenter prius ſecundùm rationem; ergo priuatio appetitum ſequitur; & eum non præcedit, & ita non poteſt eſſe cauſa eius vllo modo, eadem tamen priuatio, quæ ſequitur appetitum, præcedit deſiderium; nam cùm deſiderium ſit de bono non habito, præſupponit carentiam eius in ſubiecto, & ideò præſupponit priuationem in carentia conſiſtentem: medium igitur tenet inter appetitum, & deſiderium, ita vt ſequatur illum, & præcedat hoc, ſed licèt præcedat deſiderium, non poteſt eſſe cauſa illius, etiam ſecundùm rationem, quia non poteſt intelligi, quòd negatio habeat cauſalitatem circa entitatem poſitiuam: ſed ratione prioritatis, quam reſpectu deſiderij habet, quodammodo illud excitat, hoc eſt, non tanquam cauſa illud efficiendo, ſed occaſionaliter: nam carentia boni occaſio quędam eſt fortius appetendi bonum illud, in quod res inclinatur: cùm appetitus rei abſentis ſit deſiderium, verum eſt priuationem occaſionaliter excitare deſiderium; & quia excitatio hæc, licèt non ſit cauſalitas, tamen habet ſimilitudinem cum cauſalitate: quadam ſaltem impropria ratione per ſimilitudinem dicitur priuatio cauſa deſiderij, quod cùm ſit appetitus rei abſentis, dicitur in eodem ſenſu cauſa appetitus; non vt appetitus eſt abſtrahens à deſiderio, & complacentia, ſed vt eſt appetitus deſiderij, vel rei abſentis, aut non habitę, & ecce explicatum, quomodo ſe habeat priuatio reſpectu appetitus, & in quo ſenſu vera eſſe poteſt vulgaris locutio, quòd priuatio ſit cauſa appetitus.

QVÆSTIO VIII.

An materia ſit vna ſpecie, & numero, vel plures.

55 DE ſola materia rerum corruptibilium (quam ſublunarem vocant) procedit quæſtio: nam de materia Cœlorum in libris de Cælo agendum erit, vbi diſputabitur, an ſpecie diſtinguatur vna ab altera, & de ſola vnitate ſpecifica, & numerica,

merica, non de vnitate generica, quia certum eſt omnes materias in genere conuenire corporeæ ſubſtantiæ, ſub quo collocantur, ſed an ſub eo diſtinguatur ſpecie vna materia ab alia vt materia ignis, à materia aquæ, & quælibet harum à materia hominis, & leonis; & rurſus, an diſtinguantur numero, vel vna numero dicatur tota materia rerum corruptibilium: de hoc eſt præſens quæſtio, in qua primò agendum eſt de vnitate ſpecifica, deinde de vnitate numerica, & ita duplicem partem habebit.

Circa primam de vnitate ſpecifica, videtur non omnes materias ſublunares eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed diſtingui ſpecie pro diuerſitate ſpecifica formarum: quia forma tribuit ſpeciem cuicunque rei; ergo ſi aliquam habet ſpeciem materia, à forma ſumi debet, vel per ordinem ad illam, ſed materia reperitur ſub formis ſpecie diuerſis, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo materia, quæ eſt ſub forma ignis, erit ſpecie diſtincta ab ea, quę eſt ſub forma aquæ, ſicq; de cæteris. Secundò compoſitum quodlibet Phyſicum componitur eſſentialiter ex materia, & forma, tanquam ex partibus, & ab illis conſtituitur in ſua ſpecie; ergo partes ipſæ pertinent ad ſpeciem totius, quam componunt, ſed dantur compoſita diuerſarum ſpecierũ, ergo partes eorum debent diſtingui ſpecie: & de formis manifeſtum eſt diſtingui, vt forma hominis à forma leonis; ergo non eſt minus neceſſarium diſtingui materias, & ita non erit vna ſpecie materiam rerum ſublunarium, ſed plures.

Dicendum tamen eſt eſſe vnam ſpeciem, ita tenet expreſsè 56
Ariſtoteles, atque etiam D. Tom. quos ſequuntur cæteri omnes, Ariſtoteles quidem in hoc 1. lib. text. 69. his verb. *Vnum quid igitur principium eſt, non ſic vnum exiſtens, neque ſic vt hoc aliquid, vnum autem ſecundùm quod ratio.* Per rationem eſſentiam, ſeu definitionem intelligens, vt ſolet ipſe, & exponunt interpretes. Et D. Thomas 1. p. q. 69. art. 2. & in 2. diſt. 12. qu. 1. art. 1. ad 5.

Et probatur hac ratione, quælibet potentia ſumit ſpeciem ab actu, & obiecto, non quocunque ſed adæquato, vt potentia viſiua à colore, non hoc aut illo, ſed ab eis ſecundùm communem rationem coloris, aut viſibilis, quæ eſt adæquata ratio obiectiua eius, in qua conueniunt omnes, ſed omnes materię ſublunares tanquam potentię ſubſtantiales reſpiciunt eundem actum adæquatum, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei. Probo minorem, quia materia cuiuſlibet corporis poteſt recipere formam cuiuſcunque alterius diuerſæ ſpeciei, proximè, vel remotè, ſecundùm modum, quo diſponuntur ab agentibus natu-
ralibus

ralibus ex vno corpore generantibus aliud ; ergo qualibet reſpicit omnes. & ſingulas formas eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei ſub ratione formæ amiſſibilis, ex modo informandi deſumpta, quod eſt eundem actum adæquatum reſpicere, à quo ſpecificam habebunt vnitatem. Itaque licèt diuerſæ ſint formæ ſecundùm ſpeciem: conueniunt tamen in eodem modo informandi, quia ſic omnes, & ſingulę informant materiam, vt amitti ab ea poſſint, & ex hoc habent vnitatem ſpecificam, quia ſub hoc modo formali reſpiciuntur à materia.

57 *Vt* autem hæc veritas meliùs intelligatur, & faciliùs ſolui poſſint argumenta, duo notanda ſunt. Primum quòd materia reſpicit quamlibet formam huius, aut illius ſpeciei, non tanquam actum adæquatum, ſed inadæquatum, ſicut potentia viſiua reſpicit colores diuerſæ ſpeciei tāquam inadæquata obiecta. Præterea ſicut diuerſi colores poſſunt ſumi ſecundùm proprias eſſentias, vel vt conueniunt in eadem ratione viſibilis, ſub qua reſpiciuntur à potentia viſiua, & illæ rationes ſunt quaſi obiectiuæ materiales ; hæc verò formalis, à qua ſumitur vnitas potentiæ viſiuæ, & ſub qua diuerſæ rationes materiales habent vnitatem formalem obiectiuam, ſpecificam, & atomam obiectiui ordinis. Eodem modo formæ ſubſtantiales diuerſæ ſpeciei poſſunt ſumi ſecundùm proprias eſſentias, vel ſecundùm modum informandi materiam amiſſibiliter in quo conueniunt omnes. Et prima conſideratio quaſi materialis eſt in ordine ad potentiam materiæ. Secunda verò formalis, & ſub prima reſpiciuntur à materia tanquam actus inadæquati, & quaſi materialiter diuerſi: ſub ſecunda tanquam vnus actus adæquatus vnitate formali adæquata, à qua ſumit vnitatem ſpecificam potentia materiæ, quam nō poteſt tollere diuerſitas ſpecifica formarum quaſi materialis, & inadæquata.. Exemplum eſſe poteſt in materia ſublunari, & cœleſti, quæ non diſtinguuntur ſpecie propter diuerſitatem formarum ſpecificam, quam habent formæ ſecundùm proprias eſſentias, quia quaſi materialis eſt hæc in ordine ad potentiam materiæ, ſed propter diuerſum modum informandi, qui formalis eſt, nam formæ ſublunares informant amiſſibiliter, formæ verò cœlorum modo inamiſſibili. Ex oppoſito ergò, cùm omnes formæ ſublunares eundem modum habeant informandi materiam, habebunt ex conſequenti vnam rationem formalem ſpecificam, & adæquatā ſub qua reſpiciuntur à potentia materiæ, & à qua ſumet materia ipſa vnitatem ſpecificam, quam non tollet diuerſitas ſpecifica earundem formarum, quaſi materialis, & inadæquata in hoc ordine.

Secundò notandum eſt, materiam eſſentialiter eſſe potentiam, & quid incompletum, quare non habet ſpeciem completam, ſed incompletam, in quantum eſt pars corporis, quod eſt prima ſpecies ſubalterna prædicamenti ſubſtantiæ, & hæc ſpecies incompleta eſt ei intrinſeca, & quam habet ex propria natura, ſed præter hanc habet diuerſas ſpecies, ſecundùm quod coniungitur formis diuerſæ ſpeciei; cum quibus diuerſa compoſita conſtituit, ad quarum ſpecies reducitur, ſed ſpecies iſtæ, quaſi extrinſecæ ſunt reſpectu materiæ, vnde paſſim variantur: cùm tamen prima, quam habet reductiuè ſub corpore, inuariabilis permaneat, & ideò cenſetur ei propria, atque intrinſeca, iſtæ verò quaſi aduentitiæ, non quòd non ſit ſubſtantialis, & intrinſeca vnio materiæ cum his formis: ſed quia ſine illa ſaluatur eſſentia materiæ in eo ſolùm conſiſtens, quòd poſſit eas recipere, eiſque vniri tanquam earum receptaculum. Et ex hac diſtinctione intelligitur vnam eſſe ſpeciem incompletam primariam, atque propriam materiæ, ex qua habet vnitatem ſpecificam, quam habere poteſt, ſpecies verò aduentitias, & quaſi extrinſecas tot eſſe, quot ſunt formæ diuerſæ ſpeciei, quibus vnitur, ſed harum diuerſitatem, non tollere vnitatem ſpecificam eius. 18

Ad primum argumentum diſtinguenda eſt maior, nam forma tribuit ſpeciem cuicunque compoſito, quod conſtituit, non tamen materiæ, niſi aduentitiam, & quaſi extrinſecam: quia cùm ex ſe ſit pars diſtincta à forma, ſicut potentia ab actu, per ſe habet ſuam ſpeciem incompletam & inuariabilem, cuius vnitatem non tollit diuerſitas ſpecifica formarum, & cōpoſitorum, quæ reſpectu materiæ quaſi extrinſeca eſt, & aduentitia.

Ad ſecundum diſtinguendum eſt conſequens, quòd partes eſſentiales pertineant ad ſpeciem totius: nam quælibet reducitur ad eam ſecundùm propriam naturam: forma quidem tanquam tribuens eam compoſito, materia verò tanquam eam recipiens, ita tamen, vt non ſit ei propria, & intrinſeca, ſed quaſi accidentalis, & extrinſeca, ex modo habendi illam, quia poteſt adeſſe, & abeſſe, ſalua propria ſpecie incompleta materiæ & proptereà ex variatione eius, aut diuerſitate, nec variatur ſpecies materiæ, nec diuerſæ ſpeciei cenſetur, licèt coniungatur diuerſis formis, & cum eis efficiat compoſita diuerſæ ſpeciei. Sed dubitari ſolet hoc loco an materia ſublunaris adeò ſit imperfecta, vt non ſit factibilis alia imperfectior. Cui reſpondent plures, fieri poſſe aliam materiam reſpicientem formas vnius, aut alterius ſpeciei tantum, & non alias, & hanc fore alterius ſpeciei infimæ, reſpectu materiæ, quæ modò

modò eſt. Mihi tamen videtur non eſſe poſſibilem aliam ſpeciem imperfectiorem materiæ. Primò, quia ſi talis daretur, eo ipſo, quòd poſſet recipere formas vnius ſpeciei, poſſet etiam recipere omnes, quia non poteſt aliquid eſſe capax vnius contrarij, quin etiam ſit capax alterius. Secundò, quia eo ipſo, quòd eſſet materia corruptibilium, eſſet eiuſdem ſpeciei, non enim variat ſpeciem, plures, aut pauciores formas poſſe recipere, dummodo eas quas recipit, amiſſibiliter reſpiciat. Nam iam reſpicerent hæc, & illa materia eandem rationem amiſſibiliter informandi, à qua haberent vnitatem ſpecificam.

Secunda pars quæſtionis de vnitate numerica materiæ.

59 CIrca vnitatem numericam materiæ certum eſt materiam ſublunarem aliquo modo eſſe vnam numero, quia id docet expreſsè Ariſtoteles in hoc 1. lib. textu 60. his verbis: *Oportet ſemper aliquid ſubiici, quod ſit: & hoc etſi numero eſt vnum, at forma quidem non vnum.* Et cum eo omnes interpretes, qui diuerſo modo vnitatem numericam eius explicant.

Primus modus eam explicandi fuit aliquorum aſſerentium duobus modis aliquid eſſe vnum numero, poſitiuè, & negatiuè. Illud eſt vnum numero poſitiuè, quod habet poſitiuam rationem, à qua indiuiduatur, vt Petrus hanc materiam, & hanc formam, à quibus accipit vnitatem numericam. Aliud eſt vnum numero negatiuè, quod ex ſe non habet diſtinctionem numericam. Et hoc modo materia dicitur vna numero, non primo: quia ex ſe nullam prorſus habet diſtinctionem numericam, ſed eam accipit ex formarum diuerſitate. Et ita videtur loqui D. Tho. 1. p. q. 16. art. 7. ad 2. vbi ait: *Materia prima dicitur eſſe vna, non quia habet vnam formam, ſicut homo eſt vnus ab vnitate vnius formæ, ſed per remotionem omnium formarum diſtinguentium.* Vt autem mentem Ariſtotelis, & D. Thomæ explicemus vnum eſt notandum, quod ſicut de vnitate ſpecifica materiæ diximus non eſſe completam, ſed incompletam, & partialem, quia materia ipſa eſſentialiter eſt pars, ſic de vnitate numerica eius eſt certum non eſſe completam, ſed incompletam, & partialem. Præterea ſicut ſpecies eius, quædam eſt propria, intrinſeca, atque inuariabilis, quam habet ex ſe, quia eſt pars corporis, & non ex vnione cum hac, vel illa forma, quia illam haberet, ſi nuda crearetur à Deo. Eodem modo vnitas numerica eius duplex eſt, vna intrinſeca, & ſibi propria, atque inuariabilis, quam habet ex propria entitate reali, & quam haberet, ſi nuda crearetur: altera quaſi extrinſeca, & ad-

uentitia, quam accipit à forma, cui coniungitur, quę pro diuerſitate formarum variatur.

His ſuppoſitis, tribus concluſionibus reſpondemus. Prima 60
eſt, ex propria ratione materiæ, non habetur; quòd tota ſit vna numero, nec etiam quòd ſint plures materiæ numero diſtinctæ, ſed vtrunque habere poteſt, per diuiſionem, ſicut aqua poteſt eſſe vna numero, & plures: vna ſi continuata producatur, vel poſtquam producta eſt diuiſa, continuetur. Hæc eſt ſatis manifeſta, quia materia poteſt eſſe continua, vel diuiſa, & ſi continua ſit, erit vna numero, ſi diuiſa, plures: non quòd continuatio efficiat vnitatem numericam eius, ſed quia per propriā entitatem eſt vna numero, diuiſio verò, aut continuatio occaſionaliter efficit, vt entitas diuerſa eius modum totius, vel partis habeat, & ideò eadem ſit, vel diuerſa per modum partis, vel per modum totius, & dum eſt eadem per modum totius, ſimpliciter eſt vna numero per propriam entitatem habentem modum totius, dum verò diuiſa eſt, diſtincta numero cenſetur ſimpliciter: quia vna diſtinguitur ab alia per propriam entitatem habentem modum totius, cùm prius dum coniunctæ erant, ſolùm diſtinguerentur numero ſecundùm quid, hoc eſt quaſi partiali. Et quia materia diuiditur ſubſtantialiter per diuerſas formas, quibus informatur, quaſi occaſionaliter eſt diuerſa numero per diuerſas formas, & cùm ex ſe nullam habeat formam nec diuiſionem, in hoc ſenſu poteſt dici vna numero negatiuè, in quo loquuntur authores illi, & etiam D. Thomas.

Secunda concluſio, materia in qua ſuccedunt diuerſæ formæ, 61
permanet eadem numero per propriam entitatem, à qua habet quælibet portio materiæ diuiſa ab alia tanquam à ratione intrinſeca, & non à forma, vel compoſito, quòd ſit in ſe vna numero, & diſtincta etiam numero à quacunque alia poſitiuè, & non ſolùm negatiuè. Probatur hac ratione: quælibet talis materia eſt vna numero ſine dependentia à forma, & compoſito, aut à quocunque alio extrinſeco; ergo ex propria entitate tanquam ex ratione poſitiua, & intrinſeca habet propriam vnitatem, ac diſtinctionem numericam. Probatur antecedens, quia etiam ſi materia per poſſibile, vel impoſſibile, deſtructo hoc compoſito, & hac forma, non recipiat aliam, ſed ſine vlla permaneat, erit eadem, ac ſi noua forma informaretur, & nouum compoſitum conſtitueret, & ſi crearetur ſine vlla forma, eſſet eadem numero ac fuit creata ſub forma, nec minus diſtingueretur numero à quacunque alia, à qua diuiſa eſt, ſi nuda crearetur, aut permaneret, ac diſtinguitur, dum eſt ſub

ſub diſtincta forma, & compoſito; ergo non habet vnitatem numericam à forma, & compoſito, aut alio extrinſeco, ſed à propria entitate. Et quòd hæc ſit ſufficiens ratio vnitatis, & diſtinctionis numericæ probatur, quia materia habet propriam entitatem actualem extra cauſas diſtinctam ab entitate formæ, & compoſiti, per quam eſt primum, ac perpetuum ſubiectum omnium generationum, & corruptionum, & cum qua permanet inuariata deſtructis omnibus formis, & compoſitis, quam entitatem, ex conſequenti non recipit ab eis, nec habet dependenter ab eis; ergo per eandem eſt vna numero, & diſtincta etiam numero à quacunque alia materia, & à quocunque compoſito, & forma, & poſitiuè quidem: cùm eadem eius entitas realis, & poſitiua ſit.

62 *Vltima* concluſio, materia accipit quandam vnitatem, & diſtinctionem numericam à forma cui coniungitur, & à compoſito, quod cum ea conſtituit extrinſecam, & quaſi aduentitiam & accidentalem, quæ variatur pro diuerſitate formarum, & compoſitorum, ita vt ab ea dicatur diuerſa numero ſucceſſiuè, ſecundùm ſucceſſionem diuerſarum formarum. Et variatio hæc probat euidenter extrinſecã eſſe hanc vnitatem numericam, quia propria, & intrinſeca indiuiduatio cuiuſlibet rei inuariabilis eſſe debet. Sed quòd ſit accidentalis probatur ex proprio modo ſe habendi ad materiam: nam licèt materia nihil accipiat forma, quòd ſit verum accidens, hæc tamen vnitas, vel diſtinctio numerica, quam ab ea accipit, adeſt, & abeſt ei, ſalua identitate numerica ſibi propria, atque intrinſeca, per quam dicitur eadem numero permanere ſub diuerſis formis; ergo habet modum accidentalem, quare ex ea non dicitur materia vna numero, vel diuerſa ſimpliciter, ſed ex propria, & intrinſeca.

QVÆSTIO IX.

An materia habeat proprietates, & quæ ſint illæ.

63 EXplicatis his, quę ad eſſentiam ſpecificam, & indiuidualem materiæ pertinent, explicandę ſunt proprietates vt rationē eius (quantũ poſſibile eſt) intelligamus. Eſt autem certum nullã habere proprietatem cõpletam, quia proprietates rei ſequũtur naturam eius, ſed materia ex propria natura eſt quid incõpletum eſſentialiter; ergo proprietates eius incompletæ erunt. Secundò certũ eſt proprietates eius nõ eſſe accidentia realia ei ſuperaddita, quæ appellentur propriæ paſſiones, quia cùm materia nullã efficientiam habeat, neq; vllas operationes nõ ſunt ei conceſſæ à natura potentiæ, vel virtutes accidentales ad eas

 efficiendas.

efficiendas. Solum ergo ſunt rationes quędam quas extra eſſentiam eius intelligimus, quaſi ex ea procedentes, & ideò poſteriores ſecundùm rationem, per quam diſtinguuntur ab ea, & non à parte rei, quemadmodũ dicimus ens habere ſuas proprietates, quę ſunt verum, bonũ, & vnum. Proprietates autẽ materię duplices ſunt, nam quædam ſunt communes materiæ ſublunari cum cœleſti, quas primò explicabimus, aliæ verò particulares materiæ ſublunaris de quibus in ſecundo loco agendum erit.

Enumerantur proprietates materiæ in communi.

INter proprietates autem communes materię prima numeratur, quòd ſit ingenerabilis, & incorruptibilis. Hanc proprietatem tribuit Ariſtoteles materiæ ca. 9. huius lib. ſimul probans quòd ei conueniat his verbis: *Incorruptibilem, & ingenitam neceſſe eſt ipſam eſſe, ſi enim fiat, ſubijci aliquid oportet primum, ex quo inexiſtente fiat: hoc autem eſt ipſius natura: quare erit, antequàm fiat.* Quibus tale argumentũ conſtituit, ſi materia fieret per generationem, neceſſariũ eſſet aliud ſubiectum præſupponi, ex quo fieret; ſed repugnat aliud ſubiectum præſupponi productioni eius; ergo repugnat per generationem fieri. Probatur maior ex duobus, ex primo quidem, quia generatio eſt mutatio præſupponens ſubiectum, quòd ſit ſub vtroque termino eius, à quo, & ad quem. Ex ſecundo verò, quia ſi ex nullo præſuppoſito fieret, ex nihilo diceretur fieri, & ideò non per generationem. Probatur etiam minor, quia ſi generationi materiæ præſupponeretur aliud ſubiectum, vel alia materia, aut illa eſſet generabilis, vel non; ſi dixeris eſſe ingenerabilem, iam ſequitur materiam, quæ eſt primum ſubiectum, ingenerabilem eſſe; ſi verò generabilis eſſet, alia deberet præſupponi, ex qua fieret: & ſic in infinitum; daretur ergo proceſſus in infinitum: qui cùm non ſit admittendus, neceſſariò admittendum eſt, quòd materia ſit ingenerabilis. Et eodem ferè modo probatur eſſe incorruptibilem, quia ſubiectum generationis permanere debet poſt corruptionem, alioqui ſi totaliter deſineret, in nihilum cederet, quod corrumpitur, hoc autem pugnat cum ordine naturali rerum, ſecundùm quem corruptioni vnius ſuccedit alterius generatio. Hanc ſententiam Ariſtotelis tanquàm veram, & neceſſariã ſequitur vniuerſa ſchola. Et ideò de hac proprietate materię nemo dubitat.

Secunda proprietas materiæ eſt perpetuam durationem ei deberi, quod ſic probatur: materia non eſt producibilis ab aliqua cauſa ſecunda, ſed ſolùm à prima per creationem; ergo ab ea ſolùm conſeruatur efficienter, quare ſolùm poteſt deſinere

deſinere per ſubſtractionem cōcurſus eiuſdem, ſed conſtat primam cauſam non ſubſtrahere ſuum concurſum, niſi aliqua ſecunda cauſa talem ſubſtractionem poſtulante; non eſt autem aliqua ſecunda cauſa talem ſubſtractionem poſtulans, cùm à nulla dependeat in fieri, neque in conſeruari; ergo non ſubtrahetur talis concurſus naturaliter, & ideò nec materia poteſt naturaliter deſinere, ſed perpetua duratio ei debetur.

64 Si autem aliquis obijciat aduerſus has duas proprietates, ex eis ſequi, quòd materia ſit nobilior forma, & compoſito, quę paſſim corrumpuntur. Neganda eſt conſequentia, quia maior, vel minor nobilitas eſſentialis rerum non colligitur ex duratione earum perpetua, vel temporali, ſed ex nobilitate formæ aut naturæ; & quia materia imperfectiſſimam naturam habet in pura potentia conſiſtentem, minus nobilis eſt eſſentialiter forma, & compoſito, licèt nobilitatem quandam accidentalem habeat ex perpetua permanentia, per quam nobilior eſt vtroquoque accidentaliter.

Tertia proprietas eſt, quòd materia nullam habet ex ſe actiuitatem, ſed ſolùm pati poſſe ab agente. Quam proprietatem tribuit ei Ariſtoteles 2. libr. de Generatione, cap. 9. textu. 53. his verbis: *Pati námque, & moueri materia eſt; agere verò, & mouere alterius potentia.* Et probatur, quòd ei conueniat, hac ratione: agere prouenit ab actu, ſed materia eſt pura potentia, nullum ex ſe includens actum eſſentialiter; ergò nullam poteſt habere actiuitatem, nec ab ea poteſt procedere vlla actio. Hæc autem proprietas materiæ non tollit, quin ab eius eſſentia naturaliter emanet ſubſiſtentia partialis, ſi eam habet, atque etiam relationes incompletæ partis, & materialis cauſæ. Nam emanatio hęc non eſt propria efficientia, nec ad eam requiritur actiuitas, quæ denegatur materiæ: nam hæc ordinatur ad perficiendum alia à ſe, emanatio verò quaſi interna eſt, & ad ſe perficiendum & non alia ordinatur.

65 Quarta proprietas eſt, quòd ſemper ſit coniuncta alicui formæ, cum qua actu componat totum. Et ratio eius eſt, quia materia ex ſe eſt pura potentia, & ideò imperfectiſſimum eſſe habet, natúmque dependere à proprio actu, qui eſt forma, ideò non poteſt, niſi ei vnita conſeruari naturaliter.

Quinta proprietas materiæ numeratur appetitus ad formam. Sed ſi pro inclinatione accipiatur (quæ propriè appetitus dicitur) ad eſſentiam materiæ pertinet, ideò hoc modo acceptus appetitus, non poteſt proprietas vocari, quia proprietates extra eſſentiam rei eſſe debent formaliter. Si verò accipiatur pro appetitu formæ abſentis, quem vocamus de-

ſiderium, non poteſt conuenire omni materiæ, nam cœleſtis non poteſt recipere aliam formam ab ea, quam habet, & propterea nec deſiderium abſentis formæ vnquam habebit. Solùm poteſt eſſe proprietas materiæ, ſi accipiatur pro appetitu complacentiæ actualis, qui ſequitur ex actuali vnione cum forma, & conuenit omni materiæ.

Sexta proprietas materiæ eſt, quòd non ſit cognoſcibilis, niſi per formam. Et ratio huius proprietatis manifeſta eſt, quia materia eſſentialiter eſt potentia receptiua formæ, tanquam proprij actus; ergo eſſentialem dicit ordinem ad actum, quare non poteſt, niſi per eum cognoſci. Sed duobus modis cognoſcitur materia per actum. Primò poſitiuè per poſitiuum ordinem ad actum, quem includit. Secundò negatiuè, per negationem cuiuſlibet eſſentialis actus. Et vt vtrumque modum cognoſcendi materiam ſignificaret Ariſtoteles duplici definitione eam definiuit, quarum prima explicat materiam, vt ſubiectum formæ, ex quo ſimul cùm forma ſit compoſitum, in quibus poſitiua ratio eius conſiſtit. Secunda verò datur per negationem cuiuſcunque actus, dum dicitur: *Materia non eſt quid, neque quantum, neque quale.* Et vterque iſte modus cognoſcendi materiam, poteſt appellari intrinſecus, præſertim primus: cùm ſit per potentiam eſſentialem ordinatam ad actum: atque etiam ſuo modo ſecundus: cùm in eadem ratione eſſentiali puræ potentiæ contineatur negatio actus: nam negationes aliorum, ad eſſentiam cuiuſcunque pertinent. Præter hos autem modos intrinſecos alterum poſuit Ariſtoteles extrinſecum in hoc lib. 1. text. 69. vbi aſſerit materiam eſſe cognoſcibilem per quandam Analogiam, vel ſimilitudinem ad materiam rerum artificialium, hoc modo intelligendam, vt ſicut ſe habet lignum, vel lapis ad formam ſtatuæ quam ei inducit artifex per artem, & de potentia eius educit, & cum qua componit ſtatuam, ita ſe habet materia naturalis ad formam naturalem ſuſcipiendam, quam agens naturale de potentia eius educit, & cum qua in ſe ſuſcepta componit rem naturalem completam vt ignem, lapidem, vel hominem. 66

Sed dubitari ſolet in hac parte, an materia ſit cognoſcibilis conceptu quidditatiuo, diſtincto, & comprehenſiuo, non quidem à Deo, de quo nemo poteſt dubitare, quin eam perfectiſſimè cognoſcat, ſed à creatura. Et de Angelo videtur etiam certum, quòd cognoſcat eam quidditatiuè, atque diſtinctè, cùm diſtinctè cognoſcat omnia prædicata eius eſſentialia. Sed de conceptu comprehenſiuo iam ſuperius dictum eſt à nobis, duobus modis poſſe rem comprehendi, eſſentialiter, aut intenſiuè, 67

ſiuè, vel accidentaliter, & extenſiuè; & comprehenſio eſſentialis habetur ex omnibus prædicatis eſſentialibus, & proprietatibus ab eſſentia dimanantibus diſtinctè cognitis. Accidentalis verò, & extenſiua ex omnibus accidentibus, aut ex tota extenſione, quam res habere poteſt. Illa vocatur notitia ſimpliciter; quæ eſt comprehenſiua, accidentalis verò eam perficit accidentaliter, & ſecundùm quid. Et primam diximus habere poſſe Angelum virtute naturali. Secundam verò non niſi per ſupernaturalem virtutem, quia ad illam nō requiritur cognitio diſtincta omniū formarum, quas recipere poteſt adhuc virtute agentium naturalium, ſed ſufficit quaſdam diſtinctè cognoſcere, reliquas verò confusè, ex eo quòd cognoſcatur ex potentia eius educi poſſe omnem formā amiſſibiliter informantem, ad quam recipiendam eſſentialiter ordinatur. Ad comprehenſionem verò accidentalem requiritur cognitio diſtincta omnium formarum, quæ de potentia eius educi poſſunt naturaliter, quas non videtur poſſe Angelum cognoſcere virtute naturali, ſed ſolùm per diuinam reuelationem, & ideò nec naturaliter, ſed ſupernaturaliter tantùm poſſe materiam extenſiuè comprehendere.

68 De cognitione verò noſtra etiam dicimus, poſſe nos quidditatiuè cognoſcere materiam, quia probabile eſt, quidditatiuè eam definiſſe Ariſtotelem, ſed non poteſt quidditatiuè definiri, niſi quidditatiuè cognoſcatur; ergo poſſumus eam quidditatiuè cognoſcere. Non tamen diſtinctè ſicut Angelus, ſed confusè, quia per ea quæ magna ex parte negationem dicunt, atque etiam communes quaſdam rationes, quas habet cum materia rerum artificialium, vt ex definitionibus ab Ariſtotele deſignatis eſt manifeſtum; per conceptus autem negatiuos, & communes non habetur diſtincta notitia rei, & ideò nec nos diſtinctam habere notitiam materiæ exiſtimamus, & ex conſequenti, neque comprehenſiuam, quia hæc diſtinctam includit, aut præſupponit, & cognitionem omnium proprietatum addit, quas nos non cognoſcimus de materia, vt ex ſe eſt manifeſtum, & hæc de materia dixiſſe ſufficiat.

TRACTATVS II.
De Forma.

1 DE Forma hæc diſputari poſſunt; An ſit, Quid ſit, & Quotuplex. Quomodo fiat in rerum natura, hoc eſt, per eductionem de potentia materiæ, vel alio modo, & quatuor hæc eadem quæſtione explicabuntur. Secundum, an formæ materiales

riales in prima rerum conditione eductæ fuerint de potentia materiæ. Tertium an formæ accidentales educantur de potentia ſubiecti. Quartum, an formæ materiales habeant proprias ſubſiſtentias partiales. Quintum an eam ſaltem habeat anima rationalis. Sextum, an ex forma & materia fiat vnum per ſe. Vltimò, an plures formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem materiam. In ſeptem ergo quæſtiones diuiditur tractatus ſecundus.

QVÆSTIO I.

An forma ſubſtantialis educatur de potentia materiæ.

TRia ſunt præſupponenda, in quibus non habet locum diſputatio, vt ad illud, quod quærimus diſputandum, perueniamus; An forma ſit, Quid ſit, & Quotuplex.

Et quòd forma ſubſtantialis detur in rerum natura præter materiam, vix, aut nullo modo probari poteſt authoritate alicuius Philoſophi Ariſtotele antiquioris. Sed id docuit expreſſis verbis Ariſtoteles in toto hoc 1. lib. & etiam in 2. ca. 1. lib. 7. Meta. cap. 4. & lib. 2. de Partibus animalium, cap. 1. vt omittamus libros de Anima; in quibus de anima, tanquàm de forma rerum viuentiũ, vt de proprio obiecto diſputat, quod tanquàm euidens in Philoſophia naturali recipit ſchola Peripatetica.

Sed his rationibus euidenter probari poteſt, vt res certa notior fiat. Prima, ex conſtitutione naturaliũ ſubſtantiarum quas conſtat non eſſe compoſitas ex ſola materia, & accidentibus, ex quibus neque aliquid ſubſtãtiale, neque aliquid per ſe vnum fieri poteſt, quia ſolùm poſſunt vniri materiæ vnione accidentali; ex vnione autem accidentali non poteſt reſultare, niſi vnum accidentale; ergo ex eis ſolis vnitis materiæ non poterit conſtare naturalis ſubſtantia, ſed neceſſaria eſt alia forma, quæ vniatur eidem materiæ ſubſtantialiter, vt ex vtraque poſſit fieri vnum quid ſubſtantiale.

Secundò probatur ex diſtinctione ſpecifica earundem ſubſtantiarum, ex qua neceſſitatem formæ probauit Ariſtoteles tex. 24. huius libri. Nam materia eiuſdem rationis eſt in omnibus; ergo per illam non poſſunt diſtingui ſpecie: ſed euidens eſt dari ſubſtantias naturales ſpecie diſtinctas, vt hominem, equum, & leonem; ergo euidens eſt etiam dari aliud principium intrinſecum præter materiam, per quod diſtinguantur eſſentialiter. Et hoc eſt forma, cuius propria ratio eſt, diſtinguere ſpecie res à ſe conſtitutas. 2

Tertia

Tertia ratio procedit ex proprietatibus earundem ſubſtantiarum, quę vocantur propriè paſſiones. Nam multa ſunt accidentia, quæ conueniunt ſolis rebus huius, aut illius ſpeciei, valde diuerſis ab aliis, quæ conueniunt rebus aliarum ſpecierum, vt probant capacitas diſciplinæ, admiratio, & riſibilitas ſolis hominibus attributæ. Sed à materia cùm ſit eiuſdem rationis in omnibus, non poſſunt procedere tales proprietates ſpecie diuerſæ; ergo datur aliud principium naturalium ſubſtantiarum, ratione cuius ab eis procedant. Et hoc eſt forma, quæ ſicut ſubſtantias ipſas diſtinguit ſpecie, ita etiam eſt radix diſtinctarum proprietatum.

Probatur tandem ex generatione naturali, per quam euidens eſt non produci materiam ex propria natura ingenerabilem: nec producuntur ſolà accidentia, quia productio accidentium non eſt generatiò ſubſtantialis, ſed quædam alteratio, ergo quid aliud ſubſtantiale neceſſariò ponendum eſt, quod de nouo fiat, vel certè ex quo ſimul cum materia componatur ſubſtantia ipſa naturalis, quæ eſt terminus per ſe factus per generationem. Ex his ſatis conſtat formam eſſe.

Quid autem ſit, per definitionem oſtenditur: & licèt plures definitiones formæ aſſignari ſoleant, hæc videtur nobis breuis, & clara. Forma eſt, *actus ſubſtantialis vnum per ſe conſtituens cum materia*. In qua pro genere ponitur, *actus*. Per quem excluditur materia, cuius propria ratio eſt eſſe potentiam. *Subſtantialis* verò dicitur, vt excludantur accidentia, quæ ſunt accidentales actus. Per cæteras particulas ſignificatur formam eſſe actum incompletum, & partialem, non per ſe ſolùm, ſed ſimul cum materia conſtituentem ſubſtantiam naturalem, vt excludantur ſubſtantiæ ſpirituales, atque etiam corporeę, ex eadem forma ſimul cum materia conſtitutę. nam licèt tam iſtę, quàm illæ ſint actus completi, tamen nihil ſubſtantiale vlterius conſtituentes cum alio.

Quotuplex autem ſit forma deducitur ex variis locis Ariſtotelicæ doctrinę. Nam imprimis vna eſt naturalis, per quam conſtituitur res naturalis, alia artificialis, quæ producitur per artem, vt forma domus, vel ſtatuæ. Deinde forma naturalis, vna eſt ſubſtantialis, alia accidentalis. Tertiò, forma ſubſtantialis vna eſt aſſiſtens, alia informans. Aſſiſtens eſt, quæ per extrinſecam aſſiſtentiam mouet corpus, vt ſubſtantiæ ſpirituales mouentes corpora cœleſtia. Informans eſt, quæ per informationem materiæ conſtituit compoſitum ſubſtantiale, vt forma ignis vel aquę. Et tandem forma informãs vna eſt ſeparabilis à materia, vt forma hominis, quæ dicitur anima

rationalis,

rationalis, alia inſeparabilis ab ea, quæ deſtructo compoſito deſinit eſſe cum eo, & hæc quatuor gradus habet: in primo,& imperfectiſsimo collocantur formæ elementorum.In ſecundo formæ mixtorum non viuentium, vt lapidum. In tertio formæ plantarum.In quarto formæ animalium.

Multis ſolet nominibus vocari forma, quibus diuerſa eius officia, diuerſæque excellentiæ ſignificantur. Dicitur enim Vnum, quia confert vnitatem rebus; Mens, propter ſimilitudinem, quam habet cum diuina mente, á qua procedit eſſe omnium rerum; Pulchrum, quia confert rebus omnem pulchritudinem; Optimum, Finis, diuinum quid, Species, Ratio. Quod quid erat eſſe, Exemplar, Actus, Continens, Terminus, Character, & Forma. 4

His hoc modo præſuppoſitis, tanquam certis, quæſtio procedit de modo quo fiat forma, cuius ſenſus eſt, An dum generatur compoſitum, fiat etiam forma de nouo, vel prius fuerit in materia, per generationem verò vniatur materiæ, & ex vnione vtriuſque reſultet compoſitum, eſt autem certum formam non eſſe, quod fit per generationem, ſed ad ſummum fieri poſſe, tanquam rationem conſtitutiuam compoſiti, quod per ſe, & ſimpliciter fieri dicitur.

Et prima opinio tenet, quòd priuſquam generetur res naturalis, præexiſtebat forma eius actu in materia. Sed non omnes qui hoc tenent, loquuntur eodem modo: nám quidam dixerunt formas omnium rerum præexiſtere in quibuſdam atomis indiuiſibilibus, ex quibus res omnes fiunt. Et ſic ſenſit Anaxagoras, vt in hoc lib. docuit Ariſtoteles. Alii verò quos citat D. Tho. 1. p. q. 45. art. 8. dixerunt formas eſſe actu in materia, priuſquam generetur res, non tamen appetere, ſed quaſi ſub confuſione potentiæ eius latitare, per generationem verò manifeſtas fieri: ita vt illud eſſe actuale, quod quaſi abſconditum habebant priùs, non incipiat per generationem, ſed per eam incipiat fieri manifeſtum. Alij aſſeruerunt formam ante generationem habere eſſe actualem materia, imperfectum quidem & quaſi inchoatum, per generationem verò incipere ſecundùm eſſe perfectum, & conſummatum. Et ad hos reduci poſſunt illi, quorum ſententiam citauit Durandus in 2. d. 18. q. 2. aſſerentes formas præexiſtere in materia ante generationem ſecundùm quaſdam inchoationes, aut poſsibilitates, ſecundùm quas non manent poſt productionem compoſiti per generationem. Deinde reduci poſſunt alij, qui dixerunt formam præexiſtere in materia ſecundùm aliquam ſui partem, & per generationem totaliter fieri, aut incipere. Quod videtur docuiſſe 5

cuiſſe Ariſtoteles de formis artificialibus 7. libr. Metaphyſic. textu 29.

6 Secunda opinio aſſerit, formam ante generationē non præexiſtere vllo modo in materia, nec actu, nec potentia, ſed ſolum in virtute, & potentia cuiuſdam ſuperioris agentis, à quo producuntur, ſed ab agente immediato vniuntur materiæ. Itaque dum generatur ignis ex ligno, forma eius nō præexiſtebat in materia actu, nec potentia, ſed materia ipſa diſponitur ab alio igne, per calorem, & ſiccitatem in ea productam: & in materia ſic ab igne diſpoſita producitur forma ignis à quadā intelligentia: & ſic ab ea producta vnitur materiæ per actionē ignis, & fit generatio noui ignis, eo ferè modo, quo nos dicimus contingere in generatione hominis, in qua homo generans per virtutem ſeminalem diſponit, & organizat materiam, ſic autem diſpoſita materia fit anima rationalis à ſolo Deo, vnitur autem materiæ per eandem virtutem ſeminalem ab homine procedentem, & ita dicitur homo generare hominem ita vt anima, nec actu, nec potentia fuerit in materia, ſed ſolū in potentia, aut virtute Dei eam producentis. Ita formæ ſecundùm hanc opinionem nullo modo præcedebant in materia ſed ſolum in potentia, aut virtute actiua illius intelligentiæ, à qua producebantur. Hanc opinionem attribuere ſolent Platoni, qui in Phædone dixit formas induci in materia ab ideis ſeparatis. Sed eam tenuit Auicenna 1. lib. ſuæ ſufficientiæ, cap. 10. & 9. Meta. cap. 4.

7 Probatur hoc argumento, nam vel forma, ante generationē erat actu in materia, vel ſolum in potentia, vel nullo modo. Sed primum, & ſecundum impoſsibilia ſunt; ergo neceſſariū erit tertium, quòd nullo modo fuerit in materia, ſed ſolum in potentia ſuperioris agentis, à quo producitur diſpoſita materia à generante immediato. Probatur minor, quòd non fuerit forma actu in materia, quia ſi ſic in ea erat ante generationem; ergo erat ei vnita. Probatur conſequentia, quia repugnat actu eſſe in ea, & eſſe ab ea ſeparatam, ſed ex materia, & forma actu exiſtentibus, & vnitis reſultat compoſitum; ergo etiam erat compoſitum, & ideò nihil nouum fit per generationem, quod eſt falſum. Quòd verò non fuerit ſolùm in potentia; Probatur, quia eſſe in potentia materiæ, nihil aliud eſt, quàm eſſe potentiam materiæ ante generationem, & hoc non eſt præexiſtere vllo modo formam, ſed ſolum materiam capacem formæ; ergo concedendum eſt abſolutè, quòd ante generationem non præexiſtat vllo modo forma, ſed ſolum materia potens eam recipere, quod de anima etiam rationali

verum

verum eſt,ante cuius productionem datur materia poteas eam recipere.

8 Tertia opinio eſt Ariſtotelis & totius ſcholæ peripateticæ. Quæ duo aſſerit aduerſus duas has opiniones extremas. Primum eſt quòd forma ante generationem rei naturalis non præcedit actu in materia,contra primam. Secundum, quòd præcedat in potentia materiæ, & non ſolum in virtute agentis contra ſecundam, per generationem verò educi de potentia materiæ,& incipere eſſe actu, cùm ante generationē non pręceſſiſſet actu vllo modo,ſed ſolum in potentia paſsiua materię & actiua agentis,à quo producitur.Intelligitur autem hæc ſententia ab Ariſtotele & tota eius ſchola ſolum de formis materialibus,& non de anima rationali.

Probatur autem vtraque pars huius ſententię contra vtramque ſententiam extremam duobus argumentis. Primò contra primam ſententiam,quòd forma ante generationem non præexiſtat actu vllo modo in materia, quia quocunq; modo dicatur,actu pręcedere,in ea tollitur prorſus generatio ſubſtantialis,hanc autem tolli repugnat,ergo repugnat etiam,quòd forma pręcedat vllo modo actu in materia.Probatur prima cōſequentia,videlicet,quòd tollatur ex eo generatio ſubſtantialis, quia generatio ſubſtantialis ponitur,vt per eam fiat compoſitū ſubſtantiale,quod ante illam non erat,ſed non poteſt fieri cōpoſitum ſubſtantiale per generationem,ſi forma præcedat aliquo modo actu in materia; ergo non præcedit. Probo minorem,quia non poteſt intelligi, quòd forma præcedat actu in materia,niſi tanquam actus in ſua potentia, ſed actus eſt in potentia per informationem; ergo præcedit informando materiam: & ex forma informante materiam, & materia ipſa informata conſtituitur compoſitum ſubſtantiale; ergo hoc etiam præcedit generationem;quare non ſit per illam de nouo ſed ceſſat neceſsitas generationis.

Probatur ſecundò,quòd forma ſaltem debeat præcedere in potentia materiæ contra ſecundam poſitionem; quia ſi non præcedit actu, nec potentia, vt aſſerit, ſed ſolum in potentia actiua agentis,euidenter ſequitur omnes formas ſubſtantiales materiales verè,& propriè creari, non minus quàm anima rationalis:conſequens patet eſſe falſum;ergo poſitio ipſa apertè falſa eſt.Probatur conſequentia,nam quòd formæ ſint in potentia actiua ſuperioris intelligentiæ ante generationem, non tollit creationem earum, nec etiam quòd fiant ab eo in materia iam diſpoſita per actionem agentis proximi, nam vtrumque contingit in anima rationali, quæ ante generationem eſt 9
in po

in potentia actiua Dei, à quo non fit quouſque materia ſit diſpoſita ab agente naturali proximo.& his non obſtantibus verè creatur; ergo etiam creabuntur formæ materiales, ſi nullo modo præcedunt in materia, ſed ſolū in potētia actiua agētis.

Sed cùm præcedat forma in potētia materiæ, aſſerit Ariſtoteles de potentia eius educi per generationem, & ita incipere eſſe actu; cùm ante generationem ſolum præceſſerit in potentia paſsiua materiæ,& actiua agentis. Vtrumque autem explicandum eſt, nempe quidnam ſit formam præcedere in potentia materiæ: & quid etiam educi de potentia eius. Eſſe autem in potentia materiæ, non eſt aliud, quàm præcedere potentiam materiæ, à qua forma nata eſt dependere in fieri, & in eſſe, ita vt ſecundùm propriam naturam, ſicut non poteſt eſſe de ſeparata à materia, ſic etiam non poteſt extra eandem materiam fieri.

10 Quid ſit autem formam educi de potentia materiæ explicuit D.Th.1.p.q.90.art.2.ad 2.aſſerens duo includere.Primū, quòd forma fiat in actu, cùm prius ſolùm eſſet in potentia. Secundum, quòd dependeat in eſſe,& fieri à materia. Et per primā conditionem excluditur prima ſententia ſecundùm omnes modos, quibus ponit formam actu præcedere in materia.Nam ſi per eductionem de potentia materiæ incipit eſſe actu; cùm priùs eſſet ſolum in potentia; ergo non præceſsit actu vllo modo in materia. Secundam verò conditionem, quòd dependeat in eſſe,& fieri à materia, hoc argumento probo, ex modo opereandi cuiuſcunque rei, colligitur euidenter modus eſſendi eius: cùm operationes ſint proximi effectus à natura eius procedentes, ſed forma materialis nullam habet operationem per ſe, ſed omnes dependenter à materia, quia forma ignis non calefacit ſeparata à materia, ſed in ea exiſtens eſt ratio operandi toti compoſito, cui ſolum conuenit per ſe operari: ſicque de cæteris; ergo neque habebit eſſe independens à materia, ſed ab ea dependebit proprium eius eſſe: ſed fieri ordinatur ad eſſe; ergo eodem modo ſe habebit res ad proprium fieri, ſicut ſe habet ad proprium eſſe: eſſe autem formæ habet intrinſecam dependentiam à materia, vt probauimus; ergo eodem modo dependebit à materia in fieri, & ideo educetur de potentia eius.

11 Ad argumentum verò ſecundæ ſententiæ, in quantum contendebat probare, quòd forma non præcedat in materia adhuc in pontentia, neganda eſt maior, quòd formam præcedere in potentia materiæ ſolum ſit præcedere potentiam materiæ, ſed eſt præcedere potentiam materiæ, à qua nata eſt dependere

forma

forma in fieri,& in eſſe,ſicut actu dependet, quando actu educitur de potentia eius, vt explicatum eſt.

QVÆSTIO II.

An formæ Cœlorum, & elementorum eductæ fuerint de potentia materiæ in prima mundi conditione.

QVamuis vniuerſaliter determinatum ſit omnes formas materiales educi de potentia materiæ in continuis generationibus rerum naturalium, habet tamen ſpecialem difficultatem, an in prima creatione mundi eductæ fuerint formæ cœlorum,& elementorum,propter duo. Primum, quia tam corpora cœleſtia, quàm elementaria dicuntur creata à Deo in principio temporis,Gen.1.ſed formæ non producuntur per ſe, ſed ad productionem compoſitorum; ergo ſi creata ſunt corpora cœleſtia,& elementa, per eandem creationem productæ erunt formæ eorum, & ideò ex nihilo, & non eductæ de potentia materiæ: quia talis eductio repugnat creationi, vt omnibus eſt manifeſtum. Secundum,quia eductio formæ de potentia materiæ eadem eſt actio realis,cum generatione totius compoſiti; ergo repugnat formam educi de potentia materiæ quin generetur compoſitum,quod conſtituit, ſed corpora cœleſtia non poſſunt fieri per generationem: cùm ex propria natura ſint ingenerabilia;& incorruptibilia; ergo nec formæ eorum educi potuerunt de potentia materiæ.ſed concreatæ fuerunt ad creationem totius compoſiti, ita vt totalis creatio terminata fuerit ad compoſitum,materia verò, & forma factæ
fuerunt per creationes partiales diſtinctas. Quod confir- 12
mari poteſt,quia eductio formæ de potentia materiæ debet fieri per actionem agentis circa materiam ipſam, & per diſpoſitiones inductas in ea per quas determinetur ad recipiendam hanc formam potius,quàm illam,cùm ex ſe ſit indifferẽs;ergo debet præcedere materia ſub diuerſa forma,vel ſaltem ſub priuatione formæ educendæ,alioqui non poterit moueri ad eam recipiendam: cùm ex priuatione moueatur materia ad receptionem nouæ formę, vt docet experientia in quibuſcunque generationibus rerum naturalium,ſed materia cœlorum, nec potuit præcedere ſub diuerſa forma, quia nulla forma potuit præcedere primam creationem rerum, nec potuit præcedere ſub priuatione formæ educendæ; quia nullius priuationis eſt capax: imo nec potuit recipere diſpoſitiones, quæ cùm ſint accidentia, valde probabile eſt non ſubiectari in materia, ſed

ſed in compoſito; ergo omni ex parte repugnat, quòd tales formæ eductæ fuerint de potentia materiæ. Et ita tenent hoc tempore moderni plures non vulgaris authoritatis.

13 *Secunda* opinio tenet omnes has formas eductas tunc fuiſſe de potentia materiæ, & non factas ex nihilo per partiales creationes, aut concreatas ad creationem compoſitorum. Ita Molina, & Gabriel Vaſques 1 part. quæſtio. 45. artic. 1. & cum eis maior modernorum pars, *& nobis videtur probabilior, & tenenda.*

Probatur primò, ex doctrina D. Tho. tradita quæſt. præcedēti circa eductionem formæ de potentia materiæ, quam duplicem tantum conditionem includere ait. Primam, quòd forma fiat actu in rerum natura, cùm ſolùm eſſet in potentia materię. Secūdam, quòd dependeat in eſſe, & fieri à materia, ſed vtramque cōditionem habuit productio formarum cœleſtium; ergo fuit vera eductio earum de potentia materiæ. Probatur minor, nam conſtat tunc actu incepiſſe, cùm prius non fuerint actu, conſtat etiam dependere in eſſe, & fieri à materia: in eſſe quidem, quia non poſſunt eſſe extra materiam, aut ab ea ſeparari, ſicut nec poſſunt habere vllam operationem, niſi dependentem ab ea, ex quo euidenter ſequitur, quòd dependeant in fieri, quia fieri ordinatur ad eſſe, & ideò, quòd eductæ fuerint de potentia materiæ.

14 Secundò, quia formæ Cœlorum non potuerunt naturaliter produci ex nihilo per creationem totalem, nec partialem; ergo non potuerunt creari, neque concreari, ſed præter creationem non datur actio alia, per quam fieri potuerint, niſi eductio de potentia materiæ, vt eſt ſatis manifeſtum; ergo de potentia materiæ fuerunt eductæ. Probatur primum antecedens, ex duobus, ex primo quidem, quia fieri ex nihilo eſt fieri independenter à materia, vel ſubiecto, ſed formæ cœleſtes non potuerunt fieri, niſi dependenter à materia, ſicut in eſſe dependent; ergo nec potuerunt fieri ex nihilo, vel creari. Ex ſecundo verò, quia creari, vt docet expreſsè D. Thom. 1. part. quæſt. 45. artic. 4. non eſt niſi per ſe ſubſiſtentium; ergo ſicut creari per creationem totalem completam non poteſt, niſi ſubſiſtens completum, ita creari per creationem partialem, & incompletam non poteſt, niſi ſubſiſtens partiale, & incompletum, ſed formæ cœlorum non habent ſubſiſtentias; etiam partiales, vt fatentur omnes, & oſtendetur inferiùs; ergo repugnat, quòd per creationem vllo modo producantur ſeruata natura earum, quare neceſſe eſt produci per eductionem de potentia materiæ, ſola ergo materia potuit produci per creationem partialem, aut incompletam, quia ſubſiſtens

ſiſtens incompletum eſt, vt probauimus. Et quod de formis cœlorum dicimus, intelligendum eſt de formis elementorum, de quibus concedit prima opinio, quòd eductæ fuerint de potentia materiæ.

Circa ſolutionē 1.arg. multa aſſerunt moderni de creatione, vt eam diſtinguant ab eductione formę de potentia materiæ,& conſequēter à generatione,& cæteris actionibus: nos verò pauca dicemus,quia non pertinent ad præſentem cōſiderationem, nec multa neceſſaria ſunt ad talem diſtinctionē intelligēdam. 15

Creatio tres habet acceptiones omſsis aliis. Prima eſt vniuerſaliſſima pro quacunque productione noui eſſe, ſiue ex aliquo præſuppoſito, aut ex nihilo, huius acceptionis meminit D. Augu. lib. de fide,& Symbolo cap.4.& ea vtitur Scriptura ſacra Eccleſ.24. vbi de diuina ſapientia dicitur: *Ab initio, & ante ſæcula creata ſunt.* Et ſolet accommodari filio Dei, qui eſt ſapientia patris, non quidem ex nihilo facta, ſed genita. Secunda acceptio creationis minus vniuerſalis eſt pro ea productione,quæ proximè aut remotè procedit ex nihilo, in quātum res per eam producta ex nihilo fit, vel certè ab aliquo dependet, quod ex nihilo productum eſt, in qua acceptione, quęlibet res extra Deum vocatur creatura, quia vel ex nihilo fit, vel ab aliquo dependet, quod ſit factum ex nihilo, vt à materia, vel alio ſimili. Tertio modo accipitur creatio propriè pro ea tantùm productione, qua res fit ex nihilo.

In qua acceptione ſic definitur ab Aug. t. 2. lib. de Ciuitate Dei, cap. 15. *Creatio eſt productio rei ex nihilo*, & hanc definitionem recipit vniuerſa ſchola. Sic autem explicanda eſt, vt particula, ex, ſolum excludat materiam, aut materialem cauſam, à qua dependenter fiat res, quæ creatur, non efficientem, vel formalem cauſam, quia propria ſignificatio eiuſdem particulæ ad ſolam materialem cauſam determinatur, & ita creationi ſolum repugnat, quòd res fiat dependenter à materia, aut ſubiecto præſuppoſito, non à virtute efficientis cauſæ. Hoc autem modo accepta, ac definita creatio duobus modis ſumitur, completè,& incompletè: completa creatio dicitur productio rei completæ ex nihilo, vt productio angeli. Incompleta verò productio rei incompletæ ex nihilo, vt productio animæ rationalis, vel materiæ primæ. Et concreatio quoque dupliciter ſumitur. Primò vniuerſaliter pro quacunque actione, quæ ſimul eſt cum creatione, vel eam immediatè conſequitur, ſiue talis actio ſit ex nihilo, vel non. Et hoc modo potentiæ animæ, vt intellectus, & voluntas dicuntur concreari, quia naturalis emanatio earum ab anima ſimul eſt cum creatione 16

tione eius. Secundò accipitur magis propriè pro partiali productione ex nihilo facta, licèt coniuncta ſit cum alia creatione, vel eam proximè ſequatur, in qua acceptione nõ poſſũt dici concreatæ formæ materiales, quamuis ſecundùm primã concreatæ dici poſſint, quia verè non fiunt ex nihilo, ſed ex præſuppoſito ſubiecto, ſimul autem fuit productio earum cũ creatione materiæ, quod ſufficit, vt dicantur concreatæ ſecundùm primam acceptionem.

17 Ex quibus reſpõdendum eſt ad locum Scripturæ ſacræ, omnia dici creata à Deo in principio temporis ſecundùm vniuerſalem acceptionem creationis, in quo Scriptura id intendit, quòd omnia, & ſingula acceperint eſſe à Deo in principio tẽporis: cùm priùs neque illud habuerint neque aliquid præceſſerit, ex quo facta ſint. Vnde ſequitur totam mundi machinam ex nihilo factam eſſe, ſed rem quamlibet particularem per actionem conuenientem ſuæ naturæ, nempe angelos, animã rationalem, & materiam primam per creationem propriè ſumptam; cæteras verò formas per eductionem de potentia materiæ, per quam facta etiam fuere compoſita, vt ſtatim explicabitur. Itaque ad fidem pertinet nouum eſſe mundi in initio temporis ex nullo ſubiecto aut aliquo alio præſuppoſito, præter potentiam agentis: productio verò rerum particulariũ creatio quoque dicitur, ſecundùm vnã, vel alterã acceptionem creationis, quod ſufficit, vt omnia dicantur creata, cui non repugnat formas materiales eductas eſſe de potentia materiæ.

18 Pro ſolutione 1. argumenti notandum eſt primò, quòd ad productionem corporis cœleſtis, aut cuiuſlibet elementi, duæ actiones realiter diſtinctę fuerunt requiſitæ, & ſufficientes, prima fuit partialis creatio materiæ ex nihilo: ſecunda verò eductio formę de potentia eiuſdem materiæ. Et illa præceſſit hanc, non ſecundùm tempus, vel inſtans temporis, ſed ſecundùm naturam, vel rationem noſtram, quia priùs intelligimus ſubiectũ eſſe, ex quo educenda eſt forma, quàm formam ipſam, vel eductionem eius, & ſicut concurſus paſſiuus materiæ ad eductionẽ formæ prior natura eſt eductione ipſa, atque forma: cùm ſit cauſa vtriuſque, ita productio materiæ ex nihilo prior natura eſt eductione ipſa & forma in ordine materialis cauſę. Per eductionem autem formæ, ſimul exiuit forma de potentia materiæ ad actum, & vnita eſt eidem materiæ, & cùm ex vnione formæ cum materia reſultet compoſitum, per eandem actionem realem, quæ dicitur eductio formæ, tria acceperunt eſſe de nouo, Forma, Vnio, & Compoſitum, quamuis, neque forma, neque vnio dicantur ſimpliciter fieri, ſed ſolum compoſitum

Notandum eſt ſecundò hanc vnam actionem non fuiſſe veram generationem, quod probatur ex definitione generationis tradita ab Ariſtotele 1.lib.de Gener.cap.4. nempe Generatio eſt *mutatio huius totius in hoc totum, nullo ſenſibili permanente.* In qua pro genere ponitur mutatio, ſed productio corporis cœleſtis, aut elementi non fuit mutatio; ergo nec fuit generatio.

Probatur minor, quia mutatio dicit tranſitum alicuius ſubiecti ab vna forma in alteram, vel à priuatione ſaltem formæ, quæ eſt terminus à quo ad formam ipſam, ſed materia cœlorum, vel elementorum non tranſiuit ab vna forma in alteram, cùm nulla forma in ea præceſſerit, nec etiam à priuatione, ſub qua nunquam fuit, quia in eodem puncto, in quo creata eſt, habuit propriam formam; ergo non potuit eſſe ſubiectum mutationis, nec proinde generationis, ſed ſolius actionis ſubſtantialis, quæ non eſt mutatio, nec generatio, ſed eductio formæ, & productio totius compoſiti.

Si autem dixeris ſatis eſſe ad rationem mutationis, quòd 19
materia, licèt in eodem inſtanti temporis, prius ſecundùm rationem intelligatur à nobis ſine forma: deinde verò ſub illa: nam vt intelligitur terminare creationem partialem, per quam fit, intelligitur ſine forma; ergo intelligetur ſub priuatione eius. Probatur hoc antecedens primò, quia ratione ſui, & non vt coniuncta formæ terminat creationem. Secundò, quia vt eſt terminus creationis, intelligitur eſſe ſubiectum eductionis, circa quod operatur agens ad educendam formam; ergo vt ſic non intelligitur cum forma, ſed ſine illa, & intelligitur potens eam habere; ergo priuata; & deinde intelligitur cum forma de potentia eius educta in eodem inſtanti temporis; ergo intelligi poteſt, tanquam ſubiectum, quod mutatur in eodem inſtanti à priuatione ad formam, qui ſunt terminus à quo, & ad quem generationis.

Reſpondeo hæc ſolùm eſſe vera in imaginatione, non in re, & ideò non ſatis eſſe ad veram, & realem generationem, ſed ſolùm ad imaginariam. Quod hoc argumento (niſi ego fallor) euidenter probatur. Nam vel in primo inſtanti, in quo creata eſt materia cœli, aut elementi & cœlum ipſum, aut elementũ factum, verè, & realiter materia fuit ſine forma, vel ſolùm apprehenditur fuiſſe ſine illa. Primum implicat contradictionẽ: nam cùm euidens ſit in eodẽ inſtanti eam habuiſſe, euidenter etiam ſequeretur in eodem inſtanti eam habuiſſe, & nõ habuiſſe, quæ ſunt duo cõtradictoria, ſolùm ergo fuit ſine forma in apprehenſione, ſed vera priuatio eſt vera, & realis carentia

tia formæ; ergo nunquam habuit materia horum corporũ verã priuationem, nec verè fuit ſub illa,ſed ſolùm in apprehenſione. Ex quibus euidenter etiam infertur nõ fuiſſe ſubiectum veræ,ac realis mutationis, ſed ſolùm mutationis apprehenſæ, aut excogitatæ.Et ex hoc apertè etiam ſequitur in eodẽ inſtãti non fuiſſe verã generationem,ſed ſolùm excogitatam, quia cùm mutatio ſe habeat ad generationẽ tanquam genus, etiam eſt euidens conſequentia à ſuperiori ad inferius negatiuè,quod vbi non eſt vera mutatio,non poteſt eſſe vera generatio.

20 Propterea notãdum eſt tertiò,ad generationem omnino neceſſarium eſſe, quòd materia prius tempore ſit ſub priuatione formæ,quàm ſub eadem forma cõpoſiti de nouo geniti:& cùm naturaliter non poſſit eſſe ſine vlla forma, neceſſariũ quoq; eſt ex conſequenti,quòd prius tẽpore ſit ſub forma cõpoſiti, quod corrumpitur. Neceſſarium ex cõſequenti dico eſſe hoc vltimũ, quia ad rationẽ generationis non pertinet per ſe, quòd materia ſit ſub alia forma,ſed ſolùm, quòd ſit ſub priuatione, ſequitur autẽ illud ex hoc ſuppoſito ordine naturali ſucceſſionis formarum in eadem materia. Probatur autem primum,quia implicat contradictionẽ,quòd materia in eodẽ inſtanti ſit ſub priuatione vnius formæ,& etiam cùm eadem forma;ergo neceſſe eſt vt in alio inſtanti,ſit ſub vtraque,ſed non dantur duo inſtãtia tẽporis immediata; ergo neceſſe eſt etiã dari tempus inter illa, in quo etiam eſt neceſſarium materiã non eſſe ſub forma,cũ in ſecundo inſtanti,quod ſequitur poſt illud tẽpus intermedium, incipiat eſſe ſub ea,& ideò erit ſub priuatione toto illo tẽpore. Ad motum verò ſucceſsiuum nõ requiritur, quòd mobile prius tẽpore, quàm moueatur ſit ſub termino à quo,ſed poteſt corpus productum in inſtanti,incipere motum in eodem, vt contingit in cœlo. Et ratio huius differentiæ eſt manifeſta, quia mutatio eſt in inſtanti, motus verò non niſi in tempore,ideò poteſt fieri,quòd corpus incipiat moueri in inſtanti, &nõ moueatur in eo,ſed in tempore ſequenti,id autem quod mutatur, in eodem inſtanti,in quo incipit mutari,etiam mutatur: repuguet verò mutari,& eſſe ſub termino à quo mutationis in eodem inſtanti.

21 Ex tota hac doctrina colligitur,quòd licèt in rebus generabilibus cõuertatur eductio formæ de potentia materiæ cũ generatione,atq; etiam realiter cũ corruptione,quia eadem actio, quæ eſt eductio,realiter eſt generatio vnius cõpoſiti, & corruptio alterius,ſed eductio abſolutè ſumpta, & ſecundùm ſe, abſtrahit à Generatione,& quaſi ſuperior eſt ea,quare poteſt eſſe ſine illa,ſicut quodlibet ſuperius ſine ſub inferiori determinato

& verè reperta eſt ſeparata à generatione in prima productione corporum naturalium, ſed coniuncta cum alio inferiori, hoc eſt cum productione ſubſtantiali eorundem corporum, quæ non eſt generatio, vt probatum eſt, ſed productio ſubſtantialis prima non habens ſpeciale nomen, habens tamen ſpecialẽ rationem ſubſtantialis productionis diſtinctæ à generatione, & corruptione, ſolum fortè ratione accidentali, vel etiam eſſentiali, ſi hæc non ſolum à termino ad quem, ſed etiam à quo ſumenda eſt.

Si autem inquiras, quid habeat pro termino à quo hæc mutatio ſubſtantialis, ſi non habet priuationem. Reſpõdeo, quòd in quantum eſt eductio formæ de potentia materiæ, habet pro termino à quo eſſe formæ in potentia materiæ, & pro termino ad quem, eſſe actuale, atque extra cauſas eiuſdem formæ. Si verò ſumatur, vt productio ſubſtantialis totius compoſiti, habebit pro termino à quo ſolam negationem eiuſdem compoſiti; quia eſt prima productio, quam nec præceſſit aliud compoſitum; neque eius corruptio. Itaque cœlum ex nõ cœlo factum eſt, & aqua ex non aqua, quæ puram, & ſolam negationem dicunt. Ariſtoteles verò, quia non putauit dari primã productionem ſubſtantialem, ſed vnum fieri ex altero per generationem, ita vt generationem vnius antecedat corruptio alterius, in infinitum: ideò putauit omnẽ quod fit ex priuatione ſui fieri debere, & non ex pura negatione, & per generationem, non per alteram mutationem. Nos verò fide ſuppoſita de inceptione mũdi, neceſſariò debemus ponere corpora quędam eſſe primò facta ita vt productionem eorum non præceſſerit aliorum corruptio, ſed omnino nihil. 22

23 Hæc verò primã corpora, ſi iuxta eorum naturam facta ſunt (quod tanquam certum ſuppono) non potuerunt fieri per creationem propriam, ita vt per vnicam actionem creationis totalem, & completam factum fuerit integrum corpus ex nihilo tanquàm primarius terminus eius, ſicut factus fuit Angelus: quia præcipua eorum pars, quæ eſt forma materialis, fieri debuit dependenter à materia, ſicut dependet in eſſe; ergo nõ ex nihilò per creationem, ſed per eductionem de potentia materiæ; ergo iam creatio non potuit primò terminari ad totum, cùm repugnet parti, & ideò non potuit totum fieri primò per creationem, ſed ſola materia: totum verò per productionem ſubſtantialem, quæ realiter eſt eadem actio cum eductione formæ, & vnitione eius cum materia, ſed vt eſt eductio, atque vnitio intelligitur tanquam incompleta, vt productio totius tanquam cõpleta: & iſte eſt modus probabilior, quo fieri debuerunt prima

corpora

corpora. Nam quod alij moderni excogitauerunt facta eſſe per quandam productionem ſubſtantialem completam, atque totalem, compoſitam tamen ex duplici actione partiali, & incompletà, nempè ex partiali creatione materiæ, & ex eductione formæ de potentia eius, non poteſt ſuſtineri ſecundùm principia veræ Philoſophiæ: quia creatio materiæ, & eductio formæ de potentia eius ſunt actiones ſpecie diſtinctæ; non ſolùm propter terminos ad quos formaliter diuerſos, ſed etiam propter modos diuerſos formaliter, & quaſi oppoſitos: cùm vna ſit ex nihilo, & alia ex præſuppoſito ſubiecto, quare repugnat ex tam diuerſis, & oppoſitis actionibus componi tertiam, per quam fiat compoſitum, ſed per eandem eductionem formæ habentem modum completum, & ratione diſtinctum factum eſt, vt iam diximus.

24 Ad primum ergò argumentum, diſtinguendum eſt antecedens, quòd eductio formæ de potentia materiæ ſit eadem actio realis cum generatione:nã in rebus generabilibus, & corruptibilibus verum eſt, ſed ſecundùm ſe ſumpta, vt ab his abſtrahit falſum: quia neceſſariò ponenda eſt eductio, vbi repugnat generatio, vt in eadem productione prima corporum probauimus.

Ad ſecundum; Reſpondeo diſpoſitiones formæ introducendæ duplices eſſe, quaſdam antecedentes introductionem eius, & alias eam conſequentes in eodem inſtanti; antecedentes ſunt calor, & ſiccitas, quas inducit ignis in materiam ligni (ſiue recipiantur in ſola materia, ſiue in toto ligno,) conſequẽtes verò, quas ſecum adducit forma ignis genita, (has enim neceſſariò diſtinguunt ab illis, qui tenent in toto compoſito recipi accidentia, & non in ſola materia) antecedentes autem neceſſariæ ſunt pro expulſione contrariarum, atque etiam formæ ſubſtantialis, quarum neceſſitas ceſſauit prorſus in prima productione corporum, in quà, nec alia forma expellenda, nec aliæ diſpoſitiones præceſſerunt, ſed ſecundùm ordinem naturalem primæ productionis à primo agente determinanda fuit materia ad talem formam ſine vllis diſpoſitionibus, & ſimul educenda forma de potentia eius, & vnienda materiæ per eandem actionem realem, & ſubſtantialem, per quam factum eſt etiam totum corpus. Quare negandum eſt, quòd ſemper debeat præcedere materia ſub priuatione formæ, vt fiat totum compoſitum, vel à priuatione moueri ad formam: ſed hoc in ſolis formis generabilibus, & poſt primam productionem corporum verum eſt. In prima verò, nec fuit neceſſarium, nec naturaliter poſſibile. Vnde

nec ſequitur ex eductione harum formarum de potentia materiæ, quòd corpora cœleſtia facta ſint per generationem, vt probatum eſt.

QVÆSTIO III.

An formæ accidentales educantur de potentia ſubiectorum.

SVbiectum ſe habet reſpectu accidentis, quod in ſe recipit tanquam materia, & proptereà quæritur, an de potentia eius educatur. Sed non diſputamus modò, an ſubiectum accidentium ſit ſola materia, vel totum compoſitum, quia quæſtionem hanc tangit Ariſtoteles lib. 1. de Generatione, cap. 4. vbi diſputatur ab eius expoſitoribus, & ideò in eum locum referendam cenſemus. 25

Vt autem meliùs intelligatur difficultas quæſtionis, notandum eſt, triplicem eſſe formam accidentalem, naturalem, ſupernaturalem, & artificialem. Naturale accidens vocatur illud, quod naturaliter ineſt ſubſtantiæ, vt albedo, & quantitas. Supernaturale verò, quod à Deo, vt agente ſupernaturali infunditur animæ, vt gratia per quam iuſtificatur homo, & charitas, cum cæteris donis, & virtutibus ſupernaturalibus, quæ ſemper comitantur eandem gratiam. Forma verò artificialis eſt, quæ per artem inducitur, vt forma ſtatuæ, vel domus. Accidentia naturalia adhuc ſunt duplicia: nam quædam non ſolùm ſunt realia, ſed realem, & naturalem denominationem tribuunt ſubiectis, vt calor, & color. Alia quamuis realia ſint, quoddam eſſe diminutum habent, & ideò non denominant ſubiectum in quo inhærent: & hæc dicuntur intentionalia; qualia ſunt ſpecies ſenſibiles productæ ab obiectis in aëre, atque etiam in ſenſibus, & intellectu; vt ſpecies viſibiles, quas colores, & lux producunt in aëre, atque etiam in oculo, vt videantur.

Et de accidentibus naturalibus, quæ producuntur per diſtinctam actionem à ſubiectis, conueniunt omnes, quòd educantur de potentia ſubiecti, qualia ſunt calor, & frigus, & omnia accidentia communia. Quod hoc argumento probatur, nam educi de potentia materiæ non eſt aliud, quàm dependere in eſſe, & fieri ab ea, tanquam ab eo, quod ſubditur actioni naturalis agentis, per quam producitur forma; recipiendo tam actionem ipſam quam formam in ſe; ſed ſubiectum ſubditur actioni agentis naturalis, per quam producit hæc accidentia, & eam ſimul cum accidenti producto in ſe recipit; ergo educuntur 26

cuntur de potentia eius. Probatur minor, nam in productione caloris lignum ſubditur actioni ignis, eam ſimul cum calore in ſe recipiens, quod eſt ſuum concurſum præſtare ad productionem eius: & ideò accidens ipſum dependere in eſſe & fieri ab eodem ligno, quia nec extra illud naturaliter eſſe poteſt, nec fieri. De accidentibus verò, quæ non fiunt per diſtinctam actionem à ſubiecto, ſed virtute eiuſdem actionis naturaliter ab eo emananr (vt de propriis paſſionibus ſentiunt multi) certum eſt etiam cum hac opinione, non propriè educi de potentia eius: quia cùm non fiant per nouam actionem, nec nouum concurſum materialem præſtat ſubiectum ad productionem eorum. quare non videntur dependere ab eo in fieri, tanquam à cauſa materiali, nec ex conſequenti educi de potentia eius. Educuntur tamen ſecundùm opinionem aliorum valdè probabilem, quòd per diſtinctam actionem fiunr, ab ea per quam producitur ſubiectum, vt riſibilitas per diſtinctam actionem accidentalem à generatione ſubſtantiali, per quam producitur homo.

27 *Solum* igitur procedit quæſtio, de triplici alio genere formarum, nempè de intentionalibus, de artificialibus, de ſupernaturalibus, & de ſingulis proponemus ſingula argumenta ad probandum, quòd non educantur de potentia ſubiectorum, vt occaſione eorum breuiter dicamus, quid alij ſentiant, & quid ſentiendum ſit.

Probatur ergo primò, quòd ſpecies intentionales non educantur de potentiá ſubiectorum, in quibus recipiuntur. Nam eductio formæ de potentia materiæ, aut ſubiecti fit per tranſmutationem ipſius, & forma ipſa iam educta licèt dependeat in fieri à cauſa efficienti, à qua producitur, non tamen in conſeruari. Exempli gratia, calor educitur de potentia ligni per calefactionem, quæ eſt vera alteratio eius, & ideò vera tranſmutatio: ſed per ſpecies intentionales non tranſmutatur aer, neque oculus, in quibus producuntur, imò nec per lumen (quod ab aliquibus vocatur forma intentionalis) tranſmutatur cœlum, in quo producitur à ſole, & omnia hæc accidentia poſtquam producta ſunt, dependent à ſua cauſa efficienti, nempè ab obiecto in conſeruari, quia abſente obiecto ſtatim pereunt, vt ſpecies coloris eo ſublato; ergo non educuntur de potentia ſubiecti.

Probatur ſecundò de artificialibus, nam quod non fit per ſe, aut per propriam actionem, ſed conſequitur ex actione, per quam producitur aliud, non educitur de potentia materiæ; ſed iſtæ formæ non fiunt per ſe, imò nec per propriam actionem,

ſed per accidens reſultant ex motibus localibus inſtrumentorum, vt exciſione, & dolatione, aut expolitione, quæ ſunt motus quidam locales, per quos mouentur inſtrumenta ipſa, & tali modo approximantur partes materiæ; vt ligni, vel lapidis: ex motione verò inſtrumentorum, & approximatione partium materiæ reſultat per accidens figura domus, vel ſtatuæ ſine aliqua noua actione; ergo formæ iſtæ non educuntur de potentia materiæ.

Probatur tandem accidentibus ſupernaturalibus: quia eductio formæ de potentia materiæ præſupponit potentiam naturalem eiuſdē materiæ, per quā poſſit concurrere ad productionem formæ, recipiendo actionem agentis, per quam producitur, & ſimul formam ipſam, quæ producitur, vt oſtendimus in eductione coloris, & caloris; ſed in anima non datur potentia naturalis ad recipienda accidentia ſupernaturalia, vt gratiam, & charitatem, ſed ſupernaturaliter infunduntur ei à Deo; ergo non educuntur de potentia materiæ. 28

Circa formas intentionales, de quibus procedit primum argumentum tenet prima opinio, quòd non educantur de potentia ſubiectorum. Ita Soncinnas 7. Meta. q. 8. Ægidius in 2. d. 13. q. 2. Alexan. Alenſis 8. Meta. textu 13. Argentinas ibidem art. 3. Cartuſienſis q. 1. qui idem ſentit de lumine, cum eodem Soncinnate propter idem argumentum propoſitum.

Secunda opinio eſt Richardi in 2. d. 13. artic. 2 quæſt. 1. Heruei d. 18. qu. 1. artic. 2. & quodlib. 7. quæſt. 20. quam ſequuntur Conimbricenſes noſtri 1. lib. Phyſ. cap. vltimo q. 12. art. 7. & P. Suarius tom. 1. ſuæ Meta. diſp. 16. ſectio. 2. dub. 1. & eſt iam communis ferè inter modernos; videtúrque nobis probabilior, & tenenda.

Probatur hoc ex definitione eductionis à nobis tradita ex doctrina D. Th. ab omnibus recepta, hoc modo: Formam educi de potentia materiæ eſt dependere in eſſe, & fieri à materia, ſed ſpecies intentionales, atque etiam lumen dependent in eſſe, & fieri à ſubiecto, quia nec poſſunt eſſe extra illud, nec ex conſequenti extra illud fieri: cùm fieri ordinetur ad eſſe; ergo verè, & propriè educuntur de potentia ſubiecti. Aliæ enim conditiones, quas addit oppoſita ſententia non ſunt neceſſariæ.

Ideò ad argumentum eius, Reſpondeo, negando maiorem ex ea parte, qua dicit neceſſarium eſſe ad eductionem, quòd forma non dependeat in conſeruari à cauſa efficienti, à qua producitur. Hoc enim impertinens prorſus eſt. Et diſtinguendo aliam conditionem de tranſmutatione ſubiecti, per quam ait fieri debere eductionem. Nam tranſmutatio duplex 29

eſt,

eſt, Vna per quam ſubiectũ diſponitur ad corruptionem; Alia per quam mutatur quidem accidentaliter, per receptionem actionis ab agente, & eiuſdem formæ productæ per illam, ſed non diſponitur ad corruptionẽ, quia forma educta, & recepta in eo non habet contrarium. Et de prima tranſmutatione negandum eſt eſſe neceſſarium, quòd eductio fiat per eam: concedendum verò de ſecunda, quia etiam eſt impertinens ad eductionem, quòd forma educenda habeat contrarium, vel non.

Secundum argumentum tangit formas artificiales, & propter illud tenet prima opinio, quòd non educantur de potentia ſubiectorum. Ita ſentiunt Conimbricenſes vbi ſuprà.

30 Sed ſecunda opinio aliorum modernorum aſſerit educi de potentia eorum, *quæ videtur nobis probabilior.* Sed vt meliùs intelligatur, notandum eſt, duplicem eſſe potentiam paſsiuam materiæ aut ſubiecti ad recipiendas formas, vna Naturalis, altera Obedientialis. Naturalis eſt illa, quæ reſpicit potentiam naturalem agentis, per quam talis forma produci poteſt, & induci in eadem materia vel ſubiecto, vt potentia paſsiua ligni ad recipiendum calorem dicitur naturalis, quia reſpicit potentiam actiuam naturalis agentis, per quam naturaliter produci poteſt calor in eodẽ ligno. Potẽtia verò Obediẽtialis dicitur ea, quæ reſpicit virtutem, & actionem non agẽtis naturalis, aut eiuſdem ordinis, ſed agentis ſuperioris, atque alterius ordinis, cui ſubditur in ordine ad formam, etiam ſuperioris ordinis, per eam producendam, & talis eſt potentia ligni, vel lapidis ad formam ſtatuæ. Talis eſt etiam potentia animæ ad gratiam, & dona ſupernaturalia recipienda. & per hanc potentiam Obedientialem concurrit lignum paſsiuè ad recipiendã actionem artificis, & formam ſtatuæ, per eam producendam: ex cuius concurſu paſsiuo dependet productio eiuſdem formæ quia ſine eo non poteſt produci ſecundùm communem ordinem in rebus conſtitutum, ſicut nec poteſt eſſe in rerum natura, niſi ità tali ſubiecto inhæreat. Et eodem modo, per potentiã Obedientialem concurrit paſsiuè anima ad actionem Dei, vt agentis ſupernaturalis per quam producitur gratia, ex cuius concurſu paſsiuo dependet productio eius, quia ſicut non poteſt eſſe extra ſubiectum ſecundùm communem ordinem rerum ſupernaturalium, ita non poteſt extra ſubiectum produci.

Hoc ſuppoſito, probatur noſtra ſententia, quia formæ artificiales dependent in eſſe à ſubiectis, cùm extra illa non poſſint

ſint eſſe, vt forma ſtatuæ extra lignum, aut aliud ſubiectum, & dependent in fieri ex concurſu eiuſdem ſubiecti per potentiam obedientialem, ita vt niſi per eam concurrat ad recipiędam actionem artificis, per quam producitur eadem forma, atque etiam ad recipiendam formam ipſam, non poſsit produci; ergo educuntur de potentia eius. Secundò, quia ſi nō educantur, vt aſſerit ſententia oppoſita, ſequitur produci ex nihilo, hoc eſt, non ex præſuppoſito ſubiecto neceſſariò concurrente, & ideò per creationem. Probatur conſequentia, quia creatio eſt productio rei, ex nullo præſuppoſito ſubiecto concurrente ad talem productionem. Creari verò tales formas abſurdum eſt: cùm fiant ab artifice, tanquam à cauſa principali proxima; & non à ſolo Deo.

Ad argumentum verò pro eadem opinione poſitum; Reſp. negando minorem, quòd iſtæ formæ non fiant per actionem diſtinctam à motu locali inſtrumẽtorum, & approximationis partium: nam licèt actio artificioſa, per quam fiunt, petat illos motus locales, quaſi pro diſpoſitionibus, quas neceſſariò ſequitur, eo ferè modo, quo generatio ſubſtantialis petit approximationem agentis, & paſsiui præcedentem, quæ eſt motus localis, & alterationem præuiam, per quam producuntur diſpoſitiones, & hanc ſequitur naturaliter: nihilominus actio diſtincta eſt, quæ illos naturaliter ſequitur, & conſecutione quidem, non per accidens, ſed per ſe: & ideò non tollitur, quin ex potentia Obedientiali ſubiectorum educantur formæ iſtæ, quia eodem modo dependent in eſſe, & fieri ex concurſu paſsiuo ſubiectorum per eam, ac dependent naturalia accidentia ex cõcurſu paſsiuo ſubiectorum per potentiam naturalem. 31

Tertium argumentum procedit de formis accidentalibus ſupernaturalibus Propter quod Conimbricenſes 1. lib. phyſic. cap. vlt. q. 11. art. etiam vlt. ſequuntur antiquam ſententiam Scoti, negantis tales formas educi de potẽtia animæ, ſed creari, vel concreari. Secundam nihilominus ſententiam D. Tho. quòd verè educantur de potentia obedientiali animæ, ſequitur P. Suarius tomo 1. ſuæ Meta. diſpu. 15. ſect. 2. *& eſt iam cõmunis ferè in ſchola, & vera.* Probatur eodem ferè argumento, quo probatum eſt de formis artificialibus, nam gratia, & charitas dependent ab anima in eſſe, cùm conſtet eſſe accidentia ei inhærentia, quę extra ſubiectum eſſe non poſſunt, ſecũdùm propriam naturam. Et etiam dependent in fieri ex cõcurſu materiali eiuſdem animæ per potentiam obedientialem ſine quo non poſſunt fieri in rerum natura ſeruata conditione propria accidentium; ergo educũtur de potentia obedientiali 32

eius,

eius,& non creantur,nec concreātur.Probatur hæc vltima cōſequentia, quia creatio propria, aut concreatio pugnat cum dependentia in fieri à ſubiecto.

33 Ad argumentum verò contrariæ opinionis neganda eſt minor; quòd eductio formæ de potentia materię, aut ſubiecti neceſſariò præſupponat potentiam paſsiuam naturalem eius: nam licèt hoc verum ſit in accidentibus naturalibus, non in ſupernaturalibus; in quibus ſufficit potentia obedientialis præſupppoſita, quæ eiuſdem ordinis eſt cum forma ſupernaturali educenda, & cum actione ſupernaturali, per quam fit; nam per talem potentiam concurrere poteſt anima ad recipiendam eandem actionem, eandemque formam per eam productam,& ſine tali concurſu non poteſt fieri, ſicut nec poteſt eſſe extra eandem animam ſecundùm potētiam Dei ordinariam.

QVÆSTIO IV.

An formæ ſubſtantiales materiales habeant proprias ſubſiſtentias partiales.

34 FOrma ſubſtantialis duplex eſt, materialis vna omnino dependens à materia, & ideò de potentia eius educta; & ſpiritualis altera, quæ nec dependet à materia, nec de potentia eius educitur,& hæc eſt ſola anima rationalis, cæteræ autem omnes præter illam ſunt materiales,de quibus quærimus an habeant proprias ſubſiſtentias partiales, vel non,de anima verò rationali idem erit diſputandum q.ſequenti. De formis autem materialibus non dubitamus, an habeant proprias, & partiales exiſtentias, quia ſuppoſito,quòd exiſtentia non eſt alia entitas ab eſſentia actuali extra cauſas: cùm habeant proprias eſſentias partiales extra cauſas, habebunt quoque partiales exiſtentias: ſed de ſubſiſtentia procedit quæſtio, quæ vt alibi diximus,eſt modus vltimò terminans naturam, & faciens eam ſubſiſtere, ſine dependentia ab aliquo ſubiecto, à quo ſuſtentetur.Eſt autem duplex, vt docet expreſsè D.Tho. 1.p.q.75.ar.2.& 3.completa,& totalis,vel incōpleta,& partialis. Completa eſt,quæ terminat naturam completam, & eam conſtituit in ſuppoſito,vel perſona: vnde idem eſt, quod ſuppoſitalitas, vel perſonalitas. Incompleta verò, & partialis eſt vltimus terminus partialis naturæ, non conſtituens eam in ſuppoſito, vel perſona, quia vtrumque horum dicit ſubſiſtens completum: ſed ſolum per ſe ſubſiſtentem partialiter, & incompletè, & talis eſt ſubſiſtentia, quam ponimus in materia

teria. De qua ſola procedit quæſtio, An tribuenda ſit formis materialibus, vel non: nam ſubſiſtentiam completam certum eſt non eſſe eis concedendam. Sed adhuc ſubſiſtere incompletum duobus modis ſumitur, vt, quo, & vt, quod; ſubſiſtere vt quo, non eſt eſſe per ſe, ſed eſſe rationem, qua aliud habet eſſe per ſe. Subſiſtere verò, vt quod partiale, eſt eſſe quod partialiter ſubſiſtit. Et vt exemplo D. Thomæ vbi ſuprà vtamur, brachium, vel caput habet ſubſiſtentiam partialem, vt quod, quia eſt id quod ſubſiſtit partialiter. De ſubſiſtentia igitur, vt, quo, non poteſt dubitari, an tribuenda ſit formis materialibus: quia cùm ſint rationes formales conſtituentes naturas, & eſſentias rerum, quibus conuenit ſubſiſtentia, neceſſe eſt conuenire eis ſubſiſtētiam, vt, quo eo modo, quo dicimus animam rationalem eſſe corpoream, vt quo, quia eſt forma conſtitutiua naturæ corporeæ. Difficultas autem quæſtionis eſt, an forma materialis ſit, quod ſubſiſtit partialiter, eo modo, quo ſubſiſtit materia, aut brachium vel caput.

Et licèt nullus ſit, qui tales ſubſiſtentias partiales ei concedat, his duobus argumentis videtur probari, quòd illas habeant. Primò quia eſſe per ſe, & eſſe in alio opponuntur immediatè; ergo non datur medium inter vtrumque modum eſſendi: ſed eſſe in alio per inhærentiam eſt proprius modus accidentium, & eſſe per ſe proprius modus ſubſtātiarum; ergo neceſſaria erit, & immediata cōſequētia de re quacūque, quod ſi non ſit in alio per inhærentiā, erit per ſe ſubſiſtēs, & de formis materialibus nō eſt verū, quòd ſint in alio per inhærētiā; ergo erunt per ſe ſubſiſtentes, ſicut formis poteſt conuenire, quare non poteſt eis denegari propria ſubſiſtentia partialis, niſi dicatur eſſe accidentales formas inhærentes ſubiecto. 35

Secūdò exiſtentia actualis non eſt vltimus terminus naturæ, ſed quaſi communis naturæ ſubſtantiali, & accidētali, quia eo ipſo, quòd quælibet earum eſt entitas realis extra cauſas, actu exiſtit; ergo formis materialibus concedendus eſt alius terminus vltimus, per quem eſſentia earum vltimo terminetur, ſicut conceditur formis accidentalibus præter actualem exiſtentiam inhærentia actualis, per quam natura accidentalis vltimò terminatur, ſed præter modum actualis inhærentiæ accidentalis, non eſt excogitabilis alius modus ei conueniens, niſi ſubſiſtentiæ per ſe; ergo iſte erit eis concedendus, qui videtur eis debitus, cùm materiæ debeatur: nam hæc potentia eſt, illæ ſunt actus, quibus magis debetur modus eſſendi per ſe, quàm potentiæ.

Communis tamen ſententia tenet has formas non habere 36

proprias

proprias ſubſiſtentias partiales. Ita D. Thomas expreſsè 1.p.q. 45.art.4.q.90. art.2.q.100. art.2.& q.75.art.2.& 3. Caietanus eiſdem locis. Ferra.2.lib. contra gentes, cap.18.§. *quantum ad ſecundum*. Molina 1.p.q.29.art.2.ad 3. Fonſeca, 5. Meta. cap.8. q.5. Suarius Tomo 2. Metaph. diſput.34. ſect. 5. num.14. Gabriel Vazquez 1.part.diſp.125. capit.4. & eſt vera, & tenenda. Probatur primò, quia per ſe ſubſiſtere dicit ſubſiſtere ſine dependentia à ſubiecto, à quo aliquid ſuſtentatur per inhærentiam, ſed forma materialis dependet in ſuo eſſe à materia, tanquam à ſubiecto, in quo inhæret, & à quo ſuſtentatur; ergo non conuenit illi ſubſiſtere per ſe, etiam partialiter.

Secundò, modus operandi ſequitur modum eſſendi, ſed forma materialis non operatur per ſe, ſed dependenter omninò à materia, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo nec habet modum eſſendi independentem à ſubiecto, quod eſt non habere modum perſeitatis, qui eſt modus ſubſiſtentiæ, ſed modum actualis inhærentiæ ei oppoſitum.

37 Pro ſolutione argumentorum explicandum eſt, quem modum eſſendi ſibi proprium habeant formæ ſubſtantiales materiales, in quo tria mihi videntur certa. Primum eſt præter actualem exiſtentiam alium modum eſſendi eſſe eis concedēdum diſtinctum ex natura rei ab earum eſſentia, vel natura, per quem vltimò terminetur eadem natura partialis. Probatur hoc, quia talis modus conceditur accidentibus, quem vocamus actualem inhærentiam in ſubiecto. Secūdò certum eſt, hunc modū formarum materialium non eſſe modū perſeitatis. Probatur, quia perſeitas eſſendi repugnat inhærentiæ in alio, ſed iſtæ formæ actu inhærent materiæ, & in ea ſunt, tanquā in ſubiecto, in quo ſuſtētantur, & extra quod non poſſūt naturaliter ſuſtentari; ergo non habēt modum perſeitatis. Tertiò certum eſt talem modum inhærētiæ non eſſe realiter accidentalem, ſed ſubſtantialem. Quod ſic probo, quia modus iſte eſſendi eorum eſt terminus naturæ, ſed natura eorum eſt ſubſtātialis; ergo modus iſte ſecundùm entitatem ſubſtantialis eſſe

38 debet, & non accidentalis. Sed cùm ſit actualis inhærētia in materia explicādum eſt, an differat formaliter ab actuali inhærētia accidentis, & in quo nam eſſe entitatē ſubſtātialem & nō accidētalē, ſicut inhærētia accidētis materialis differētia eſt nō formalis. Et dicendum eſt hunc modum inhærentiæ valde ſimilem eſſe inhærentiæ accidentium, in hoc tamen ab eo differre, quòd inhærentia formę ſubſtantialis eſt per informationem ſubſtantialem, per quam confertur ſubiecto eſſe ſubſtantiale, & qua media conſtituitur totum per ſe, & ſubſtantiale.

Inhærentia

Inhærentia verò accidentium eſt per informationem accidentalem, per quam confertur ſubiecto eſſe accidentale, & conſtituitur compoſitum accidentale. Ex quibus facilè intelligitur non ſolùm differre per entitatem ſubſtantialem, vel accidentalem, ſed per rationem formalem; ita vt licèt conueniant formaliter in eo, quòd vterque modus eſt inhærentiæ actualis; ſed conuenientia hæc vniuerſalis eſt, ſub qua diſtinguuntur formaliter vnus, & alter modus inhærendi, nam actualis inhærentia accidentis, non ſolùm eſt inferioris ordinis ſecundùm entitatem, ſed ſecundùm propriam rationem formalem iam explicatam.

Ex his reſpondetur ad formam primò argumenti concedendo, quod eſſe per ſe, & eſſe in alio ſunt quaſi immediatè oppoſi a, & ideò neceſſaria eſt conſequentia in quacunque re: quod ſi non ſit in alio per inhærentiam, erit per ſe ſubſiſtens, ſed cùm dicitur de formis ſubſtantialibus non eſſe verum, quòd ſint in alio per inhærentiam, diſtinguendum eſt: quia non eſt verum, quòd ſint in alio per inhærentiam accidentalem, & modo accidentali; bene tamen quòd ſint in alio per inhærentiam ſubſtantialem, & modo ſubſtantiali, hoc eſt per informationem ſubſtantialem, vt explicatum eſt. 39

Et ſi dicatur modum per ſe conuenire ſubſtantiis, ex propria natura: & modum inhærendi accidentibus & proinde repugnare ſubſtantiis. Reſpondetur, repugnare quidem ſubſtantiis modum inhærendi accidentalem, non ſolùm materialiter ſumptum, ſed etiam formaliter: & modum etiam inhærendi quemcunque repugnare ſubſtantiis completis; ſed modus inhærendi per informationem ſubſtantialem, non repugnat ſubſtantiis incompletis, quales ſunt formæ. Vnde nec valet in eis conſequentia, quòd ſi ſint in alio, non ſint ſubſtantiæ, quamuis ſequatur non eſſe ſubſtantias completas: nec etiam, quòd ſi ſint in alio, eo ipſo ſint accidentia: quia non ſunt in alio per inhærentiam accidentalem, quæ ſola conuertitur cum accidentibus.

Ad ſecundum eſt minor, quòd præter modum inhærentiæ accidentalis non ſit poſſibilis alius modus conueniens formis materialibus, niſi modus ſubſiſtendi per ſe, quia poſſibilis eſt modus inhærendi ſubſtantialis per informationem ſubſtantialem iam explicatum, qui medium quodammodo tenet inter ſubſiſtentiam, & inhærentiam accidentalem. Et iſte conuenit eiſdem formis, tanquàm vltimus terminus naturæ, vel eſſentiæ earum, ſicut actualis inhærentia accidentalis conuenit formis accidentalibus. 40

Ad

Ad aliud verò, quod de materia additur, dicimus ſubſiſtentiā non deberi materiæ, vt potentiæ; ſed vt primæ potētiæ, primoque ſubiecto, cui repugnāt fieri, niſi per creationem: cùm præſupponatur formis omnibus ex natura rei, & ex conſequenti compoſitis ex ea conſtituēdis: atque etiam cum ſubiici debeat omni tranſmutationi ſubſtantiali, & ſub diuerſis trāſmutationibus ſubſtantialibus permanere deſtructis compoſitis, atque formis. Propter hæc itaq; debetur materiæ partialis ſubſiſtentia, & non propter perfectionem. Vnde non ſequitur, quòd debeatur formis ſubſtantialibus.

QVÆSTIO V.

Vtrùm anima rationalis adhuc informans corpus habeat propriam ſubſiſtentiam partialem.

41 DVplicem ſtatum habet anima rationalis: Primùm in corpore, illud informando: Secundū iam ab eo ſeparata poſt mortem. Et quamuis de hoc poſtremo pauci dubitent, an in eo habeat ſubſiſtentiam propriam, quidam tamen moderni negant, quòd ſeparatā à corpore ſubſiſtat, ſed dicunt habere quendam modum perſeitatis, qui non eſt ſuſiſtentia. Et potiſſimum fundamentum eorum eſt, quòd ſubſiſtentia dicit modum eſſendi completum, per quem fit res omnino incommunicabilis: vnde idem eſt, quòd ſuppoſitum, vel perſona, & ſic loquuntur de ea ſancti Patres; ergo non poteſt eſſe partialis, aut conuenire parti: quia pars non eſt incommunicabilis, ſed communicatur toti; & cùm anima rationalis ſeparata à corpore ſit incompleta ſubſtantia, non poteſt habere ſubſiſtentiam completam: ſed non datur incompleta; ergo non habebit veram ſubſiſtentiam, ſed modum quendam perſeitatis ſimilem ſubſiſtentiæ.

Hæc tamen ſententia difficilis eſt, propter hoc argumentum: Certum eſt in fide Catholica, quòd anima Chriſti in triduo mortis eius, dum erat ſeparata à corpore, erat vnita Verbo, nō minus, quantùm erat in corpore; ſed vnio fiebat per communicationem diuinæ ſubſiſtentiæ; ergo ſubſiſtebat per ſubſiſtentiam Verbi capaxque illius erat, ſed id quod eſt capax alienæ ſubſiſtentiæ debet eſſe capax propriæ, ſi vt in ſe eſt, relinquatur: ergo anima rationalis Chriſti capax erat ſubſiſtentiæ propriæ, quam haberet, ſi dimitteretur à Verbo, vel non eſſet ab eo aſſumpta, & cùm ſit eiuſdē ſpeciei cum noſtris; ſequitur omnes habere proprias ſubſiſtentias partiales. Probatur minor ſecundi ſyllogiſmi, quia verò perſonalis non eſt aliud, quam

ſubrogatio alienæ ſubſiſtentiæ loco propriæ; ergo illud, quod eſt capax alienæ ſibi communicatæ per vnionem, capax erit propriæ; eamque habebit, ſi dimittatur, vel non aſſumatur.

Secundò, per ſe operari non conuenit, niſi per ſe ſubſiſtenti, 42
quia operari præſupponit rem eſſe in ſuo eſſe perfectam, ſed anima rationalis ſeparata per ſe operabatur, cum per ſe intelligeret, & vellet; ergo erat perfecta in ſuo eſſe: quod non haberet, niſi per ſubſiſtentiam partialem & ſibi propriam. Et hæc argumenta efficaciter probant intentum: modusque perſeitatis, quem habere dicunt, vera ſubſiſtentia eſt, quamuis non velint eum appellare ſubſiſtentiam; nam ſi per illum dicitur eſſe anima per ſe, & independenter à ſubiecto, nihil amplius præſtare poteſt ſubſiſtentia, & ideò concedentes ei modum perſeitatis, reipſa concedunt ei ſubſiſtētiam, & ſolo nomine eam negant. Tenendum igitur eſt cum communi ſententia totius ſcholæ, quòd anima rationalis ſeparata habeat propriam ſubſiſtentiam partialem.

Ad argumentum verò eorum negandum eſt, quod ſubſiſtentia dicat ex ſe quid incompletum, niſi ſumatur pro totali, & completa, quemadmodum nec ſubſtantia, ſed ſicut hæc diuiditur in completam, & partialem, ita ſubſiſtentia, vt docet expreſsè D. Thomas 1. p. q. 75. art. 2. & 3. & ſancti Patres de completa loquuntur, pro qua ſimpliciter accipienda eſt, & ideò aſſerunt conuerti cum ſuppoſito, aut perſona, & de ſola complēta verum eſt, quòd faciat rem omnino incommunicabilem: partialis verò, cùm ſit imperfecta atque incompleta, relinquit naturam partis per ſe etiam communicabilem toti. Sed adhuc eam facit incommunicabilem per vnionem, quia anima rationalis, ſeparata non eſt aſſumptibilis ad vnionem, niſi deſtruatur propria ſubſiſtentia.

Quæſtio igitur principaliter procedit de anima rationali 43
coniuncta corpori, An etiam in eo habeat propriam ſubſiſtentiam partialem.

Et prima opinio tenet non habere illam: probatur, quia eſſe per ſe, & in alio ſunt modi eſſendi oppoſiti; ergo repugnat eidem rei ſimul conuenire, ſed anima rationalis eſt in corpore per veram, & realem inhærentiam, non minus quàm cæteræ formæ materiales; ergo habet modum eſſendi in alio, quare repugnat ſimul habere modum eſſendi per ſe, qualem tribuit ſubſiſtentia. Quod præſertim videtur neceſſarium: quia non alia de cauſa negatur propria ſubſiſtentia materialibus formis, niſi, quia inhærent materiæ eam informantes; ergo cùm anima

anima rationalis inhæreat per informationem eidem materiæ, non poterit ei concedi ſimul cum inhærentia ſubſiſtentia propria. Si autem dicatur informare corpus, non dependenter ab eo, ſicut informant materiales formæ: in contrarium eſt. quod ſine informatio ſit dependens, vel independens, non poteſt intelligi ſine actuali inhærentia, ſed actualis inhærentia ex ſe opponitur modo ſubſiſtendi per ſe, & non ratione dependentiæ, ergo etiam ſi independenter informet, non poteſt habere ſubſiſtentiam. Hanc opinionem tenent moderni quidam, etiam ex his, qui concedunt animæ ſeparatæ propriam ſubſiſtentiam, dicunt enim eam non habere in corpore; quia licèt ex vi ſuæ creationis ſit ei debita, atque etiam propter operationes, quas habet indepēdentes à corpore, impeditur tamen, ne eam actu habeat in corpore per informationem, quæ cùm dicat actualem inhærentiam, non compatitur ſecum ſubſiſtentiam per ſe. Creationem verò ſufficienter terminare, atque etiam eſſe ſufficiens principium, quod, propriarum operationum per exiſtentiam actualem, quam habet independentem à corpore, & per aptitudinem habendi ſubſiſtentiam ceſſante impedimento informationis. Et ſi rurſus eis obiicias D. Thomam expreſsè aſſerentem creationem eſſe ſubſiſtentium, & animam rationalem eſſe creatam, & ideò ſubſiſtere debere, & tandem, quod etiam in corpore ſit ſubſiſtens. Reſpondent ſenſum eius eſſe, quòd creatio ſit ſubſiſtentium actu, vel aptitudinem: quando verò aſſerit eſſe ſubſiſtentem in corpore, ſubſiſtentiam ſumere pro actuali exiſtentia independenti, quam ſolùm vocat ſubſiſtentiam comparatione inhærentiæ accidentium, & formarum materialium.

44 *Secunda* opinio eſt expreſſa D. Thomæ 1. p.q.75.art.2.& q. 90. art. 2. quod anima rationalis, etiam in corpore habeat ſubſiſtentiam partialem, quam ſequuntur Caiet. ibidem. Fer. 2. contra gentes ca. 68. Palud. in 3.d.2. Molin. 1.p.q.29.art.1. Fonſeca 1. Meta.cap. 8.q.5.ſect.4. Suarius tom. 2. ſuæ Meta. diſp. 34.ſectio. 5.num. 3. Probat D. Thomas duobus argumētis efficaciſſimis. Primū eſt, quia modus operandi proportionatur modo eſſendi, ſed anima rationalis in corpore operatur per ſe, vt quod, cum ſit, quæ intelligit, & vult, & omnino independenter à corpore; ergo habet modum eſſendi per ſe omnino independens à ſubiecto, qui eſt ſubſiſtentia. Nec ſatisfacit huic argumento ſolutio modernorū aſſerentium animam eſſe ſufficiēs principiū operationum per aptitudinē ſubſiſtendi, & actualem exiſtentiam independētem, quod ſic probo: Prius eſt rem eſſe perfectam, aut completam in ſuo modo

eſſendi; & eſſentiam eius vltimò terminatam, quàm operari: quia complementum ſubſtantiale pertinet ad modum eſſendi ſubſtantialẽ eius, & eſſe vltimò terminatam, eſt eſſe perfectam ſubſtantialiter: actu verò operari accidentale, & extrinſecũ eſt; ergo prius eſt eſſe animam ſubſtantialiter in ſe perfectam, atq; vltimò terminatam per ſubſiſtentiam, quàm operari independenter: quare non poteſt habere proprias operationes, quin prius intelligatur habere propriam ſubſiſtentiam: nec ſufficit habere actualem exiſtentiam, & ſubſiſtentiam in aptitudine; cùm conſtet per has non eſſe vltimò terminatam, nec ſubſtantialiter completam.

Secundum argumentum D. Thomæ eſt, creatio terminatur ad eſſe; ergo quod per ſe creatur, per ſe habet eſſe, quod eſt ſubſiſtere, ſed anima rationalis creatur per ſe, licèt creetur in corpore; ergo eſt per ſe ſubſiſtens. Nec ſatisfacit huic argumento ſolutio modernorum, nempe ſufficere ad terminandum per ſe creationem, quòd anima rationalis habeat actualẽ exiſtentiam independentem ſimul cum aptitudine ſubſiſtendi, quia res completa, quæ generatur, habet ex vi generationis, non ſolùm actualem exiſtentiam, ſed etiam ſubſiſtentiã actualem, quia hæc pertinet ad complementum ſubſtantiale eius, tanquam vltimus terminus: & etiam res completa, quæ creatur, vt Angelus eandem, & propter eandem rationem habet ex vi ſuæ creationis: ſed non minus pertinet ad complementum ſubſtantiale animæ rationalis partialis ſubſtantia actualis, nec minus eſt vltimus terminus naturæ eius; ergo non minus eam debet habere ex vi ſuæ creationis. 45

Probatur tandem, quia vt D. Thomas docet 3.p.q.50.art.3. ad 2. & 4. & art.4. ad primum in morte Chriſti, nihil nouum accidit corpori, & animæ eius, quantum ad vnionem Verbi diuini pertinet, ſed in eadem vnione, quam habuerunt à principio, perſeuerarunt, & ſolum habuerunt aliquid nouum, quantum ad vnionem inter ſe, quæ ceſſauit per ſeparationem animæ à corpore, in qua conſiſtit mors; ergo eodem modo fuit vnita anima eius Verbo iam ſeparata à corpore, & à principio, ac dum fuit aſſumpta cum corpore, ſed iam ſeparata habuit ſubſiſtentiam verbi, & ideò fuit capax propriæ; ergo etiam à principio, habuit eandem, & fuit capax propriæ, quam proinde haberet, ſi non aſſumeretur, & quam proinde habebunt aliæ, dum ſunt in corpore; cùm non ſint aſſumptæ ad vnionem. 46

Vt autem veritas noſtræ ſententiæ melius intelligatur, & argumentum oppoſitæ commodius ſolui poſſit, notandum eſt, totam huius rei difficultatem in eo eſſe poſitam, an duo hæc

repug

repugnent ſimul in anima rationali, nempè ſubſiſtere, vt quod partiale, & informare. Quod autem non repugnent, ſed ſimul ſtare poſſint, ex eminentia, ac perfectione animæ rationalis colligi debet, quæ cùm ſit forma perfectiſſima non educta de potentia materiæ, ſic informat corpus, vt prius intelligatur habere ſuum eſſe per creationem à ſolo Deo; quare prius intelligitur eſſe terminum creationis, vt quod creatur, quam informet, & cum creatio terminetur formaliter ad eſſe rei, prius intelligitur animam habere eſſe per ſe, tanquàm id quod eſt, ex vi ſuæ creationis, quàm intelligatur informare corpus, & cùm modus operandi proportionetur modo eſſendi, prius intelligitur poſſe operari per ſe, & vt quod operatur, quàm informet corpus. Et hinc eſt, quòd præcipuas operationes, quas habet ex gradu rationalitatis, ei ſoli conueniant per ſe primò, vt quod, corpori verò per communicationem ab anima, ita vt verum ſit, quia anima intelligit, & vult, homo cuius eadem anima eſt pars eſſentialis, intelligit, & vult.

47 Et ex his intelligitur res quædam ſcitu digna pertinens ad excellentiam animæ rationalis: nempè ſimul eſſe in corpore, id quod eſt, & id quod operatur, & id quo aliud eſt, & quo aliud operatur: videlicet homo ipſe per eam conſtitutus: & prius ſecundùm rationem eſſe, quod eſt, & quod operatur, quàm quo aliud eſt, & quo aliud operatur: licèt vtrumque habeat in eodem inſtanti temporis: cùm tamen aliæ formæ ſolùm ſint id, quo aliud eſt, & quo aliud operatur.

Et ex his etiam intelligitur id, quod D. Thomas vbi ſuprà docuit, nempè ad excellentiam eius pertinere, quod ſuperet materiam, & eam comprehendat ſub ſe: cùm tamen aliæ formæ à materia ipſa comprehendantur. Superare autem, & comprehendere materiam dicitur, quia ita ei communicat eſſe, & operari, vt prius illud habeat in ſe, & à ſe, tanquàm ſibi proprium, & ſine vlla dependentia à materia, quam illud ei communicet: aliæ verò formæ non habent hæc in ſe, & à ſe, ſed eſſe habent quodammodo virtute eiuſdem materiæ, de cuius potentia educuntur, & à qua etiam in communicatione eius dependent, & eodem modo virtutem operandi, quàm compoſito etiam communicant dependenter omnino à materia, ergo anima rationalis per ſuam eminentiam in vtroque ſe eleuat ſupra materiam, ita vt nunquam ſub ea ſit per dependentiam; cæteræ verò formæ nullo modo eleuentur, ſed ſub ea ſemper, & in omnibus ſint.

48 Intelligitur tandem, id quod deſiderabatur videlicet non re-

pugnare duo hæc in anima rationali in corpore exiſtenti, eſſe id, quod per ſe eſt, & independenter à ſubiecto, vel mareria, & ſimul inhærere eidem materiæ per informationem independentem. Et cùm modus eſſendi per ſe, vt quod, independenter omnino à materia, & ſubiecto & ab alio ſuſtentante ſit, ſubſiſtere per ſe, negari non debet, nec poteſt, quod ſimul habeat anima rationalis in corpore exiſtēs, & ſubſiſtere, tanquā quod partiale, & informare materiam. Sed quia oppoſita opinio excellentiam animæ rationalis, ex qua prouenit, duo hæc nō repugnare, non ſatis intellexit, ideò ei denegauit propriam ſubſiſtentiam partialem in corpore, quam extra corpus aliqui ex opinantibus eidem conceſſerunt.

Ad argumentum verò eiuſdem opinionis diſtinguendum 49 eſt antecedens, quod eſſe per ſe, & in alio ſint modi oppoſiti, nam eſſe in alio dependenter ab illo eo modo, quo conuenit accidentibus & formis materialibus, opponitur modo eſſendi per ſe, ſed eſſe in alio eo modo, quo conuenit animæ, non opponitur modo eſſendi per ſe, ſed ſimul cum eo eſſe poteſt, præſertim reſpectu eminentioris formæ. Cuius ratio eſt manifeſta, nam ea, quæ in inferioribus diſperſa ſunt, & ſæpe repugnantia, ſimul & vnita reperiuntur in ſuperioribus, vt patet in eadem anima rationali, in qua eſſe corpoream formaliter, vt quo, & eſſe ſpiritualem formaliter etiam, vt quod, reperiuntur ſimul, licèt in inferioribus formis reperiri non poſſint, & virtutes calefaciendi & infrigidandi, emoliendi, & indurandi, quæ in inferioribus cauſis ſimul eſſe non poſſunt reperiuntur vnitæ. Et in ſuperiori tandem modus operandi neceſſariò, & liberè, hoc eſt ex determinatione ad vnum, & ex indifferentia oppoſiti & repugnantes reperiuntur in eadem voluntate noſtra, vt per ſe eſt manifeſtum.

QVÆSTIO VI.

An ex materia, & forma fiat Vnum per ſe.

VT intelligatur quæſtio notandum eſt, vnum multis modis ſumi, vt docet Ariſt. 5. Met. tex. 13. nam aliud eſt 50 vnum per ſe, aliud vnum per accidens: vnum per ſe, quod habet vnam naturam, aut eſſentiam, atque vnam ſpeciem prædicamentalem per vnam definitionem explicabilem: vnum per accidens, quod non vnam, ſed plures, vt album, vel muſicum, quæ ſimul naturam ſubſtantialem corporis, & accidentalem albedinis continet, & ideò non poteſt in vno prædicamento collocari, vel vna definitione explicari. Quo relicto

vnum

vnum ſubdiuiditur in ſimplex, quale eſt Deus, & compoſitum, quale eſt Angelus, qui ex eſſe, & eſſentia, atque ex genere, & differentia, componitur. Et de vno ſimplici non procedit quæſtio, cum euidens ſit ex duabus diſtinctis rebus, & adeò diuerſis non poſſe conſtare, quod ſimplex eſt, ſed ſi vnum per ſe ex eis ſit, compoſitum eſſe debere. Et de hoc eſt quæſtio, an ex forma, & materia fiat vnum compoſitum ſubſtantiale per ſe, vel ſolùm per accidens.

51 Et quod non poſſit fieri vnu n per ſe probatur duplici argumento: primò quia materia, & forma non ſolùm ſunt diuerſæ entitates, ſed diuerſam rationem formalem habent, actus, & potentiæ; ergo non videntur ita poſſe coniungi, vt ex eis fiat per ſe vnum, nam ſi coniungi poſſunt, vel medio aliquo accidenti coniungi debent, vel media aliqua ſubſtantia, vterque modus coniunctionis eſt impoſſibilis; ergo vniri non poterunt, nec facere vnum per ſe. Probatur minor de accidenti, quia qualis eſt modus vnionis, talis eſt vnio, ſi ergo ſit accidentalis, vnio etiam accidentalis erit: vnde ſi materia, & forma vniuntur per modum vnionis accidentalis, vnum tantum accidentale conſtituent, & ideò vnum per accidens, ſicut album, aut muſicum, & non per ſe. Quòd verò non vniantur per modum vnionis ſubſtantialem, ſic probari poteſt: Talis modus ſubſtantialis, vel eſt eadem entitas cum materia & forma, vel diuerſa; ſi eadem ſit, iam materia, & forma vnientur ſeipſis, & non per medium reale, quod videtur impoſſibile; ſi verò ſit entitas diſtincta ab vtraque, & quaſi actus eſſe debeat, cum ſit nexus vtriuſque, ſequitur non poſſe ex eo ſimul cum forma, & materia reſultare vnum per ſe. Probatur conſequentia, quia ex tribus entitatibus diſtinctis, & duplici actu cum vna tantùm potentia, non poteſt reſultari vnum per ſe.

52 Secundò, quia ſi vniuntur per aliquem modum, cum diſtinctæ ſint partes realiter, diſtinctus etiam debebit eſſe modus vnionis ex parte materiæ, & formæ, & ideò ad minus erunt ponendi duo modi vnionis, quod præſertim videtur neceſſarium in vnione animæ rationalis cum corpore: nam cum hæc ſit ſpiritualis, non poterit eam attingere modus vnionis corporeus, ſed per incorporeum vnietur, materia verò modum corporeum petit; ergo duo erunt neceſſariò ponendi, quia repugnat eundem eſſe ſpiritualem, & corporeum, & ita componetur homo ex quatuor entitatibus realibus, quod nec videtur poſſibile, nec conueniens tot entitates reales multiplicare.

Veritas huius rei eſt, quod ex forma, & materia fit vnum compoſitum ſubſtantiale, & per ſe, ita tenet expreſsè Ariſto. 2.

lib. de anima c. 1. tex. 7. & 8. Met. tex. 15. vbi ſic ait: *Quid eſt quod hominem facit vnum, quod ſi quemadmodum dicimus, hoc qui dem materia, hoc verò forma eſt, & hoc quidem potentia, hoc verò actu, profectò non videtur amplius dubitatio eſſe, quod quaritur.* Ita etiam D. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. & cum eo omnes Interpretes Ariſt. & vniuerſa ſchola. Probatur vnica ratione deducta ex verbis eiuſdem Ariſt. hoc modo: Potentia per ſe ordinatur ad actum, & potentia ſubſtantialis per ſe ad actum ſubſtantialem, ſed materia eſt potentia ſubſtantialis; ergo per ſe reſpicit actum ſubſtantialem, qui eſt forma, & reſpicit illum, tanquam receptaculum eius; ergo per ſe recipit illum, & per ſe actuatur ab eo. ſed talis receptio. & actuatio dicit vnionem per ſe. ergo per ſe vniuntur & ex tali vnione per ſe neceſſe eſt vnum etiam per ſe reſultare. Quod præſertim neceſſarium eſt: cùm forma ſit potentia ſubſtantialiter incompleta, & forma actus etiam incompletus ſubſtantialiter. Ex quo neceſſariò ſequitur ita vniri formæ. vt eam quaſi ſubſtantialiter compleat, quod non poteſt intelligi, niſi ex vtraque, tanquam ex incompletis fiat vnum per ſe completum ſubſtantiale.

An forma, & materia vniantur immediatè per ſe, vel per aliquem modum vnionis medium.

Vt autem melius intelligatur, quonammodo vniantur materia, & forma ad conſtitutionem vnius compoſiti per ſe, & argumentum contrarium facilius ſoluatur, tria ſunt explicanda de vnione, Primum an vniantur per aliquem modum vnionis, vel immediatè per ſe, Secundum quid nam ſit modus ille vnionis, Tertium quotuplex ſit; hoc eſt, an vnus tantum, vel plures. 53

Circa primum tria ſunt præſupponenda, tanquam certa. Primum eſt, quod forma, & materia non ſolùm vniantur ſecundùm locum, vt aliquid falsò dixerunt putantes non eſſe aliud vniri, quàm in eodem collocari loco, quod patet eſſe falſum, quia materia, & forma vniuntur ad conſtituendum compoſitum ſecundùm eſſe ſubſtantiale; ergo debent vniri ſecundùm ſubſtãtiam, ſed vnio ſecundùm locum eſt accidentalis, & prorſus extrinſeca; ergo falſum eſt, quod ſolùm vniantur ſecundùm locum. Secundò, quia anima rationalis, & corpus poſſunt ſeparari ſecundùm eſſe, ita vt moriatur homo, & non ſeparari ſecundùm locum, quia non eſt neceſſariò animam locum mutare, ſed poteſt à Deo in eodem conſeruari loco; ergo vnio formæ cum materia ad conſtituendum totum, pluſquam localis debet

lis debet eſſe. Nec ſufficit illud, quod quidam addiderunt vnioni locali, dicentes, non ſolùm vniri ſecundùm locum, ſed etiam ſecundùm dependentiam vnius ab altera.

54 Nam hoc imprimis apertè eſt falſum, quia non eſt intelligibilis actualis dependentia inter materiam, & formam, niſi intercedente informatione: nam ſi forma non informat materiam, non dependebit actu ab ea ſecundùm aliquod eſſe ſubſtantiale, vel accidentale, nec etiam materia ab ipſa: cum nullum eſſe ab ea recipiat; ergo fictitia eſt talis dependentia, & non vera. Et rurſus ſine illa poſſunt conſtituere compoſitum vt patet in anima rationali, quæ vnitur corpori, & cum eo conſtituit hominem, ſine vlla prorſus dependentia ab eo. Ac tandem licèt vera poſſet eſſet dependentia, cum ſola vnione locali, non ſufficeret, quia per illam non vnirentur ſecundùm eſſe; ergo nec conſtituerent vnum ſecundùm eſſe.

55 Secundò, certum eſt, non ſolùm vniri formam, & materiam per relationem, vt falsò putauerũt Scotus in 1. d. 30. q. 4. & Duran. in 3. d. 5. q. 2. dicentes vnionem eſſe relationem inter partes vnitas, quia ſtatim ac vniũtur, dicuntur ad aliquid, cum tamen ante vnionem nullam relationem haberent: nam hæc relatio vnionis conſurgens inter partes vnitas accidens eſt; ergo ſi per ſolam relationem vniuntur, non vniuntur ſubſtantialiter, ſed ſolùm accidentaliter: per vnionem autem accidentalem non poſſunt conſtituere vnum ſubſtantiale, ſed ſolùm accidentale.

Tertiò, certum eſt, non ſolùm vniri materiam, & formam mediis diſpoſitionibus: quas agens in eam inducit ad expellendam formam contrariam, & inducendam propriam; nam ſi iſtæ recipiantur in toto compoſito præcedente, tanquàm in ſubiecto, euidens eſt non permanere in inſtanti, in quo forma introducitur, & ideò non poſſe concurrere ad vnionem realem eius cum materia. Si verò ſint in ſola materia, permanere poterunt, ſed cum ſint accidentia, ſolùm poſſunt vnionem accidentalem facere, & per illam non poterit conſtitui, niſi vnum accidentale. Deinde fieri poteſt per potentiam Dei abſolutam, vt forma vniatur materiæ abſque vllis diſpoſitionibus præcedentibus, quod fatentur omnes, tunc ergo remanet difficultas, per quid vnirentur.

56 Suppoſito ergo, quod in nullo horum accidentium conſiſtat vnio formæ cum materia, quia ſubſtantialiter vniri debent ad conſtituendum compoſitum ſubſtãtiale, quæſtio eſt, an vniantur ſubſtantialiter per proprias entitates, & ſubſtantias immediatè, vel per aliquem modum ſubſtantialem à propriis entitatibus diſtinctum.

Prima opinio tenet ſine aliquo medio vniri, ita moderni quidam, & videtur imprimis colligi ex Ariſto.8. lib. Metaph. tex.15.ex D.Tho.3.contra gentes ca.70.quibus locis aſſerunt, actum, & potentiam ſine medio vniri, quod præſertim verum eſt in prima potentia, & primo actu, quales ſunt materia, & forma: nam per ſe immediatè ſe reſpiciunt; ergo per ſe immediatè vniuntur. Vnde idem Ariſt.2. li.de Anima, text.2. agens de corpore, & anima conſtituentibus compoſitum, ait triplicem eſſe ſubſtantiam in tali compoſitione, materiam, formam, & compoſitum; ſentit ergo ad generationem ſubſtantialem non concurrere quartã, quæ ſit modus ſubſtãtialis, quo vniantur materia, & forma. Et ratione probatur: quia ſi detur modus ſubſtantialis, quo vniantur, ab eis diſtinctus, non poterit eas vnire, quin eiſdem ipſe vniatur, tunc ergo, vel vnitur eis per ſe, vel per alium modum vnionis, ex hoc ſecundo ſequitur proceſſus in infinitũ, ex primo verò ſequitur non eſſe neceſſarium: quia ſicut ipſe poteſt per ſe, & ſine alio modo vniri partibus; poterunt etiam partes vniri per ſe immediatè ſine illo; ergo non eſt ponendus aliquis modus vnionis, quo vniantur.

Secunda opinio eſt communis inter modernos, quod materia, & forma vniantur per aliquem modum ſubſtantialem diſtinctum ab eis ex natura rei. Itaque præter vnionem ſecundùm locum, vel propinquitatem: præter actionem agentis, per quam effectiuè vniuntur, præter relationem, vnionis conſurgentem in vtroque extremo, de quibus certum eſt neceſſariò intercedere in vnione materiæ, & formæ: ponendus eſt modus ſubſtantialis de nouo productus, per quem ſubſtantialiter vniantur, & modus iſte productus eſt per actionem agentis, & præcedit ordine naturæ relationem vnionis inter materiam, & formam, tanquàm fundamentum eius. 57

Quam, vt ſimul probemus, & explicemus, notandum eſt vnionem tribus modis ſumi. Primò pro actione per quam materia, & forma vniuntur effectiuè ab agente, quæ ideò vnitio potius, quàm vnio vocari debet. Et non eſt aliud realiter à generatione totius compoſiti, vt procedit ab agente. Secundò accipitur vnio pro relatione inter partes vnitas, quia eo ipſo, quòd vniuntur, conſurgit in eis relatio, à qua denominantur formaliter vnitæ, denominatione tamen accidentali, quia relatio de nouo conſurgens inter extrema quæcunq; accidentalis eſt. Tertiò accipitur vnio pro termino eiuſdem vnitionis formali, & fundamento vnioni pro relatione, & hæc eſt, quam dicimus neceſſariò eſſe ponendam præter relationem partium, tanquàm vnionem ſubſtantialem, in qua fundatur relatiua.

58 Probatur primò,quia materia,& forma non ſunt vnitæ ſubſtantialiter per proprias entitates,quas conſtat habere,dum ſeparantur,& habere poſſe,etiam ſi poſtquàm actu ſunt,in rerum natura non vniantur; ergo impoſſibile eſt, quòd de nouo ſint vnitę formaliter,& ſubſtantialiter,quin vtraque vel altera ſaltem aliter ſe habeat nunc,ac prius per aliquid ſubſtantiale, ratione cuius dicatur formaliter, & ſubſtantialiter vnita: cùm prius vnita non eſſet,probatur conſequentia:quia denominatio vnitæ non eſt extrinſeca, neque accidentalis tantùm, ſed formalis, & ſubſtantialis, quare neceſſe eſt ponere vnionem ſubſtantialem à partibus diſtinctam,per quam vniantur.

Secundò,impoſſibile eſt cōſurgere de nouo relationem realem in extremis,niſi mutatione facta in vno,vel altero eorū per nouū aliquid reale, quòd ſit fundamentū proximum relationis inſurgentis, ſed in materia, & forma conſurgit noua relatio vnionis,quam nō habebant prius; ergo ratione alicuius realis, quod de nouo producatur in altero,in quo fundetur noua relatio, quod non poteſt eſſe aliud, niſi ſubſtantialis vnio, in qua fundatur accidentalis relatiua. Quòd etiam probat efficaciter actio ipſa,per quam vniuntur ab agente,quæ vocatur vnitio,& quæ neceſſariò debet habere aliquem terminum formalem, & ſubſtantialem,quæ ſit vnio ſubſtanrialis earundem partium.

59 Ad teſtimonium Ariſtotelis & D. Thomæ dicimus, materiam,& formam per ſe immediatè vniri,hoc eſt,non per aliam materiam, & aliam formam, nec per medium aliquod accidentale,non tamē ita per ſe, & immediatè: vt excludatur vnio ſubſtantialis, quæ modus quidam ſubſtantialis eſt, ratione cuius vniuntur ſecundùm proprias entitates, & eſſentias, & non per alias. Nec ex hoc multiplicantur ſubſtantiæ,quas in re genita poſuit Ariſtoteles, ſed verum eſt tantùm eſſe, materiam, formam,& compoſitum: nam vnio non eſt ſubſtantia,ſed modus, quo vniuntur duæ ſubſtantiæ, ad conſtituendam tertiam, à qualibet,imò ab vtraque diſtinctam, quæ eſt totum. Vnde non multiplicatur quarta ſubſtantia.

Ad primum argumentū neganda eſt minor,quod talis modus ſubſtantialis vniatur eiſdem partibus per alium modū, ſed per ſe vnitur: ex quo non ſequitur, quòd partes ipſæ vniantur per ſe;nam partes,cùm ſint res,quæ vniuntur,non poſſunt,niſi media vnione coniungi, vnio autem ipſa cùm nō ſit res vnita, ſed ratio, vel modus vnionis, non per aliam vnionem, ſed per ſe vnitur partibus,ſicut punctum,quia eſt modus,quo continuantur partes lineę,non vnitur per alium modum eiſdem partibus, quod concedunt omnes ſuppoſito,quòd ſit modus,& non res.

Quid

Quid ſit vnio ſubſtantialis, & in quo ſubiecto.

Circa quidditatem vnionis conueniunt omnes eam ponẽtes, quod ſit modus ſubſtantialis, entitas realis diſtincta ab entitatibus materiæ, & formæ, & ideò, quod diſtinguatur ab eis realiter, non ſicut vna res ab alia, ſed ſicut modus à re: quam diſtinctionem vocant ex natura rei, & probatur hac ratione, quia eſt aliquid de nouo productum per actionem; ergo eſt noua entitas realis diſtincta ab eis, non quidem completa, quia nec materia, & forma, quas vnit, completæ entitates ſũt nec eſt natura aliqua, ſed modus pro vnione partium ad conſtituendam naturam in eis productus, modus verò incompleta entitas eſt, & etiam entitas corporea. Quod ſic probatur, quia ab agente corporeo producitur, & pro vniendis materia, & forma, quæ ſunt partes ſubſtantiæ corporeæ, & tandẽ officium eius ad conſtituendam ſubſtantiam corpoream ordinatur, quas conditiones habere non poteſt, niſi ſit modus ſubſtantialis corporeus. Quod verum eſſe exiſtimamus, etiam de vnione animæ rationalis cum corpore, quia licèt anima ſit ſpiritualis, ſatis eſt, quòd materiæ vniatur, pro conſtituenda ſubſtantia ſimpliciter, atque eſſentialiter corporea, vt vnio ipſa ſimpliciter cenſeatur ordinis corporei, non minus quàm in cæteris compoſitis ex materia, & materialibus formis. 60

Quid autem in particulari ſit, à nemine ferè explicatur: dicendum tamen eſt non eſſe aliud, quàm iuhærentiam formæ ſubſtantialis materiæ per informationem, quod ſic explico, forma accidentalis vnitur ſubiecto per actualem inhærentiam accidentalem in eo, ita vt vnio accidentalis eius cum ſubiecto non ſit aliud, quàm modus ipſe actualis inhærentiæ, nec poſſit excogitari, quid aliud ſit: ergo forma ſubſtantialis vnitur materiæ per actualem inhærentiam ſubſtantialem in ea, & ita non videtur excogitari poſſe, quid aliud ſit actualis, & ſubſtãtialis vnio cum ea, niſi modus actualis, & ſubſtantialis inhærentiæ; qui in quantum ſe tenet ex parte formę, vocatur etiã informatio, & actuatio eiuſdem materiæ. Ex quibus iam intelligitur, in quonam ſubiecto ſit, eſt enim in eodem cum forma, nempè in materia. Probatur, quia in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma, recipitur etiam inhærentia eius, per quam in ſubiecto dicitur recipi, & in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma, recipitur etiam informatio, vel actuatio eius: nam ideò recipitur in ſubiecto, vt hæc officia in eo faciat, ſed forma recipitur in materia, tanquam in ſubiecto 61

ſubiecto ſubſtantialis inhæſionis; ergo in eodem cum ea recipitur ſubſtantialis ipſa inhæſio, quæ dicitur vnio, in quantum coniungit eam cum materia, informatio, in quantum illa media forma, quaſi ſe tribuit materiæ, & actuatio, in quantũ potentiam materiæ reducit ad actum. Hæc enim tria nomina eundem modum realem vnionis diuerſo modo conceptum à nobis ſignificant.

62 Et ſicut recipitur in materia tanquam in ſubiecto formæ, ita de potentia eiuſdem materiæ educitur. Quod ſic probo, nam educi de potentia materiæ eſt exire in actum dependenter à materia; ſed modus vnionis exit in actum dependenter à materia; cum prius ſolum eſſet in potentia; ergo educitur de potentia eius. Minor per ſe eſt manifeſta in formis materialibus eductis de potentia materiæ, in quibus ſimul, ac formæ ipſæ exeunt in actum, fit etiam inhæſio earum in materia: & cum eodem modo neceſſariæ dependentiæ à materia ipſa, ſed in vnione animæ rationalis cum corpore, licèt anima ipſa non educatur de potentia materiæ, actualis tamen inhærẽtia eius in materia fit per actionem agentis naturalis quæ non eſt alia, quàm generatio hominis: nam ideò dicitur homo attingere generationem hominis, quia attingit vnionem animæ cum corpore, attingere verò idem eſt, quod facere; ergo per eandem actionem eam facit, & facit dependenter à materia, tanquam à ſubiecto, circa quod operatur: ergo educit eandem vnionem de potentia eius.

63 Et ſi dicatur, ergo anima rationalis, licèt non educatur de potentia materiæ: quia non dependet ab ea in eſſe, neque in fieri, ſaltem erit verum, quod vniatur materiæ dependenter ab ea, quod non videtur admittendum. Probatur cõſequentia, quia ſi actualis vnio eius cum materia educitur de potentia materiæ; ergo dependet ab illa in fieri, & in eſſe, et ſi vnio dependet: neceſſariò ſequitur, eandem animam vniri corpori dependenter ab eo, & quod amplius eſt, concedendum erit, quod anima ipſa, vt vnita corpori dependeat ab ipſo. Reſpondeo, quod in hac re non audent moderni quidam concedere, quod anima rationalis inhęreat materiæ: fortaſsis quia eo ipſo, quod actu inhærere concedatur, videtur eis concedenda dependẽtia eius à materia. Mihi verò non placet hæc ſententia, quia intelligo nõ eſſe poſsibile animã informare materiã ſine actuali inhęſione in ea. Quod ſic probo, anima rationalis informat corpus, illudq; actuat; ergo recipitur in corpore ſicut actus in potentia receptiua, ſed recipiens, vt recipiens, eſt ſubiectũ; ergo anima eſt in corpore tanquam in ſubiecto informationis,

nis, ſed eſſe in alio, tanquam in ſubiecto informationis nō eſt intelligibile, niſi per actualem inhærentiam informatiuam; ergo negari non poteſt, quòd anima rationalis inhæreat corpori inhærentia actuali ſubſtantiali. Deinde negari non poteſt, quòd hæc actualis inhærentia animæ ſit effectiuè producta ab homine generante, alioqui non poterit eſſe cauſa efficiens generationis: nam cum certum ſit non efficere animam vllo modo, nec materiam, ſi non efficit vnionem ſubſtātialē eius cum illa, nihil ſubſtantiale producit: nam organizatio corporis ad diſpoſitiones præcedentes pertinet, & ideò non erit cauſa efficiens compoſiti ſubſtantialis, nec dicetur illud generare, quod abſurdum eſt. Si verò vnionem animæ cum corpore producit, certum eſt de potentia materiæ eā educere, alioqui efficeret ex nihilo per creationem. Deinde ſi vnionem educit de potentia materiæ, ergo dependet eadem vnio à materia in eſſe, & fieri, quia hoc idem eſt educi. Ex hoc autem 64
non ſequitur, quòd anima vllam habeat dependentiam à materia, aut à corpore, in eſſe, aut in fieri, vel in operari, quia actualis inhærentia, quam habet in materia, omnino indepēdens eſt, cum ſit per informationē ſubſtantialem independentem, ſicut anima ipſa in eſſe, & fieri, & in modo informandi independens eſt. Nec etiam dependet in eo, quod eſt eſſe vnitam: quia licèt vnio ipſa dependeat à materia, ſed anima independenter vnita eſt: nam etſi non poſſit eſſe vnita, niſi vnio fiat à generante dependenter à materia, & niſi ab vnione ipſa attingatur eadem anima: ſed non ex eo, quod attingitur, dependet, ſicut nec ex eo, quod informat materiam, & recipitur ab ea, & per receptionem attingitur, dependere dicitur.

Vnio denique non eſt in forma, tanquam in ſubiecto, nec 65
educitur de potentia eius: quia vtrumque vt minimum, eſſet impoſſibile in vnione animæ rationalis. Sed ſolùm dicitur eſſe in forma per adhæſionem, cuius exemplum poteſt eſſe pūctum continuatiuum quantitatis, quod eſt in ſubſtantia per inhæſionem, ſed in eadem quantitate ſolùm per adhæſionem ad partes, quas continuat.

Quotuplex ſit vnio inter materiam, & formam.

PRima opinio modernorum duplicem ponit, vnam ex parte materiæ, & alteram ex parte formæ. Primò quia vnio videtur eſſe cauſalitas harum partium, quia quælibet exercet ſuum genus cauſæ circa alteram, & compoſitum per vnionem,

ſed cauſalitas formalis, & materialis ſunt diuerſæ, ſicut ipſamet genera cauſarum; ergo diuerſa erit vnio. Secundo, quia vnio ſubſtantialis eſt fundamentum vnionis pro relatione, ſed fundamentum relationis diſtinctum eſt in vtroque extremo, vt patet in albedine fundante relationem ſimilitudinis; ergo diſtincta debet eſſe vnio ex parte materiæ, & formæ, vt fundare poſsit relationem vtriuſque. Tertiò, quia ſaltem in partibus hominis, nempe, corpore, & anima neceſſe eſt diſtinctas ponere, ita vt ſpiritualis ſit vna, & corporea altera, alioqui, ſi vna tantum ponatur, & corporea ſit, non poterit attingere animam, & ſi ſpiritualis, non poterit attingere corpus.

66 Secunda opinio vnam tantum ponit, & illam ordinis corporei. Ita P. Franciſcus Suarius in 1. tom. Met. diſp. 13. ſect. 9. num. 13. & plures moderni, videtúrque nobis probabilior. Probatur 1. ex propria natura ipſius vnionis, quæ eſt eſſe nexum, aut vinculum plurium; ergo vna cum ſit plura attingit extrema; ergo pro duobus extremis ſufficit ponere vnam. Secundò, quia ſi plures ponantur, neutra poterit eſſe, aut vocari vnio. Probatur conſequentia, quia non poteſt aliquid vnire extrema, niſi ea attingat, ſed ſi ponantur ſingulæ vniones pro ſingulis extremis, neutra attinget aliud extremum, in quo eſt, ſed proprium tantum, & eadem ratione non attinget vnionē alterius extremi, cùm in eo non ſit cum illa; ergo non vniet vllo modo vtrumque, & ideò, nec vnio vocari poteſt. Tertiò, quia vnio partium ordinatur ad vnitatem compoſiti per generationem, efficiendi, tanquam ad finem, hanc autem vnicam eſſe conſtat; ergo vnio partium vnica erit, in hoc enim caſu verum eſt commune illud axioma, non ſunt multiplicandæ entitates reales ſine neceſsitate.

67 Ad primum argumentum conceſſa vtraq; parte antecedentis, neganda eſt conſequentia, quia eadem entitas realis diuerſo modo conſiderata poteſt eſſe cauſalitas diuerſarum cauſarum, vt eadem actio eſt cauſalitas finis, & agentis, diuerſo modo ſumpta. Et ratio huius eſt, quia per eandem entitatē realem poteſt vtraque cauſa ſuum genus cauſandi exercere, vt in 2. lib. probabitur; eadem igitur vnio, quæ eſt actualis, & ſubſtantialis inhærentia formæ in materia, in quantum dependet à materia, & in ea recipitur, eſt cauſalitas eius, & in quantum eſt informatio, & actuatio formæ, eſt cauſalitas eiuſdē formæ; nā actuare, & actuari eadē res ſunt, ſicut actio, & paſsio.

68 Ad 2. diſtinguendum eſt minor, quia duobus modis poteſt intelligi fundamētum eſſe diſtinctū in vtroq; extremo, per inhæſionem, vel per attingentiam, & ſatis eſt vno, vel alio modo

eſſe

eſſe diſtinctū iuxta naturam relationis inſurgentis, diſtinctum autem cenſetur per attingentiam eo ipſo quod attingit vtrumque extremum, licèt non ſit diſtinctam in eis per inhæſionem, ſicut albedo in vtroque ſimili. Relatio verò vnionis ſolùm poſtulat diſtinctionem eius ſecundùm attingentiam, quia hæc eſt natura eius, & ideò ſufficit vnionem, quæ eſt fundamentum relationis eſſe diſtinctam, hoc modo, ex parte materiæ & formæ, quamuis non ſit diſtincta ſecundùm entitatem, vel inhæſionem. Exemplum huius habemus in puncto, qui eſt modus vnionis duarum partium lineæ, & vnus cùm ſit ſecundùm entitatem, fundat relationem realem vnionis inter partes, quia vtramque attingit realiter, & ideò cenſetur diſtinctus in eis ſecundùm attingentiam, quamuis non ſit diſtinctus ſecundùm entitatem.

Ad tertium negandum eſt antecedens, quod in partibus hominis ſit ponenda duplex vnio corporea, & ſpiritualis, ſed vna ſufficit, quæ cum inhæreat materiæ, attingit animam, non per inhæſionem, ſed per adhæſionem: ad ſimilitudinem puncti, qui cum vtramque partem lineæ attingat, neutri inhæret, ſed adhæret vtrique & hoc ſufficit, vt vtramque coniungere poſſit.

QVÆSTIO VII.

An plures formæ ſubſtantiales poſſint ſimul informare eandem numero materiam.

DE formis ſubſtantialibus quæritur, an poſſint plures ſimul informare eandem materiam: quia de accidentalibus certum eſt, plures ſimul recipi in eodem ſubiecto, vt de colore, calore, & cæteris, quia cùm plura ſimul accidentia requirantur ad ornatum eiuſdem ſubſtantiæ, plurium etiam ſimul recipiendorum capax eſt: nam capacitas accidentalis maiorem habet extenſionem. Sed de ſubſtantialibus diuerſa eſt ratio; cùm quælibet tribuat materiæ eſſe ſimpliciter, ac determinatam in certa ſpecie, & indiuiduo, ideò meritò de eis dubitatur, an plures ſimul poſſit recipere eadem materia. Duobus autem modis ſe habere poſſunt diuerſæ formæ ſubſtantiales: nam vel ſubordinatæ ſunt, & vna eſt quaſi ſuperior reſpectu alterius, eaque imperfectior, & ideò quaſi diſponere videtur ad aliam, quo pacto ſe habere dixerunt nonnulli in viuentibus formas partiales membrorum, vt capitis, & brachij, ad formam totius, quæ eſt anima, quas poſuerunt ſimul cum ea in eiſdem membris corporis, vel etiam formam totalem corporeitatis, quam in ſingulis 69

gulis viuentibus poſuerunt, vt gradum ſubſtantiæ,& corporis tribuat materiæ, eam diſponẽs, ad perfectiores alios recipiendos ab anima. Sed de his formis modò non loquimur, quia ſpecialis eſt de eis diſputatio in libris de anima. Alio modo ſe habere poſſunt; ita vt nullum ordinem inter ſe ſe habeant,ſed quaſi diſparatæ ſint, vt forma equi, & leonis,forma ligni, & lapidis. Et de his procedit quæſtio præſens; An poſſint plures eandem materiam informare. Et conueniunt omnes naturaliter eſſe impoſſibile. Cuius ratio ſatis eſt manifeſta: quia quælibet forma tribuit materiæ eſſe completum in determinata ſpecie,& indiuiduo,ſed eſſe ſimul in duplici ſpecie, & indiuiduo naturaliter repugnat; non ſolùm, quia ſufficienter actuatur materia per vnam formam,& ideò ſuperflueret alia,nec ſolùm, quia diuerſæ formæ poſtulant diuerſas diſpoſitiones, & magna ex parte contrarias:quas ideò non poteſt ſimul recipere ab agentibus,quæ mutuò ſe impedient in eis imprimendis, ſed, quia natura determinauit quamlibet portionem materiæ ad conſtituendum vnum tantùm indiuiduum, & in vna determinata ſpecie, quod per vnam formam fit, & ideò ſecundùm ordinẽ naturæ repugnat plures ſimul recipere. Propterea quærit titulus quæſtionis, an poſſibile hoc ſit per potentiam Dei ſupernaturalem,quam abſolutam vocant.

70 *Et* prima opinio quorundam modernorum tenet,implicare contradictionem, & ideò per nullam potentiam poſſe fieri,cuius potiſſimum argumentum ſumitur ex capacitate materiæ hoc modo:Materia recipit formam per potentiam,aut capacitatem, quam habet ad illam: ſed non habet potentiam ad recipiendum ſimul plures formas: ergo repugnat eas ſimul recipere. Minorem probant, quia ſi talem haberet potentiam, vel eſſet naturalis,vel obedientialis, non naturalis,quia ſi naturalis eſſet, nec ſufficienter actuata diceretur per vnam, nec vlla eſſet repugnantia, quia naturaliter poſſet ſimul recipere plures. Probatur conſequentia,quantum ad primum,quia ſi habet potentiam naturalem ad plures, non poteſt compleri talis potentia per vnam. Quantum ad ſecundum verò, quia omnis potentia paſſiua naturalis reſpicit actiuam etiam naturalem, à qua poſſit actuari, & perfici; ergo ſi materia habet potentiam paſſiuam naturalem ad plures formas ſimul recipiendas, dabitur virtus naturalis actiua,per quam ſimul poſſint induci.

71 *Secundò*, quia materia, & forma mutuò ſe reſpiciunt,& mutuam habent proportionem; ſed eadem forma non poteſt ſimul informare plures, ac diſtinctas materias, propter multa abſurda, quæ ex eo ſequuntur. Nam imprimis ſequitur,quod

Google

conſtitueret plura compoſita numero diſtincta, vt plures homines, vel leones, deinde, ſi poſſet ſimul informare duas, poſſet etiam infinitas: ergo non minus repugnabit, quod eadem materia poſſit plures formas ſimul recipere. Probatur conſequentia, quia non minora abſurda ſequerentur, nempe, quod eadem materia ſimul eſſet ſub pluribus ſpeciebus diſparatis:& conſequenter,quaſi chimæra,vel hircoceruus. Deinde, quod ex tali coniunctione, nec conſtitueretur vnum numero compoſitum,nec plura, aut ſimul vnum,& plura,quia propter indentitatem materię eſſet vnum,& propter diuerſitatem formarum plura.

72 *Secunda* opinio aſſerit per potentiam ſupernaturalem poſſe plures formas ſimul informare eandem materiam. Ita Greg. in 1.d.12.quæſt.3.artic.2.Palud.in 3.d.15.q.2. Fonſeca 5.Met. ca.4.q.4.ſect.5.Suarius tom.1.Met.diſp.15.ſect.10.num.60.& moderni ferè omnes, *& nobis videtur probabilior.* Sed ad illam probandam ſupponendum eſt, quod materia dum informatur vna forma, habet potentiam ad recipiēdam quamcunq; aliam. Probatur, quia hac forma, quam habet expulſa,poteſt recipere aliam; ergo expulſa illa habet potentiam recipiendi aliam: ſed hæc potentia, nec data eſt ei de nouo ab aliquo agente, nec dari poteſt: quia potentia materiæ ad recipiendam quamlibet formam ad ſubſtantiam, & eſſentiam eius pertinet prorſus inuariabilem; ergo non poteſt ei de nouo aduenire, aut ab aliquo agente de nouo tribui, vnde ſequitur eam habuiſſe à principio. Et ſi dicas ſemper habuiſſe, & habere potentiam, ſed limitatam ad recipiendam vnam formam, quæcunque illa ſit, & ita dum habet vnam, non habere potentiam ad habendam aliam, ſed ſatiatam eſſe omnino per illam, & ita non relinquere in ea capacitatem ad illam. Contra hoc eſt: quod potentia, quam habet materia ad hanc formam, non deſtruitur per aduentum eius, ſed potius perficitur, & perfecta manet; ergo nec deſtruitur potentia, quam habet ad cæteras formas per aduentum vnius,vel alterius,ſed dum informatur vna,habet potentiam ad recipiendam aliam quamcunque ab ea diſtinctam;alioqui,dum eam recipit hac expulſa,reciperet etiam potentiam reſpectu illius, quod probatum eſt falſum.

Hoc ſuppoſito fundamento ſolum poteſt eſſe difficultas in ſimultate recipiendi vtramque. Probatur autem non eſſe impoſsibilem hoc modo: In materia habente vnam formam eſt capacitas recipiendi aliam; ergo ex parte materiæ non repugnat eam recipere, ſed ſolùm propter impedimentum alterius formæ, & ita poteſt aliam recipere per expulſionem huius, 73

ſed

ſed Deus poteſt inducere aliam formam, & impedire expulſionem huius, ſicut poteſt introducere vnum contrarium in eodem ſubiecto; in quo eſt aliud impediendo naturalem expulſionem eius; ergo poterit vtramque ſimul conſeruare.

74 Secundò probatur ex ſimultate duorum corporum in eodem loco hoc modo: in quocunque loco repleto vno corpore remaneat capacitas naturalis recipiendi aliud, & hoc à nemine negatur; quia hoc excluſo poteſt naturaliter eundem locum occupare, & hanc potentiam non recipit de nouo; & ideò colligimus eam ſemper habuiſſe, ſed quod non poſsit naturaliter recipere aliud, dum habet hoc, ſolum prouenit ex naturali impedimento dimenſionum extenſarum in ordine ad locum, quem propter eandem extenſionem non poſſunt occupare aliæ, ſine expulſione huius, quia quælibet dimenſiones ex propria natura ſunt impenetrabiles cum aliis. Deus autem poteſt introducere aliud corpus in eodem loco impediendo expulſionem huius, & ideò efficere, vt ambo ſimul ſint in eodem loco per penetrationem dimenſionum; ergo poterit etiam inducere aliam formam in materia informata hac, & ſimul impedire expulſionem huius, & ita efficiet vt ab vtraque ſimul informetur. Probatur efficaciter conſequentia à paritate rationis in omnibus: nam ſi in loco repleto vno corpore eſt capacitas ad recipiendum aliud: etiam in materia habente vnam formam erit capacitas ad aliam, ergo ſicut ſolum repugnat duo corpora ſimul replere eundem locum propter impedimentum dimenſionum, ita ſolùm repugnabit duas formas ſimul informare eãdem materiam propter impedimentum informationis eius, quæ actu informat; non enim poteſt alia introduci naturaliter ſine expulſione eius, ſed Deus poteſt impedimentum ſimultatis tollere in corporibus, introducendo alterum, & ſimul impediendo expulſionem huius; ergo etiam poterit introducere aliam formam in eadem materia impediendo expulſionem huius, & ita efficere, vt ab vtraque ſimul informetur.

75 Ad 1. argumentum neganda eſt minor, quod materia non habeat capacitatem recipiendi aliam formam, dum informatur hac: & dũ quæritur, an talis capacitas ſit naturalis vel obedientialis. Reſpondendũ eſt cum diſtinctione; nam ad recipiendam aliam formam naturalẽ habet potentiã, dum informatur hac, ſed ad recipiẽdum vtramq; ſimul, non naturalem, ſed obedientialem: quia ſimultas dicit impedimentũ naturale præexiſtẽtis formæ, quod non poteſt vinci, niſi à potentia ſupernaturali. Quo ſuppoſito, etiam eſt diſtinguendum conſequens, quan-

tum pertinet ad vtrumque illatum, nempe, quod non ſit ſufficienter actuata per vnam, & quod poſſit recipere plures naturaliter: quantum ad primum, quidem: quia eſſe ſufficienter actuatã duobus modis intelligi poteſt, intenſiuè, & extenſiuè, & primo modo ſufficienter actuata eſt, per quamlibet formam, ſed per nullam ſecundo modo. Quantum ad ſecundum verò, quia ſi recipere aliam formam abſolutè intelligatur, poteſt quidem materia naturaliter eam recipere, ſi verò ſimul cum alia, repugnat propter impedimentum alterius formæ, quod tamen vincere poteſt ſupernaturalis potentia primi agentis, vt probatum eſt.

Secundum argumentum petit, an eadem forma poſſit informare plures materias ſimul per diuinam potentiam: nam ſecundùm ordinem, ac virtutem naturalem agentium manifeſtum eſt non poſſe. Sed quod etiam repugnet per potentiam ſupernaturalem probatur hoc argumento, virtus cuiuſlibet formæ ad ſuum effectum formalem præſtandum limitata eſt, cum ſit ipſamet ſubſtantia formæ, nec poteſt eleuari ab agente ſuperiori, vt poſsit plus, quàm ſit virtus eius: quia eleuari inſtrumentorum eſt ad genus cauſæ efficientis pertinentium, non ad cauſam formalem, quare non plus poterit forma in ordine ad informandum per ſupernaturalem potentiam, quàm per propriam virtutem naturalẽ, ſed per hanc conſtat nõ poſſe ſimul informare plures materias; ergo nec poterit per illam. 76

Probabilius tamen nobis videtur, id non repugnare: quia forma habet proportionem cum qualibet materia, quam non informat; ergo ex parte eius nõ repugnat, quin poſsit ſucceſsiuè informare plures materias, ſi à Deo conſeruetur, ſed ſolum ex parte ſimultatis, quam poteſt Deus efficere poſsibilem, quia nulla in hoc apparet aperta repugnantia, vt conſtabit ex ſolutione argumenti, quare non eſt denegandum diuinæ omnipotentiæ. Nam ad 1. reſpondeo quod ſi eadem forma informaret plures materias, vnum numero compoſitum ſimpliciter conſtitueret, quia identitas numerica compoſiti, aut à ſola forma, aut ab ea præcipuè ſumitur; ſolum ergo eſſent diſtincta ſecundùm quid ex parte materiæ. Quod autem dicitur, ſi poteſt informare plures, poſſe etiam infinitas: concedendum eſt de infinitis in potentia, hoc eſt non tot, quin pluribus, quia informare vnam, vel plures ad virtutem extenſiuam pertinet, non terminatam termino intrinſeco: non ad intenſiuam, quæ completur per informationem vnius materię, negandum verò de infinitis actu, quia repugnat dari materias actu infinitas. 77

Ad ſecundum, diſtinguenda eſt minor, quod forma non poſsit

poſſit eleuari ad informandum vltra propriam virtutem: nam eleuari dupliciter contingit, vel ad efficiendum, & hoc ſolum conuenit inſtrumentis, vel per modum applicationis ad cauſalitatem exercendam, vel proprium effectum præſtandum, & ad hoc poſſunt quoque eleuari forma, & materia à primo efficiente, ita vt per eleuationem fiat, quod poſsint proprios effectus circa plura ſimul præſtare, propriaſque cauſalitates exercere. Et ad hoc eleuaretur forma, & per eleuationem poſſet plures materias ſimul informare, quod non poſſet, quantum ad ſimultatem propriâ virtute: nam applicari ad vnam, vel plures non ad ſe pertinet, ſed ad efficientem cauſam propriam. Ideò negandum eſt, quantum ad ſimultatem; quod non plus poſsit per virtutem ſupernaturalem, quàm propriam, quãuis verum ſit, non plus poſſe, quantum ad ſubſtantiam informationis.

TRACTATVS III.

de priuatione.

QVinque ſunt explicanda de priuatione, An ſit, Quid ſit & Quomodo diſtinguatur à generatione, & hæc tria ſub vnica quæſtione. Quartũ quotuplex ſit, quæſtione alia. Quintum, An ſit principium per ſe naturalis generationis à materiâ diſtinctum.

QVÆSTIO I.

An ſit priuatio in rerum natura, & in quo conſiſtat eſſentia eius.

1 PRiuationẽ poſuerunt in rebus naturalibus Plato in Dialogo de morte, nõ longè à principio, & cũ eo cęteri Philoſophi Ariſtotele antiquiores, & Ariſtot. ipſe in toto hoc 1. lib. vbi eã inter principia rerũ naturaliũ enumerauit, atq; etiam in poſtprædicamentis ca. de oppoſitis, aſſerẽs vnũ ex quatuor generibus oppoſitionis realis eſſe habitũ, & priuationem, & lib. 5. Met. ca. 22. Et præter Philoſophos ſancti Patres, Auguſt. lib. de decẽ Categoriis c. 18. & in imperfecto de Geneſi ad literã c. 5. Epiphanius in libello quodã aduerſus Amonæorũ hæreſes poſt mediũ, qui habetur to. 1. lib. 3. Iſidor⁹ in lib. de ſummo bono. Anſelmus lib. de caſu diaboli cap. 41. & lib. de cõceptu virginali ca. 5. Damaſc. in ſua dialectica ca. 58. & ca. 2. ſuæ Philoſophiæ, imò & ſacræ literæ in principio Geneſis, vbi docent, quod antequam Deus lucẽ faceret, tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, tenebrarum nomine priuationem lucis intelligentes,

ſecundùm expoſitionem interpretum, præſertim Auguſt. vbi ſuprà, ita aſſerentis: *Aliud eſt lux, aliud illa priuationes lucis, quas in contrariis tenebris ordinauit, Deus.* Et probatur euidenti ratione in rebus eſſe, ex ſignificatione eiuſdem nominis: nam priuatio ſignificat carentiam alicuius, ſed in rebus naturalibus reperitur carentia naturalis formæ, vt viſus, quam appellamus cæcitatem, & auditus, quam appellamus ſurditatem; ergo in rebus naturalibus repetitur priuatio.

Quo tanquam certo præſuppoſito, quærimus, Quidnam 2
priuatio ſit. Et circa quidditatem priuationis fuit prima opinio aſſerens priuationem ex ſe, nec ens reale eſſe, nec ens rationis, ſed purum nihil, quadam autem ratione accidentali denominari ens rationis, vt cognitam ab intellectu. Probatur authoritate, & ratione. Authoritate Ariſt. qui in hoc 1. lib. tex. 75. docuit priuationem eſſe non ens ſimpliciter, ſed non ens ſimpliciter eſt nihil, ſicut ens ſimpliciter eſt aliquid; ergo ſentit Ariſtoteles priuationem nihil eſſe. Quod D. Auguſt. vbi ſuprà expreſsè aſſerit his verbis: *Non enim Deus feciſſe tenebras dictum eſt, quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non priuationes, quæ ad nihilum pertinent.*

Ratione verò ſic probatur, res quælibet habet eſſe per formam, ſed priuatio tollit formam, vt cæcitas viſum; ergo tollit eſſe, ſed quod tollit eſſe, vt tale non poteſt eſſe ens reale, quia quodlibet ens reale, dicit aliquo modo eſſe; ergo priuatio non eſt ens reale: ſed nec eſt ens rationis; quia ens rationis non habet aliud eſſe, quàm cognoſci ab intellectu, & ideò ante operationem eius non datur, ſed dantur priuationes ante operationem intellectus; nam homo cæcus dicitur formaliter, etiam ſi nunquam ab intellectu cognoſcatur; ergo priuatio formaliter non eſt ens rationis, ſed poſtquam in rebus eſt, cognoſcitur ab intellectu, & ideò habet eſſe cognitum ab eo, ex quo denominatur ens rationis, quod patet eſſe ei accidentale.

Secunda opinio ex directo oppoſita eſt, quod priuatio non 3
ſolùm detur ante operationem intellectus, ſed quod ſit entitas realis poſitiua. Huius opinionis mentionem fecit Greg. in 2. d. 24. qu. 1. art. 1. & eam tenere videtur Ægidius in 2. d. 34. qu. 1. artic. 3. ad 4. in explicanda autem hac ſententia non conueniunt, qui eam ſequuntur. Sed quidam priuationem eſſe dicunt relationem realem diſtinctionis, per quam ſubiectum diſtinguitur à forma, qua priuatur, vt cæcitatem eſſe relationem realem, per quam diſtinguitur homo à potentia viſiua, qua priuatur. Alij verò dicunt priuationem eſſe aptitudinem realem, quam habet ſubiectum ad formam, qua caret, vt eadem

cæcitas

cæcitas aptitudinem realem, quam habet homo cæcus ad viſum, quo caret. Alij denique priuationem vnius formæ dicunt eſſe formam contrariam, vt priuationem frigoris eſſe calorem. Et probatur, quia in ſacris literis inuitantur priuationes ad diuinas laudes, vt in cantico trium puerorum, cum dicitur: Benedicite lux, & tenebræ Domino. Et ab Ariſtotele dicitur priuationem maleficam eſſe, malúmque machinari in hoc 1. lib. text. 80, & in 2. de Anima textu 138. quæ omnia præſupponunt priuationem habere entitatem realem, per quam & Deum laudare poſſit, & vim nocendi habere, malumque machinari.

4 *Tertia* ſententia quaſi media eſt inter hæc extrema, aſſerit enim priuationẽ duobus modis conſiderari, formaliter, aut ratione fundamenti, & hoc ſecundo modo eſſe aliquid reale poſitiuũ, nempè ſubiectũ cum aptitudine habendi formam, qua priuatur: formaliter verò nihil reale dicere in recto, ſed ſolam negationem formæ, bene tamen in obliquo, nempè aptitudinem ſubiecti, per quam diſtinguitur à negatione; ſed quia aptitudo hæc quaſi extrinſeca eſt ei, cum ſit potius in ſubiecto, quàm in ea, ideò priuatio formaliter, & quidditatiuè accepta nihil reale eſt, nec ponenda in rebus ante operationem intellectus, ſed ens rationis habens eſſe cognitum ab intellectu, & ſolùm, dum actu ab intellectu cognoſcitur denominans ſubiectum, ita Gabr. in primo, d. 24. qu. 1. dub. 3. Soncinnas 6. lib. Meta. qu. 18. & lib. 10. quæſt. 15. & Sotus primo lib. Phyſ. quæſt. 8. Probatur teſtimonio D. Thom. quæſt. 21. de veritate art. 1. vbi ait: *Cæcum addit aliquid ſupra hominem, ſcilicet cæcitatem, quæ non eſt aliquod ens in natura, ſed rationis tantum, ſecundùm quod ens eſt comprehendens priuationes.* Et ratione; quia recepta eſt in ſchola generalis illa diuiſio entis rationis, in negationem, priuationem, & relationem, quam tetigit D. Tho. ibidem, cuius diuiſum, non ſolùm conuenit membris diuidentibus, ſed eſſentiale eſt eis: cum ſit tranſcendens; ergo priuatio, quæ alterum membrum eſt, non minus erit formaliter, & eſſentialiter ens rationis, quàm relatio & negatio.

5 Secundò, priuatio nihil addit ſupra puram negationem, niſi connotationem ſubiecti apti habere formam, ſed aptitudo ſubiecti non pertinet ad eſſentiam priuationis, ſicut nec ſubiectum in quo eſt, quemadmodum ſubiectum, & aptitudo, aut potentia eius non pertinet ad eſſentiam aliorum accidentium: ſed extrinſecè prorſus ſe habet; ergo priuatio formaliter, & eſſentialiter non diſtinguitur à negatione, & de hac conſtat eſſe formaliter ens rationis; ergo priuatio quoque erit ens rationis formaliter.

Pro ſolutione huius quæſtionis notandum eſt primò, priuationem quatuor modis ſumi, vt docet expreſsè Ariſtoteles 5. Metaphyſ. ca. 22. Primò accipitur pro negatione formæ, quam aliquid habere aptum eſt, in quantum participat rationem entis vniuerſaliſſimam, in qua acceptione planta dicitur cœca, quia caret viſu, quem habere poteſt, non vt planta, ſed vt ens eſt. Secundo modo accipitur pro negatione formæ, quam aliquid habere poteſt, non ratione ſuæ ſpeciei, ſed ratione generis. Et ſecundùm hanc acceptionem talpa dicitur cœca, quia apta eſt habere viſum, non vt talpa, ſed in quantum animal. Tertiò modo accipitur pro negatione formæ, quam aliquid 6 habere poteſt ſecundùm propriam rationem, non tamen pro tali tempore. vt catulus ante nonum diem ſuæ natiuitatis dicitur priuatus viſus, quia eum habere aptus eſt ex propria natura, ſed non pro tali tempore, & iſtæ tres acceptiones ſic ſe habent, vt prima ſit impropriiſſima. Secunda minus impropria. Et tertia adhuc minus, ſed omnes ſunt ſimpliciter impropriæ (ait Ariſtoteles) quia ſecundùm nullam earum dicitur aliquid ſimpliciter priuatum, ſed ſolùm ſecundùm quid. Ideò quarto modo accipitur priuatio propriè, pro negatione formæ, quam quis habere aptum eſt ſecundùm propriam naturam, & tali tempore, vt homo dicitur priuatus viſu, quia vt talis eum poteſt habere, & hoc etiam tempore. Et priuationem ſic acceptam definiuit Ariſtoteles hoc modo, priuatio eſt, *negatio formæ in ſubiecto.*

Quam definitionem vt intelligamus notandum eſt ſecundò 7 in quo differat priuatio à negatione. Negatio duplex eſt, vna, quæ nullum habet fundamentum in rebus, quibus attribuitur, vt dum dicimus chimæram, aut hircoceruum eſſe non hominem. Altera habet in re fundamentũ, vt non hinnibile reſpectu hominis; & vniuerſaliter in re quacunque negatio diuerſæ naturæ, quæ habet fundamentum in natura propria. Et cùm vtraque negatione primò conuenit priuatio in prima particula definitionis, quæ ponitur pro genere; per ſecundam verò, qua dicitur eſſe negationem formæ, diſtinguitur à negationibus non habentibus fundamentum, & per eandem adhuc conuenit cum aliis, quæ fundamentum habent, cum quibus ſecundò conuenit in eo, quod tam priuatio, quàm hæc negatio de formali ſolùm dicunt remotionem formæ à ſubiecto. Tertiò conuenit, quod vtraque eſt extremũ alicuius oppoſitionis realis, hoc eſt, ante operationẽ intellectus exiſtentis, negatio quidem oppoſitionis contradictoriæ, priuatio verò oppoſitionis priuatiuæ. Quartò conueniunt, quod vtraque prædicatur realiter de ſubiecto:

iecto: nam de homine verum eſt, quod realiter non eſt hinnibilis, & quod realiter caret viſu, ſi ſit cæcus. Quintò conueniunt, quod neutra cognoſcitur per ſe, ſed per formam, qua priuat, aut per ſpeciem eius. Quod adeò verum eſt, vt Deus non habeat propriam ideam negationum, aut priuationum, nec eas cognoſcat, niſi per ideam formarum, vel rerum poſitiuarum. Et propter has conuenientias communis eſt eis ſecunda particula definitionis. Sed ſeparantur per vltimam, qua dicitur: *Priuationem eſſe negationem formæ in ſubiecto apto*, nam fundamentum vtriuſque ſubiectum eſt, ſed negationis, ſolùm, vt non habet formam, priuationis verò, vt etiam aptum eſt habere illam.

8 An verò formalis, & eſſentialis ſit hæc differentia, vel non. Quidam non formalem, ſed materialem eſſe affirmant, quare dicunt non differre eſſentialiter priuationem à negatione, ſed ſolùm accidentaliter. Mihi tamen videtur formalem eſſe, & ideò formaliter, & eſſentialiter, differre; primò quia illa particula *in ſubiecto apto* pro differentia ponitur ab Ariſtotele, & non eſt, à quo per illam differre poſſit, niſi à negatione; ergo differt ab ea eſſentialiter. Secundò quia licèt ſubiectum, & aptitudo eius ſecundum ſe extrinſeca ſint priuationi, & ſolùm per eam connotentur, ordo tamen ad tale ſubiectum cum aptitudine, intrinſecus eſt priuationi, & omninò formalis, & eſſentialis: ergo formaliter, & eſſentialiter diſtinguit eam à negatione. Et ex hac differentia procedit, quod negatio poteſt eſſe de eſſentia ſubiecti, vt non eſſe equum eſt de eſſentia hominis, priuatio verò non poteſt pertinere ad eſſentiam eius, ſed ſemper eſt accidentalis: nam, quod ſubiectum careat forma, quam habere natum eſt, repugnat pertinere ad eſſentiam eius, ſed per modum accidentis ſemper de eo prædicatur.

9 Notandum eſt vltimò ex doctrina D. Tho. q. 1. de malo art. 1. ad vltimum bene explicata à Caiet. 1. p. q. 48. art. 2. priuationem, & negationem dupliciter conſiderari poſſe, primò, ſecundùm rationem propriam, & eſſentialem, qua remouet formam realem à ſubiecto, & hoc modo certiſſimum eſt dari in rebus ante operationem intellectus, vt cæcitas, & ſurditas, de quibus non poteſt negari, quod ſint in hominibus, etiam ſi nunquam intelligantur. Secundò conſideratur, non ſecundùm propriam rationem remotionis, ſed in quantum attribuitur rebus in propoſitione per modum formæ poſitiuæ eiſdem inhærentis, vt cum dicimus hominem eſſe cæcum, vel habere cæcitatem, non prædicamus de eo cæcitatem per modum negationis remouentis formam, ſed potius per modum formæ quam habere dicimus. Et priuatio hoc modo ſumpta non eſt in rebus, ſed

ſolùm obiectiuè in intellectu,& ideò, nec realis eſt, ſed ens rationis. Et ratio eſt manifeſta, quia modum formæ poſitiuæ non habet, niſi ab intellectu ſic eam concipiente ad ſimilitudinem formarum. Hæc etiam ratio accidentalis eſt priuationi ſecundùm ſe ſumptæ, vt eſt ſatis manifeſtum.

10 Quibus ſic expoſitis, noſtra ſententia quatuor concluſionibus explicatur. *Prima eſt* priuatio adhuc in ordine entium realium aliquid eſt,& non purum nihil, vt falsò aſſerit prima ſententia. Probatur teſtimonio Ariſt.& ratione. Nam Ariſtoteles poſuit priuationem principiũ generationis naturalis,tanquam terminum à quo ens, ſed generatio realiter non eſt ex nihilo: quia apud ipſum ex nihilo nihil fit, & apud nos ſi eſſet ex nihilo, eſſet creatio; ergo euidens eſt apud Ariſt. priuationem in ordine entium realium aliquid eſſe, & non purum nihil. Probatur etiam ratione, quia purum nihil in ordine reali eſt pura negatio entitatis, ſed priuatio non eſt pura negatio, ſed dicit realem aptitudinem in ſubiecto, quod ſub eadem ratione aptitudinis realis ab intrinſeco reſpicit; ergo non eſt purum nihil.

Secunda concluſio, priuatio non eſt entitas realis poſitiua. Hæc eſt aduerſus ſecundam opinionem. Probatur hac ratione, ſi priuatio eſſet entitas realis poſitiua,vel eſſet relatio realis diſtinctionis per quam diſtinguitur materia à forma, qua priuatur, vel realis aptitudo, quam habet ad illam, vel denique forma, quam habet oppoſita ei, qua priuatur, (hi enim ſunt tres modi defendendi, quod priuatio ſit entitas realis poſitiua, vt vidimus) ſed neutrum horum eſſe poteſt; ergo vera eſt noſtra concluſio, quod non ſit entitas realis poſitiua: & falſa ſecunda ſententia. Probatur minor, primò de relatione:nam diſtincta ſunt genera oppoſitionum, relatiua, & priuatiua, vt docet expreſsè Ariſtoteles in poſtprædicamentis ca. de oppoſitis; ergo priuatio non poteſt eſſe relatio formaliter : nam iam coinciderent duo hæc genera oppoſitionum. Secundò quia adueniente forma deſinit eſſe priuatio in materia, ſed manet in ea eadem relatio diſtinctionis ab eadem forma adueniente, qua antea erat priuata,à qua certum eſt,nõ minus diſtingui realiter, dum eſt præſens,quàm dum erat abſens; ergo falſum eſt, quod priuatio ſit talis relatio. Probatur deinde de aptitudine, quia priuatio opponitur formæ, cui non opponitur aptitudo materiæ, ſed potius ad eam, tanquam ad proprium finem ordinatur. Secundò quia adueniente forma deſtruitur priuatio, non tamen aptitudo,ſed potius manet perfecta per formam. Probatur tandem eadem minor de forma,quia priuatio formaliter eſt negatio,ſeu carentia formę in ſubiecto apto,ſed forma poſitiua non

poteſt

poteſt eſſe negatio, vel carentia ſui in ſubiecto, vt ex ſe eſt manifeſtum; ergo nec poteſt eſſe priuatio formaliter.

11 Tertia concluſio: priuatio formaliter, & eſſentialiter non eſt ens rationis. Hęc eſt expreſſa apud D. Thomã 5. Metaph. libro nono, quæſtione prima, de malo, artic.1. ad vlt. 3. contra gentes cap.9. ad finem, vbi eam etiam tenet Ferra. & 1. p. q.48. arti.2. ad 2. Vbi etiam Caiet. Probatur teſtimonio Ariſt. qui priuationem ponit principium generationis naturalis. Ex quo ſic arguo: Generatio rei naturalis, eſt mutatio realis non dependens ab intellectu, ſed ante operationem eius exiſtens à parte rei: ſed priuatio eſt principium eius, tanquam terminus à quo procedit; ergo non dependet ab operatione intellectus, ſed ante illam datur, & ideò non eſt ens rationis. Probatur conſequentia, quia non poteſt dari generatio realis ante operationem intellectus, niſi dentur eius termini, à quo, & ad quem: ſed terminus à quo eſt priuatio; ergo ſine hac non datur, & propterea neceſſariò dabitur hæc ante operationem intellectus. Si autem reſpondeas, Ariſtotelem non poſuiſſe priuationem formaliter ſumptam pro altero principio generationis, ſed ſumptam materialiter pro materia ipſa cum aptitudine ad formam. Et hoc modo datur ante operationem intellectus, non illo, ſed formaliter ens rationis eſt.

12 Probatur euidenter hoc eſſe falſum, primò quia Ariſtoteles poſuit duo principia generationis naturalis, (quæ ſunt duo termini eius à quo, & ad quem, & ſunt priuatio, & forma) oppoſita eſſe, & mutuo ſe excludere à materia, & ita vt vna adueniente expellatur altera: ſed materia cum aptitudine ad formam, nec opponitur formæ; cum ad eam potius ordinetur tanquam ad finem, nec excluditur per aduentum eius, ſed perfecta potius manet; ergo non ſumpſit Ariſtoteles priuationem materialiter pro ea, ſed formaliter pro carentia formæ, quo pacto opponitur formæ, & per eam excluditur. Secundò, quia oppoſitio priuata eſt realis, ſicut reliqua genera oppoſitionum; ergo extrema eius ſunt realia, & dantur ante operationem intellectus, ſed alterum extremum eius eſt priuatio, non materialiter, ſed formaliter ſumpta pro carentia formæ, quia ſic & non aliter opponitur formæ, & excluditur per eam à materia; ergo formaliter non eſt ens rationis, ſed datur ante operationem intellectus. Et tãdem, quia ratio formalis priuationis conſiſtit in remotione formæ realis à ſubiecto, ſed ante operationẽ intellectus datur remotio formę realis à ſubiecto, vt viſus ab homine, & frigiditatis ab aqua; ergo datur priuatio formalis, quare non poteſt eſſe ens rationis ſecundùm propriã

eſſentiam,

eſſentiam. ſed ſi ens rationis eſt, hoc habet accidentaliter, in quantum concipitur ab intellectu per modum formæ poſitiuæ & ita concepta attribuitur rebus, tanquam ab eis habita.

Vltima concluſio accepto ente reali pro entitate poſitiua, priuatio non eſt ens reale, ſed accepto pro fundamento veræ compoſitionis ens reale vocari poteſt. Prior pars huius concluſionis continetur in ſecunda concluſione noſtra iam probata aduerſus ſecundam opinionem. Secunda verò tenet expreſsè D.Thomas 5.Met lect.9.1.p.q.48.art.2.ad 1.& ibidem Caiet.& 3.contra gentes cap.9.& ibid. Ferr. & colligitur euidenter ſimulque explicatur ex doctrina Ariſtotelis 5.Met. tex.14.vbi docet ens reale duobus modis accipi, ſtrictè,& propriè pro natura, & eſſentia rei: in qua acceptione poſitiuam entitatem ſignificat,& diuiditur in 10.prædicamenta.Secundò minus propriè, prout eſt fundamentum reale veritatis, quæ reperitur in propoſitione, per quam enuntiamus aliquid eſſe tale,in qua ſignificatione non ſolùm comprehendit entitatē poſitiuam,ſed etiam reales negationes,& priuationes,de quibus manifeſtum eſt, eſſe fundamentum veritatis: nam ſicut eſſentia hominis eſt fundamentum huius veræ compoſitionis, homo eſt animal rationale, ita negatio hinnibilitatis ſuo modo eſt fundamentum reale huius veræ compoſitionis, homo non eſt hinnibilis, & priuatio viſus eſt reale fundamentum huius,homo eſt cæcus. Quod patet ex eo, quòd docuit Ariſtoteles in prædicamento ſubſtantiæ, ab eo, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; ergo in rebus eſt fundamentum veritatis propoſitionis, poſitiuum quidem,aut negatiuum,ſeu priuatiuum ſecundùm naturam prædicati,quod enuntiatur de ſubiecto. Et vt hoc verbo hæc declaremus, ens reale, (vt bene adnotauit Ferr.vbi ſuprà) prima diuiſione diuiditur in poſitiuum, negatiuum, & priuatiuum, ita vt poſitiuum ſit, quod habet eſſentiam realem poſitiuam; negatiuum verò ſit negatio realis formæ, aut entitatis habens fundamentum in re poſitiua, & priuatiuū negatio etiam realis eſſe, aut realis formæ in ſubiecto habente realem aptitudinem ad illam. 13

Et ſi dicas etiam in entibus rationis dari veras propoſitiones, & entia ipſa rationis eſſe fundamentum veritatis earum, vt dum dicimus genus eſſe vniuerſale, aut etiam ſpeciem: quare non ſequitur aliquid eſſe reale ex eo, quòd ſit fundamentum veræ propoſitionis. Reſpondeo, non quodcunque fundamentum veræ compoſitionis vocari ab Ariſtotele & D.Th. ens reale, ſed illud ſolum, quod eſt in rebus, ſine dependentia ab intellectu,& ideò ante operationem eius, & talis eſt realis negatio, 14

negatio, realiſque priuatio, vt probatum eſt. Entia autem rationis non ſunt fundamentum veritatis, quod in rebus ſit, ſine dependentia ab intellectu, ſed per operationem eius facta, & ideò nihil infertur aduerſus noſtram ſentẽtiam ex eo, quòd ſint fundamenta aliquarum propoſitionum, quæ ex eis conſtituuntur.

15 Ad teſtimonium Ariſtotelis pro prima ſententia; Reſpondeo, quòd loquitur de non ente, prout dicit negationem entis realis & poſitiui, quod ſignificauit, dum dixit priuationem eſſe non ens ſimpliciter, id eſt, non ens, ſumpto ente pro ente ſimpliciter, quod eſt ens reale poſitiuum, & id quidem verum eſt, ſed cum eo ſtare poteſt, quòd ſit ens reale minus propriè, atq; vniuerſalius ſumpto ente, vt explicatum eſt. Et in eodem ſenſu loquitur D. Auguſtinus dum priuationes dicit nihil eſſe. Ad argumentum eiuſdem ſententiæ diſtinguenda eſt minor: nam de ente poſitiuo vera eſt, quod habeat eſſe per formam, non de ente negatiuo, ac priuatiuo, cuius entitas realis potius conſiſtit in reali remotione realis formæ.

Teſtimonium verò adductum pro ſecunda ſententia egregiè exponit D. Auguſtinus vbi ſuprà, dicens ſenſum eius eſſe, quod ex conſonantia, & harmonia poſitiuatum rerum, ac priuationum ſpecialis quædam pulchritudo vniuerſi reſultat Deum mirabili quodam modo laudans, & propterea ad diuinas laudes vtraque entitas, tam poſitiua, quàm priuatiua inuitatur.

Quòd verò Ariſtoteles maleficam vocat priuationem, hanc Metaphoram continet, quod materia propter priuationem, quam habet abſentium formarum, quas appetit, actum formæ præſentis, cui quaſi matrimonio coniungitur, repudiat, & ideò ſimilitudine mulieris adulteræ maleficium committere dicitur, & in eodem ſenſu dicitur machinari malum, ad hæc autem verificanda patet non eſſe neceſſariam entitatem realem poſitiuam, ſed ſufficere remotionem realem formæ realis.

Teſtimonium D. Thomæ adductum pro tertia ſententia manifeſtum habet ſenſum, & ex aliis teſtimoniis à nobis citatis, in quibus docet priuationem ſecundùm ſe eſſe ens reale priuatiuum, non dependens ab intellectu; eſſe tamen ens rationis modo quodam accidentali in quantum concipitur ab intellectu per modum formæ poſitiuæ, & ſic concepta attribuitur rebus in propoſitione, quaſi ab eis habeatur, ſicut habentur formæ poſitiuæ. Et hoc etiam modo connumeratur inter entia rationis in illa generali diuiſione.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An vnica ſit priuatio in materia pro omnibus formis, vel diuerſæ ſint ponendæ priuationes in ea pro diuerſitate formarum.

POſtquam determinatum eſt in præcedenti quæſtione priuationem eſſe in rerum natura, & quid ſit, optimo ordine quæritur de vnitate, ac diſtinctione eius, hoc eſt, an vna ſit in materia ponenda pro omnibus formis, vel diſtinctæ pro diuerſis. Poſſumus autem conſiderare in priuatione triplicem vnitatem, ſicut in cæteris rebus genericam, ſpecificam, atque numericam: & de generica, atque ſpecifica certum eſt materiam, nec vnitatem, nec diſtinctionem genericam, aut ſpecificam habere à ſe, ſed à forma, ad cuius genus, & ſpeciem reductiuè pertinet, ſicut etiam ad prædicamentum formæ reducitur, & in his omnes conueniunt, poſſuntque probari hoc argumento: Diſtinctio generica & ſpecifica eſt eſſentialis, atque formalis: ſed eſſentia rerum materialium, & ratio formalis earum ſumitur à forma; & priuatio nec eſt forma, nec habet formam, ſed potius dicit remotionem formæ; ergo à ſe non poteſt habere vnitatem, nec diſtinctionem genericam, aut ſpecificam, ſed à forma. Deinde, cum nec habeat entitatem poſitiuam, nec dicitur per ſe habere prædicamentum, ſed reduci ad prædicamentum formæ. Vnitatem autẽ, vel diſtinctionem numericã habebit ad ſimilitudinem accidentiũ: quia licèt reductiuè pertineat ad prædicamentũ ſubſtantiæ, in quo ſunt omnes formæ, quas poteſt recipere, nihilominus ad materiam comparatur per modum accidentis ad ſubiectum: quia adeſt, & abeſt ei, præter eius corruptionem, non ſicut forma ſubſtantialis per informationem ſubſtantialem, ſed tanquã accidens adeſt, & abeſt ſubiecto. 16

Secundò, notandum eſt priuationem duplicem eſſe, remotam, & proximam, & illa vocatur etiam indeterminata, aut confuſa, hæc verò determinata, atque diſtincta. Gratia exempli, materia poteſt habere omnes formas, præter eam, quam actu habet, & cum eas non habeat, priuata dicitur: ſed remotè quidem, quia nullam poteſt proximè recipere, niſi mediis diſpoſitionibus, per quas eis quaſi approximatur, & ideò nullam proximè reſpicit, imò nec diſtinctè, quia non magis vnam, quàm alteram, ſed ſecundùm quandam indifferentiam, & confuſionem, & ideò non habet diſtinctam, aut determinatam priuationem alicuius, ſed dum incipit diſponi 17

pro

pro aliqua forma determinata, incipit ei approximari, & incipit habere proximam, atque determinatam priuationem eius potius quàm aliarum, ſed hanc priuationem non habet omnino proximam, nec determinatam vſque ad inſtans generationis, in quo habet iam vltimam diſpoſitionem eius, vel eam proximè habuit ſecundùm diuerſas opiniones.

His ſuppoſitis, de vnitate generica priuationis dicendum eſt, non habere priuationes diſtinctas genere, ſimul, nec ſucceſsiuè. Probatur, quia diſtinctio generica priuationis non poteſt ſumi, niſi ex diſtinctione generica formarum: ſed formæ non propriè diſtinguuntur genere: ſed eiuſdem generis potius cenſentur: cum ſint eiuſdem prædicamenti ſubſtantiæ; ergo priuationes in materia nō propriè diſtinguūtur genere.

18 Prius autem, quàm ad vnitatem ſpecificam, & numericam veniamus, illud tanquam certum ſupponendum eſt, priuationem remotam, & confuſam, quam habet materia reſpectu omnium formarum, non propriè habere vnitatem ſpecificam aut numericam: quia, quod non eſt in ſe diſtinctum, nec determinatum, nec poteſt propriè dici vnum, vel multiplex ſecundùm ſpeciem, aut numerum, quia vnitas ſpecifica, & numerica determinatæ ſunt. Solùm conſideramus in materia quaſi priuationem quandam genericam, eo modo, quo genus abſtractum à ſpeciebus priuationem quandam remotam, indeterminatam, atque confuſam omnium differentiarum habere dicitur; quia ſicut genus confuſa quadam ratione, & indifferenti reſpicit ſpecies, ita vt non reſpiciat magis vnam, quàm alteram, ſic materia reſpicit confuſa quadam ratione formas, ita vt non potius vnā, quàm aliam, & ideò confuſam quandam, & remotam carentiam earum habere dicitur, quam carētiam, nec vnam numero, aut ſpecie, nec diuerſam propriè vocare poſſumus quia quod non eſt proximū, nec determinatum, aut diſtinctū, nullam vnitatem, aut diſtinctionem ex his habere poteſt; quare huius remotæ, atque confuſę, & generalis priuationis non eſt habenda ratio in vnitate, vel diſtinctione priuationis aſsignandæ: ſed tanquam generica, & indeterminata ad numerum, & ſpeciem, & determinanda per priuationes proximas, ac determinatas reliquenda eſt, & de his dicendum, quam vnitatem, ac diſtinctionem habeant, quia de his ſolis procedit quæſtio propoſita.

19 Et de vnitate, ac diſtinctione ſpecifica earum prius, ex qua magna ex parte dependet vnitas, & diſtinctio numerica. Dicimus ergo primò, in materia non eſſe ſimul diſtinctas priuationes proximas, ac determinatas ſecundùm ſpeciem, ſed

vnam

vnam tantum, ſucceſsiuè autem plures habere ſpecie diſtin-
ctas. Probatur vtrumque hoc argumento, priuatio ſecun-
dùm ſe non habet ſpeciem, ſicut nec poſitiuam entitatem vel
rationem formalem, ſed reducitur ad ſpeciem formæ, quam
remouet à materia.ergo neq; habet vnitatem, aut diſtinctio-
nem ſpecificam, niſi ſecundùm vnitatem, aut diſtinctionem
formarum,ſed repugnat eſſe proximè,aut determinatè priua-
tam diuerſis formis ſecundùm ſpeciem; ergo non poteſt ſi-
mul habere diſtinctas priuationes ſecundùm ſpeciem. Pro-
batur minor, quia non cenſetur proximè aut determinatè
priuata materia, niſi ſolū ea forma,pro qua eſt diſpoſita,quia
nec ad aliam determinatè ordinatur, ſolum ergo habebit pri-
uationem eius ſpeciei, cuius fuerit illa forma, & non aliam,
& ideò vniuerſaliter verum eſt, materiam non poſſe ſimul
habere plures priuationes ſpeciei diſtinctas: ſed vnam tan-
tum ſecundùm ſpeciem. Quòd verò diſtinctas ſecundùm 20
ſpeciem ſucceſsiuè habere poſsit, & actu habeat, non minus
euidenter probatur: quia euidēti experientia conſtat mate-
riam ſucceſsiuè recipere formas diuerſarum ſpecierum in cō-
tinuis generationibus, & corruptionibus rerum naturalium,
ita vt eadem materia, quæ modò eſt ſub forma aëris, poſt-
modum ſit ſub forma ignis; & materia, quæ modo eſt ſub
forma cibi, aut alimenti mox recipiat animam; ergo euidens
eſt, eandem materiam nunc eſſe diſpoſitam pro vna forma, &
poſtmodum pro altera ſpecie diſtincta.ſed dum eſt ſub diſpo-
ſitionibus huius, cenſetur habere proximam, atque deter-
minatam priuationem eius, & ſimiliter dum eſt diſpoſita pro
alia ſpecie diſtincta, dicimus determinatè ea priuari; ergo
euidens eſt, quòd ſucceſsiuè habeat priuationes ſpecie di-
ſtinctas.

De vnitate verò numerica priuationis, eodem ferè modo 21
loquendum eſt, ac de vnitate numerica aliorum accidentiū.
Imò ac de vnitate ſpecifica eiuſdem locuti ſumus. Ideò di-
cimus non dari ſimul plures priuationes numero diſtinctas
in eadem numero materia, ſed vnam tantum, in diuerſis ve-
rò diſtinctas ſimul dari,atque etiam in eadem ſucceſsiuè.Pro-
batur hæc ſuo ordine, Primum quidem hoc argumento re-
pugnat ſimul dari in eadem materia plures priuationes re-
ſpectu eiuſdem formæ,quia vnius, & eiuſdem rei, vel formæ
vnicam tantum carentiam cenſetur habere illud,quod natum
eſt eam proximè, ac determinatè habere, & non habet, ſed
materia non poteſt ſimul carere pluribus formis proximè, ac
determinatè,ſicut nec poteſt pro pluribus ſimul eſſe dipoſita;

ergo

ergo nec poterit ſimul habere plures priuationes numero diuerſas: non quod à forma accipiat vnitatem, vel diſtinctionem numericam, nam eam accipit ad modum accidentium, ſed quia ſubiectum eius, quod eſt materia, non poteſt habere ſimul plures carentias eiuſdem rei, ſed vnam tantùm. Probatur ſecundum, quia priuatio reſpectu materiæ ſe habet ad modum accidentis, vt vidimus; ſed euidens eſt accidentia diuerſorum ſubiectorum numero diſtingui, quomodocunque vel à quocunque accipiant indiuiduationem; ergo non minùs erit euidens, quòd priuationes, quæ ſunt in materiis numero diſtinctis, diſtinguantur numero. Et quod tandem eadem numero materia habeat ſucceſsiuè priuationes numero diſtinctas, eadem ferè ratione probatur, quia accidentia omnia, quæ ſucceſſiuè producuntur in eodem ſubiecto, diſtinguuntur numero, propter diuerſa agentia, aut diuerſas numero actiones, vel motus, per quas producuntur; ſed priuatio ſequitur modum aliorum accidentium reſpectu materiæ, ergo illæ priuationes, quæ diuerſis temporibus fiunt in ea, erunt diſtinctæ numero.

11 Et ſi aduerſus hoc vltimum obiiciatur teſtimonium Ariſtotelis tex. 67. huius libri: vbi affirmat priuationem eſſe vnum numero cum materia; ex quo ſequitur, nec ſucceſſiuè poſſe variari priuationes ſecundùm numerum, ſicut nec variatur materia: ſed ſemper manet eadem numero. Reſpondeo, ſenſum Ariſtotelis eſſe, quod priuatio ſit idem ſubiecto cum materia, hoc eſt pro eadem re vtraque numeretur, non propter identitatem realem, de qua dicemus quæſtione ſequenti, ſed propter rationem vniuerſalem accidentium quorum ſimilitudinem tenet, de quibus idem Ariſtoteles aſſerit 6. lib. Top. c. 1. quod omnia, quę ſunt in eodem ſubiecto, cenſentur eſſe eadem numero cum eo, his verbis: *Tertiò quando ab accidente, vt ſedens, vel muſicum Socrati, omnia enim hæc vnum numero volunt ſignificare.* Quibus certum eſt apud omnes, non de identitate numerica in rigore loqui, cum diuerſa accidentia ſecundùm ſpeciem ſimul exiſtentia in eodem ſubiecto numero diſtinguantur inter ſeſe, & ab eo. Sed hoc tantum vult, quod pro eadem re ſecundùm numerum computētur ſemper ſubiectum & omnia eius accidentia in communi modo loquendi, ſolùm numerante diſtinctas res ſubſiſtentes pro diſtinctis numero. Alia autem ratio eſt de identitate numerica in rigore ſumpta, vt modò loquimur de vnitate, ac diſtinctione priuationum numerica, quam verba Ariſtoteles non tollunt, ſed in ſua natura relinquunt; ſicut nec tollunt vnitatē, & diſtinctionem numericam accidentium vtcunque vel à quocunque accipiendam.

Poterat autem dubitari hac in parte an materia ſit priuata, non ſolùm formis, quas nondum ſuſcepit, ſed his etiã, quæ habuit; de quibus ſpecialis eſt ratio dubitandi; cum non poſſit eaſdem numero iterum habere modo naturali. Reſpondetur, non minus his priuari, quàm cæteris: quia quantum eſt ex ſe potentiam habet ſuſcipiendi illas; reſpectu quarum non amiſit naturalem capacitatem, & proportionem; quod verò iterum non poſſit eas recipere, non prouenit ex defectu potentiæ paſsiuæ eius, ſed actiuæ agentium naturalium, qui ſicut non poſſunt inducere in materiam eaſdem numero diſpoſitiones præteritas, ita nec eandem numero formam, quare impoſsibilitas hæc naturalis non tollit, quin priuata ſit materia eiſdem formis, ſicut cæteris, quemadmodum non tollit potentiam, aut capacitatem earum. Hoc verò ſic intelligendũ eſt, vt materia nunquam habeat proximam, aut diſtinctam priuationem formæ iam habitæ, ſicut nunquam eſt diſpoſita pro ea, ſed ſolum remotam, atque indeterminatam, aut quaſi genericam, ſicut habet reſpectu aliarum formarum pro quibus non eſt diſpoſita, haberet tamen proximam, atque diſtinctam priuationem cuiuſlibet formæ amiſſæ, ſi Deus ſupernaturaliter eam diſponeret pro tali forma ſuſcipienda: quia licet medium, aut modus eam diſponendi eſſet ſupernaturalis, potentia tamen naturalis eſt, ſicut naturalis proportio; & ideò naturalis eſſet carentia in ea fundata.

QVÆSTIO III.

An priuatio ſit principium per ſe naturalis generationis diſtinctum realiter à materia, vel ſola ratione.

DVo quærit titulus quæſtionis ſuo ordine diſputanda. 23
Primum, an priuatio ſit principium naturalis generationis. Secundum, an, & quomodo ſit diſtinctum à materia. Et vt melius intelligatur primum, notandum eſt, quamlibet rem naturalem generabilem, & corruptibilem duobus modis ſumi. Primò in fieri, hoc eſt, prout fit per generationem naturalem, & in facto eſſe, id eſt, prout iam facta, & conſtituta eſt. Et ſi hoc ſecundo modo accipiatur, certum eſt apud Ariſtotelem & omnes ſolum habere duo principia per ſe, & intrinſeca, nempe materiam, & formam; priuationem verò non eſſe principium eius per ſe, ſed ſolum per accidens. Ita docet expreſsè Ariſtoteles text. 75. huius libri his verbis: *Nos autem & ipſi dicimus, fieri quidem nihil ſimpliciter ex eo, quod non eſt, ſed tamen fieri ex eo, quod non eſt, vt ſecundum accidens ex priuatione, quæ eſt per*

ſe

ſe non ens, non ex eo quod ineſt, fit. ſed de eadem re naturali prout in fieri difficultas eſt, an ſolum habeat eadem duo principia per ſe vel eis addenda ſit priuatio, tanquam principium per ſe, & dicendum tria habere principia per ſe. Et quia fieri rei naturalis, eſt eius generatio, idem eſt quærere, an priuatio ſit principium per ſe generationis naturalis cum materia, & forma.

24 *Et* prima opinio tenet non eſſe principium per ſe, ſed per accidens, pro qua referuntur Commentator capite præſenti, & cum eo Albertus Magnus lib.1.Phyſicorum tractatu 3. ca.9. Iandunus ibidem quæſt. 23. qui ſolum dicere videtur, priuationem non eſſe principium generationis per ſe primò, ſed quaſi per ſe ſecundò,& ideò aliquo modo per accidens. Probatur teſtimonio Ariſtotelis, qui tria docet de priuatione in hoc libro 1.quod ſit per ſe non ens, textu 75.Secundum, quod ſit contraria formæ textu 64.Tertium, quod interitum rei naturalis ſemper machinetur: hæc autem tria pugnant cum ratione principij. Primum quidem, quia non ens, non poteſt eſſe principium entis: ſed res naturalis non ſolùm in facto eſſe, ſed etiam in fieri eſt verum ens; ergo priuatio non poteſt eſſe principium eius. Secundum verò, quia res naturalis etiam in fieri non componitur ex contrariis; ergo nec ex priuatione, quæ contraria eſt formæ. Tertium tandem, quia principium alicuius ad eſſe illius ordinatur, non ad non eſſe, ſi ergo priuatio machinatur interitum rei naturalis, non poterit eſſe principium eius, ſed deſtructio potius principiorum.

25 Probatur etiam ratione, quia principium ſubſtantiæ in facto eſſe, vel in fieri debet eſſe ſubſtantia, ſed priuatio non eſt ſubſtantia; cur non ſit ens per ſe, imò nec vllam habeat entitatem poſitiuam, ſed potius ſit expulſio formæ poſitiuæ; ergo non eſt principium generationis.Secundò,ſi priuatio eſt principium generationis, maximè, quia eſt terminus à quo incipit, ſed terminus à quo, non eſt intrinſecus mutationi; ergo nec priuatio erit principium intrinſecum generationis. Probatur minor, nam ſpecies mutationis debet ſumi extrinſecis principiis eius, ſed non ſumitur ex termino à quo, quia diuerſi motus, aut mutationes ſecundum ſpeciem poſſunt habere eundem terminum à quo, vt ab eodem aëre poteſt incipere motus deorſum terræ, & motus ſurſum ignis; ergo terminus à quo, non eſt intrinſecus mutationi, & ideò nec priuatio erit intrinſecum principium generationis, quæ eſt mutatio in ſubſtantiam.

26 *Secunda* opinio eſt Ariſtotelis in hoc 1. lib.à textu 57. vſq;

N 2 ad

ad 70.& 12. Meta.à textu 22. vſque ad 29.& omnium Interpretum eius, tam Græcorum, quàm Latinorum; tam antiquorum, quàm modernorum, totiuſque ſcholæ Philoſophicæ. Quod priuatio ſit principium per ſe rei naturalis in fieri, vel (quod idem eſt) generationis naturalis, per quam fit. Vt autem veritatem eius oſtendamus duo probanda ſunt. Primum, quod terminus à quo ſit principium intrinſecum mutationis, & ex conſequenti generationis, quæ mutatio quædam ſubſtantialis eſt. Secundum, quod priuatio ſit terminus à quo generationis, & ex vtroque colligendum, quod ſit principium intrinſecum eius. Vt autem vtrumque probetur in memoriam reuocandum eſt, quod ſuperius ex doctrina D. Thomæ ab omnibus recepta attulimus, nempe, principium, ſuperius eſſe reſpectu cauſæ, & hanc addere ſupra illud influxum in effectum, ita vt quidquid eſt cauſa alterius, principium quoque eius ſit, ſed non quidquid eſt principium, ſit cauſa: quia principium ſolum dicit, quod res ab eo quomodocunq; incipiat, cauſa verò, quod ab ea verè influente incipiat. Vnde ſequitur poſſe eſſe aliquid principium alterius, & intrinſecum quidem, etiam ſi nihil circa illud influat, dummodo ab eo incipiat, quemadmodum punctum eſt principium lineæ nullum influxum habens in eam, ſed quia longitudinem eius terminat, aut ab eo incipit.

Hoc ſuppoſito probatur primum, quod terminus à quo motus, aut mutationis ſit ei intrinſecus ex propria natura vtriuſque, nam motus, vel mutatio nihil aliud eſt, quàm via inter duos terminos à quo, & ad quem; ita vt ab illo incipiat, & in hunc deſinat, eo ferè modo, quo linea finita, eſt longitudo duobus punctis, aut terminis clauſa, vno tanquam principio, alio tanquam fine: ſed via inter duos terminos non poteſt, ſine vtroque eſſe, neque intelligi, & rurſus ab vtroque attingitur, ſicut linea ab vtroque puncto extremo; ergo vterque terminus dicetur ei intrinſecus, vterq; erit principium eius intrinſecum, vnus tanquam à quo incipit, alter tanquam finis in quem deſinit. Vnde ſequitur quod cum generatio eſſentialiter ſit quædam mutatio, vterque terminus eius à quo incipit, & in quem deſinit, erit principium eius intrinſecum. 27

Probatur autem ſecundum, quod priuatio ſit terminus à quo generationis. Primò, quia per generationem non fit res naturalis ex quocunque ſubiecto, ſed ex eo, quod aptum eſt recipere ſuam formam, vt ignis non fit, niſi ex materia apta recipere formam ignis, quæ cum nondum eam habeat, & habere apta ſit, dicetur ea priuata, nec ſatis eſt ſub generali 28

ratione priuatam eſſe, alioqui res quælibet ex materia cuiuſlibet alterius fieret, cum materia quælibet vniuerſali quadam ratione ſit priuata omnibus formis, quas non habet, nec poſſet fieri etiam ex qualibet, quia per hanc priuationem generalem indifferens eſt materia ad omnes formas, & non magis determinata ad vnam, quàm ad aliam; ergo non poſſet moueri magis ad vnam, quàm alteram, & ita ad nullam moueretur, neque vlla generatio fieret: requiritur ergo, quod res quælibes fiat ex ſubiecto, non indifferenti, ſed aliquo modo determinato ad recipiendam eius formam, hoc eſt, ex materia iam diſpoſita pro ea: nam per diſpoſitiones incipit determinari materia ad talem formam,& quamdiu eam non habet, dicitur ea priuata, proxima quidem, ac determinata priuatione, ratione cuius materia incipit moueri potius ad hanc formam ſuſcipiendam, quàm ad illam; & ideò à priuatione,tanquam à termino per ſe incipit generatio.

Secundum probatur, quia terminus à quo, & ad quem mutationis debent eſſe oppoſiti, & ita neceſſarium eſt; quod per aduentum vnius excludatur alius, vt euidenti inductione conſtat in omni motu, & mutatione; nam dum corpus mouetur à frigore in calorem, per aduentum huius excluditur ille; ergo ille erit terminus à quo generationis per ſe, quod per ſe excluditur per aduentum formæ, quæ eſt terminus ad quem; ſed per aduentum formæ non excluditur materia, ſed cum ea manet; ergo materia non eſt terminus à quo, nec excluditur per ſe forma præexiſtens, quia licet illa non eſſet in materia, & proinde licet non excluderetur, fieret nihilominus generatio: nec eſt aliud, quod per ſe excludi poſsit præter priuationem, & hæc per ſe excluditur: cum ſit per ſe oppoſita formæ; ergo priuatio per ſe eſt terminus à quo generationis. Ex quo ſequitur euidenter, quod ſit principium eius intrinſecum. Vt aſſerit ſententia Ariſt.& communis.

29 Ad teſtimonia Ariſtotelis pro opinione oppoſita concedimus tria illa docere de priuatione:ſed negamus,quod pugnent cum ratione principij; & cum dicitur, quod non ens non poteſt eſſe principium entis, diſtinguendum eſt, de non ente, quia non ens poteſt ſumi, vt negat vniuerſaliſsimam rationem entis comprehendentem, non ſolùm entitatem realem poſitiuam, ſed etiam negatiuam, vel priuatiuam, vel vt negat ſolùm entitatem poſitiuam, & ſi primo modo ſumatur, verum eſt, quod non ens non poteſt eſſe principium entis vllo modo; ſi verò ſumatur non ens in ſecunda acceptatione, negandum eſt, quod non ens non poſsit eſſe principium entis,

prout in fieri, quia poteſt eſſe terminus, à quo incipiat eius fieri, quod eſt generatio. Et ſic eſt priuatio principium generationis, quod eſt eſſe principium eius in fieri. Quando verò Ariſtoteles aſſerit priuationem eſſe non ens per ſe, aut ſimpliciter, loquitur de non ente in prima acceptione, vnde non negat, quod in ſecunda poſſit eſſe principium entis, ſaltem in fieri: nam vt ſit principium, tanquam terminus à quo, non eſt neceſſarium vt habeat influxum in ens, prout in fieri, ſed ſatis eſt, quod ab eo incipiat fieri eius, quod eſt eius generatio. Nec obſtat, quod priuatio ſit contraria formæ, & machinetur malum, quia hæc non repugnant termino à quo generationis, & ideò nec repugnant principio rei naturalis in fieri.

Ad primum argumentum, diſtinguenda eſt minor, quod priuatio non ſit ſubſtantia, quia licèt non ſit ſubſtantia poſitiua, eſt tamen priuatiua: cum ſit remotio formæ ſubſtantialis, & hoc ſufficit, vt ſit principium ſubſtantiæ, prout in fieri. Ad 2. neganda eſt minor, quòd terminus à quo non ſit intrinſecus mutationi, & cum dicitur à principiis intrinſecis ſumi ſpeciem mutationis, diſtinguendum eſt; nam aliud eſt principium eius, tanquam finis, in quem tendit, aliud à quo incipit & cum ſpecies ſumatur à fine, ſumitur à termino ad quem, & non à quo, quamuis etiam alii dicant ſumi à termino ad quem, cum reſpectu ad terminum à quo, & ideo ſuo modo ab vtroque. Itaque dicendum eſt non ſumi ſpeciem à quocunque principio intrinſeco, ſed ſolum à formali: cum conſtet ſpeciem rei naturalis non ſumi à materia, ſed ſolum à forma, & ideò ſpecies mutationis ſumitur à ſolo termino ad quem, qui eſt formalis, & non à termino à quo, qui potius eſt quaſi materialis. 30

Quonam modo diſtinguatur priuatio à materia, & forma.

Circa 2. de diſtinctione priuationis à materia, notandum eſt, quod ſicut ens reale in tota ſua vniuerſalitate diuiditur in poſitiuum, & negatiuum, ita diſtinctio realis diuiditur in poſitiuam, & negatiuam; & diſtinctio realis poſitiua eſt, quæ verſatur inter entitates poſitiuas, vt inter Petrum, & Ioannem: Diſtinctio realis negatiua, quæ verſatur inter entitatem poſitiuam, & realem negationem, aut priuationem eius, & hæc dicitur eſſe inter ens, & non ens, vt inter Petrum, & patrem eius mortuum.

Hoc ſuppoſito; Reſpondeo, priuationem diſtingui à materia, atque etiam à forma diſtinctione reali, non poſitina, ſed 31

nega

negatiua. Probatur primò, quod diſtinguatur à materia realiter negatiuè, quia ea, quæ ſunt entia realia, & vnum poteſt ſeparari ab altero diſtinguuntur realiter; ſed materia, & priuatio ſunt entia realia, illa quidem ens reale poſitiuum, hæc negatiuum, vt ſuperius probaui; & hæc ſeparatur ab illa: quia per aduentum formæ excluditur à materia: & permanet materia ſine illa; ergo diſtinguuntur realiter. Secundò entitas priuationis conſiſtit in reali remotione formæ à materia, ſed materia per ſuam entitatem recipit potius in ſe formam; ergo diſtinguuntur realiter. Probatur conſequentia, quia repugnat eandem entitatem realiter remouere, & realiter recipere eandem rem. Et ſi obijcias Ariſtot. cap. 7. huius lib. aſſerentem materiam, & formam non diſtingui numero, ex quo videtur inferri non diſtingui realiter. Reſpondeo non loqui de identitate numerica in rigore, ſed ſolùm de identitate ſubiecti, & ſenſum eius eſſe, quod pro eadem re numerentur in communi modo loquendi, ſicut pro eadem re numerantur ſubiectum, & omnia accidentia eius; cum tamen numero diſtinguantur à ſubiecto, & inter ſe, hoc igitur non tollit realem diſtinctionem priuationis à materia, ſicut non tollit realem diſtinctionem accidentium à ſubiecto.

Quod verò diſtinguatur à forma, probatur primò, quia oppoſitio realis neceſſariò debet verſari inter extrema realiter diſtincta, ſed oppoſitio priuatiua eſt realis, cum ſit vnum ex quatuor generibus realis oppoſitionis enumeratis ab Ariſtotele in poſtprædicamentis cap. de oppoſitis, & verſatur inter priuationem, & formam; ergo diſtinguuntur realiter. Secundò, quia repugnat eandem entitatem realem ſeipſam remouere realiter, ſed forma remouet realiter, & ante operationem intellectus priuationem à materia; & priuatio etiam remouet formam ante operationem intellectus; ergo repugnat eſſe eandem entitatem realem. Et hæc de primo libro.

IN LIBRVM SECVNDVM ARIST. DE PHYSICO AVDITV,

BREVE PROOEMIVM.

ARIST. in 1. lib. tradidit nobis principia entis naturalis, quæ ſunt Materia, Forma, & Priuatio, & ſingulorum rationes. In ſecundo verò intendit agere de ipſomet ente naturali, ex eis genito, & compoſito; & quia ens naturale idem eſt, quod habens naturam, tradit imprimis definitionem naturæ, atque etiam cauſarum omnium naturalium, tam intrinſecarum, quàm extrinſecarum, à quibus cognitio eius depēdet. Poſſumus autem diuidere integrum librum in quatuor partes. In quarū prima, quid natura, quid ens naturale, & quid ens ſecundùm naturam ſit, docet. In ſecunda Phyſicū à mathematico diſtinguit. In tertia genera cauſarum explicat, eiſque adiungit caſum, & fortunam, & tandem exponit, quonammodo conuenit naturæ agere propter finem. 1

CAPVT I.

TEXTVS ARIST.

Eorum, quæ ſunt, alia quidem ſunt naturalia: alia verò propter alias cauſas.

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis in hoc 1. cap. eſt, explicare rationem entis naturalis. Diuiditur autem in duas partes. In prima præſuppoſita quadam diuiſione entis, colligit ex ea definitionem naturæ. In ſecunda docet, & probat conuenire materiæ, & formæ per ſe, & quodammodo poſſe accommodari priuationi. 2

Diuiſio generalis eſt hæc, entia duplicia ſunt, quædam naturalia, quæ ab ipſa natura habent eſſe, alia quæ habent eſſe ab aliis extrinſecis cauſis, nempè ab arte, vt ignis ens naturale eſt, ſtatua

ſtatua verò per artem potius habet eſſe, quàm per naturam. Et hanc eſſe differentiã inter hæc, & illa aſſerit, quod entia naturalia habent intra ſe principium ſui motus, vt ignis habet intra ſe principium, à quo mouetur ſurſum. Quæ verò habent eſſe per alias cauſas, non habent in ſe principium quo moueantur; ſed ſicut ab extrinſecis cauſis ſunt, ita ab eis mouentur, vt ſtatua nullius motus in ſe principium habet, ſed ab artifice, vel alio agente extrinſeco, moueri poteſt. Ex hac diuiſione colligit definitionem naturæ hoc modo: Si entia naturalia ſunt, quæ habent intra ſe principium motus, definitio naturæ talis erit: *Natura eſt principium motus eius, in quo eſt primò, ac per ſe, & non ſecundùm accidens.* Quaſi dicat naturam eſſe principium internum proprij motus, quem res naturalis habet, non motus alterius; nam alia mouere poteſt per artem, ſe autem non poteſt mouere, niſi per naturam. Per ſe autem, & non per accidens natura eſt principium motus. Per quas particulas diſtinguitur natura ab arte; nam fieri poteſt, vt medicus, qui infirmatur, ſeipſum moueat ad ſanitatem per artem medicinæ, hoc tamen non contingit per ſe, ſed per accidens, quia caſu accidit, quod in eo eſſet ars medendi, per quam moueretur, vnde non eſt principium ſui motus per ſe, ſed per accidens, natura verò principium eſt per ſe proprij motus eius, in quo eſt.

3 Hanc autem definitionem naturæ duobus ait conuenire per ſe, nempe materiæ, & formæ, & de materia quidem probat ex communi conſenſu omnium Philoſophorum, qui materiam vocabant naturam, cum quibus conuenit in hoc, ſed differt ab eis, quia illi materiam poſuerunt integram, & completam naturam, ſicut completam ſubſtantiam, Ariſtoteles verò incompletam, & partialem, & ideò aſſerit ſecundò, non ſoli materiæ conuenire definitionem naturæ, ſed etiam formæ, imò perfectius longè, quàm materiæ. Quod probat hoc argumento, naturale eſt cuicunque rei generare ſibi ſimile, & maximè naturale, ſed generat ſibi ſimile per formam potius, quàm per materiam, vt homo hominem, ratione animæ; ergo formæ conuenit per ſe, & principaliter ratio naturæ, & conſequenter aſſerit conuenire aliquo modo priuationi per ſimilitudinem formæ, quia reſpectu materiæ per modum formæ ſe habet quodammodo ei inhærens.

QVÆSTIO I.

An definitio naturæ ſit bona.

4 VT definitionem hanc meliùs intelligamus explicandæ ſunt diuerſæ acceptiones naturæ, & entis naturalis; &

natura quidem primò accipitur pro conceptu, ſeu ratione propria cuiuſlibet rei, ſiue ſit ens, vel non ens, in quo ſenſu dicere ſolemus, hanc, vel illam eſſe naturam negationis, vel entis rationis. Secundò ſumitur pro vera quidditate, aut eſſentia rei, vt dum dicitur definitionem explicare naturam rei, qua acceptione vſus eſt Ariſt. 5. lib. Met. cap. 4. circa medium, & Auguſt. lib. 2. de moribus Monach. cap. 2. Tertiò accipitur quaſi collectiuè pro tota vniuerſitate creaturarum, in quo ſenſu dici ſolet, aliquid fieri, vel eſſe in rerum natura. Quartò ſumitur pro ordine cauſarum naturalium, quæ ſecundùm inclinationes, & virtutes naturales operantur. In quo ſenſu hæc axiomata circunferuntur in ſchola, & ab omnibus recipiuntur, tanquam vera. Primum, *miraculoſum opus eſſe illud, quod totius naturæ vires excedit.* Et habetur apud D. Thom. 1. p. q. 105. art. 7. Secundum, *quòd Deus, & natura nihil faciunt fruſtra.* Quod reperitur apud Ariſt. 2. lib. de cœlo, cap. 5. tex. 24. Tertium, *quòd natura ſemper facit optimum, quod poteſt.* Et habetur apud Ariſto. lib. de Iuuent. & Senect. ca. 2. Quartum, *quòd natura nihil ſuperfluum faciat.* Quod poſuit Ariſt. 2. lib. de Gener. anim. cap. 4. & his ſolemus addere alia, nempè, naturam nunquam deficere in neceſſariis, naturam nihil otioſum permittere, & ideò nunquam permittere vacuum; & opus naturæ eſſe opus intelligentiæ, id eſt primæ mentis, à qua naturales cauſæ diſponuntur, & ordinantur. Quinta acceptio naturæ eſt pro natiuitate, quæ eſt generatio viuentium, & eſt valdè propria, quia procedit ex eiuſdem nominis Etymologia, dicitur enim natura à naſcendo, vt quaſi naſcitura. Qua acceptione vſus eſt Ariſtot. cap. præſenti ad probandum formam eſſe naturam. Et quia generatio viuentium procedit à principio eorum intrinſeco, deriuatum eſt nomen naturæ ad ſignificandum principium intrinſecùm motus. Et naturam ſic acceptam definiuit Ariſto. præſenti definitione dicens, *eſſe principium, & cauſam motus eius, in quo eſt, primò ac per ſe, & non ſecundùm accidens.* Et iſtæ ſunt acceptiones naturæ pro rebus creatis, nam poſtremò accipitur pro ſola mente diuina rerum omnium effectrice, ac parente, qua acceptione vſus eſt Socrates 4. lib. de Officiis, aſſerens, nihil aliud eſſe naturam, quàm Deum, & D. Auguſt. 15. lib. de Trinitate, cap. 1. his verbis: *Deus eſt natura, non creata, ſed creatrix.*

Aliis etiam modis accipitur naturale, primò, prout opponitur ſupernaturali, in quo ſenſu naturale dicitur, quod per vires naturæ fit ab agente naturali, aut morali. Secundò pro eo, quod fit ſine conſilio, & deliberatione, & hoc modo vocantur 5

naturales

naturales operationes animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, atque etiam rationalis libertate carentes. Tertiò pro re, quæ non ſolùm fit ſine conſilio, & deliberatione, ſed eodem modo ſemper, & hoc modo opponitur ei, quod fit ab anima, etiam ſine deliberatione, non enim fiunt operationes animæ ſemper eodem modo, ſed ſæpè diuerſo; vt patet de motibus animati, qui non fiunt eodem modo ſemper, ſicut fiunt motus Elementorum, ſed modo ſurſum, modo deorſum, aut in circulo, vel aliis modis. Quartò accipitur naturale, prout opponitur voluntario, hoc eſt non ſolùm prout ex determinatione ad vnum, ſed ſine cognitione; nam voluntarium eſt, quod fit à principio intrinſeco cum cognitione, ſiue fiat ex conſilio, & deliberatione, aut ſine his, in qua acceptione motus lapidis ſurſum dicitur naturalis, non tamen actiones brutorum, nec ſenſitiuæ noſtræ. Quintò accipitur pro eo, quod procedit ex intentione agentis naturalis, & dicitur ſemper euenire, vel vt plurimùm, & diſtinguitur contra caſuale, aut fortuitum; nam illud dicitur per ſe euenire, hoc verò per accidens. Poſtremò accipitur propriiſſimè pro eo, quod habet in ſe principiū intrinſecum ſui motus, & diſtinguitur ab artificiali, quod tali principio per ſe caret, & in hac acceptione ſumit naturale Ariſt. cap. præſenti. Quod eſt illud ſumere pro habente naturā.

6 His expoſitis tria argumenta propono contra definitionem naturæ, vt eorum occaſione melius explicentur partes eius; primum eſt aduerſus primam particulam, quia natura rei eſt eius ſubſtantia, ſed principium motus non eſt ſubſtantia, ſed accidens; ergo falſum eſt, quod natura ſit principium motus. Probatur minor; quia ſubſtantia creata non eſt immediatè per ſe operatiua, ſed per potentias ſuperadditas, quæ ſunt accidentia, mouetur enim per potentiam motiuam, & ſentit per potentias ſenſitiuas; ergo principium motus non eſt ſubſtātia, nec proinde natura. Secundò, quies eſt priuatio, ſed priuatio non fit per ſe; ſed ſequitur per accidens ſemper; ergo non poteſt eſſe principium per ſe eius motus etiam, & quies opponuntur, ſed repugnat idem eſſe principium oppoſitorum; ergo falſum eſt, quod natura ſit principium motus, & quietis. Quod etiam ex eo probatur, quia plura ſunt corpora naturalia, quæ vel non habent principium motus, nec quietis, vt cœlum Empyreum, quod nunquam mouetur, vel ſaltem non habent principium quietis, licèt moueantur, vt cætera corpora cœleſtia, quæ ſemper mouentur, & nunquam quieſcunt. Tertiò naturale eſt viuentibus, & non viuentibus generare ſibi ſimile, ſed dum generant ſibi ſimile, non mouentur, ſed mouent

mouent alia, vt dum ignis generat ignem, non ſe mouet, ſed lignum, in quo introducit propriam formam: ergo falſum eſt dicere, quod natura ſit principium motus, & quietis, eius in quo eſt. Quod ex eo etiam oſtendi poteſt, quod corpora grauia, & leuia, vt ignis, & terra, non mouentur à ſe, dum ſurſum tendunt, ſed à generante, vt docet Ariſtot. 8. lib. Phyſ. ergo non habent in ſe principium ſui motus, ſed ab extrinſeco motore mouentur; & tamen ſunt entia naturalia, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo definitio naturæ non eſt bona. His tamẽ non obſtantibus definitionem Ariſtotelis recipiunt omnes quod non debet argumentis probari, quia definitiones non probantur, ſed præſupponuntur in ſcientia, exactam verò eſſe conſtabit ex ſolutionibus argumentorum.

Ad primum argumentum conceſſa maiori diſtinguenda eſt minor, quia principium motus duplex eſt. Formale, & proximum, aut radicale, & quaſi remotum, & hoc eſt principale, illud verò quaſi inſtrumentale. Gratia exempli, anima ſenſitiua eſt principium ſenſationis principale, & radicale; potentia verò ſenſitiua quaſi formale, & inſtrumentale, & ideò dum definitur anima, quod ſit principium, quo mouemur, ſentimus, & intelligimus, de principali, & radicali intelligitur definitio. Et eodem modo ſubſtantia corporis naturalis eſt principium motus radicale, & principaliter; potentia verò motiua, quæcunque illa ſit quaſi formale, & inſtrumentale. Dum autem dicitur in definitione naturæ, quod ſit principiũ, & cauſa motus, & quietis, de principio radicali, & principali intelligitur, quod eſt ſubſtãtia rei, vel materia, & forma, nõ de formali, & quaſi inſtrumẽtali, quod eſt accidẽs ei ſupperadditũ. 7

8 Ad primum, quod dicitur in ſecundo argumento de priuatione, hac diſtinctione reſpondeo, quies dupliciter ſumitur, primò pro priuatione motus, ſecundò pro permanentia poſitiua in loco naturali, aut ſub aliqua forma, & de quiete primo modo accepta concedimus non dari principium per ſe in re naturali, ſed quietis ſecundo modo acceptæ, principium per ſe eſt natura. Et de hac intelligitur definitio. Ad ſecundũ verò de oppoſitione motus, & quietis ex eadem diſtinctione, reſpondetur motum, & quietem primo modo ſumptam opponi, & ideò non poſſe præcedere per ſe ab eodem principio, ſed motus cum quiete ſecundo modo ſumpta non opponitur, ſed ordinatur ad illam tanquam ad finem, & ideò poſſunt præcedere ab eodem principio, quod eſt natura.

9 Tertium verò, quod in eodem argumento continetur, opponebat corpora cæleſtia, de quibus explicandum eſt, an, & quomo

quomodo habeant principium motus, & quietis, & imprimis de cœlo Empyreo, quod eſt primum omnium, & quod Ariſt. non cognouit, dicendum eſt, non ſolùm non moueri, ſed nec habere principium motus, ſed prorſus eſſe immobile. Ita D.Thom. 1.p.q 66.art. 3.& qu. 102.art. 2. & cõmuniter ſcholaſtici Doctores in 2. d. 2. Et ratio huius ſumitur ex fine, cuius gratia à Deo factum eſt, qui non eſt propagatio vniuerſi; ſed eſſe quaſi ſedem propriam, & domicilium beatorum, quorum ſtatus, ſicut eſt prorſus inuariabilis, ſic poſtulabat immobilem locum. Non eſt igitur ens naturale, de quo agit Ariſt. licet habeat materiam, & formam, quia longè diuerſæ ſunt, non ſolũ à materia, & forma ſublunarium corporũ, ſed aliorum etiam Cœlorũ, & ideò nõ cõuenit ei definitio naturę.

10 Cæteris autem corporibus cœleſtibus quæ ſemper mouentur, adhuc ſentiunt plures non conuenire definitionem naturę per quam ſolùm voluit Ariſtot. definire ſublunaria corpora, in quibus eſt principium motus, & quietis copulatiuè, quo carent cœleſtia corpora. Ita Plutarchus lib. de placitis Philoſ. cap 1. Albert. Magn. 1. lib. Phyſ. tract. 1. cap. 3. & Themiſtius c. præſenti. Quod probant, teſtimonio Ariſtot. qui ſicut in 1. lib. ſolum ſe explicare docuit principia rerum generabilium, & corruptibilium, ita in hoc ſecundo ſolum agit de natura eorum, quod expreſsè etiam docuit 8. lib. Met. tex. 9. his verbis: *Naturam etenim ſolam profectò quis ponet eam, quæ in corruptibilibus eſt ſubſtantia.*

Secunda opinio oppoſita eſt, quod non ſolùm conueniat his corporibus definitio naturæ, ſed quod eis conueniat copulatiuè ſumpta, de principio motus, & quietis, nam vtrumque principium habere ſentiunt. Ita moderni plures, qui aſſerunt Ariſtot. eis non tribuiſſe, niſi principium ſolius motus, quia deceptus fuit putans primam cauſam, non liberè, ſed ex neceſsitate naturæ agere & ex eadem neceſsitate applicuit ſingulis cœlis ſingulas intelligentias, à quibus etiam ex neceſſitate mouentur. Vnde omni ex parte determinati ſunt ad perpetuũ motum, abſque aliqua inclinatione ad quietem. Sed veritas tenet Deũ liberè applicuiſſe intelligentias ad mouendum corpora hæc, & liberè ab eis moueri, In eis verò non eſſe principium motus actiuum ſed paſsiuum tantum, principium autem paſsiuum de ſe indifferens eſt ad vtrumque, nempe, vt ab actiuo moueatur, aut non moueatur, & ideò indifferenter habent principium motus, & quietis, quare definitio Ariſt. etiam copulatiuè ſumpta verè eis conuenit, & conſequenter aſſerit hæc opinio, quietem, quam habitura ſunt cœleſtia corpora

pora poſt diem iudicij, non minus eſſe naturalem, quàm motum. Quod probant, quia ſicut naturale eſt cuicunque corpori moueri ad proprium locum naturalem, ſic etiam in eo quieſcere; nam quies motum conſequitur; ergo corpus, quod habet principium motus, habebit etiam principium quietis, & oppoſitum videtur impoſsibile.

11 Tertia opinio tribuit corporibus cœleſtibus principium ſolius motus, & non quietis, & ita aſſerit motum eorum ex propria natura conſideratum eſſe perpetuum, quamuis ceſſare poſsit per voluntatem primi agentis. Vnde quies futura, quam per hanc voluntatem habebunt poſt diem iudicij, non fore eis naturalem, ſed præter naturam, quia ab agente vniuerſali, cui omnia tenentur obedire. Hanc ſententiam quantum ad primam eius partem tenet expreſsè Ariſtot. 1. lib. de cœlo & mundo cap. 3. & lib. 2. text. 2. etiam 9. lib. Met. cap. 4. textu 17. & etiam quantum ad cætera eſt communis ſententia Simplicij, Philoponi, Toleti, & Soti cap. præſenti, Alex. 2. lib. naturalium quæſt. cap. 18. & eam tenet Pererius 7. lib. de natura cap. 9. ad finem, & eſt vera. Probatur efficaci ratione, ex fine; in quem cœleſtia corpora facta ſunt à Deo, qui non eſt conſecutio loci naturalis, nec motus ad illum, imò nec aſſecutio alicuius alterius perfectionis, quæ ſibi deſit, vel neceſſaria ſit, cum ſint corpora perfectiſsima; ſed per communicationem ſuarum virtutum medio motu, eſſe cauſam generationis ſublunarium corporum, quam poſſunt perpetuam facere, quantum ex ſe, quod D. Thomas docuit expreſsè in 4. d. 48. q. 2. art. 2. & concedunt omnes: ad hunc autem finem conſequẽdum, non ſolùm non eſt neceſſaria quies, ſed ei apertè repugnat, & neceſſaria eſt perpetuitas motus, ſaltem ex parte ſua; ergo non habent principium quietis; ſed ſolius motus. Secundò quia ideò in eodem corpore poteſt dari principium motus, & quietis, quia motus ordinatur ad quietem, hoc eſt ad conſecutionem loci naturalis, & permanentiam in eo; nam vt oppoſiti ſunt, non poſſunt procedere ab eodem principio, ſed motus cœli non ordinatur ad quietem, vt probatum eſt; ergo non poteſt dari in eo principium quietis.

12 Ad primum argumentum concedenda eſt maior, quod in cœlo nõ detur principium motus actiuum, ſed paſsiuũ tantũ, non quidẽ ex parte ſolius materiæ, (vt quidam falsò aſſerunt) ſed ex parte totius corporis. Minor tamen neganda eſt, quod potentia paſsiua ſit ex ſe indifferens ad habendum, & non habendum actum, ſed ex ſe eſt determinata ad illum habendum aut recipiendum ab agente, & ita ſe habet potẽtia paſsiua cœ-

leſtis

leſtis corporis de ſe inclinata ad recipiendum motum, minimè ad non recipiendum, quod probat inter alia figura circularis eius aptiſsima ad motum potius, quàm ad quietem. Secundum argumentum concedendum eſt, quia ſolum probat dari principium quietis in corporibus, quæ mouentur naturaliter ad conſequendum locum naturalem, ſed corpus cœleſte non mouetur propter hunc finem, ſed propter alterum lõgè diuerſum, cui repugnat quies. Et ideò non ſequitur, quod ſi habet principium motus, habeat etiam principium quietis.

Teſtimonium autem Ariſtotelis pro prima opinione adductum, de ſolis generabilibus, & corruptibilibus naturam dici aſſerit ſecundùm vulgarem, & magis vſitatam acceptionẽ eius, nobiſque notiorem, non excludens cœleſtia corpora, quibus aliis locis ſtatim citãdis verã rationẽ naturę attribuit.

13 Iuxta noſtram igitur ſententiam dicendum eſt, definitionem naturæ conuenire corporibus cœleſtibus, etiam ſi principium quietis non habeant, quia ſenſus illorum verborum, *motus, & quietis*, licèt ſit copulatiuus, non contingit ponere in quocunque corpore principium vtriuſque, ſed talis eſt, omnis motus, & omnis quies vbicunque, & quomodocunque reperiantur, ſiue in eodem corpore, vel in diuerſis à natura, tanquã à principio intrinſeco procedere debent, & cum motus cœli procedat à natura eius, tanquam à principio intrinſeco, verè, & propriè conueniunt illi hæ particulæ, etiam copulatiuè ſũptæ. Exemplum habemus in definitione animæ tradita ab Ariſtot. 1. lib. de Anima in principio, his verbis, anima eſt principium, quo mouemur, ſentimus, & intelligimus. Habent ea verba & ſenſum copulatiuum, ſed non talem vt neceſſarium ſit in quolibet corpore animato has omnes operationes ponere; nam neque in plantis eſt principium ſentiendi, neque in animalibus principium intelligendi, ſed copulatiuus eius ſenſus talis eſt: vbicunque reperitur intellectio, ſenſatio, aut localis motus vitalis, ab anima debet procedere, tanquã à principio, ſic ergo debet intelligi definitio naturæ ſecundùm copulatiuum ſenſum, & ſic intelligendam eſſe docent, D.Th. Sotus, Toletus, cap. præſenti, & P. Pererius lib. 7. cap. 10. & ita ſolutũ eſt omninò ſecundum argumẽtum in principio poſitũ.

14 Tertium verò duo opponebat, primum, quod non ſolum natura ſit principium motus eius, in quo eſt, ſed motus etiam exiſtentis in alio, vt ignis eſt principium naturale calefactionis, alterius ignis à ſe geniti, quod concedendum eſt, ſed diuerſa ratione; nam primò reſpicit motum proprium eius, in quo eſt, quia res quælibet primò intendit ſe perficere, quàm

alia,

alia, poſtquam verò in ſe perfecta eſt, intendit ſe communicare aliis, & ea perficere, ideò natura definitur per principium motus eius, in quo eſt, tanquam per primum; ſed non excludit ſecundum, ideò nec excluditur, quod motus, vel actiones, quæ ordinantur ad perficiendum alia, ſint, & dicantur naturales, & aliquando maximè naturales, quia maxima perfectio naturæ eſt, vt poſtquam perfecta eſt in ſe, aliis ſe communicet, eaque perficiat. Ad aliud denique de motu grauium & leuium concedimus, quod procedat à generante, nihilominus in ipſiſmet grauibus, & leuibus datur principium, non ſolùm paſſiuum (vt quidam falsò putant) ſed etiam actiuum proximum, quod eſt eorum forma, & natura; quamuis paſſiuum ſolùm ſufficeret, vt eis conueniret definitio naturæ, vt conſtat in cœlo, & in materia prima, quæ ſolùm eſt principium paſſiuum.

Solum reſtabat explicandum, quare ſupra principium motus addita fuit cauſa, videtur enim ſuperflua hæc particula poſt aliam, cum ſufficiat ad rationem naturæ eſſe principium motus intrinſecum. Reſpondeo diuerſas eſſe de hac re expoſitiones, ſed placet expoſitio Alberti Magni, vtramque particulam poſitam eſſe ſecundùm propriam ſignificationem. Principium quidem, vt vniuerſalius, cauſa verò tanquam inferior addens influxum ſupra principium, fuit autem neceſſarium vtramque ponere, vt ſignificaretur naturam in diuerſis rebus diuerſo modo eſſe principium motus.

QVÆSTIO II.

An definitio naturæ conueniat ſoli formæ ſubſtantiali, vel etiam materiæ, & priuationi.

EXpoſita definitione naturæ optimo ordine ſequitur diſputandum, an conueniat ſingulis principiis rerum naturalium, & quomodo eis conueniat. Et primò dicendum eſt de materia, circa quam duplex eſt opinio; prima tenet materiam non eſſe naturam ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, per quandam Analogiam, aut ſimilitudinem cum forma. Ita Valleſius controuerſia 11. ad Tyrones, quem ſequuntur etiam plures moderni. Probat teſtimonio Ariſtot. qui ad finem huius capitis, & 5. Meta. cap. 4. videtur naturam conuertere cum forma, materiam verò ſolùm eſſe naturam, quia receptaculum formæ eſt, imò in ſecundo loco aſſerit omnem aliam ſubſtantiam per Metaphoram dici naturam comparatione formę; ergo ex mente eius ſolùm materia eſt natura per attributionē ad formam,

& ideò

& ideò non vniuocè, nec ſimpliciter, ſed analogicè, & ſecundum quid. Probat etiam ratione ex definitione naturæ, quæ eſt principium, & cauſa motus, ſed materia nõ eſt principium, & cauſa motus; ergo non eſt natura. Probatur minor, quia licèt aliquo modo principium ſit, nõ poteſt eſſe cauſa; quia cauſa dicit influxum in effectum, ſed materia præter receptionem formæ, nullum prorſus influxum habet ad conſtitutionem rei naturalis, & longè minus ad motum, receptio autem formæ influxus non eſt; ergo nec materiæ conuenit eſſe cauſam motus. Et ſi dicas primò, eſſe principium materiale. Probat hoc eſſe falſum, quia eſſe principium materiale idem eſt, ac eſſe materiam, ſed materia non eſt materia motus, licèt ſit materia rei naturalis; ergo nec principium motus dicenda eſt. Et ſi dicas ſecundò, eſſe principium motus, quia èſt principium rei naturalis, ex qua ſequitur motus. Contra hoc etiam arguit, quod ex hoc ſolum habeatur, quod materia per ſe ſit principium rei naturalis, motus verò non niſi ex conſequenti, & ideò per accidens, quare non erit natura per ſe.

16 Secunda opinio tenet materiam, verè, & propriè, intrinſecè & formaliter, & ideò vniuocè eſſe naturam cum forma, licet forma propter ſpecialem eius rationem longè perfectiorem, longè etiam perfectior natura ſit. Ita ſentiunt antiqui interpretes, Porphyr. Auer. Philop. Themiſt. atque Simpl. & D. Tho. in Commen. huius capitis, & cũ eis omnes ferè moderni expoſitores, & hæc eſt expreſſa ſent. Ariſt. & vera. Probatur primum, ex tex. 4. huius cap. vbi ita ait: *Vno igitur modo natura ſic dicitur prima vnicuique ſubiecta materia habentium in ſeipſis motus principium, & mutationis, alio autem modo forma, & ſpecies.* Et 5. Meta. cap. 4. *Natura verò hæc prima materia, & hæc dupliciter, aut quæ ad ipſum prima aut ſimpliciter prima.* Probatur 2. quod ſit vera, quia materia ſimpliciter, formaliter, atque eſſentialiter eſt principium rei naturalis, ex quo componitur, atque etiam generationis eius, & vtraque ratio eſt propria naturæ; ergo formaliter, atque ſimpliciter eſt natura. Maior euidens eſt apud Ariſtot. & omnes, ſed probatur minor, quia ſubſtantia completa ex materia, & forma compoſita perfectiſſima natura eſt, vt docet Ariſt. 5. lib. Met. cap. 4. & ideò vtraque pars ex qua componitur, nempe materia, & forma propriè etiam naturæ partiales erunt. Præterea eſſe principium generationis idem eſt, ac eſſe principium motus: cum generatio motus ſit, vt in hac definitione ſumitur; ergo cum materia propriè ſit generationis principium, propriè etiam erit principium, motus, & propriè natura. Forma etiam educitur de potentia

O mate

materiæ;ergo materia concurrit ad eductionem eius, tanquam materialis cauſa, ſed eductio formæ de potentia materiæ, in formis ſaltem corruptibilibus eſt realiter generatio, & motus; ergo materia eſt principium intrinſecum motus, quod eſt eſſe naturam.

Sed vt hæc veritas intelligatur, & facilius ſoluantur oppoſita argumenta notandum eſt, quod principium,& cauſa motus in definitione naturæ,vt bene D.Th.c.præſenti,in communi accipiuntur,prout abſtrahunt à quacunque ratione principij,& cauſalitatis particulari, huius aut illius generis, & ideò æquè conueniunt cuicunque principio,& cauſæ motus,ſiue ſit actiuum vel paſsiuum. Et ideò cum materia,propriè, formaliter,& ſimpliciter ſit principium motus,& cauſa materialis eius recipiens in ſe generationem (quæ verè motus eſt, vt hac in parte ſumitur) & materialem concurſum ad illam præbens, atque etiam ſit principium, & cauſa intrinſeca ſubſtantiæ compoſitæ (quæ perfectiſſima natura eſt) ſequitur formaliter, atque ſimpliciter ei conuenire definitionem naturæ, licet formæ perfectius conueniat, propter particularem rationem ſuæ cauſalitatis longè perfectioris,quod non tollit, quin vniuocè conueniat vtrique,ſicut non tollit vniuocationē generis,quod natura eius perfectiùs conueniat alicui ſpeciei ratione perfectioris differentiæ. 17

18 Ad teſtimonia pro alia opinione negandum eſt, quod Ariſtoteles conuertat naturam cū forma: cum expreſsè in eiſdem locis dicat materiam eſſe naturam abſque vllo addito diminuente,ſed ſolum dicit priuationem eſſe naturā, quia eſt quaſi quædam forma.Negādum eſt etiam,quod aſſerat omnem ſubſtantiam,præter formam eſſe naturam per Metaphoram, non enim loquitur ibi de forma, ſed de ſubſtantia completa, & ſpecifica ex materia,& forma compoſita, quam dicit eſſe perfectiſsimam naturam, ita vt omnis alia ſubſtantia per Metaphoram dicatur natura reſpectu illius, quod aſſerit propter artificialia,quæ,ſi aliqua ex parte dicuntur natura, ſolùm eſt propter materiam, vel ſubiectum, quæ eſt aliqua ſubſtantia completa,vt per ſe eſt manifeſtum.

Ad argumentum neganda eſt minor, quod materia non ſit cauſa motus:cū euidens ſit eſſe cauſam materialē generationis, atque eductionis de potentia materiæ. Imò & omnium aliorum motuum naturalium materialis cauſa eſt,ſaltem partialis, cum ſit materialis cauſa entis naturalis,à quo procedunt, quod non eſt eſſe principium motus per accidēs;ſed ſatis per ſe. Nec ſequitur eſſe materiam motus, ſed materialem cauſam, quia

cauſa

cauſa materialis non eſt materia quomodocúnque ſumpta, ſed vt præbens ſuum concurſum ad effectum.

Quomodo conueniat formæ definitio naturæ.

19 Certum eſt apud omnes formam eſſe naturam, & perfectiori modo quàm materia, quia vtrumque aſſerit expreſsè Ariſtot. eiſdem locis citatis, & ratio euidenter probat, cum ſit perfectior pars entis naturalis (in quo eſt perfectiſsima ratio naturæ) tribuens ei ſpeciem, atque etiam ſit principium generationis, & aliorum motuum, præcipuum. Solum poteſt eſſe dubium de modo, quo ei conueniat definitio naturæ, nempe vt principio, & cauſæ materiali, vel efficienti. Et prima opinio tenet ſolum ei conuenire, vt principio paſsiuo, & non vt actiuo. Ita Simplicius capite præſenti poſt elucidationem textus; qui putat naturam non definiri ab Ariſtot. vt conuenit viuentibus, quæ habent principium actiuum motus, ſed ſolum, vt conuenit non viuentibus, quæ ſolum vocantur hac in parte entia naturalia, & cùm non moueantur à principio intrinſeco actiuo, ſed à generante, ſolum habent in ſe principium paſsiuum ſuorum motuum, quare ſicut tota ipſa natura eorum ſolum concurrit ad motum paſsiuè, & tanquam materialis cauſa, ita etiam vtraque pars eius, nempe materia, & forma ſolum eſt principium paſsiuum motus, & ſolum conuenit ei ratio, atque definitio naturæ, vt principio paſsiuo. Simplicium ſequitur Scotus in 2. d. 18. qu. vnica. §. *Ad aliud de definitione naturæ dico, &c.*

20 Probant teſtimonio Ariſt. 8. lib. Phyſ. textu 23. & 28. vbi expreſsè docet non viuentia non moueri actiuè à ſe, ſed ab eo, quod ea genuit, ſed quod mouetur actiuè ab alio extrinſeco, non habet principium intrinſecum motus, ſed ſolum paſsiuũ, quia ſolum eſt receptiuum motus; ergo materia, & forma harum rerum paſsiua ſolum principia motus eſſe poſſunt. Probat Scotus ratione, quia natura eſt intrinſecum principium motus, non intrinſecum, vt actiuum, quia omne principium intrinſecum eſſet actiuum; ergo eſt principium intrinſecum, vt paſsiuum, quare formæ conueniet, vt principio paſsiuo, & meritò quidem, quia ſicut per formam conſtituitur res naturalis in ſuo eſſe ſpecifico, ita conſtituitur, tanquam receptiua motus, & ſi per formam receptiua eſt; forma quoque ipſa ſuo modo erit principium receptiuum, ſeu paſsiuum. Hæc tamen ſententia expreſsè eſt contra Ariſt. atque etiam contra rationem. Contra Ariſtot. quidem, quia in principio huius cap.

O 2 docet

docet naturam præcipuè conuenire animalibus integris, & partibus eorum, his verbis: *Natura quidem ſunt animalia, & partes ipſorum.* Ergo falſum eſt fundamentum Simplicij, quòd non definiatur ab Ariſtot. natura viuentium. Falſum eſt etiam quod colligit, nempe formam ſolum eſſe poſſe principium paſſiuum motus: cum euidens ſit, & ab eo conceſſum, formam in viuentibus eſſe actiuum principium motus. Quod verò ſit contra rationem probo, quia motus vitalis eſt à principio intrinſeco actiuo ſecundum Ariſtot. & omnes, vt nutritio, & augmentatio probant; ergo datur in viuentibus principium actiuum motus, quod non poteſt eſſe, niſi ratione formæ: cum à materia nulla poſſit efficientia prouenire. Atque etiam in non viuentibus ſublunaribus datur ſemper principium motus actiuum, vt grauitas, & leuitas, quæ cum potentia naturalis ſit à natura grauis effectiuè procedens, non poteſt non procedere effectiuè à forma eorum, & eius virtute concurrere effectiuè ad motum, quare forma ipſa principaliùs, quàm grauitas erit actiuum principium motus. Quod verum eſt ac neceſſarium, etiamſi moueantur à generante, ſed in hoc ſolum poteſt eſſe differentia, quod ſi moueantur à generante, forma, & grauitas ſolum erunt principia actiua inſtrumentalia motus, ſi verò moueantur à ſe, forma erit principium actiuũ principale vt, quo, grauitas verò inſtrumentale.

Communis igitur ſententia, & vera tenet, principium, & 21
cauſam in definitione naturæ abſtrahere, à principio actiuo, & paſſiuo, & indifferenter conuenire vtrique, ſed formã in corporibus ſublunaribus ſemper eſſe principium actiuum; materiàm verò ſemper paſſiuum, in cœleſtibus verò vtramq; eſſe principium paſſiuum, ſicut totum ipſum cœlum ex vtraque cõpoſitum paſſiuum tãtum principium eſt. Ita D. Thomas lectione prima horum commentariorum, quẽ ſequuntur cæteri interpretes Ariſtotelis. Ad teſtimoniũ Ariſt. Reſpondeo, quod licet non viuentiã moueantur à generante ex mente eius, falſum eſt, quod ſolum habeât principium paſsiuum intrinſecum motus; nam verè habent actiuum ſaltẽ inſtrumẽtale, quod eſt forma ſimul cum grauitate, & leuitate. Ad argumentum Scoti concedenda eſt prior pars minoris, quod natura non ſit principium motus; vt actiuũ, ſed neganda poſterior, quod ſit principium motus, vt paſsiuum; nã ſi ita eſſet in viuentibus, nõ eſſet natura, nec eſſent entia naturalia, ſed natura eſt principiũ motus, vt abſtrahẽs ab actiuo, & paſsiuo, & ita vtriq; conueniens, ſed actiuo perfectiùs propter ſpecialem rationem eius longè perfectiorem.

An, & quomodo priuatio ſit natura.

22 DE priuatione tandem vtrumque dubitamus, an ſit natura & quomodo ei conueniat definitio. Et prima opinio negat priuationem vllo modo eſſe natura. Ita Sotus capite præſenti, & Pererius lib.7. de natura cap.4. probatur 1. ex definitione naturæ, quæ eſt *principium, & cauſa motus, & quietis.* Sed licèt priuatio ſit aliquo modo principium motus, nempe generationis, non poteſt eſſe vllo modo cauſa, cum non poſsit habere influxum circa illam, nec poteſt eſſe vllo modo principium quietis: cum deſinat eſſe per mutationem, cuius principium eſt; ergo nec poteſt eſſe vllo modo natura. Secundò, quia natura rerum eſt ſubſtantia earum, ſed priuatio non eſt ſubſtantia, imò neque habet vllam entitatem poſitiuam, ſed per ſe, & ſimpliciter eſt non ens, & reſpectu materiæ potius ſe habet ad modum accidentis; ergo non eſt natura.

Secunda opinio eſt oppoſita, quod priuatio ſit natura. Ita Themiſtius in ſua Paraphraſi, ſuper lib.2. Phyſ. num. 15. Simplicius, Albertus Magnus, Villalp. Toletus, & Conimbr. cap. præſenti. Et probatur ex Ariſtotele, qui ad finem huius capitis poſtquam probauit formam eſſe perfectiorem naturam, quàm materia, ſubiunxit, priuationem etiam eſſe naturam, cum ſit quodammodo forma, his verbis: *Forma itaque natura eſt, ſed forma, & natura dupliciter dicitur, etenim priuatio forma quodammodo eſt.* Sed exponunt Autores oppoſitæ ſententiæ hæc verba dupliciter. Primò de forma accidentali. Secundò de forma ſubſtantiali generanda, quam dicunt priuationem ponere in materia: cùm ſit principium generationis eius. Sed neutra expoſitio quicquam valet; non prima, quia expreſsè loquitur Ariſtoteles: de forma, quæ eſt natura; & hanc diuidit in formam poſitiuam, & priuationem; quam appellat quodammodo formam, ſed forma, quæ eſt natura, eſt ſubſtantialis; ergo non habet locum expoſitio de forma accidentali. Nec aliquid valet ſecunda expoſitio, quia priuatio non ponit per ſe formam in materia, ſed per accidẽs; alioqui ſi per ſe eam poneret, cum per eius aduentum deſtruatur, per ſe intenderet propriam deſtructionem, quod repugnat. Et licèt per ſe eam poneret, non poſſunt verba Ariſtotelis de forma intelligi, ſed neceſſariò de priuatione, quia aſſerit eſſe quodammodo formam; forma autem quam ponit, ſimpliciter forma eſt.

23 Probatur deinde ratione, quia priuatio eſt principium generationis per ſe, & generatio eſt motus, ergo eſt principium motus per ſe, vt dicitur in definitione naturæ, quare erit etiam

natura. Et ſi dicas id non ſufficere, quia non eſt cauſa. Contra hoc eſt primò, quod non requiritur eſſe cauſam, ſed ſatis eſt eſſe principium: nam licèt copulatiuè accipiantur verba, ſenſus eorum eſt, vt vidimus, naturam eſſe principium motus ſecundùm ſe, & aliquando etiam eſſe cauſam, ſi addat influxum, & tunc perfectiorem habere rationem naturæ. Sed ad rationem naturæ abſolutam ſufficit eſſe principium. Secundò, quia licèt priuatio non ſit cauſa generationis eſt tamen cauſa corruptionis: cum ſit terminus, ad quem, eius, qui habet rationem finis, & formæ, & ideò ſuo modo in eam influit, quamuis non poſitiuè, ſed negatiuè, quia nec corruptio poſitiua mutatio eſt, ſed negatiua.

In hac re noſtra ſententia eſt, priuationem non eſſe naturam vniuocè cum forma, & materia, ſed analogicè, & ideò non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quod verba Ariſtotelis citata probant, cum non dicat eſſe formam, aut naturam ſimpliciter, ſed quodammodo, quod abſque dubio additum diminuens eſt. Et natura ipſa priuationis, quia ſolum poteſt habere rationem naturæ, in quantum eſt forma, ſed non eſt propriè forma, ſed impropriiſſimè, & per quandam ſimilitudinem, quare ſicut eſt forma ſolùm per ſimilitudinem, ita ſolum per ſimilitudinem eſt natura, & propterea non vniuocè, ſed analogicè, & ſecundum quid. Et argumenta primæ opinionis ſolum probant non eſſe naturam ſimpliciter, ſubſtantiam, vel ens, ſed priuatiuè, quod tamen ſufficit, vt ad ſpeciem, & prædicamentum formæ ſubſtantialis reducatur.

Nec obſtat, quod ſe habeat ad materiam per modum acci- 24
dentis, quia eundem ferè modum habet forma, & non ideò definit eſſe ſubſtantia, nec etiam priuatio ſuo modo. Et etiam argumenta ſecundæ opinionis non probant alio modo eſſe naturam, quàm per Analogiam, vt per ſe eſt manifeſtum; nam cum natura per ſe dicat poſitiuam entitatem, etiam ſimpliciter dicit poſitiuum principium motus, & ſolum priuatio in hoc ſenſu poteſt eſſe principium ſecundum quid. Nec obſtat, quod ſimpliciter ſit enumerata inter principia naturalis generationis, quia principium generationis vniuerſaliorem rationem dicit, quàm natura, & ideò imperfectiorem, natura verò ſimpliciter ſumpta addit ſubſtantiam, & eſſentiam rei, quæ de ſola entitate poſitiua ſimpliciter dicuntur, per quam res eſt principium motus, ideò plus requiritur, vt priuatio ſit ſimpliciter natura, quàm vt ſit ſimpliciter principium generationis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm definitio naturæ conueniat animæ, præſertim rationali.

25 FOrmæ ſubſtantiales ſunt in duplici differentia, quædam inferioris ordinis, quæ non ſunt principia vitæ, ſed compoſita, quædam ſubſtantialia vitæ expertia conſtituunt, quæ ad vnam operationem, vel alteram determinantur, eaſque eodem modo ſemper exercent, & ideò omnes partes corporis eiuſdem rationis habent, quæ propterea homogeneæ vocantur. Aliæ formæ ſunt ordinis ſuperioris, quatum ſuperior, ac perfectior virtus in eo oſtenditur, quòd natæ ſunt informare corpora vitâ prædita, ac diuerſarum partium, & membrorum, in quibus, non vnius aut alterius tantùm operationis principia ſunt, ſed diuerſarum, nec eodem modo ſemper exercent omnes, ſed quaſdam diuerſis modis, & iſtæ dicuntur animæ, de quibus præcipuum quoddam opus Philoſophus edidit Ariſt. quod de anima vocauit, in cuius principio duplici definitione definit animam. Prima talis eſt: *anima eſt actus corporis Phyſici organici potentiâ vitam habentis.* Secunda verò ita habet, anima eſt *principium, quo mouemur, ſentimus, & intelligimus.* Anima autem triplex eſt, vegetatiua; quæ eſt principium nutritionis in plantis, ſenſitiua, quæ eſt principium ſenſationis in animalibus, & rationalis, quæ eſt principium ratiocinandi, atque intelligendi in hominibus. Et ita ſe habent, vt ſecunda

26 includat omnes perfectiones primæ, & aliquem gradum perfectiorem ſupra eas addat, & tertia perfectionem duarum, ſupra quas addit gradum perfectiorem, vt anima ſenſitiua habet perfectionem vegetandi, & ſupra eam addit aliam maiorem ſentiendi, & ideò vtriuſque operationis principium eſt, & alterius etiam, quæ vocatur motus localis progreſſiuus. Et anima rationalis habet perfectiones vegetandi, & ſentiendi, & addit aliam longè maiorem, nempe gradum rationalitatis, & ideò principium eſt vegetandi, ſentiendi, mouendi localiter, & ratiocinandi, hoc eſt intelligendi, & volendi. Quia ergo formæ iſtæ altioris ordinis ſunt, videntur excedere rationem naturæ definitæ ab Ariſtotele, quæ ſolùm inferioribus formis conuenire videtur, quaſi natura, & naturale, modum eſſendi, & operandi ad vnum determinatum ſignificent. Propterea dubitatum eſt, an formæ iſtæ præſertim rationalis longè perfectiores ſint naturâ, cui definitio verè, & propriè conueniat.

Et propterea prima opinio excludit omnes à ratione, & definitione naturæ. Ita Auicenna lib. 1. ſuæ ſufficientiæ c. 5. Simplicius cap. præſenti, & Albertus Magnus 1. lib. Phyſ. tract. 1. cap. 2. & lib. de origine animæ ca. 4. probatur teſtimonio Ariſtotelis 4. lib. de partibus animalium cap. 1. vbi plures animas excludit à ratione naturæ his verbis: *Conſtat igitur non de anima differere omni oportere: quandoquidem non omnis anima natura eſt, ſed aliqua eius pars, vna, aut etiam plures.* 27

Et deinde ratione. Primò, quia forma naturalis hæc habet ſibi intrinſeca, vt educatur de potentia materiæ, ab eaq; intrinſecè dependeat vt ſit terminus generationis, & quaſi finis eius, vt expreſsè docet Ariſtoteles capite præſenti, & propterea dicit formam eſſe perfectiorem naturam, quàm materia, & cum ex dependentia in eſſe oriatur dependentia in operando, hinc prouenit, vt ſit principium operationum ab eadem materia dependentium, ſed anima rationalis nihil horum habet: neque enim educitur de potentia materiæ, ſed ex nihilo creatur à Deo, & ideò non eſt forma materialis ſed purè ſpiritualis. Neque dependet à materia in eſſe, neque in præcipuis operationibus, quarum principium eſt, vt ſunt intelligere, & velle, vnde, nec eſt terminus generationis, ſed creationis; ergo non eſt forma naturalis, nec conuenit ei definitio naturæ.

Secundò, natura eſt principium motus, ſed anima rationalis, ſaltem ſecundùm vltimum gradum rationalitatis non eſt principium motus; ergo ſaltem, vt rationalis non eſt natura. Probatur minor, quia vt rationalis eſt, ſolùm eſt principium intelligendi, & volendi, ſed intelligere, & velle, non ſunt motus, ſed operationes quædam ſpirituales, & purè immateriales, quæ ideò non recipiuntur in corpore; ergo non eſt natura.

Secunda opinio animam vegetatiuam, & ſenſitiuam aſſerit eſſe naturam, atque etiam rationalem ſecundùm gradus vegetandi, & ſentiendi, quos continet, non tamen ſecundùm gradum rationalitatis, ſecundùm quem naturalia excedit, & ideò, vt rationali non conuenire illi definitionẽ naturæ. Huius opinionis meminit Toletus quæſt. 2. Procemiali in lib. de Anima. Alij denique, quos ibidem refert, animam rationalem ſecundùm vltimum gradum rationalitatis dupliciter conſiderari aiunt. Primò, vt eſt principium intellectionis dependentis à phantaſmate, per quam corporalia intelligit. Secundò, vt eſt principium alterius intellectionis, quam habet in corpore, ſine dependentia à phantaſmate, per quam ſeipſam, & Angelos intelligit, & ſub prima conſideratione eſſe naturam, quia, eſt principium motus, nempè intellectionis dependentis à 28

phantaſmate, quæ motus Phyſicus eſt ſub communi ratione, qua ſumitur motus in definitione naturæ, ſub ſecunda verò conſideratione non eſſe naturam, quia nullius motus principium eſt: nam cum intellectio illa non dependeat à ſenſibus, nec motus vocari poteſt.

29 *Vera* autem doctrina, & *omninò tenenda*, his concluſionibus explicatur. Prima eſt de anima vegetatiua, & ſenſitiua. Vtraque hæc anima verè, & propriè eſt natura, cui conuenit definitio naturæ ab Ariſtotele deſignata. Hæc habetur apud Ariſtotelem 1. libr. de partibus animalium cap. 1. & lib. 1. de Anima textu 1. quibus locis de Anima in vniuerſali, & in particulari de anima ſenſitiua, quæ ſimul eſt vegetatiua, docet naturam eſſe, & ideò per ſe pertinere ad Philoſophum naturalem; conſiderationem eius. Et ita ſentiunt omnes interpretes Ariſtotelis, tam antiqui, quàm moderni, non ſolùm cap. præſenti, ſed etiam libro 1. de Anima in principio. Et probatur euidenti ratione. Quia vtraque anima eſt principium motus, vegetatiua quidem nutritionis, & augmentationis, ſenſitiua verò motus localis, (quem vocant progreſſiuum) & omnium ſenſationum, quæ veri motus ſunt ſub generali ratione; ſub qua conſideratur motus in definitione naturæ; ſunt enim mutationes quædam corporeæ, & materiales, per quas mutantur potentiæ ſenſitiuæ; ergo vera ratio naturæ conuenit his formis. Et quod de eis dicimus, de anima rationali intelligendum eſſe ſecundùm eoſdem gradus vegetandi, & ſentiendi, quos continet. Per quos euidens eſt eſſe principium eorundem motuum naturalium.

30 Secunda concluſio, anima rationalis etiam ſecundùm vltimum gradum rationalitatis, non ſolùm eſt natura, ſed perfectiſſima natura, & ei conuenit eadem definitio naturæ tradita ab Ariſt. Ita ſentiunt D.Tho. Alex. Simpl. cap. præſenti. Tolet. q. 2. procemiali in lib. de Anima. Conimbr. etiam cap. præſenti, Suar. tom. 1. diſp. 1. ſect. 2. n. 17. Vt autem probemus hanc concluſionem, ſupponendum eſt tanquam fundamentum certiſſimum, quod anima rationalis, vt rationalis, eſt vera forma corporis. Hoc eſt certum in fide catholica, quia definitum ab eccleſia in Concilio Lateranenſi ſub Leone 10. & in Concilio Viennenſi ſub Clemente 5. & habetur definitio in Clementina vnica de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Et probat. euidenti ratione, quia anima rationalis ſecundùm gradum rationalitatis conſtituit hominem ſpecie diſtinctum à cæteris animalibus, ſed repugnat eſſentiam, vel ſpeciem hominis reſultare ex vnione animæ ad corpus per ſolam aſſiſtentiam extrin-

ſecam motoris ad mobile, ſed omninò requiritur informatio materiæ,& vnio ſubſtantialis cum ea,per quam fiat ex vtraque ſubſtantiale compoſitum talis ſpeciei; ergo anima rationalis, vt rationalis,eſt vera forma corporis. Ex quo intelligitur,poſitionem Platonis,quam refert D.Tho.1.p.q.76.art.3.aſſerentis animam intellectiuam non eſſe formam corporis, ſed ſolùm ei aſſiſtere ad motum, cæteraſque operationes, ſicut gubernator aſſiſtit naui, errorem eſſe, non ſolùm contra fidem Catholicam, ſed etiam aduerſus principia veræ Philoſophiæ naturalis.

Ex hac igitur veritate colligitur primum argumentum ad probandam concluſionem noſtram, hoc modo: Anima rationalis eſt vera,& naturalis forma corporis, conſtituens cum eo compoſitum naturale quod vocatur homo;ergo eſt vera natura. Probatur conſequentia, quia natura,vt docet expreſsè Ariſtoteles cap.præſenti de materia,& forma,dicitur propriè,tanquam de partibus integræ naturæ, ex vtraque compoſitæ. Secundò ex definitione naturæ, quæ eſt principium motus, anima rationalis non ſolùm ſecundùm gradus vegetandi, & ſentiendi eſt principium motus nutritionis, augmentationis, localis, ac ſenſationis, ſed etiam ſecundùm gradum rationalitatis eſt principium admirationis, actus ridendi, flendi, & loquendi, qui omnes procedunt ab homine, vt homo eſt,& conſequenter ab anima,vt rationali, à qua etiam procedit,vt operationes ſenſitiuæ quæ veri motus ſunt, ordinentur ad intelligendum, eſt etiam principium intellectionis dependentis à phantaſmate,& ſenſibus,quæ ideò mutatio Phyſica eſt, & motus etiam Phyſicus, prout ſumitur in definitione naturæ; ergo verè, & propriè eſt natura, cui definitio conuenit. Colligitur etiam noſtra concluſio euidenter ex doctrina Ariſtot.qui in 3. lib.de anima, agit ex profeſſo de anima rationali,vt eſt principium intellectionis dependentis à phantaſmate,cui non ſolùm intellectum cognoſcentem tribuit,ſed etiam agentem ad productionem ſpecierum intelligibilium mediis phantaſmatibus; ergo agit de illa, vt intellectiua, & rationalis eſt, ſed libri de anima ſunt præcipua pars Philoſophiæ naturalis; ergo ſentit conſiderationem animæ rationalis, vt talis, per ſe pertinere ad Philoſophiam naturalem. Ex quo ſequitur euidenter ex mente eius eſſe naturam, quod etiam docuit cap. ſequenti, vbi duplicem eius ſtatum inſinuat, primum, quem habet in corpore, & hoc modo ad naturalem Philoſophiam, tanquam veram, & naturalem formam corporis, veramque proinde naturam pertinere docet. Secundum, ſeparationis à corpore,in quo non eſt principium 31

principium alicuius motus, ſed ſolius intellectionis, & volitionis, non dependentium à ſenſibus, quia in eo ſtatu non intelligit per ſpecies acceptas à rebus mediis ſenſibus, ſed naturaliter infuſas à Deo; nam tales debentur illi ſtatui naturali, & ideò ſecundum hunc ſtatum non eſſe actu formam, quare nec eſſe naturam, nec eius conſiderationem pertinere ad Philoſophum naturalem, ſed ad primum, qui eſt Metaphyſicus. Et hæc doctrina veriſſima eſt, & recepta ab omnibus autoribus citatis pro noſtra ſententia.

32 Ad teſtimonium Ariſtot. adductũ pro prima opinione reſpondeo intelligendum eſſe ex his, quæ modo dicebamus docere Ariſtot. de anima rationali cap. ſequenti, nempe, quod licèt anima rationalis ſecundum vltimum gradum rationalitatis pertineat ad conſiderationem Philoſophiæ naturalis; non tamen ſecundum vtrumque ſtatum informationis materiæ, & ſeparationis ab ea, ſed ſolum ſecundum primum, quia in eo ſtatu officium veræ formæ naturalis exercet, & principium plurium motuum naturalium eſt, & ideò verè, & propriè natura, cui definitio conuenit. In ſtatu verò ſeparationis, nec officium formæ exercet, nec principium motus eſt, & ideò ſecundum eum non eſt natura, nec ei cõuenit definitio, nec pertinet ad conſiderationem Philoſ. ſed Meta. quemadmodum aliæ ſubſtantiæ ſpirituales independentes à materia.

33 Ad 1. arg. negandum eſt, quod illa omnia, quæ enumerantur, pertineãt ad rationem formæ Phyſicæ, vt talis, ſed potius ſunt imperfectiones eius, à quibus concedimus animã rationalẽ liberam eſſe, ex hoc tamẽ non ſequitur eam nõ eſſe naturam; ſed potius, quòd ſit natura perfectiſſima, habẽs quæcunq; pertinẽt ad rationẽ formæ, ſecluſis imperfectionib⁹ formarũ purè materialium. Quòd verò nõ ſit terminus generationis, diſtinguẽdũ eſt, nam ſecundũ ſuum eſſe ita verum eſt, ſed ſecundum informationem materiæ, vel vnionem ad corpus verè terminat generationem, & ideò finis eius eſt, in quem ordinatur. Atque etiam eſt diſtinguendum, quod dicitur non eſſe corpoream, ſed purè ſpiritualem: nam corporeum dupliciter ſumitur, vt quod, & vt quo, & illud eſt corporeum primo modo, quod habet partes, ex quibus componitur corpus, vt homo, vel leo, corporeum verò, vt quo, eſt illud, quod tribuit alteri eſſe corporeum, licèt corpore, & partibus careat, vel in ſe ſit ſpirituale, & hoc modo anima rationalis corporea eſt, & materialis tribuens materiæ, aut corpori eſſe corporeum, & hoc eſt eſſe corpoream tanquam formam, & ideò tanquam veram naturam, cui definitio conuenit.

QVÆST.

QVÆSTIO IV.

An ars poſſit efficere opera naturæ.

MVlta de rebus artificialibus adducit Ariſtot. cap. præſenti. Vt differentiam inter artem, & naturam conſtituat, ex eaque colligat illa, quæ per artem fiunt, non habere in ſe principium motus intrinſecum, ſicut habent naturalia, atque etiam definitionem naturæ in eo conſiſtentem, quod ſit principium intrinſecum motus, ideò vt meliùs definitionem naturæ intelligamus, diſputandum eſt, an naturalia adeò ſint perfectiora his, quæ fiunt per artem, vt nunquam poſsint hæc perfectionem naturalium attingere. Quod vt meliùs fiat, duo ſunt prius explicanda, primum, in quibuſnam conueniant artificialia cum naturalibus, & in quibus ab eis differant. Secundum an naturalia ſint perfectiora artificialibus. 34

Explicatur in quibus aſſimilentur artificialia naturalibus, & in quibus ab eis differant.

INter multa, in quibus artificialia aſsimilantur naturalibus, hæc ſunt præcipua, primum, quod ſicut naturalia procedũt à ſuis agentibus per modum cuiuſdam ſimilitudinis, ita vt ſimilem formam inducat agens in materiam, ei per quam ipſum habet eſſe, & virtutem operandi; ita artifex producit effectum artificialem ſimilem formæ, aut exemplari præconcepto, quod habent in mente, prius namque fabricatur domum apud ſe, deinde ad ſimilitudinem exemplaris in mente formati, eam fabricatur extra. Secundò aſsimilantur in modo agendi, quia ſicut agens naturale, non ſtatim, neque vno (vt aiunt) ictu producit effectum ſecundum vltimam perfectionẽ, ſed prius ſub eſſe imperfecto, paulatim eum perficiens, quouſque vltimam perfectionem ei tribuit: principio enim embrionem quendam vix formatum, membriſque diſtinctũ natura producit, quem paulatim ſub altiori forma perficit, & tandem ſub vltima perfectione ſpecifica hominis, aut alterius animalis in lucem edit: ita artifex prius præconceptum opus leuiter adumbrat; poſt verò perfectioribus delineamẽtis illud perficit, ac tandem perfectam ſpeciem artis ei cõfert. Et hanc ſimilitudinem tradit Ariſtoteles 2. libr. de Generatione animalium capite quarto, poſt medium.

Tertiò, ſimilitudo etiam in modo operandi conſiſtit, quia ſicut agens naturale non producit effectum, niſi præſuppoſita materia, quam prius diſponit, ac determinata ad talem formam cùm ex ſe indiferens eſſet: ita artifex materiã præſuppoſit, 35

nit, vt lignum aut lapidem, eam expolit, aptâque efficit ad talẽ formã artificialem ſuſcipiendam, quàm inducere intendit: cum prius rudis, & inepta eſſet, atque indifferens ad ſuſcipiendas plures. Conueniunt quartò in eo, quod ſicut in rebus naturalibus contingunt aliquando monſtra, vel ex defectu, aut ſuperabundãtia, vel indiſpoſitione materiæ, vel propter contrariã cauſam impedientem, à qua vincitur agens; ita in operibus artis contingere ſolent monſtra. Aſsimilantur tandem in modo operandi, ſine deliberatione, imò ex determinatione naturali ad vnum, quem habet ſemper natura, & quem imitantur quædam artes, vt docet Ariſtoteles 3. lib. Ethc. cap. 3. quæ per certa quædam, atque ſtatuta media attingunt finem, cuiuſmodi ſunt ars ſaltandi, atque formandi litteras, & ſimiles, non enim conſultat nec deliberat faber lignarius, vtrum prius ſecandum ſit, aut dolandum. Sed media determinata, modo quaſi naturali aſſumit, vt per ea inducat formam artis.

36 Licèt autem in his, & aliis aſsimilentur, in multis aliis differunt. In primo quidem, quia natura eſt ipſamet ſubſtantia rerum: Ars verò non pertinet ad ſubſtantiam artificis, ſed accidens quodam eſt ei ſuperadditum ad prædicamentum qualitatis, & ſpeciem habitus pertinens. Vnde ſequitur, quod natura ſit principium motus intrinſecum effectiuum, vel ſaltem paſsiuum, ars verò directiuum tãtum, præſupponit enim naturales motus membrorum eoſque dirigit, modum conſtituens, quo exercendi ſunt. Ex quo fit, quod ſi aliquem motum naturalem ſurſum, aut deorſum ſolent habere artificialia, non ab arte, tanquam à principio procedat, ſed à natura earum rerum, quæ materia eiuſdem artis ſunt. Secundò differunt, quod omnes partes, & principia rei naturalis ſunt à natura. vt de partibus, & principiis animalium docuit Ariſt. in principio huius cap. vt materia, forma, caput, brachium, & pedes. In artificialibus verò, licèt effectus fiat per artem, non tamen principia omnia, & partes eius, vt patet in domo, quæ licèt ſit ab arte; principia tamen, & plures eius partes ſunt à natura, vt ligna, lapides, & multa alia. Differunt tertiò ex parte materiæ, quæ in naturalibus eſt incompleta ſubſtantia, in artificialibus verò completa, vt lignum, aut lapis. Quartò ex parte formæ, quæ in naturalibus ſuſtantia eſt, & vnum ſubſtantiale cum materia cõſtituens: in artificialibus verò quoddam accidens ſuperadditum, conſtituens cum materia cõpoſitum accidentale. Quintò differunt, quod forma artificialis in ſola ſuperficie materiæ conſiſtit vlterius non tranſiens, naturalis verò materiæ viſcera penetrat. Poſtremam differentiam

rentiam poſuit D. Tho. 2. lib. contra gentes cap. 76. quòd forma inducta per artem non conſequitur virtutem artis, hoc eſt virtutem producendi aliam formam ſimilem per actionem artis, ſicut formæ naturales productæ per alias, vt plurimùm conſequuntur virtutem producendi alias ſimiles, vt forma ignis producta poteſt alteram ſimilem ligno imprimere.

Quòd natura ſit perfectior arte ſimpliciter, ſed minus perfecta ſecundùm quid.

EX his facilè colligi poteſt, naturam eſſe ſimpliciter perfectiorem arte, probatur duplici ratione. Prima, quia natura eſt ſubſtantia rerum, ars verò accidens eis ſuperadditum, ſed ſubſtantia eſt perfectior accidente; ergo natura eſt perfectior arte. Secundò, quia natura eſt, quaſi finis artis, tanto enim excellentior eſt ars, & opus eius, quanto magis imitatur naturam, ſed finis eſt perfectior medio ad illum conſequendum ordinato; ergo natura eſt perfectior arte. Simpliciter autem perfectiorem eſſe dicimus, quia ſecundum quid ars eſt perfectior: ſicut ſubſtantia ſimpliciter eſt perfectior accidentibus; ſed hæc ſunt perfectiora ſecundum quid, in quantum ſubſtantia ipſa perficitur ab accidentibus, tanquam proprio, ac naturali ornatu, ita natura perficitur per artem, & opera eius, & quaſi illuſtratur, atque eleuatur, & longè perfectior apparet, in quo ſenſu verum eſt illud axioma ſatis tritum, *ars perficit naturam*, & ex hoc videmus, quaſi nouum quendam mundũ vel innouatum certè, & maximè perfectum proceſsiſſe ex vſu diuerſarum artium, vt exiſtimari poſſit in rerum naturalium conditione, quaſi prima huius mundi fundamenta ieciſſe Deũ, per diuerſarum verò artium opera, ad perfectum vſque eum perduxiſſe. Tribus igitur modis comparare poſſumus naturalia cum artificialibus. Primò, ſi accipiamus naturam, vt perfectam per artem, & hoc modo certum eſt perfectiorem eſſe ſeipſa ſimpliciter ſumpta. Secundò, ſi accipiamus artificialia vt includunt naturalia tanquam materiam, & hoc etiam modo eſt certum perfectiora eſſe naturalibus; perfectior eſt enim ſtatua ſecundum omnia, quæ includit, rudi ligno, quia ſub tali conſideratione perfectionem ſimul naturæ, & propriã continent. Tertiò accipi poſſunt ita, vt non ſe includant, ſed vt ſint diuerſi ordinis, & hoc eſt ea comparare ſimpliciter quo pacto natura perfectior eſt arte, & naturalia perfectiora artificialibus, vt probauimus. 37

His

38 His ſuppoſitis, ad quæſtionem propoſitam procedendum eſt, an ars poſsit aliquando producere opera naturæ, aut naturalia. Et videtur poſſe, primò, quia Aegyptiorum ſapientes, aut Magi, vt Scriptura ſacra docet in lib. Exod. contendentes cum Moyſe, magnos quoſdem ſerpentes ediderunt per artem magicam, non ſolum apparentes, ſed veros. Vt aſſerit Origenes hom. 13. in Marcum, & ex ſanctis patribus Augu. 3. lib. de Trinitate, cap. 7. & lib. 83. qq. q. 76. & D. Tho. q. 6. de potentia art 5. ex quo facto colligitur artem poſſe attingere effectus naturæ. Deinde per artem chimicam fiunt aurum, & argentum, ex commixtione aliorum metallorum, & verum quidem, vt tenent multi graues autores, Albertus Mag. lib. 3. de mineralibus cap. 1. Henricus quodlib. 5. q. 3. Antonius Mirandulanus lib. 9. de euerſione ſingularis certaminis ſectio. 7. Zimara in tract. de differentiis naturæ, & artis. Quorum ſententiam videtur probaſſe D. Tho. ſecunda ſecundæ q. 77. art. 2. Et tandem quia virtute quarundam aliarum artium producuntur non ſolum naturales effectus, ſed quaſi miraculoſi, & quos natura ipſa non poteſt attingere, vt probatur annulorum exemplo, & quarundam imaginum Aſtronomicarũ, quæ ſub certo aſtrorum ſitu, atque aſpectu compinguntur, quarum virtute multa ſupra conſuetum ordinem naturæ fieri teſtantur Porphyrius, quem citat D. Auguſt. 10. lib. de ciuitate Dei cap. 11. Plato in Dialogo de Iuſto, & Plotinus lib. 4 Enneadis 4. cap. 4. & in horum confirmatione referunt Plato in Menone, & Ariſt. 1. lib. Politicorum cap. 3. & 1. lib. de anima cap. 3. tex. 44. de ſtatuis Dædali, quod huc, & illuc ambulãtes diſcurrebant, & de columba Architæ volaſſe, refert Gellius libr. decimo, noctium atticarum cap. 12. atque Sphęra quadam vitrea Archimedis habetur, apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum proprios quoſdam motus habuiſſe. Ex quibus efficaciter videtur colligi artem non ſolum attingere opera naturæ, ſed ea ſuperare.

39 Veritas huius rei hac concluſione explicatur, ars non poteſt attingere opera naturæ, eáve efficere propria virtute, aut tanquam cauſa per ſe, ſed ſolum tanquam cauſa ſine qua non, applicando actiua paſsiuis. Prima pars expreſsa eſt apud Ariſt. cap. præſenti, vbi docet artificialia nõ habere in ſe principium motus intrinſecum, imò neque vllam agendi virtutẽ. Et ita ſentiunt omnes eius interpretes. Intelligitur autem de artificialibus formaliter, & vt diſtincta ſunt à naturalibus & ratione ſui, aut virtute propria; nam vt eá tanquam ſubiecta includũt, attingere poterunt opera naturę ſed hoc non erit

erit ratione ſui, nec propria virtute, ſed ratione, vt virtute eorundem naturalium. Probatur hoc argumento: artificialia, vt talia ſunt, non ſunt ſubſtantiæ, ſed accidentia quædam, & quæ non procedunt à ſubſtantia, ſed ab aliqua cauſa extrinſeca, nempè ab arte per quam inducta ſunt; ergo non habent virtutem, per quam poſſint efficere opera naturæ, nec principium motus intrinſecum. Probatur conſequentia, quia opera naturæ perfectiora ſunt artificialibus; ergo non poſſunt ea attingere virtute propria, alioqui effectus erit perfectior propria cauſa, nec virtute ſubſtantiæ, à qua cum non procedant, nec eius inſtrumenta eſſe poſſint, ideò nullo modo ea poterunt attingere. Secundam verò partem, quod poſſint ea attingere, tanquam cauſa, ſine qua non, applicando actiua paſſiuis docet expreſsè D. Auguſt. 10. lib. de ciuitate Dei cap. 11. aſſerens dæmonum induſtria plures effectus naturales fieri, & aliquando præter communem curſum naturæ, cuius rationem reddit, quia cum per ſcientiam naturalem, quam habent perfectiſſimam: virtutes rerum naturalium euidenter cognoſcant, ſciunt quoque ſic actiua paſſiuis applicare, vt applicata tales effectus edere poſſint. Ita etiam docet D. Thom. ex eodem Auguſt. 2. 40
2. q. 77. artic. 2. ad 1. & eſt communis ſententia totius ſcholæ Philoſophicæ. Probatur euidenti experientia in arte Medicinæ, per quam ita bene ſolent applicari virtutes naturales lapidum, herbarum, & radicum humanis corporibus, vt non ſolùm ſanitatem naturalem eis conferant, ſed aliquando mirabilem, & quæ videtur quaſi præter communem curſum naturæ inducta. Et in rebus familiaribus videmus puliorum generationem fieri per ſolam gallinæ applicationem, cuius calore quaſi fouetur ſementina virtus in ouis exiſtens & pullos edit, quem effectum efficere etiã ſolet humana induſtria per quam eis applicantur quædam alia corpora calida, & ſi alia diuerſa eis applicarentur, non procederet talis effectus, quia cauſam per ſe eius non iuuaret. Itaque quotieſcunque effectus naturales videntur ab arte procedere dæmonum, vel hominum: à virtute rerum naturalium, quæ ad illos applicantur procedunt, tanquam à cauſa per ſe, ab arte verò ſolùm vt ab applicante, & quia approximatio, ſeu applicatio agentis ad paſſum eſt cauſa, ſine qua non fieret ab eis effectus, ideò dicitur cauſa ſine qua non, & hunc ſolùm modum cauſalitatis circa opera, vel effectus naturæ poſſunt habere artes dæmonum vel hominum. Et præter hunc modum cauſalitatis habent alium, non circa ſubſtantiam operum naturalium, ſed circa modum, quo fiunt, vel exercentur, vt in arte canendi, & ſaltandi videmus, quibus

moderan

moderantur operationes, aut motus membrorum, atque inſtrumentorum naturalium, vt eleganter, numeroſè, atque concinnè exerceantur.

41 Ex quibus non eſt iam difficilè tria illa explicare, quæ pro contraria parte oppoſita ſunt, & ad primum de ſerpentibus Magorum, dicendum eſt animalia eſſe in duplici differentia, quædam perfecta, quæ ſolum ex ſemine generari poſſunt, vt equi, aut leones; alia imperfecta, quæ ſemper, vel ſaltem aliquando generantur ſine ſemine ex materia putrida per applicationem cauſarum naturalium ad illam: & tales ſunt ex reptilibus multa, & ex minutiſſimis aliis animalibus, & hæc poſſunt generari arte dæmonum per applicationem actiuorum ad paſſiua; ex quibus arbitror eſſe ranas, muſcas, atque ſerpentes, illa verò ſolum poſſunt generari à cauſis per ſe; per virtutem ſeminalem. Nunc ergo dicimus Magos illos arte dæmonum ediđiſſe ſerpentes illos (quos concedimus veros fuiſſe) non per virtutem artis, ſed per virtutem cauſarum naturalium, quas applicabant ad tales effectus producendos; artem verò ſolum concurriſſe, tanquam cauſam ſine qua non.

42 Et ſi dicatur poſsibile fuiſſe, quod ſerpentes fierent per applicationem actiuorum ad paſsiua, parui quidem, quales ſolẽt fieri in prima ſui generatione, ſed à principio ita magnos fieri non fuit poſsibile per virtutem naturalem cauſarum, & ideò nec vlla dæmonum arte, quare ſi veri fuerunt neceſſe eſt dicere diuina virtute adiuuante fuiſſe factos, quod videtur non ſolùm abſurdum, ſed planè impium; nam cum fierent in confirmationem falſi, & ad decipiendum populum, ſequeretur Deum ſua virtute opera illa feciſſe, vel certè ſuum concurſum præſtitiſſe, ad facienda propter hos fines. Reſpondeo, argumentum conuincere, quod ſi veri fuerunt, non potuerunt fieri virtute naturali, ſed diuina adiuuante. Quod verò ita ſint facti, nihil falſitatis, nihil impietatis cõtinet, ſed dicendum eſt, ſuum concurſum præſtitiſſe Deum, non propter illos fines, ſed propter bonum, nempe, vt mirabilior apparet ſerpens à Moyſe factus, qui tam magnos ſerpentes Magorum deuorauit, & huius rei gratia ſua virtute iuuiſſe naturales cauſas, vt eos poſſent ita magnos efficere à principio.

Ad ſecundum de arte chimica dicendum eſt ad effectum efficiendi verum aurum, & argentum, vanam, ac deluſoriam eſſe, neque vnquam verum efficere; ſed ſemper apparens, & fucatum ita ſentiunt Ægidius, quodlib. 3. qu. 8. pro qua etiam refert. Auicennam. Conciliator differentia 209. Cardanus lib 17. de ſubtilitate. Pererius 8. lib. de cauſis cap. 19. D. Tom.

in 2.d.7.qu. 3.art. primo,& q.6. de potentia art. primo, quam ſententiam non mutauit 2.2. q.77. art.2.ad primum, vt nonnullis videtur,ſed in eam potius videtur inclinaſſe. Et ratione probatur, quia in naturalibus illud iudicatur ſimpliciter impoſſibile, quod nunquam potuit reduci ad actum, ſed nunquam viſum eſt, quod verum aurum fuerit factum per hanc artem,quin potius, vt referunt rerum metallicarum peritiſſimi,experientia compertum eſt triplicem habere defectum tale aurum, primum quòd vim ignis ſuſtinere non poteſt; ſed conſumitur ab eo. Secundum, quod facilè amittit colorem.

Tertium, quod nõ eſt ductile in tenuiſſimas laminas, quas 43 proprietates habere verum aurum nullus ignorat; ergo tale aurum verum non eſt,ſed ſophiſticatum. Ideò vſus huius artis damnatus eſt ab Eccleſia in extrauaganti, *ſpondent*, in qua etiam damnatur venditio talis auri pro vero, & declaratur teneri illud vẽdentes ad reſtitutionẽ in integrũ. Quod verò alia via fieri poſſit verũ aurum, vel argentũ applicãdo actiua paſſiuis non eſt improbabile, vt docet D.Tho.2.2. q.77.ar.2. ad 1.

Ad vltimum negandum eſt, quod illa opera artis, vt talia vllum vnquam effectum,aut motum naturalem ediderint virtute propria, vel tanquam cauſæ per ſe, ſed ſi aliquos effeciſſe videntur,non veros fuiſſe,ſed ſolum apparentes.

Sed,an formæ artificiales diſtinguantur realiter à re naturali, cui imprimuntur,vt forma ſtatuæ à ligno,vel non. Moderni quidam tenent non diſtingui; quia ſolum ſunt modi quidam rerum naturalium, per quos taliter ſe habent, vt forma domus non eſt, niſi ligna, & lapides ſic ſe habentes.Mihi tamen videtur diſtingui realiter, quia naturalia, & artificialia habent cauſas per ſe diſtinctas realiter nempè naturam, & artem;ergo ſunt effectus realiter,vel ſaltem ex natura rei diuerſi. Quod verò ſint modi rerum naturalium non probat identitatem realem cum eis,vt per ſe eſt manifeſtum.

CAPVT II.

Quid inter Phyſicam,& Mathematicam differat.

TEXT. ARIST.

Quoniam autem determinatum eſt,quot modis natura dicitur,*&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſt.in præſenti cap,eſt diſtinguere Philoſophiã naturalẽ, cuius pars eſt opus hoc à cæteris 44 facultatibus, præſertim à Mathematicis diſciplinis cum

cum quibus maiorem videtur affinitatẽ habere. Diuiditur autem caput in duas partes. In prima oſtendit neceſſitatẽ ſeparationis; eamq; à prędictis facultatibus ſeparat. In ſecũda probat Philoſophum nõ de ſola materia agere, ſed præcipuè de forma.

Neceſſitas ſeparandi has facultates conſiſtit in hoc, quod videtur eandem eſſe ſcientiam naturalem Philoſophiam cum mathematicis diſciplinis; ſi ergo non aſsignetur ratio ſeparationis, confundentur ſcientiæ, ex propria natura diuerſæ, & omnium naturam nos ignorare probabitur, ſi neſciamus eas ſeparare. Quod autem videatur eandem eſſe facultatem; probat hac ratione, quia ſcientiæ diſtinguuntur per obiecta, quorum naturam conſiderant, ſed idem eſt obiectum ab his facultatibus conſideratum; ergo non erunt diſtinctæ. Probatur minor: nam Mathematicus conſiderat plana, ſolida, longitudinem, & puncta, quæ ſunt accidentia corporis naturalis; etiam à Philoſopho neceſſariò conſideranda, quia ad eundem pertinet ſcientem rem aliquam, & eius accidentia conſiderare. Separat igitur has facultates Ariſtoteles dicens hæc eadem, quæ in argumento aſſumuntur conſiderari ab his facultatibus, ſed diuerſa ratione; nam Philoſophus ea conſiderat, vt ſunt accidentia, ac termini corporis naturalis, atque ſenſibilis, mathematicæ verò abſque tali ordine ad corpus naturale, aut ſenſibile, quia ex propria natura abſtrahunt facultates iſtæ à materia ſenſibili, quam Philoſophus conſiderat per ſe. Itaque ex diuerſo modo conſiderandi eaſdem res, ſeparantur facultates iſtæ, quod eſt ſeparari per diuerſa obiecta formalia & conuenire in eodem obiecto materiali quod ſufficit, vt diuerſæ cenſeantur eſſentialiter: nam diſtinctio eſſentialis ſcientiarum, non ex obiecto materiali, ſed ex formali deſumenda eſt. Mathematicus enim formas conſiderat, non conſideratã materia ſenſibili, cuius ſunt affectiones, vel accidentia. Philoſophus verò non ſolam formam, ſed materiam quoque ſenſibilem, in qua eſt, & de cuius potentia educitur, contemplatur, quod in ſecunda parte capitis ex communi conſenſu Philoſophorum probat. qui non ſolã formam, ſed magis ex profeſſo materiale principium conſiderarunt. Deinde triplici ratione. Prima, ſe quia ſicut habet ars ad artificialia, ita Philoſophia ad naturalia; ſed artes non ſolũ formam, quam in materia inducunt, conſiderant, ſed ipſam quoque materiam; ergo Philoſophus non ſolam formam naturalem, ſed etiam materiam contemplatur.

45 Secundò, quia eiuſdem facultatis eſt conſiderare finem, & ea quæ ordinantur ad finem, ſed forma eſt quaſi finis materiæ;

cum huius rei gratia mutetur materia per generationem, vt formam conſequatur, ergo Philoſophus formam conſiderans, materiam quoque contemplatur. Tertiò, quia ad facultatem conſiderantem vnum relatiuum pertinet conſideratio alterius: cum relatiua ſint ſimul cognitione, & definitione, ita vt vnum ſine altero non poſsit cognoſci, ſed materia habet intrinſecum reſpectum ad formam; ergo non poteſt hæc conſiderari in Philoſophia, quin illa etiam conſideretur.

CAPVT III.
De cauſis.

TEX. ARISTOTELIS.

Determinatis autem his, conſiderandum eſt de cauſis, & quæ, & quot numero ſint, &c.

Breuis expoſitio Text.

INtentum huius cap. eſt agere de cauſis rerum naturalium, nam ſi ſcientia eſt cognitio rei per ſuam cauſam, ad Philoſophiam agentem de ente naturali, pertinebit cauſas eius explicare, ex quibus naturam, & rationem eius melius intelligere poſsit. Diuiditur autem caput in quatuor partes. In prima diuidit cauſam rerum naturalium in quatuor genera. In ſecunda tradit tria documenta, quibus docet, quonam modo ſe habeant cauſæ inter ſeſe, atque etiam in ordine ad effectus. In tertia oſtendit, quatuor alias diuiſiones cauſarũ contineri in omnibus, & ſingulis membris primæ diuiſionis. Et tandem duo alia documenta tradit ad plenè intelligendam habitudinem cauſarum ad effectus, & effectum ad cauſas.

Cauſa diuiditur in quatuor genera, in materiale, formale, 46
efficiens, & finale: incipit autem enumerare illa à materia, tanquam omnibus notiſsima. Et inquit genus cauſæ materialis eſſe, *ex quo fit aliquid, cum inſit*, vt ex ære ſtatua. *Cum inſit*, addit, vt excludatur priuatio, ex qua quidem fit aliquid, tanquam ex termino à quo, ſed non tanquam ex cauſa materiali, quia non permanet in compoſito, nec ei ineſt ſicut materia quæ pars eius eſt. Secundum genus cauſæ eſt formale, quod ſic definit: *Eſt forma, atque exemplar, ratioq; eius, quod quid erat eſſe*, exemplar vocans formam, quia vt agens naturale ſibi ſimile producat per generationem, propriam formam ſibi aſſumit, tanquã exemplar, ad cuius ſimilitudinẽ operetur. Aſſerit etiã formam eſſe rationem eius, quod quid erat eſſe, hoc eſt definitio

nitionis, & eſſentiæ rei, quia forma tribuit ſpeciem, & definitionem rebus naturalibus. Tertium genus cauſæ efficiens eſt, cuius talem definitionem aſsignat. Efficiens eſt, *à quo primo incipit motus, & quies.* Vt conſultor dicit, eſt cauſa operis & pater filij, quia opus faciendum à conſultore primo incipit, & filius generandus à patre, ſed primò incipere ait, vt excludantur cætera, à quibus hæc incipiunt, ſed non primò. Poſtremum genus cauſæ finis eſt; ſic definiendum, cauſa finalis eſt, *cuius gratia cætera fiunt:* nã efficiens à fine mouetur ad operandum, & eius gratia adhibet media pro eodẽ fine conſequendo per ſuam operationem, vt finis generationis eſt effectũ ſibi ſimilem producere, & gratia huius finis omnia fiunt ab agente.

47 In 2. p. tradit tria documenta, vt intelligatur ordo cauſarum inter ſe, & ad effectus. Et eſt primum, *eiuſdem effectus poſſunt eſſe plures cauſæ per ſe*, non quidem eiuſdem generis, ſed diuerſorum: vt cauſa efficiens ſtatuæ, eſt ſtatuarius materialis æs. Secũdum, *vna cauſa poteſt eſſe effectus alterius*, quod aliis verbis dici ſolet, *cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ.* Quod etiam intelligitur de diuerſis generibus cauſarum, non de eodem, vt medicina, cum ſit effectus ſanitatis in genere cauſæ finalis, eſt cauſa efficiens eiuſdem ſanitatis. Tertium, *eadem cauſa diuerſo modo ſe habens poteſt cauſare effectus contrarios.* Vt gubernator præſens incolumitatem nauis cauſat, abſens verò ſubmerſionem.

In 3. p. docet quatuor alias diuerſiones cauſarum reperirin omnibus, & ſingulis generibus, nam in quocunque genere vna eſt cauſa prior, hoc eſt, vniuerſalior; alia poſterior, hoc eſt, minus vniuerſalis, vt in efficientibus ſol eſt cauſa vniuerſalis hominis, & homo particularis. Secunda cauſa vna eſt per ſe, alia per accidens; cauſa per ſe eſt, *à qua, vt tali, procedit effectus*, per accidens verò, *quæ coniungitur accidentaliter cauſæ per ſe*, vt ſtatuarius eſt cauſa per ſe ſtatuæ, muſicus verò eſt cauſa per accidens, quia ex accidẽti coniungitur muſica ſtatuario. Tertia cauſa cuiuſlibet generis, alia eſt cauſa actu, alia potentiâ Cauſa actu vel actualis eſt, *quæ actu operatur* cauſa in potentiâ: *quæ cum agere poſſit, nihil actu operatur*; Vnde infert Ariſtot. quod cauſa in actu ſimul eſt cum effectu, vt ſtatuarius cum dormit, eſt cauſa in potẽtia, dum verò ligna dolat, eſt cauſa actu. Quarta diuiſio, cauſa vna eſt ſimplex, quales ſunt prædictæ omnes in quocunque genere, alia compoſita ex duorum coniunctione, vt ſtatuarius eſt cauſa ſimplex ſtatuæ, & ſtatuarius muſicus cauſa compoſita.

48 Duas tandem regulas tradit obſeruandas inter cauſas, & effectus; prima eſt, ad conſequendam perfectam ſcientiam ali-

cuius rei non eſſe ſiſtendum in qualibet eius cauſa inuenta, ſed ſumma quærenda eſt, hoc eſt cauſa per ſe, & proxima, ex hac enim perfecta ſcientia debet procedere, talis cauſa eſt ſtatuarius reſpectu ſtatuæ. Secunda regula, in aſſignandis cauſis quorumlibet effectuum talis ordo ſeruari debet, vt ſingularis effectus ſingularis deſignetur cauſa; vniuerſalis verò, cauſa quoque vniuerſalis, & effectus per ſe cauſa etiam per ſe, & non per accidens: effectus etiam in actu cauſa in actu; & effectus in potentia, vt hæc ſtatua in ſtatuarium referenda eſt, & ſtatua in ſtatuarium, & non in muſicum, & pro cauſa motus debet aſſignari mouens, pro cauſa verò motus poſſibilis, non niſi mobile.

CAPVT VII.

Quod Phyſica per omnes cauſas demonſtret.

TEXT. ARISTOT.

Quòd autem ſint cauſæ, quod tot numero, quod dicimus manifeſtum eſt.

Breuis expoſitio Text.

DISPVTATIONEM de cauſis, quaſi interruptam nobis tradidit Ariſtot. interpoſitis tribus capitibus. 4. 5. & 6. de caſu, & fortuna, & in 7. eam proſequitur, & abſoluit, & ideò neceſſe eſt ca. hoc 7. ſtatim poſt tertium exponere, vt integram rationem cauſarum ſimul explicatam melius intelligamus. Et intentum huius cap. eſt, confirmare quaternarium numerum cauſarum, probaréq; non eſſe plures, nec pauciores, & hoc probat in prima parte; in ſecunda, probat omnes has quatuor cauſas conſiderari per ſe in Philoſophia, & eis vti in ſuis demonſtrationibus, & hæc eſt diuiſio capitis.

Probat igitur in prima parte quod quatuor ſint genera cauſarum, ita, vt nec plura, nec pauciora, hoc argumento, quia tot ſunt cauſæ, quot ſunt interrogationes, propter quid aliquid fiat, vel ſit; cũ interrogationes propter quid ſit aliquid, vel eſt, ordinentur ad cognoſcendã cauſam, ſed interrogationes propter quid de re quacunque, ſunt quatuor, ita, vt nec plures ſint, nec pauciores; ergo quatuor tantum ſunt cauſarum genera. Minorẽ probat, quia vel de re aliqua inquiritur propter quid ſit talis & reſpondemus per cauſam formalem; quia talem habet formam: vel à quo habeat eſſe, & reſpondemus per cau- 49

ſam

ſam efficientem: vel cuius gratia fiat, aut ſit; & reſpondemus per finem; aut tandem ex quo ſit facta, & reſpondemus per materiam; nec excogitari poſſunt plures interrogationes præter iſtas, vel quæ ad eas non reducantur.

50 Deinde vt probet in 2. part. quòd hæc omnia genera cauſarum per ſe pertineant ad conſiderationem Phyſicam, præſupponit duo fundamenta. Primum eſt, quòd ex cauſis ad generationem concurrentibus tria genera coincidunt in eadem re, nempè forma, efficiens, & finis, ſed forma, & finis in eadem re numero: cauſa verò efficiens cum eis, non niſi in eadem re ſecundùm ſpeciem. Gratia exempli: In generatione ignis, forma ignis geniti continet genus cauſæ formalis, in quantum informat materiam, & per informationem conſtituit compoſitum cum ea, ſed eadem forma eſt finis, ad quem generatio ordinatur: non tamen poteſt eſſe cauſa efficiens ſui, & ideò non coincidit efficiens cum fine, & forma in eadem re numero, ſed ſolùm in eadem ſpecie; quia cauſa efficiens eſt forma ignis generantis, quæ eſt eiuſdem ſpeciei. Sed adhuc hoc aſſerit intelligendum eſſe in cauſis vniuocis; nam ſi æquiuocæ ſint, formam habent diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ fit per generationem; quare in generationibus, quæ immediatè fiunt à cauſis æquiuocis non poſſunt coincidere forma, & finis cum efficiente in eadem re numero, nec ſpecie, vt per ſe eſt manifeſtum. Secundum fundamentum pertinet ad cauſam efficientem, quia triplex eſt, Mouens immota, qualis eſt prima cauſa, Mouens mota, ſed incorruptibilis, qualis eſt cauſa vniuerſalis præter primam, vt cœlum; Mouens mota, ſed corruptibilis, qualis eſt ea, cuius forma imprimitur, vt ignis. Et cõſideratio primæ cauſæ petit ſpecialem ſcientiam, à qua conſideretur, nempè Metaphyſicam: vniuerſalis verò, & incorruptibilis petit aliam facultatem, quæ eſt pars Philoſophiæ naturalis, nempe libri de Cælo, Mouens verò corruptibile pertinet ad aliam partem Philoſophię, nempe ad libros de Gener. & corruptione.

51 His ſuppoſitis, probat omnia quatuor genera cauſarũ pertinere ad conſiderationem Philoſophicam hoc argumento: Ad eandem ſcientiam ad quam pertinet conſiderare generationẽ alicuius rei, pertinet etiam conſiderare cauſas per ſe cõcurrentes ad talem generationem, ſed Philoſophus per ſe contemplatur generationem rei naturalis; ergo etiam cauſas ad eam per ſe concurrentes: Ad generationem autem rei naturalis per ſe concurrunt quatuor genera cauſarum; ergo per ſe pertinebunt omnes ad conſiderationem Philoſophicam.

Probatur hæc vltima pars minoris; quia in generatione inuenitur forma introducenda, cuius gratia fit generatio; ecce formam, & finem: inuenitur ſubiectum de cuius potentia educitur, & hoc eſt cauſa materialis, & tandem cauſa efficiens, cuius virtute educitur forma de potentia materiæ, & inducitur in eadem materia; ergo per ſe inueniuntur omnia quatuor genera cauſarum.

Quod denique omnibus vtatur Philoſophus in ſuis demonſtrationibus probat, quia aliquando reddit cauſam efficientem, oſtendens hoc ab illo fieri; vt quod longiores ſint dies; quia ſol propiùs ad nos accedit. Aliquando materialem, vt quòd ignis fiat ex aëre. Plerúmque verò formalem, vt quod talis ſit eſſentia propter talem formam. Et finalem tandem oſtendens talem fieri generationem, quia gratia huius vel illius finis fit, &c.

TRACTATVS I.
De cauſis rerum naturalium in communi.

Circa vniuerſalem rationem cauſarum quinque ſunt breuiter explicanda. Primum, quidnam propriè ſignificet cauſa. Secundum, an ſit certum cauſas eſſe in rerum natura. Tertium, quid ſit cauſa in communi. Quartum, quotuplex ſit, hoc eſt, an diuiſio cauſarum in quatuor genera ab Ariſtotele tradita ſit ſufficiens; ita vt nec plura ſint, nec pauciora: & quonam modo diſtinguantur inter ſe. Et tandem, an quatuor iſtæ cauſæ ſint ſpecies atomæ, vel genera, ita vt alias ſpecies ſub ſe habeant, quibus explicatis ad particulares cauſas explicandas procedemus. 51

Duobus modis accipitur cauſa, primò communi quadam acceptione pro omni eo, à quo aliud quomodocunque procedit: in qua acceptione conuertitur cum principio, & colligitur acceptio hæc ex Ariſtot. 5. Meta. text. 1. qua etiam vſus eſt ipſe lib. 12. cap. 2. text. 12. vbi non ſolùm materiam, & formam cauſas rerum naturalium appellauit; ſed etiam priuationem. Huius etiam acceptionis fecit mentionem D.Thom. 1. p. q. 33. art. 1. & ea docet vſos fuiſſe aliquando Græcos patres de diuinis loquentes, aſſerentesque patrem æternum, eſſe cauſam filij, & patrem, & filium cauſam Spiritus ſancti, ſed hanc acceptionem impropriam eſſe, & qua non eſt vtendum in diuinis; quia cauſa, & cauſatum intrinſecam dicunt imperfectionem dependentiæ. Ideò ſecundò accipitur propriè pro ſola re poſitiua

poſitiua, quæ ſuum eſſe communicat alteri cum dependentia, in qua ſignificatione non conuertitur cum principio. Vnde licèt verum ſit, & propriè dictum in diuinis perſonis, quod pater ſit principium filij, non tamen, quod ſit cauſa: & in naturalibus, quod priuatio ſit principium naturalis generationis; ſed non cauſa. Et hoc vltimo modo cauſam accipit Ariſtot. in hoc libro, eámque diuidit in quatuor genera; cuius definitio inueſtiganda eſt.

Quid ſit cauſa in communi.

53 QVædam definitio cauſæ adduci ſolet ex libro de cauſis, quæ ita habet: *Cauſa eſt id, ad quod aliud ſequitur*, ſed neque in lib. de cauſis reperitur, nec propriam rationem cauſæ explicant. Quod ſic probo: Nam aut verbum (ſequitur) denotat ſolam conſecutionem per modum illationis, vel ſecundùm eſſe. Si ſolùm denotat primum; ergo non ſolùm cauſis, ſed quibuſcunque effectibus adæquatis reſpectu ſuarum cauſarum conueniet definitio; quia non minus neceſſariò ex eis inferuntur cauſæ, quàm ipſi ex cauſis; ſi verò denotat conſecutionem ſecundùm eſſe, conuenit omni principio; ad quod patet aliud ſequi ſecundùm eſſe; vt ad priuationem generatio; ſed cauſa vt omni principio conuenit, non accipitur propriè; ergo nec ſecundùm propriam acceptionem definitur per talem definitionem; quare nec talis definitio acceptanda eſt.

Propterea moderni alias definitiones cauſæ aſſignant, quæ ſuis difficultatibus non carent; ſed quas non intendimus reijcere. Eis igitur omiſſis, noſtra definitio breuis, ac dilucida talis eſt: Cauſa eſt *principium per ſe influens in effectum*, in qua *principium* ponitur pro genere, ſed per *influxum* excluduntur ea, quæ cum ſint principium aliorum, perfectionem tamen cauſæ non attingunt, vt priuatio; per particulam (*in effectum*) non comprehenduntur hac definitione diuinæ perſonæ; nam licèt pater influat eſſe in filium, & pater, & filius in Spiritum ſanctum, non vt in effectum; quia cum nec filius, aut ſpiritus ſanctus ſint facti, non poſſunt dici effectus. Et licèt verbum diuinum communicet ſuum eſſe humanitati, non eſt factum tale eſſe, nec communicatur tanquam effectus, ideò nec per modum cauſalitatis.

Quintuplex ſit cauſa.

54 IDem eſt, ac ſi inquiramus, an diuiſio Ariſtotelis; qua diuidit cauſam in quatuor illa genera, Materialis, Formalis, Ef-

ficientis, & Finalis, ſufficiens ſit, ita vt nec plura ſint cauſarum genera, nec pauciora. Circa numerum cauſarum diuerſo modo locuti ſunt antiquiores Philoſophi, nam communis fuit Stoicorum conſenſus, quod ſola efficiens ſit vera cauſa, vt teſtatur, & approbat Seneca lib. 8. Epiſtola 66. reliqua verò, quæ ad effectum ſolent concurrere, non tam cauſas, quàm conditiones requiſitas vocari debere, alioqui (inquit) penè innumeræ cauſæ multiplicandæ eſſent, vt tempus, locus, motus, ſine quibus non fit effectus, eandem quoque ſententiam videntur ſecuti, Plato in Dialogo de pulchro, & D. Aug. lib. 83. quæſtionum q. 28. his verbis: *Qui quærit, quare voluerit Deus mundũ facere, cauſam quærit voluntatis Dei, ſed omnis cauſa efficiens eſt; omne autem efficiens maius eſt, quàm id, quod efficitur, nihil autem maius eſt voluntate Dei; non ergo cauſa eius quærenda eſt.* Et probari poteſt hac ratione, Cauſa, vt cauſa refertur ad effectum, vt effectum, & cauſare eſt aliquid producere, aut efficere, ſed effectus non dicitur niſi reſpectu efficientis, quod ſolùm etiam dicitur efficere, vt verba ſonant, ergo ſola efficiens cauſa ponenda eſt.

Secunda opinio ſolùm ponit cauſam finalem, quam vide- 55
tur etiam probaſſe Plato, & cum eo Socrates in Phœdone: nam tota inquiunt cauſa rei, eſt id, cuius gratia fit, cui ſignum quod ad interrogationem factam propter quid res eſt, plenè videtur ſatisfacere ſola reſponſio per cauſam finalem, vnde cætera ad effectum requiſita ſolùm ſunt conditiones. Alij verò ſolam materiam pro cauſa rerum naturalium poſuerunt. Cui alij addiderunt efficientem. Alij verò etiam formam, ita vt tria dicerent genera cauſarum ſufficere, nempe Deum pro efficiente, materiam ex qua omnia fiant, & formam, à qua ſpeciem recipiant. Et ſaltem de forma non videtur poſſe eſſe veram cauſam, quia repugnat eãdem rem ſimul eſſe cauſam, & effectũ reſpectu eiuſdem actionis. Sed forma producitur per generationem naturalem: cùm educatur per eam de potentia materiæ; ergo effectus generationis naturalis eſt, quare nullam poteſt exercere cauſalitatem reſpectu illius.

Ex oppoſita verò parte videntur eſſe plures, nam præter alias cauſas poſuerunt Platonici Ideas, vt teſtatur Seneca in eadem Epiſtola 66. ſiue ſeparatas à rebus, ſiue in mente Diuina exiſtentes, quibus non videtur neganda vera cauſalitas, & valde diuerſa à cæteris cauſis, nempe exemplaris, pro quibus alia ſaltem videtur multiplicanda cauſa. Alij etiam octo genera cauſarum multiplicant, vt refert Antonius Mirandulanus lib. 5. de examine vanitatum.

56 Nihilominus ſententiam Ariſtotelis & eius diuiſionem in quatuor genera; ita vt nec plura, nec pauciora ſint; ſed ad illa reducantur quæcunque vocari poſſunt aliquo modo cauſæ, receperunt omnes poſt ipſum, tanquam certiſſimum Peripateticę Philoſophię principium. Quod vnico argumento probatur: Nam quidquid efficitur, duas tantum cauſas intrinſecas habere poteſt, nempe potentiam, ex qua fit, & actum, per quem habet eſſe: nam præter potentiam, & actum, nihil intrinſecum excogitari poteſt, & potentiam vocamus cauſam materialem, actum verò formalem. Duabus etiam extrinſecis cauſis indiget, efficiente à qua fiat, quia nihil poteſt producere ſe ipſum: efficiens autem, nec temerè, nec caſu agit, alioqui, nec ordinatè neque conſtanter; quare neceſſe eſt, vt aliquem ſibi finem præſtituat, qui ſit quaſi ſcopus, in quem dirigatur eius operatio, & cuius gratia fiat, à quo etiam non recedat. Et præter has duas cauſas extrinſecas non eſt excogitabilis altera, quæ ita ſit neceſſaria, vt ad vnam, vel alteram earum reduci non poſſit. Et ecce tibi quatuor cauſarum genera, à quibus nullam etiam auferre licet, vt ex ſolutionibus argumentorum fiet manifeſtum.

57 Et pro ſolutione eorum breuiter notandum eſt, quod influxus cauſæ efficientis excellentior eſt, à qua tanquam à fonte videtur emanare effectus; ex quo factum eſt, quod nomen cauſæ ab ea ſit deriuatum, atque impoſitum. Vnde conſiderata nominis impoſitione, atque Etymologia, ſola efficiens vocatur cauſa; & in hoc ſenſu videntur loqui Plato, Seneca, & D. Aug. cauſam conuertentes cum efficiente, ſed conſiderata ſignificatione, & proprietate rei ſignificatæ ad tria alia genera ſe extendit nomen, & eis propriè conuenire communem rationē cauſæ cenſendum eſt; ſecundum quam quaternarium numerū cauſarum poſuit Ariſt. à quo non receſſit D. Auguſtinus: Plato verò, & eius diſcipuli exemplarem videtur addidiſſe pro Idæis, ſed quoniam modo ad vnam ex quatuor reducenda ſit, videbimus in tractatu proprio de cauſa exemplari.

Ad arg. igitur ex Seneca adductum, negandum eſt imprimis, quod cætera, quæ concurrunt neceſſariò ad effectum, ſolum ſint conditiones. Nam cum verum influxum habeant circa eſſe illius, Materia, Forma, & Finis, verè etiam cauſæ vocari debent. Negamus etiam ex hoc ſequi, quod plures debeant multiplicari, vt locus, tempus, & motus, quia vel hæc, & ſimilia nullum habent influxum, vel ſi quem præſtant ad productionem effectus, ad vnum ex quatuor generibus reduci debent. Aliud arg. de relatione cauſæ ad effectū, ac de nomine effectus

quod

quod ſolum ſignificat, id quod procedit à cauſa efficienti, eadem diſtinctione ſoluitur, nam ſi de effectu loquamur conſiderata Etymologia nominis, & id ſolùm, à quo nomen impoſitũ eſt, concedi poteſt, ſi verò ſignificatio eiuſdem nominis, & res ſignificata, negari debet: nam hoc modo ad omnes quatuor cauſas refertur effectus, & reſpectu omnium propriè effectus vocatur. Ad argumentum Socratis negandum eſt, quod ad quamlibet interrogationem propter quid, de effectu, ſatisfactum ſit per ſolam cauſam finalem, ſed alia tria genera adhiberi debent, vt plenè ſatisfiat.

Ad argumentum denique de forma diſtinguendum eſt antecedens, quia res, quæ fit per aliquam actionem, duobus modis conſiderari poteſt. Primò, reſpectu efficientis, à quo totus effectus procedit. Secundò, reſpectu eiuſdem effectus, quem conſtituere poteſt, & his duobus modis conſideratur forma, quam concedimus eſſe effectum cauſæ efficientis, à quo educitur de potentia materiæ, ſed comparata ad cōpoſitum, quod conſtituit, & cui tribuit ſpeciem, atque eſſentiam, verã cauſa formalis eſt, & finalis etiam, in quantum eſt formalis terminus generationis; gratia eiuſdem formæ factæ. Et ecce quo pacto non repugnat eandem formam diuerſo modo conſideratam atque in diuerſo genere cauſandi, & in ordine ad diuerſa, ſimul eſſe effectum, & cauſam. Ad argumennum Platonicorum de Idæis iam reſpondimus. 58

Circa diſtinctionem verò membrorum huius diuiſionis, quæ ſunt quatuor genera cauſarum, notãdum eſt duobus modis conſiderari poſſe, ſecundum rationes cauſandi, aut ſecundum entitatem realem, in qua fundatur: & prima conſideratio eſſentialis eſt, atque formalis. Secunda verò materialis vocari poteſt. Secundum primam igitur ſemper, & neceſſariò diſtingui debent: materialiter verò aliquando poſſunt in eadẽ rẽ coincidere, diuerſa ratione, aut reſpectu diuerſorum effectuum, diuerſa quidem ratione: nam forma, vt dat eſſe materię & cum ea conſtituit compoſitum, cauſa formalis eſt, ſed in 59 quantum terminus formalis generationis, ad quem ordinatur & cuius gratia fit; habet rationem finis, facti quidem, non prę-ſuppoſiti, vt in tractatu de cauſa finali explicabitur. Reſpectu etiam diuerſorum effectuum diuerſa genera cauſarum coincidunt in eadem re, vt oſtendit anima rationalis, quæ reſpectu corporis, cui tribuit eſſe, & compoſiti, quod conſtituit cum eo formalis cauſa eſt: Reſpectu ſuarum potentiarum ab ea procedentium, nempe intellectus, & volũtatis eſt cauſa efficiens: Reſpectu operationum vitalium, ſentiendi, & intelligendi, quæ

quę ad eã perficiendam ordinantur, eſt finis. Et reſpectu earundem potentiarum, & operationum propriarum: vt in ea recipiuntur tanquam actiones immanentes, habet rationem cauſæ materialis. Membra igitur huius diuiſionis ſemper diſtinguuntur formaliter, & eſſentialiter, quod requiritur, & ſufficit ad bonam diuiſionem, ſed non ſemper diſtinguuntur realiter, neque talis diſtinctio neceſſaria eſt cum ſit materialis, vt probus in generali diuiſione boni ab omnibus recepta in honeſtum, delectabile, & vtile, cuius membra patet ſemper diſtingui formaliter, & eſſentialiter, ſed non ſemper realiter: cum aliquando coincidant in eadem re, vt in virtute.

An cauſa diuidatur immediatè in quatuor genera tanquam in ſpecies atomas.

60 AD vtrumque reſpondeo negatiuè, nam hæc diuiſio imprimis non poteſt eſſe immediata; cum aliæ poſsint proximiores excogitari: ſub quibus hæc quatuor membra contineantur. Immediatiores enim ſunt illæ, quas adduxit Ariſtoteles cap. 3. nempe cauſa alia eſt actualis, alia potentialis, ſub cuius membris, imò ſub quolibet eorum patet contineri omnia genera cauſarum, & ideò quodlibet continere communem quandam rationem, abieis abſtractam, quæ proximior eſt reſpectu cõmuniſsimę rationis diuiſi, quã rationes particulares ſingulorũ generũ. Propterea proximius poteſt diuidi cauſa in internam, & externã: & interna rurſus in materialẽ, & formalem: externa verò in efficientẽ, & finalẽ: & tandem in vniuerſalem, & particularẽ: in quibus diuiſũ cõmunis eſt ratio abſtracta à mẽbris alterius, & ideò magis immediatum reſpectu vniuerſaliſſimæ rationis cauſæ, quæ diuiditur in quatuor genera.

61 Ad ſecundum verò, negatiuè etiam reſpondeo, quòd membra huius diuiſionis, non ſunt ſpecies atomæ, ſed ſubalternæ, quod probatur; quia ſub quolibet continentur diuerſæ ſpecies, non ſolùm materialiter; ſed etiam formaliter in ratione formali cauſãdi, vt ſub efficienti diſtinguuntur in ratione cauſandi cauſa prima, & ſecunda, atque etiam cauſa æquiuoca, & vniuoca, ſicque ſuo modo ſub materia diſtinguuntur prima, & ſecunda, quæ eſt completa ſubſtantia: nam illa eſt potentia ſubſtantialis, hæc accidentalis, & ſub forma, etiam ſubſtantiali, formæ diuerſæ ſpeciei, atque etiam ſub fine, vt eſt manifeſtum, vnde ſequitur diuiſionem hanc eſſe generis in ſpecies ſubalternas. Si autem dicas non eſſe vniuocam, ſed analogam, & ideò non generis, in ſpecies, ſed analogi in analogata. Reſpondeo

ſpondeo parum referre, quod vnum, vel alterum dicatur, ego verò vniuocam eſſe teneo, & ideò generis in ſuas ſpecies, quia abſtrahibilis eſt ab omnibus ratio communis, in qua omnes videntur conuenire abſque vlla attributione, quod verò vna ſit perfectior alia ex parte rationum particularium videtur ſe tenere, quæ cum non includantur in ratione communi, non tollunt vniuocationem, nec faciunt analogiam. Si verò aliquis velit plures diuiſiones horum membrorum analogas eſſe, vt diuiſio cauſæ efficientis in primam & ſecundam, & cauſæ materialis, & formalis in ſubſtantialem, & accidentalem & ideò non omnia membra eſſe genera, vel ſpecies ſubalternas. Reſpondeo hoc non tollere vniuocationem diuiſionis, ſed ſolum efficere, vt non omnia membra ſint ſpecies ſubalternæ, ſed quædam atomæ, quæ analogicè poſſunt ſubdiuidi, vt cõtingere ſolet in rebus alijs, nam homo qui eſt ſpecies atoma diuiſionis animalis in eum, & cæteras ſpecies, analogicè ſubdiuiditur in hominem viuum, & pictum.

TRACTATVS II.
De cauſa materiali.

DE natura, ratione, & officio materiæ diſputauimus in 1. lib. ideò ſolùm reſtat modo explicandum de illa, quod ſibi commune eſt, cum cęteris cauſis, nempè, quo modo, & per quid dicatur cauſa rerum naturalium, & cum quælibet cauſa duobus modis conſideretur, videlicet tanquam potens cauſare, & tanquam actu cauſans, vel tanquam cauſa in potentia, & cauſa in actu: certum eſt materiam eſſe cauſam in potentia, per ſuam eſſentiam, vel potentiam, per quam eſt receptiua formæ, & conſtitutiua compoſiti. Quæſtio ergo ſolùm eſt de cauſalitate actuali, per quam dicitur actu cauſa, de qua ex oppoſito non eſt minus certum, quòd non ſit eſſentia, vel potentia eius: nam ſi hæc eſſet, euidenter ſequeretur, quod repugnaret omninò non eſſe aliquando actu cauſam: cum ſemper habeat propriam eſſentiam, & potentiam, conſequens autem falſum eſt, quia licèt ſemper ſit actu cauſa, quia ſemper eſt coniuncta alicui formæ, cum qua componit totum: ſed ſi à Deo ſepararetur ab omni forma non eſſet actu cauſa, ſed ſolùm in potentia; ergo non eſt actu cauſa per ſuam eſſentiam, vel potentiam, ſed aliud quærendum eſt ab ea diſtinctum realiter, vel ex natura rei, quod cauſalitas eius appelletur, & per quod dicatur, & ſit cauſa actualis. Et certum eſt hoc non poſſe eſſe effectum ipſius materiæ: quia effectus præſupponit ordine naturæ cauſam actu, à qua, 62

vt tali

vt tali procedit; ergo non poteſt eſſe cauſalitas eius: per quam conſtituatur actu cauſa. Sed nec relatio cauſæ ad effectum, quæ conſurgit in materia actu cauſante poteſt eſſe cauſalitas eius: quia relatio fundatur in re ipſa, quæ eſt cauſa ſecundùm actualem rationem cauſæ; ergo ordine naturæ præſupponit materiam, vt actu cauſam, tanquam ſubiectum: in quo recipitur, quare repugnat per eandem relationem cauſæ conſtitui materiam in eſſe actualis cauſæ, & ideò repugnat etiam relationem eſſe cauſalitatem eius, ſed aliud eſt quærendum præter hæc.

63 Et prima opinio duo aſſerit, primum cauſalitatem in ſola cauſa efficiente eſſe rem aliam, quaſi mediam inter cauſam, & effectum ab vtroque diſtinctam. Secundum, in cæteris cauſis præſertim intrinſecis, quales ſunt materia, & forma ſolum eſſe modum quendam, diſtinctum quidem ab eis diſtinctione modali, quæ non tam realis vocatur, quàm ex natura rei. Primum probant, quia cum cauſæ iſtæ ſint partes ſubſtantiales compoſiti, ſeipſis immediatè vniuntur, ita vt materia per ſeipſam immediatè recipiat formam, & etiam forma per ſeipſam immediatè informet materiam, ſicut vtraque per ſeipſam conſtituit compoſitum; ergo neque ad mutuam cauſalitatem exercendam, neque ad proprias in ordine ad compoſitum indigent re aliqua media, quæ ſit vnius, aut alterius, vel vtriuſque cauſalitas, ſed ſine illa intelliguntur ſufficienter concurrere ad proprios effectus. Secundum verò, quod neceſſariò requiratur talis modus ex natura rei diſtinctus ab eis, oſtendunt, quia quando aliqua ita ſe habent, vt vnum ſine altero nō ſolum intelligi, ſed exiſtere poteſt, diſtinguuntur ex natura rei, ſed tã materia, quàm forma poſſunt exiſtere ſine ſua cauſalitate; ergo hæc aliquid eſſe debet ex natura rei diſtinctum ab eſſentia, & entitate cuiuſque. Probatur minor, quia anima rationalis exiſtit ſeparata à corpore ſine ſua cauſalitate, quia tunc non eſt cauſa actu, & materiam poteſt Deus conſeruare ſine vlla forma, & erit etiam ſine ſua cauſalitate, cum ita ſeparata à forma non ſit actu cauſa.

64 Vt autem quid ſit tenendum, explicemus: tanquam certum præſupponendum eſt cauſalitatem materiæ, non ſolum conſiderari reſpectu cōpoſiti, ſed etiam reſpectu formæ; quod probatur euidenter hac ratione, tam forma, quàm compoſitum dependet per ſe à materia; ergo reſpectu vtriuſque exercet propriam cauſalitatem. Euidens eſt conſequentia, quia dependentia actualis vnius ab alio ſemper, & neceſſariò eſt coniuncta cum cauſalitate. Sed probatur antecedens de

compo

compoſito, quia materia eſt pars eſſentialis compoſiti,& compoſitum dependet per ſe à ſuis partibus; ergo totum neceſſariò dependet à materia. Probatur deinde de forma, quia educitur de potentia materiæ; ergo pendet ab ea in eſſe,& fieri,quia in hac dependentia conſiſtit ratio eductionis, vt ſuperiùs probauimus.

Secundò notandum eſt cauſalitatem materiæ, tam reſpectu formæ, quàm compoſiti duobus modis conſiderari, in fieri, & in facto eſſe: conſiderari in fieri reſpectu formæ, eſt conſiderari reſpectu eductionis eius de potentia materiæ; nam hæc eſt eius fieri, conſiderari verò reſpectu eiuſdem in facto eſſe, eſt conſiderari reſpectu illius, vt iam factæ,& per eam informatæ & quaſi actuatæ. Conſiderari verò in fieri reſpectu compoſiti, eſt conſiderari reſpectu generationis; nam generatio eſt fieri compoſiti;& conſiderari in facto eſſe reſpectu eiuſdem eſt conſiderari, vt iam componit illud ſimul cum forma. 65

His ſuppoſitis duabus concluſionibus explicatur noſtra ſententia. Prima eſt, cauſalitas materiæ reſpectu formæ in fieri: & reſpectu compoſiti etiam in fieri eadem eſt realiter,& ſolùm ratione diſtincta; nempè actio ſubſtantialis, per quam forma educitur, & compoſitum generatur, non quidem vt egreditur ab eodem agente, ſed vt recipitur in eadem materia; tanquam in paſſo,quo pacto non actio, ſed paſſio vocatur. Et quod hæc ſit cauſalitas materiæ reſpectu vtriuſque in fieri conſiderati. Probatur,quia illa dicitur cauſalitas cuiuſlibet cauſæ,per quam ſuum concurſum præbet ad productionem effectus, tanquam actualis cauſa; ſed materia ſuſtinendo actionem agentis, vel patiendo ab illo, præſtat ſuum concurſum ad eductionem formæ, & generationem compoſiti; ergo paſſio eſt propria cauſalitas eius. Probatur minor; quia proprius concurſus cauſæ paſſiuæ, qualis eſt materia, eſt pati ab agente, & pati non eſt aliud, quàm actionem eius recipere, & receptio ipſa eſt paſſio; nec eſt aliud excogitabile,per quod materia poſſit conſtitui in ratione cauſæ actualis in fieri.

Probatur etiam ſecundum,quod cauſalitas materiæ reſpectu vtriuſque ſit eadem realiter; quia eadem actio realis,per quam educitur forma corruptibilis de potentia materiæ: eſt generatio totius compoſiti; ergo eadem erit paſſio realiter,vt recepta in materia, & per eam præſtabit ſuum concurſum, & exercebit propriam cauſalitatem reſpectu vtriuſque, prout in fieri conſiderantur, & meritò quidem:cum eademmet actio realis diuerſo modo conſiderata, ſit fieri vtriuſque. 66

Secunda concluſio, cauſalitas materiæ in facto eſſe conſiderata,

rata, tam reſpectu formæ, quàm compoſiti, eſt vnio ſubſtantialis cum eadem forma, & hæc vnio non eſt aliud, quàm ſubſtantialis, & paſſiua receptio formæ. Quam, vt ſimul explicemus, & probemus, notandum eſt per eandem actionem ſubſtantialem agentis in materiam ad generationem hominis tria ſimul, atque in eodem inſtanti fieri, noſtro modo intelligendi ſic ordinata; educitur forma de potentia materiæ; vnitur eidem materiæ ſubſtantialiter; & ex vnione reſultat compoſitum, quod generatur: & hæc tria ſic ordinantur, vt primum præcedat ſecundum, ad illudque ordinetur, & primum ſimul, atque ſecundum præcedant tertium, etiam tanquam finem, in quem ordinantur; nam prius eſt formam educi de potentia materiæ, quàm ei vniatur, ſed eductio ordinatur ad vnionem, eductio verò, & vnio præcedunt compoſitum, ſed ad illud ordinantur, & ſecundum diuerſas conſiderationes vnum eſt prius, atque poſterius altero: nam ordine intentionis, qui eſt prior ſimpliciter, compoſitum eſt prius natura, quàm eductio; & vnio, quia eſt finis earum, & inter vnionem, & eductionem, hæc eſt prior, ad quam certum eſt ordinari eductionem, tanquam ad finem. Sed ordine executionis prior eſt eductio, & hanc ſequitur vnio, & vtramque ſequitur compoſitum, tanquam poſterius: nam priora in intentione ſunt poſteriora in executione, ſed priora ſimpliciter, & poſteriora ſecundum quid, quia ordo intentionis abſolutè prior eſt ordine executionis, quamuis iſte ſit prior ſecundum quid. Ex his autem tribus per eandem actionem ſubſtantialem factis conſequitur actio ipſa triplicem denominationem: nam in quantum per eam educitur forma de potentia materiæ, vocatur eductio: In quantum forma educta vnitur eidem materiæ, vocatur vnitio: Et in quantum fit per eam compoſitum reſultans ex vnione, vocatur generatio: & quia materia, & forma educta vniuntur ſubſtantialiter; neceſſe eſt per eandem actionem, vt eſt vnitio earum produci vnionem ſubſtantialem, qua vniantur; ex natura rei diſtinctam ab vtraque parte vnita, & quæ ſit terminus formalis vnitionis, hæc autem vnio ſubſtantialis eſt fundamentum relationis conſurgentis in partibus vnitis, quæ etiam appellatur vnio, ſed accidentalis, cum ſit relatiua; ne autem confundantur tria hæc ex natura rei diſtincta, ſi eodem nomine vnionis ſignificentur, neceſſe eſt nomina ipſa diſtinguere: ita vt vnio pro actione, non niſi vnitio appelletur, pro relatione verò vnio relatiua, vel accidentalis, pro vnione verò ſubſtantiali vnio abſolutè, & ſine addito vel modus vnionis.

68 De hac igitur vnione, vel modo vnionis notamus tria ſe

tenere tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, quidquid moderni quidam velint, ſolum ſe tenere ex parte formæ: nam cum vna, & eadem ſit, & non plures pro vnienda forma, & materia vtramque debet attingere, formam quidem quaſi vnientem ſibi materiam, & hanc vt ſubiectum ex cuius potentia, tam forma, quàm vnio educuntur recipiens eandem formam, & vnionem. Ex quo intelligitur non eſſe aliud, vt ſe tenet ex parte formæ, niſi inhæſionem eius in materia, vel informationem, ſeu actuationem: his enim nominibus diuerſa ratione conſiderantur: nam inquantum forma ſeipſam tribuit materiæ dicitur informare illam, & in quantum potentiam eius quaſi complet, dicitur eadem actuare, ſed in quãtum per vtrũque eam cum eadem materia copulat, dicitur vnio. Ex parte verò materiæ receptio, ſeu actuatio paſſiua, atque etiam vnio non qua vniat ſibi formam, ſed qua eidem formæ vniatur: vnde in quantum ſe tenet ex parte formæ, modum habet quaſi actiuum: & in quantum ſe tenet ex parte materiæ, modum quaſi paſſiuum, quia vtramque partẽ debet attingere ſecundũ naturam vtriuſque: Et ſi hoc velint intelligere moderni, dum dicunt vnionem ſolum ſe tenere ex parte formæ, tanquam vnientis ſibi alterum quaſi actiuè, & non ex parte materiæ, quæ non vnit ſibi formam, ſed vnitur ei, verum eſt.

Ex quibus intelligitur iam veritas noſtræ concluſionis, 69 quod cauſalitas materiæ in facto eſſe, tam reſpectu formæ, quàm compoſiti ſit vnio ſubſtantialis cum forma: quæ non eſt aliud quàm paſſiua receptio eius, & quaſi paſſiua actuatio potentiæ ipſius. Quod hac ratione probatur, materia eſt vera, & actualis cauſa in generatione rei naturalis; ergo aliquid reale aſsignari debet, per quod dicatur, & ſit actu cauſa in facto eſſe: hoc non poteſt eſſe ſola eius entitas, vel ſubſtantia, alioqui ex ſe, atque eſſentialiter eſſet actu cauſa, quod eſt falſum; ergo aliquid aſsignandum eſt nouum, & ſuperadditum ſubſtantiæ eius; quæ ſit eius cauſalitas reſpectu formæ, & compoſiti: cum reſpectu vtriuſque exerceat propriam cauſalitatem, hoc ſuperadditum, & nouum non poteſt eſſe actio ipſa ſubſtantialis, per quam educitur forma de potentia materiæ; & generatur compoſitum non ſolùm, quia eſt accidens, & repugnat formam & materiam ad conſtitutionẽ compoſiti ſubſtantialis vniri medio accidenti; ſed quia actio habet modum fieri, & ideò nõ poteſt eſſe cauſalitas materiæ in facto eſſe, ſed ſolum in fieri, tãquam paſsio, vt ſuperius probauimus, nec nouum hoc & ſuperadditum materiæ poteſt eſſe vnio accidentalis pro relatione, tum quia etiam eſt accidens, tum etiam; quia ordine

ordine naturæ præſupponit materiam vnitam formæ ſubſtantialiter, & ex conſequenti conſtituentem compoſitum; quod eſt eam præſupponere actu cauſam reſpectu vtriuſque in facto eſſe, præter hæc autem nihil aliud de nouo productum in materia, eique ſuperadditum intelligi poteſt, per quod ſit actu cauſa; niſi modus vnionis, qui ex parte eius eſt receptio formæ, & paſsiua actuatio eius, & modus ſubſtantialis; ergo in eo conſiſtit cauſatio materiæ. Quod ſecundò probatur; quia materia exercet cauſalitatem propriam circa formam, & compoſitum in facto eſſe, in quantum vnitur formæ ſubſtantialiter, & per talem vnionem eſt pars ſubſtantialis, & actualis compoſiti; ergo vtrumque præſtat per vnionem, & conſequenter, per eam, & non per aliud eſt cauſa actu, quod eſt vnionem eſſe cauſalitatem eius. Et prima opinio hoc modo fortaſſe intendit explicare cauſalitatem materiæ, quamuis in particulari non explicet, in quonam ſit ponenda: quare argumenta eius non ſunt contra nos, & propterea non eſt neceſſarium ea ſoluere, ſed ad cauſam formalem diſcutiendam ſtatim procedere.

TRACTATVS III.
De cauſa formali.

CVm diſputatum ſit iam de natura, & ratione formæ in 1. libro, ſolùm reſtat in hoc 2. agere de illa, tanquã de cauſa formali: ad quam intelligendam, quatuor ſunt breuiter explicanda; primum quænam ſit virtus, per quam forma dicitur potens cauſare. Secundò quæ ſit cauſalitas eius, per quam dicitur actu cauſa. Tertium, quis ſit effectus formalis eius. Quartum an poſsit propria virtute vniri materiæ iam pro ea diſpoſitæ, vel non niſi ab agente vnienda ſit.

Quænam ſit virtus, per quam forma poteſt cauſare.

70 AGentes de materia in 1. lib. quæſiuimus, an potentia eius, vel aptitudo ad recipiendam formam eſſet aliquid ſuperadditũ ſubſtantiæ eius, vel ipſamet eius ſubſtantia; & idẽ quærimus modo de forma, an aptitudo ad informandam materiam, vel actualiter cauſandũ ſit aliquid ſuperadditum ſubſtantiæ, aut eſſentiæ eius, vel per hanc ſit potens informare, & potens cauſare. Et quia in ſola anima rationali verum eſſe poteſt, quòd actu ſit, & non ſit cauſa actu; vel actu non informet, ſed ſolum ſit apta ad informandum; in ea poſſumus exemplum noſtræ quæſtionis aſsignare inquirentes, an aptitudo ad informandum aut cauſandum, quam habet ſine

actuali informatione, aut cauſatione,ſit aliquid ſuperadditum ſubſtantiæ eius; ſicut intellectum dicimus eſſe ei ſuperadditum ad intelligendum, vel non, niſi eius ſubſtantia:ſicut aptitudo materiæ ad recipiendam formam, & cauſandum eſt ipſamet eius ſubſtantia,& non accidens ſuperadditum.

Et videtur eſſe aliquid ſuperadditum, quia cum forma ſit actus, & materia ſit potentia: ſumma quædam diſtantia reperitur inter vtramque: ergo non poſſunt per ſe immediatè vniri, ſed neceſſe eſt ponere,ex parte formæ aliquam aptitudinem accidentalem ei ſuperadditam, quæ minus diſtet à materia, per quam forma ipſa, quaſi ei approximata vniri poſſit, ſicut ponuntur diſpoſitiones ex parte materiæ. Et hoc præſertim videtur neceſſarium ex parte formæ ſubſtãtialis,quia ſubſtantia non eſt per ſe cauſatiua; ergo indiget accidenti ſuperaddito,tanquam aptitudine ad informandum,& cauſandum.

Veritas nihilominus eſt, formam per ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam,& non per aliquod accidens ei ſuperadditum poſſe informare,& cauſare, ſicut de materia dictum fuit.Ita Comment.2.lib. de anima ca.8. textu etiã 8.& 8.Meta. cap. 8. text. 15. D. Thom. 2. lib. contra gentes cap. 8. & 1.p.qu.76.art.7. Scotus in 2.d.12. qu.1. Duran. qu. 2. & cæteri ſcholaſtici ibidem. Et probatur teſtimonio Ariſtot. qui eiſdem locis aſſerit compoſitum ſubſtantiale eſſe vnum per ſe; quia ex actu ſubſtantiali,qui eſt forma,& ex potentia ſubſtantiali,quæ eſt materia ſecundum ſe,& per ſe vnitis conſtat; ergo ſentit formam per ſe immediatè informare materiam, & hanc per ſe eam recipere,& vtramque per ſe poſſe informare, recipere,& cauſare. Probat etiam D. Thom.hoc argumento ſatis efficaci, ſi forma vniretur materiæ per ſolam aſsiſtentiam extrinſecam, ſicut motor vnitur mobili, indigeret aliqua potentia ſuperaddita, per quam ei vniretur, ſicut intelligentia mouens cœlum non vnitur ei immediatè per ſuam ſubſtantiam, ſed per potentiam motiuam qua illud mouet: ſed anima non vnitur corpori, tanquam motor extrinſecus, ſed ad conſtituendum compoſitum ſubſtantiale, & ideò vnione ſubſtantiali; ergo non medio accidenti ſuperaddito vnitur; ſed immediatè per ſe,& ideò per ſeipſam informare,& cauſare poteſt.Probatur conſequentia,quia ſicut potentia ſubſtãtialis per ſuam naturam,& eſſentiam reſpicit actum ſubſtantialem, & ideò per ſuam naturam, & eſſentiam poteſt ei vniri,& cauſare:eodem modo actus ſubſtantialis per ſuam naturam, & eſſentiam reſpicit potentiam ſubſtantialem; ergo per ſeipſam ei vnitur,& cauſare poteſt. 71

Ad

72 Ad argumentum, concedendum eſt antecedens, quod actus & potentia maximè diſtent, ſed cum hæc diſtantia inter materiam, & formam ſit eiuſdem proportionis, atq; eiuſdem ordinis ſubſtantialis, non indigent accidenti ſuperaddito, vt vniantur: ſed ſicut per ſe immediatè ſe reſpiciunt, & per ſe immediatè ſibi correſpondent, per ſe immediatè poſſunt vniri, & cauſare, alioqui, ſi medio accidenti vnirentur, non eſſet ſubſtantialis earum vnio, ſed accidentalis. Diſpoſitiones verò ex parte materiæ non ſunt medium vnionis, ſed ponuntur ad expellendam formam oppoſitam, & determinandam materiam ad ſuſcipiendam hanc potius, quàm aliam, forma verò non indiget determinante, ſed cùm ſit actus, ex propria natura determinata eſt. Et tandem licèt ſubſtantia non ſit operatiua per modum efficientis, niſi medio accidenti: informatio verò, & cauſatio formæ non conſiſtit in aliqua efficientia, ſed in eo, quod eſt ſubſtantialiter actuare materiam, & conſtituere cum ea compoſitum, ad vtrumque verò eſt forma apta per ſe, cum ſint officia propria ſubſtantialis actus, quare non indiget accidenti ſuperaddito, nec per illud poteſt ea exercere.

Quanam ſit propria cauſalitas formæ.

73 Certum eſt in hac re cauſalitatem formæ non eſſe ſubſtantiam ipſius, ſed aliquid ei ſuperadditum, alioqui ſemper, & neceſſariò cauſaret, cùm ſemper adſit ei propria ſubſtantia, imò cauſatio eſſet ei eſſentialis, & vtrumque probatur falſum euidenter in anima rationali, quæ nec ſemper, nec neceſſariò cauſat, vt per ſe eſt manifeſtum. Aliquid ergo ſuperadditum ponendum eſt, per quod ſit actu cauſa, & hoc non poteſt eſſe effectus eius, nec actio ſubſtantialis, cùm per hanc educatur de potentia materiæ; nec relatio vnionis propter eaſdem rationes, quibus probauimus, nihil horum poſſe eſſe cauſalitatem materiæ. Sed valdè notandum eſt maximum quoddam diſcrimen inter materiam, & formam, quantum ad proprias cauſalitates, quod cauſalitas materiæ, (vt probauimus) reſpectu formæ, & compoſiti conſideratur in fieri, & in facto eſſe: cauſalitas verò formæ circa materiam, & compoſitum non poteſt conſiderari in fieri, ſed ſolùm in facto eſſe. Et ratio huius differentiæ eſt natura vtriuſque: nam materia eſt primum ſubiectum naturaliter præſuppoſitum formæ, & compoſito, de cuius potentia educitur forma, vt compoſitum generetur ex vtraque. Vnde ſequitur materiam habere cauſalitatem circa vtrumque in fieri, & in facto eſſe: quia ad fieri formæ, & cõpoſiti per actionem agentis neceſſariò concurrit in ſuo genere

materialis cauſæ, hoc eſt recipiendo actionem eius, per quam forma educitur,& compoſitum generatur. Forma verò,& compoſitum non poſſunt vllo modo, neque in vllo genere cauſæ concurrere ad proprium fieri; quia ſicut nihil poteſt ſeipſum producere; ita non poteſt actu concurrere tanquam cauſa ſui in fieri, cum talis cauſatio præſupponat eſſe cauſæ. Et ideò cauſalitas formæ ſolùm poteſt conſiderari in facto eſſe, quia ſolùm poteſt eſſe actu cauſa: poſtquam educta eſt, & poſtquam per eductionem iam habet eſſe: ſolùm ergo quærenda eſt cauſalitas formæ reſpectu materiæ,& compoſiti in facto eſſe.

Quam dicimus eſſe modum vnionis ſubſtantialem, per 74 quem vnit ſibi materiam, vt agentes de cauſalitate materiæ dicere cœpimus. Hæc autẽ vnio ex parte formæ non eſt aliud, quàm inhæſio eius in materia, vel informatio, ſeu actuatio eiuſdem materiæ, per quam vnionem fit pars formalis, & actualis compoſiti, & dicitur etiam ſuam cauſalitatem formalem partialem exercere circa illud, quod eodem argumento probari poteſt, quo vſi ſumus ad probandum eandem vnionem eſſe cauſalitatem materiæ, nam forma exercet propriam cauſalitatem circa materiam, & compoſitum, in quantum vnit ſibi materiam eam informando, actuando, & tribuendo ei eſſe ſpecificum; & per eandem vnionem fit pars formalis compoſiti ex eadem vnione reſultantis; ergo verum eſt dicere, quod per talem vnionem actu cauſet,& ex conſequenti eadem vnio vt ex parte eius ſe tenet, erit propria eius cauſalitas.

Sed aduerſus hanc doctrinam de cauſalitate formę, & materiæ duo argumenta ſatis difficilia propono. Primum, quia 75 materia, & forma ſunt cauſæ diſtinctę realiter; ergo ſicut per entitates proprias dſtinctas realiter ſunt cauſæ in potentia ita debent conſtitui actu cauſæ per cauſalitates diſtinctas realiter, ſed modus vnionis, per quem vniuntur ſubſtantialiter eſt idem realiter ex parte vtriuſque, præſertim apud nos, qui non ponimus duplicem vnionem, ſed vnam tantùm, per quam materia,& forma vniuntur; ergo falſum eſt, quod ſit cauſalitas vtriuſque. Reſpondeo diuerſas cauſas, diuerſas entitates poſtulare, per quas tanquam per virtutes proprias ſint potentes cauſare, ſed per eandem entitatem realem diuerſa ratione formali conſideratam poſſunt eſſe actuales cauſæ. Quod probari poteſt ratione, & exemplo. Ratione quidem, quia cauſalitas non eſt entitas, vel virtus, per quam cauſa concurrit ad effectum, ſed via, aut medium, quo tendit in effectum; ſed diuerſæ cauſæ concurrunt, & conueniunt ad producendum eundem effectum; ergo per idem medium reale: ratione tamen formali

formali diſtinctum conuenire poſſunt. Exemplum verò habemus in cauſa efficienti, & finali, imò, & materiali, quæ per eandem actionem concurrunt ad productionem eiuſdem effectus, tanquam per cauſalitatem omnium; in quantum diuerſa ratione conſiderata pertinet ad ſingulas. Exempli gratia, ad eundem calorem producendum concurrunt ſimul finis, à quo mouetur calidum, & idem calidum, à quo efficienter, producitur, & lignum tanquam ſubiectum, in quo producitur, & concurrunt per eandem calefactionem diuerſo modo eis attributam tanquam per cauſalitatem omnium; nam in quantum procedit ab agente, eſt cauſalitas eius: in quantum gratia finis procedit, eſt cauſalitas finis: & in quantum ſuſtinetur, & recipitur in ligno, eſt cauſalitas eius, vt materialis cauſæ: Magis autem diſtinguuntur iſtæ tres cauſæ, quàm forma, & materia, & poſſunt omnes cauſare per eandem actionem realem diuerſa ratione conſideratam; ergo poterunt etiam forma, & materia cauſare per eundem modum vnionis ſubſtantialis diuerſa ratione formali conſideratum, vt iam à nobis explicatum eſt.

76 Secundum argumentum eſt, quia per cauſalitatem conſtituitur cauſa in actu; ergo ſicut effectus ordine naturæ præſupponit cauſam in actu, ita præſupponere debent cauſalitatem, ſed modus vnionis eſt effectus materiæ, & formæ; ergo non poteſt eſſe cauſalitas earum. Probatur minor; quia modus vnionis producitur ab agente, media materia, de cuius potentia educitur, & etiam media forma, cuius actualis inhærentia eſt, ſicut inhærentia actualis accidentalis formæ, eſt effectus eius. Reſpondeo materiam, & formam prius comparari ad vnionem, quàm ad compoſitum; cum per vnionem illud conſtituant, & ideò diuerſo modo, & per diuerſam cauſalitatem vtrumque cauſant, ad vnionem quidem comparantur, vt ſunt ſub agente, & virtute eius, per quam vniuntur ſecundùm proprias entitates, per quas ſimul concurrunt cum eo in propriis generibus cauſarum: certum eſt enim prius ſecundùm rationem intelligi, quod forma ſit educta de potentia materiæ, quàm quod ſit vnita formæ; cum primum ergo intelligitur educta, intelligitur etiam informare, & actuare materiam per ſe immediatè, & materiam recipere actuationem eius, quam actuationem, & receptionem per ſe cauſant, in quantum per proprias entitates vna actuat, alia recipit actuationem, ita vt actuatio, & receptio effectus earum per proprias entitates concurrentium ſit: in actuatione verò, & receptione conſiſtit ratio vnionis, & ideò effectus earum eſt, ad quem concur-

runt per proprias entitates cum agente, ita vt cauſalitates earum in ordine ad vnionem non ſint aliæ à propriis entitatibus, 77
vt ordine naturæ præcedentibus actuationem, receptionem, & vnionem: reſpectu autem totius compoſiti non ſolùm præintelliguntur ſecundùm proprias entitates, ſed etiam vnitæ, & ideò per vnionem tanquam per propriam cauſalitatem vtriuſque diuerſa ratione formali conſideratam concurrentes ad conſtitutionem eiuſdem compoſiti. Neque obſtat, quod compoſitum non diſtinguatur à materia, forma, & vnione ſimul ſumptis; quia ſatis eſt, vt diſtinguatur à qualibet, vt vnita alteri, quo pacto cauſæ eius ſunt, quamuis non diſtinguantur ab eo, vt ſimul ſumptæ cum vnione: hoc eſt enim ſumi vt vnitas copulatim, illud verò ſumi, vt vnitas diuiſim, & licèt illo modo ſumptę non poſſint eſſe cauſæ compoſiti; quia non diſtinguuntur ab eo ex natura rei, bene tamen ſumptæ hoc modo, quo & diſtinguuntur, & veræ cauſæ ſunt; & ecce ſemper effectus præſupponit cauſam actu, & cauſalitatem eius, & nunquam dicuntur eſſe cauſas actu, & formaliter per effectum, quamuis ad id intelligendum neceſſaria ſit maxima diſtinctio rationum formalium, & prioritatum, vt conſtat.

Ex his intelligitur, quiſnam ſit effectus formalis huius cauſæ; quem ſuo ordine debemus conſiderare reſpectu materiæ, & compoſiti, & diuerſo modo ſecundùm ordinem intentionis, & executionis; nam ſecundùm ordinem executionis primus effectus formæ eſt informatio, & actuatio materiæ, per quam confert illi eſſe formale, & ſpecificum; ſecundus eſt vnio ſubſtantialis in ipſamet actuatione conſiſtens, & ſola ratione ab ea diſtincta; in quantum prius intelligimus formam actuare materiam, quàm illam ſibi vnire; cum actuationem intelligamus, tanquam viam ad vnionem, aut tanquam vnionem in fieri. Poſtremus effectus eſt totum ipſum compoſitum, quod duos priores complectitur, & eſt effectus adæquatus formæ; cum illi ſint quaſi madæquati, eſt effectus in eſſe completo, & perfecto; cum incompleti ſint illi, & imperfecti, & quaſi via ad iſtum, qui ordine intentionis primus eſt, tanquam finis aliorum. & poſt eum ſequitur vnio, poſt vnionem verò informatio, ſeu actuatio materiæ. 78

Sed contra hoc, eſt argumentum difficile; quia videtur compoſitum non poſſe eſſe effectum formæ; nam effectus non poteſt eſſe nobilior ſua cauſa; ſed compoſitum eſt nobilius forma: cum entitatem eius cõtineat, & inſuper materiam, & vnionem, quæ ſunt entitates ab ea diuerſæ. Deinde eſſe completum habeat, atque perfectum; forma verò incompletum, atque imperfectum, 79

perfectum,& tandem primò fit à natura intentum; forma verò propter ipſum; ergo non poteſt eſſe effectus formæ, vt à nobis determinatum eſt. Huic argumento reſpondent aliqui negando minorem, quod compoſitum ſit nobilius forma, nam potius putant formam eſſe nobiliorem, propter quoddam teſtimonium Ariſtotelis 7. Meta. textu 7. vbi id expreſsè aſſerit his verbis: *Quare ſi ſpecies materia eſt prior, & magis ens, & ipſo, quod ex vtriſque prius erit, propter eandem rationem*; quibus per ſpeciem conſtat intelligere formam, & hanc ait propter eandem rationem, qua eſt perfectior materia, eſſe perfectiorem compoſito, ex vtraque conſtituto. Et videtur efficaciter probari, quia tota perfectio compoſiti emanat à forma, in qua tanquam in ſimpliciori quodam, ac puriori elemento imperfectionibus compoſitionis, & materiæ non infecto continetur. Ita ſentiunt Commen. 2. lib. Phyſic. Comment. 4. & Zimara. theoremate 10. Hæc tamen ſolutio falſa eſt; quia ea, quæ in argumento aſſumuntur, euidenter probant contrarium. Et teſtimonium Ariſtotelis diuerſis modis exponitur à diuerſis: Sed vera ſolutio eſt mendoſam eſſe tranſlationem antiquam in hac parte, in qua illis verbis continetur; quæ non ſolùm falſum ſenſum efficiunt, ſed ſatis lubricum vixque intelligibilem, & qui occaſionem dedit illis expoſitoribus falsò opinandi, & aliis, variis modis exponendi illud, vt veritatem defenderent: & ideò non eſſe ei ſtandum; ſed poſterioribus, tanquam correctioribus, præſertim tranſlationi Beſſarionis natione Græci, & Cardinalis doctiſſimi, in qua ita habetur, *vnde ſi forma prior materia eſt, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus eſt, prius erit ob eandem rationem.* Neque argumentum aliorum aliquid probat, ſed negandum eſt, quod tota perfectio, quam habet compoſitum, proueniat à ſola forma: cum notum ſit, aliquo etiam modo prouenire à materia, & vnione. Falſum eſt etiam quod perfectio, quam forma communicat compoſito, perfectiori modo in ea contineatur: nam licèt ſimplicior ſit compoſito, multis tamen modis imperfectior, propter incompletam rationem partis, ex qua omnes proueniunt.

An poſſit forma propria virtute vniri materiæ iam pro ea diſpoſitæ.

80 DVplex eſt forma ſubſtantialis, materialis vna, quæ educitur de potentia materiæ, & alia ſpiritualis, quæ nec educitur, nec dependet à materia: & de illis certum eſt apud omnes, quòd non poſſint vniri materiæ etiam diſpoſitæ virtute pro-

pria; ſed virtute ſolius agentis, à quo per eandem actionem, qua educuntur de potentia materiæ, vniuntur eidem materiæ; de ſola ergo anima rationali, quæ non educitur, ſed creatur à Deo,& poſtquam creata eſt, vnitur etiam independenter à materia, dubitari poteſt, an propria virtute vniatur materiæ iam diſpoſitæ, & organizatæ, vel non niſi virtute agentis.

Et prima opinio tenet, quod poſtquam materia diſpoſita eſt per virtutem agentis, anima rationalis quaſi naturali impetu vnit ſe materiæ, ſuammet vnionem efficiens abſque alio agente neceſſariò requiſito, ita Henricus quodlib. 11. qu. 14. Aureolus apud Capreolum in 4. d.43.qu.2. quam, vt probabilem defendit Richar. ibidem artic.3.quæſt.2.& nouiſſimè eam amplectuntur Conimbricenſes primo lib.Phyſ. cap.9.qu.9. arti.3. addentes, quod ſi Deus per miraculum corpus iam extinctum iterum diſponeret, ſtatim anima ſeparata ab eo per mortem propria inclinatione,& virtute ſe ei vniret. Et per talem vnionem reuiuiſceret homo mortuus.Probatur hoc argumento:corpus organizatum, & diſpoſitum eſt proprium perfectibile animæ; ergo naturaliter inclinatur ad illud perficiendum, quare poterit ſe facere ei intimè præſentem, ſicut poteſt ſe facere præſentem tali loco, in quo continetur corpus, ſed anima intimè præſens corpori vltimatè diſpoſito, nullum habet impedimentum à quo naturalis eius inclinatio ad informandum impediatur; ergo poterit ſtatim, ac propria virtute informare corpus,nullo agente expectato.

Secunda opinio tenet non poſſe animam propria virtute vniri corpori, etiam vltimatè diſpoſito, ſed per virtutem agentis debet vniri, non ſolùm poſtquam à corpore ſeparata eſt, ſed etiam, dum creatur à Deo corpore iam organizato: vnde ſemper ad generationem hominis vnitur virtute agentis, & non propria: neque hoc eſt naturaliter poſſibile. Ita Scotus in 4. d. 43.q.3. Capr.ibidem q.2. artic.3. licèt pro alia opinione citentur. Suarius Tomo 1. Met. diſp.15. ſect. 6. num. 9. Et hæc eſt probabilior, & tenenda. 81

Probatur teſtimonio Ariſt.qui in hoc 7.c.text.71.docet expreſsè cauſam formalem.& finalem reſpectu eiuſdem effectus poſſe coincidere in eadem re numero, ſed formalis, & efficiens nullo modo;ſed ſolùm in eadē ſecūdùm ſpeciem: ſi autē anima rationalis propria virtute poſſet ſe vnire corpori diſpoſito,ſine adminiculo agentis,propriam vnionem efficiens;ſequitur euidenter ſimul eſſe cauſam formalem,&efficientem ſuæ vnionis, & ideò coincidere in eadē re numero formalem,& efficientem cauſam,quod Ariſto.impoſſibile reputat.Sed probatur ratione

id eſſe

id eſſe impoſſibile primò,quia licèt cauſa quęlibet naturalis ſit naturaliter inclinata ad præſtandum ſuum effectum in proprio genere cauſæ,ita vt ad propriam cauſalitatem exercêdam, non indigeat alia cauſa eiuſdem generis, nihilominus,vt talis eius effectus fiat in rerum natura, neceſſarius eſt concurſus aliarum cauſarum, ita vt talis cauſa non poſſit exire in actum,niſi aliis concurrentibus ſimul cum ea in propriis generibus cauſandi, ergo licèt anima rationalis propria virtute poſſit ſuum effectum formalem tribuere corpori diſpoſito, ad vniendum ſe illi, quantum pertinet ad genus cauſæ formalis requiſiti ad vnionem, non indigeat virtute, vel adminiculo alterius cauſæ, vt tamen effectus iſte informationis, vel vnionis extra cauſas fiat,indiget concurſu, non alicuius cauſæ,ſed omnium, quæ ad talem effectum concurrere debent, & ideò non poterit propriam vnionem efficere, ſine concurſu agentis, ſicut non poteſt eum efficere, ſine concurſu finis, & materiæ, falſum igitur eſt,id quod dicitur poſſe animam ſe vnire corpori
82 diſpoſito propria virtute, ſine concurſu agentis. Exemplo aliarum cauſarum oſtendetur euidentia huius rationis hoc modo: De qualibet re naturali, vt de igne, & aliis elementis, verum eſt propria virtute poſſe generare ſibi ſimile, & naturalem habere inclinationem ad talem effectum producendum, non tamen eſt minus verum, nec minùs neceſſarium, quod id non poſſit efficere, ſine concurſu aliarum cauſarum in propriis generibus, hoc eſt, ſine concurſu formæ in genere cauſæ formalis, & materiæ in genere cauſæ materialis; ergo licèt anima rationalis propria virtute poſſit ſe vnire materiæ diſpoſitæ, quantum pertinet ad proprium genus cauſæ,quod eſt poſſe eam informare, hæc tamen informatio,vel vnio non poteſt ab ea ſola præſtari, niſi concurrentibus aliis tribus cauſis in propriis generibus: quare non ſine concurſu agentis.

Probatur hoc vltimum euidenter,quia certum eſt non poſſe vnire ſe materiæ, aut eam informare, ſine concurſu primæ cauſę,nam cum vnio ſit effectus aliquis in rerum natura,non poteſt non procedere ab illa, ergo ſicut propria virtus animæ, & propria inclinatio ad informandum corpus non excludit concurſum primi agentis, vt exeat in actum neceſſarium, nec etiam excludit concurſum agentis proximi, probatur euidenter, quia agens primum non concurrit ad effectus naturales niſi mediis agentibus proximis.

83 Secundò probatur, nam ſi anima rationalis propria virtute ſe vnit corpori diſpoſito, ita vt propriam vnionem efficiat

ſine

ſine concurſu agentis, euidenter ſequitur generans non concurrere ad vnionem eius, & ex hoc non ſequitur minus euidenter, non eſſe cauſam generationis ſubſtantialis. Probatur conſequentia, quia non attingit productionem animæ, neque vnionem eius cum corpore, in quibus poteſt conſiſtere generatio ſubſtantialis: quod enim diſpoſitiones præcedentes inducat (quæ accidentia ſunt) ad ſolam alterationem pertinet, non ad ſubſtantiam generationis. Vnde non erit verum, quòd homo hominem generet, quod patet eſſe falſum.

Argumentum verò eiuſdem ſententiæ ex primo noſtro ſolutum eſt, concedimus namque corpus diſpoſitum eſſe proprium perfectibile animæ, atque etiam animam naturaliter inclinari ad illud informandum: ſed diſtinguimus minorem, quod anima propria virtute poſsit facere ſe intimè præſentē corporis nam duplex eſt præſentia animæ reſpectu corporis. Prima indiſtantiæ, quam vocare ſolent localem, vel vbicalem; Alia eſt præſentia informatiuā, quā habet anima per informationem. Et neutram poteſt acquirere anima ſine auxilio cauſæ efficientis: primam quidem, ſine auxilio primi agentis: ſecundā verò, ſine auxilio primi, atque etiam immediati, quia non præbet ſuum concurſum ad vniendam animam agens primum, niſi medio generante quod eſt proxima. Deceptio itaque alterius opinionis in eo conſiſtit, quòd putat ſufficere virtutem cauſæ formalis, & inclinationem eius ad informādum, vt poſsit actu informare: ſine concurſu aliarum cauſarum: quod tamen oſtēditur falſum, quia cum actualis informatio & actualis vnio animæ cum corpore ſit effectus realis in rerum natura, non poteſt fieri ſine concurſu omnium quatuor cauſarum, vt de aliis effectibus notum eſt: non ergo ſufficit virtus vnius, nec naturalis inclinatio eius, vt talis effectus fiat extra cauſas, licet ſufficiat ad concurſum prꝑſtandum in ſuo genere cauſandi, & ideò, vt idem effectus fiat, concurrentibus aliis cauſis. 84

TRACTATVS IV.
De cauſa efficiente.

CAuſa efficiens præcipua eſt, & natura eius plura continet ſcitu ac diſcuſsione digna: ideò nouem quæſtiones de his quę ad eam pertinent, hoc ordine diſputabimus. Prima erit, quid ſit, & quotuplex, & quæ ſit cauſalitas eius. Secunda, an ſecundæ cauſæ verām efficientiam habeant. Tertia an inſtrumenta veram habeant cauſalitatem, & quomodo eleuentur ad illam. 1

illam.Quarta, an accidentia poſſint attingere productionem ſubſtantiæ, tanquam inſtrumenta. Quinta, an vnum accidens ſit cauſa propria alterius ſimilis in ſpecie,vel ſolum inſtrumētum.Sexta,an ſubſtantia ſolum concurrat ad proprios effectus per ſuas potentias, vel accidentia , ei ſuperaddita, vel præter concurſum potentiarum habeat alium diſtinctum. Septima,an prima cauſa per ſe immediatè concurrat cum ſecundis ad quācunque operationem earum. Octaua, quidnam ſit concurſus, quo prima cauſa concurrit cum ſecundis ad proprias actiones, & effectus.Nona , quonam modo prima cauſa proprium concurſum tribuat ſecundis.

QVÆSTIO I.

Quidnam ſit, & quotuplex cauſa efficiens, & qua eius cauſalitas.

2 PRæſuppoſita exiſtentia cauſæ efficientis in rerum natura, quam in primo tractatu oſtendimus,ſequitur explicādum quid ſit. Et propriam definitionem eius colligere poſſumus ex his,quæ de natura eius docet Ariſtoteles in his capitibus huius 2.lib. iam expoſitis,& lib.2. de Generatione text. 55. & li. 5.Meta.cap.2.erit autem talis: *Cauſa efficiens eſt primum principium per ſe,à quo procedit actio,vel motus atq; effectus.* In qua *principium* ponitur pro genere , cætera verò pro differentia, ita, vt per particulam *per ſe* excludantur omnes cauſæ per accidens. Per particulam, *à quo*,tria alia genera cauſarum : materia quidem, quia nō eſt à qua,ſed ex qua procedit motus,& effectus, nec forma eſt,à qua fit,ſed in quam tendit. Finis verò non niſi cuius gratia procedit ab agente, actio vel motus, aut effectus: quia media mutatione,vel actione,aut modum actionis habēte procedit effectus à quacunque cauſa efficiente. Particula autem ,*primum*, non ponitur ad excludenda inſtrumenta , vt quidam voluerunt,quibus potius ſuo modo hæc definitio cōuenit:cum ſint cauſæ efficientes inſtrumentales , ſed ad oſtendendam dignitatem,& excellentiam huius cauſæ ſupra formalem,& materialem in eo conſiſtentem,quod ſicut finis eſt primum ordine intentionis,à quo incipit actio,vel motus, ita efficiens eſt primum à quo incipit ordine executionis ; nam eſt prior concurſus eius , quàm formæ,& materiæ,non prioritate temporis , ſed tantum naturæ hoc modo probanda ; vera eſt cauſalis hęc,quia efficiens agit, materia patitur,& forma educitur de potentia materię , & vnitur ei per informationem ad conſtitutionem compoſiti , oppoſito autem modo falſa ; quia materia

materia patitur, aut recipit, & forma informat, & ei vnitur, efficiens agit; ergo prior natura eſt concurſus cauſę efficientis. Probatur conſequentia, quia prioritas cauſalitatis eſt perfecta prioritas naturæ. Vnde ſequitur cauſam efficientem eſſe primam, à qua procedit motus, propter duo, primum, quia prioritas vnde motus dicit ordinem executionis in quo prima eſt omnium cauſarum. Secundum, quia ſatis eſt eſſe primam reſpectu materiæ, & formæ, vt ſit prior à qua incipiat motus; nam finis, non eſt a quo, ſed cuius gratia.

Quotuplex ſit cauſa efficiens.

Cauſam efficientem primò diuidit Ariſtoteles in cauſam per ſe, & per accidens. Cauſa per ſe eſt, *à qua, vt tali procedit effectus*. Vt ſtatuarius eſt cauſa per ſe ſtatuæ. Cauſa per accidens, eſt, à qua, vt tali non procedit effectus, ſed quæ per accidēs coniūgitur cauſę per ſe. Vt muſicus, vel albus, eſt cauſa ſtatuæ, quia muſica, vel albedo coniungitur ſtatuario. Cauſa per accidens, (vt eam ſtatim omittamus) ſubdiuiditur in eam, quæ dicitur talis ex parte cauſæ; vel ex parte effectus; Et ex parte cauſæ dicitur talis, quando concurſus accidentalis duarum cauſarum ſe tenet ex parte eius, quod cauſat: Vel ex parte virtutis, per quam cauſat, vt dum dicimus muſicum ædificare, vel aquā calefacere. Cauſa per accidens ex parte effectus dicitur, quādo coniunctio accidentalis fit ex parte effectus, quia effectui per ſe aliquid coniungitur accidentaliter, vt effodiens, vel effoſsio dicitur cauſa per accidens inuentionis theſauri ex parte effectus, quia effoſsioni ipſi per ſe procedenti ab effodiente per accidens coniungitur. 4

Cauſa per accidens omiſſa, ſubdiuiditur cauſa per ſe in Phyſicam, & moralem, & Phyſicam vocamus, vt diſtinguitur, contra moralem omnem illam, quæ habet influxum realem in effectum, neceſſariò, aut liberè: nam Deus liberè concurrit cum cauſis ſecundis ad ſuos effectus, & etiam artifex ad opera artificialia, & tamen non ſunt cauſæ morales, ſed in hoc ſenſu vocantur Phyſicæ. Moralis verò cauſa illa dicitur, quæ licet, vt tali non influat realiter in effectum, ita ſe habet in ordine ad mores, ac ſi realiter influeret, quia non minus imputatur ei ad meritum, vel culpam effectus, qui ſequitur, ac ſi per realem influxum eum produceret: & tales cauſæ ſunt conſulentes, pręcipientes, atque etiam non impedientes: cum poſsint & teneantur. Vnde ſequitur, vt id, quod in genere naturæ eſt cauſa per accidens, in genere naturæ moris poſsit eſſe cauſa per ſe, 5

vt abſen

vt abſentia, vel incuria gubernatoris in genere naturæ eſt cauſa per accidens ſubmerſionis nauis, ſed in genere moris eſt cauſa per ſe. Ariſtoteles autem vtramque cauſam, tam moralẽ, quàm naturalem intellexit ſub nomine efficientis cauſæ. Cauſa naturalis (prętermiſſa morali) vna eſt principalis, & alia inſtrumẽtalis: principalis eſt, *quæ per propriam virtutem, quem non excedit effectus influi t in eum*. Inſtrumentalis, verò, quæ eleuatur ad effectum, quem non poteſt attingere propria virtute, vt calor naturalis eſt inſtrumentum animæ ad opera vitæ, nempe nutritionis, & augmentationis, quas conſtat excedere virtutẽ
6 eius. Cauſa principalis ſubdiuiditur in primam, & ſecundam. Cauſa prima eſt, *A qua dependent omnes, ipſa verò à nulla.* Subdiuiditur deinde principalis, in æquiuocam, & vniuocam. Aequiuoca eſt, *quæ producit effectũ diuerſæ ſpeciei.* Vt ſol eſt cauſa æquiuoca hominis, atque etiam Deus. Cauſa vniuoca, *quæ producit effectum eiuſdem ſpeciei.* Vt homo hominem, & leo leonem. Hæc eſt autem differentia inter æquiuocam, & vniuocã, quod illa ſemper eſt perfectior eſſentialiter ſuo effectu, hæc verò nunquam, ſed ſemper eiuſdem perfectionis eſſentialis, vnde cauſa æquiuoca non continet formaliter ſuum effectum, alioqui eſſet eiuſdem ſpeciei cum illo; vniuoca verò continet eum formaliter, & propterea ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, vt ſol non continet formaliter calorem, quem producit, ſed eminenter, leo verò formaliter continet perfectionem leonis à ſe producti. Aliæ etiam ſubdiuiſiones continentur ſub prædictis, vt cauſæ in liberam, & naturalem, ſiue in operantem ex determinatione ad vnum, vel ex indifferentia: & præterea in operantem per motum, & ſine illo, ſed iſti potius ſunt diuerſi modi operandi cauſarum, quam diuerſæ cauſæ, ideò prætermittuntur.

7 Vltima diuiſio eſt inſtrumentalis cauſæ in coniunctam, & ſeparatam. Inſtrumentum coniunctum vocatur illud, *Quod coniungitur cauſæ principali ſecundum eſſe aut ſecundum operationem.* Secundum eſſe, vt calor eſt inſtrumentum ignis ad producendum alterum ignem, & coniungitur illi ſecundùm eſſe per actualem inhærentiam, & penicillus coniungitur pictori ſolùm ſecundùm operationem: cum non poſſit operari, niſi actu moueatur ab eo. Inſtrumentum ſeparatum dicitur, quod neutro modo coniungitur cauſæ principali, ſed ſeparatum omninò ab ea poteſt operari, & ſine actuali concurſu eius, ſed vocatur inſtrumentum, quia tanquam virtus propria eius operatur, vt calor exiſtens in ferro eſt inſtrumentum ignis ſeparatũ, dum producit ignem in ſtupa. Et ex his diuiſionibus

nibus colligere poſſumus, omnes cauſas Phyſicas, aut ad modum Phyſicarum operantes ad tria membra reduci poſſe, nempè ad primam omninò independenter operantem: ad ſecundam, quaſi mediam inter primam, & effectum, & ad inſtrumentalem, qua tanquam adminiculo vtitur vna, vel altera ad operandum. De quibus hoc ordine agendum erit, vt primò rationem, & modum ſecundarum cauſarum explicemus, quia medium tenent inter primam, & inſtrumentalem; nam à prima dependent, & ab eis inſtrumenta. Deinde agemus de inſtrumentis, quæ aliquid earum videntur eſſe, & tandem de cauſa prima. Prius tamen de cauſalitate eius omnibus communi diſputandum eſt.

Quanam ſit cauſalitas efficientis cauſæ.

CAuſalitas eſt, per quã aliquid actu cauſat, ex quo intelligitur primò, cauſalitatẽ efficientis non eſſe entitatem, vel eſſentiam eius, quia cum ſemper eam habeat, ſemper eſſet actu cauſa, quod patet eſſe falſum; nam dum aqua nõ infrigidat, non eſt actu cauſa, & habet totam ſuam entitatem, vel eſſentiam. Secundò intelligitur, potentiam, ſeu virtutem cauſandi non eſſe cauſalitatem, quia ſæpè contingit hanc habere aliquid, & non eſſe actu cauſam, vt ignis ſemper habet calorem, quæ eſt virtus calefaciendi, & non eſt cauſa actu in ratione calidi, niſi dum calefacit; per virtutem ergo, vel potentiam ſolùm eſt aliquid cauſa in potentia. Sed neque effectus poteſt eſſe cauſalitas efficientis; quia effectus præſupponit ordine naturæ cauſam actu, qua poſterior eſt; ergo non poteſt conſtituere cauſam actu, quod eſt eſſe cauſalitatem eius. Et eadem ferè ratione non poteſt eſſe cauſalitas relatio cauſæ, per quam refertur ad effectum; quia hæc ſolùm confert cauſæ denominationem relatiuam præſupponentem cauſam actu ſecundùm denominationem abſolutam, in qua fundatur. Si ergo cauſalitas efficientis non eſt entitas propriæ cauſæ, nec virtus agendi, nec effectus productus, nec relatio conſurgens in ea, ex cauſalitate actuali, quærimus, in quonam ponenda ſit cauſalitas eius. 8

Et prima opinio tenet, actionem non eſſe cauſalitatem efficientis cauſæ. Ita Soncinnas 5. Met. q. 4. Iauel. ibidem, & Fonſeca qu. 13. ſect. 3. à quibus ſi quæſieris, in quonam ponenda ſit cauſalitas, ſi non ponitur in actione. Reſpondet Fonſeca cauſalitatem efficientis ſicut aliarum cauſarum eſſe eaſdem 9

cauſas,

cauſas, prout actu concurrunt ad effectus. A quo ſi rurſus quæſieris, quidnam ſit concurſus iſte? Reſpondet, quod vel cauſa comparatur ad primum, atque immediatum effectum, qui eſt actio, vel ad mediatum, qui eſt terminus actionis, & comparatione ad effectum mediatum eſt cauſa actu per actionem, ſed reſpectu eiuſdem actionis nihil reale intrinſecum addit cauſalitas ſupra entitatem cauſæ, ſed ſolam denominationem extrinſecam dependentiæ effectus ab ipſa.

Sed probant iam actionem non eſſe cauſalitatem agentis duplici argumento, primò, quia eſt effectus agentis, à quo non poteſt conſtitui actu cauſa: cum effectus ordine naturæ ſit poſterior cauſa actu: eamque præſupponat. Et quod ſit effectus agentis probant, quia actio egreditur ab agente, & procedit ab eo cum dependentia, in quo conſiſtit propria ratio effectus. Secũdò, quia cauſalitas, nec poteſt eſſe entitas diſtincta à cauſa, nec exiſtens in alio ſubiecto ab eadem cauſa diſtincto; nam cum ſit actus cauſæ, à quo denominatur, in ea eſſe debet, ſed actio habet vtrumque: cum non permaneat in agẽte, ſed tranſeat ad paſſum; ergo non poteſt eſſe cauſalitas agentis.

10 *Secunda* opinio affirmat actionem eſſe cauſalitatem agentis, ita Conimbricenſes ſecundo libr. Phyſ. q. 6. art. 2. Suarius Tomo primo diſp. 18. ſect. 10. nu. 5. & hæc eſt vera; quam probo teſtimonio Ariſtot. & D. Tho. & ratione, Ariſtoteles enim 5. Meta. cap. 15. docet, quaſdam eſſe relationes, quæ fundantur in actione de præſenti, vt ſecantis ad id, quod ſecatur, & calefacientis ad calefactum, & omninò agentis ad paſſum, ſed agens dicitur tale ab actione, vt per ſe eſt manifeſtũ, ergo per actionem conſtituitur agens, vel cauſa actu, quare ex mente Ariſtotelis actio erit propria cauſalitas eius, & D. Thom. in Commentariis eiuſdem capitis idem docet his verbis: *Efficiens eſt cauſa in quantum agit*, ſed agit per actionem; ergo per hanc eſt actu cauſa, & ideò hæc erit eius cauſalitas.

Sed probatur ratione, primò, quia cauſalitas alicuius cauſæ eſt illud, à quo denominatur actu cauſa, ſed efficiens dicitur actu cauſa ab actione: ergo actio erit cauſalitas eius; probatur minor: nam agens, & efficiens eandem rem ſignificant, ſed agens aliquod dicitur agens actu ab actione; ergo etiam efficiens actu: quare actio erit cauſalitas efficientis. Secundò quia cauſalitas eſt illa, qua poſita aliquid denominatur cauſa actu, & qua ſublata quibuſcunque aliis poſitis non denominatur, ſed poſita actione denominatur aliquid cauſa efficiens actu, & ea ſublata denominari repugnat; ergo actio erit cauſalitas efficientis. Probo minorem, quia actione poſita repugnat

non vocari actu cauſam illud, à quo egreditur, & ſi non ſit actio, à nullo alio poteſt vocari.

Tertiò non eſt aliud, à quo denominari poſſit efficiens actu cauſa præter actionem, ergo ab hac denominatur, & hæc erit cauſalitas eius. Antecedens ſic probatur: nam ſi aliud ponatur, à quo denominetur, vel illud eſt actione prius, & ideò medium quid inter agens, & eandem actionem, vel eſt poſterius actione, & medium quid inter ipſam, & effectum: non eſt enim aliud excogitabile præter actionem, quod non habeat vnam ex his conditionibus, ſed neutrum horum eſſe poteſt; ergo cauſalitas nihil eſt præter actionem. Probatur minor, quia ab eo quod ſit poſterius actione non poteſt denominari primo agens actu: cum prius denominetur ab actione illud præcedente: & rurſus: cum actio immediatè attingat terminum, repugnat dari aliquid medium inter ipſum, & actionem, ſed neque ab eo, quod ſit actione prius; quia præter entitatem agentis, quæ non poteſt eſſe cauſalitas eius, nihil aliud præcedere poteſt actionem ex parte agentis, præter virtutem, aut potentiam agendi, à qua immediatè egreditur actio, vel potiùs eſt egreſſio ipſa effectus, ſed virtus agendi non eſt cauſalitas: cum per eam non ſit cauſa actu, ſed ſolum potentia, reſtat igitur, vt ſola actio ſit propria eius cauſalitas, vt aſſerit noſtra ſententia. 11

Ad primum argumentum alterius negandum eſt antecedens, quod actio ſit effectus agentis, quia actio non fit, ideò nec factum dicitur, nec proinde effectus, ſed eſt medium, quo effectus procedit ab agente. Ideò, nec propriè dependet ab eo, ſed eſt medium potius, quo effectus dependet.

Ad ſecundum, reſpondent autores pro noſtra ſententia citari, hoc eſſe proprium efficientis cauſæ, vt per entitatem realem à ſe diſtinctam, & inhærentem alteri dicatur actu cauſare: nam cæteræ duæ cauſæ, nempè materia, & forma, per aliquid ſibi intrinſecum, nec realiter diſtinctum conſtituuntur actu cauſæ. Ego verò neceſſarium puto cauſalitatem cuiuſcunque cauſæ eſſe entitatem realem, ſaltem modalem ab ea diſtinctam ex natura rei, & ideò ei extrinſecam, quod in materia, & forma tenentur concedere: quarum cauſalitatem dicunt eſſe vnionem ſubſtantialem, de qua euidens eſt, quod ſit modus ex natura rei diſtinctus ab vtraque: à materia quidem, de cuius potentia educitur, à forma verò, quia non repugnat ab ea ſeparari, eam conſeruante Deo ſeparatam à materia, & in anima rationali euidentiùs apparet; cùm vnio eius cum materia producatur à generante, & anima ipſa à ſolo Deo per creationem 12

13 tionem: & rurſus: cùm ab ea actu ſeparetur per mortem. Et ſi eſt entitas realis diſtincta ex natura rei ab eis, etiam erit hac ratione eis extrinſeca. Reſpondeo igitur ad argumentum, negando antecedens, quod cauſalitas habere debeat duas illas conditiones, quin potiùs neceſſarium puto, quod diſtinguatur cauſalitas ex natura rei ſaltem à cauſa, & ideò, quod in hoc ſenſu ſit ei extrinſeca, aut etiam non inhæreat actu; non eſt enim denominatio actualis cauſæ neceſſariò formalis, ſed poteſt eſſe extrinſeca, dummodo ſit ab aliquo reali nouo, ac medio inter cauſam, & effectum, & ideò ab vtroque diſtinctum ex natura rei. Ex quo infero, quàm neceſſarium ſit diſtinguere ex natura rei actionem à termino; vt vera eſſe poſſit hæc ſententia; ſi enim ſola ratione diſtinguatur, euidenter ſequitur efficientem eſſe actu cauſam per terminum; qui eſt effectus eius, quod falſum reputo: cum neceſſe ſit affectum ordine naturæ, & ante operationem intellectus præſupponere cauſam in actu, & ab ea procedere: imò realiter ad illam referri, relatio autem præſupponit neceſſariò diſtinctionem realem extremorum, ergo neceſſe eſt effectum diſtingui realiter à cauſa in actu, & ex conſequenti à cauſalitate eius, per quam conſtituitur actualis cauſa.

QVÆSTIO II.

An ſecundæ cauſæ veram efficientiam habeant.

14 Circa efficientiam ſecundarum cauſarum tres poſitiones Philoſophorum refert D. Tom. in 2. d. 1 quæſt. 1. artic. 4. 3. contra gentes cap. 69. & 1. part. quæſt. 105. art. 5. primam eorum, qui dixerũt creaturas nihil prorſus efficere in productione effectuum; ſed ſolùm Deum eſſe veram cauſam efficientem, à qua procedunt, ſed quia non niſi ad præſentiam earum, quaſi ex pacto à ſe conſtituto concurrit ad productionem eorum, dicuntur quodam modo cauſæ; quia ſaltem ſecundum apparentiam videntur aliquid agere. Hæc ſententia attribui ſolet Petro Aliacenſi in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 1. quamuis non videatur eis denegare omnem cauſalitatem, eam tamen, vt probabilem defendit Gabriel in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 3. vbi quædam congerit teſtimonia ex ſacra pagina in confirmationem eius; quale eſt illud 1. ad Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus*, & illud 2. ad Corinth. 3. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

15 Et probatur ratione, quia diuina virtus non ſolùm eſt infinita ad operandum, ſed proximè attingit quemcunque effe-

ctum: ex quibus primò intelligitur, quod omnes modos operandi, omnes virtutes, omnes cauſalitates eminenter apud ſe contineat, & nobiliori modo, quàm ſint in creaturis; ergo non ſolùm per ſe poteſt omnia efficere, ſed longè perfectius, quàm per cauſas ſecundas; quia ſi iſtæ poſſent aliquid efficere, non niſi per virtutem agendi ab eo participatam, ſicut participant eſſe, quod habent, & per actualem depēdentiam, ſed melius eſt dependere à cauſa per ſe operante, & per virtutem non acceptam ab alio, ac ſine vlla dependentia, quàm à cauſa operante per virtutem alienam, cum actuali dependentia ab alio; ergo perfectiorem modum procedendi habebunt effectus à ſolo Deo facti, quàm per cauſas ſecundas.

Secundò intelligitur Deum non indigere ſecundis cauſis ad operandum, nec eſſe vllo modo neceſſarias, quare cum nihil ipſe faciat in rebus naturalibus ſuperfluum, exiſtimandum non eſt, quod eis dederit aliquam virtutem operandi, per quam habere poſſint cauſalitatem circa effectus.

Secunda ſententia non omninò tollit efficientiam ſecundarum cauſarum, ſed creaturis ſpiritualibus eam concedit, negat verò vllam habere corporeas, quam D. Thom. affirmat tenuiſſe Auicembron in lib. Fontis vitæ, vbi fatetur nullum corpus habere actiuitatem aliquam, ſed omnes actiones corporeas, omneſque effectus, qui videntur fieri à corporibus, procedere à quadam virtute ſpirituali, aut intelligentia eis intimè præſenti. Probatque vnico argumento; quia actio vnius rei in aliam petit intimam præſentiam eius, ita vt agens ſubſtantiam paſſi penetret, & ideò præſens ſit internis partibus eius, non minus quàm externis, ſed hæc intima præſentia, repugnat corporibus propter eorum dimenſiones, ergo repugnat eis agere circa alia, vel aliquem corporeum effectum circa ea producere, quod videtur aſſeruiſſe D. Auguſt. 5. lib. de ciuit. Dei cap. 9. his verbis: *Corporeæ cauſæ non debent inter efficientes connumerari.*

Sed tollere efficientiam ab omnibus cauſis, vel etiam à corporeis, vt tollunt duæ iſtæ ſententiæ, error eſt non ſolùm in fide Catholica, ſed in vera Philoſophia: probatur 1. quia ex verbis Scripturę ſacræ euidenter colligitur Deum dediſſe creaturis corporeis virtutem producendi alias, & ideò agendi circa illas, vt ex illis verbis Geneſ. primo, *Germinet terra herbam virentem*, & rurſus: *Producat terra animam viuentem.* Matthæi 4. *Terra fructificat primùm herbam, deinde plenum frumentum*, & Lucæ 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructus, ſcitis, quia propè eſt æſtas.* Probatur etiam ſecundum, 16

quod

quòd vtraque ſit error circa veram Philoſophiam euidenti experientia, quia videmus ſolem illuminare; ignem calefacere, & aquam infrigidare, & hoc per contactum ſenſibilem, in quo nulla poteſt eſſe deceptio, ergo euidens eſt has cauſas ſecundas agere, & producere hos effectus circa corpora. Quod enim à ſolo Deo fiant ad eorum præſentiam, vel à virtute ſpirituali occulta, cum eadem experientia pugnat oſtendente, quod per ſenſibilem contactum ab eis procedant. Et aduerſus poſitiones tam abſurdas non ſunt alia argumenta afferenda, niſi ea, quæ per experientiam ſenſuum procedunt, vt ex ſenſibus conuincantur hi, quos naturale lumen intellectus non conuincit, & intelligatur irrationabiles prorſus eſſe in hac re.

17 Primum autem teſtimonium Pauli, quod Gabriel pro prima illa poſitione affert, difficultate caret, quia ſolùm probat Deum immediatè operari circa omnia, & immediatè attingere omnes effectus, quod non tollit efficientiam ſecundarum cauſarum, quam habent acceptam, & dependentem ab eo, & per quam à Deo ſimul, & ab eis proueniunt. Secundum autem teſtimonium loquitur de operibus ſupernaturalibus virtutum, per quæ homines ſe diſponunt ad recipiendam gratiam, aut augmentum eius ſimul, & gloriam merentur, quas certum eſt non poſſe hominem propriis viribus præſtare, ſed gratia, & auxilio diuino, ac ſupernaturali ad ea indigere.

Ad argumentum verò eiuſdem ſententiæ concedimus Deum omnia continere, omnem virtutem operandi, & omnem etiam modum, & ideò per ſe poſſe efficere omnia, nec indigere adminiculo ſecundarum cauſarum: decebat tamen diuinam bonitatem maximè ſe communicare creaturis, non ſolùm quantum ad eſſe, quod eis contulit, ſed etiam quantum ad virtutem operandi, vt in vtroque eas ſibi ſimiles efficeret, & id honoris eis tribueret, vt poſſent alias ſibi ſimiles producere, & quia corruptibiles ſunt: per continuas ac nouas generationes poſſint ſe conſeruare, ſi non in indiuiduo, ſaltem in ſpecie:
18 incorruptibilibus verò dedit virtutes agendi, per quas perficere, atque conſeruare poſſent alias, & ita demum inferiores cum ſuperioribus copulauit, vt per influxum harum circa illas, illarumque operationes bonum totius vniuerſi conſiſteret. Hoc autem non ſolùm diuinam autoritatem, & potentiam non minuit, ſed potiùs auget, & Deum ipſum illuſtriorem efficit in ſuis creaturis, cum per talem modum eas maximè perficiat, & ſemetipſum in eis. Non ergo cenſetur ſuperfluus concurſus creaturarum, ſed licèt non neceſſarius, valde tamen conueniens. Ad argumentum verò alterius ſententiæ diſtinguendum

guendum eſt de penetratione: nam quædam eſt corporea, & materialis, quæ repugnat corporibus, ſed hæc non requiritur ad agendum; ſed ſufficit eſſe contigua, aut ſe tangere, alia eſt virtualis, qua vnum dicitur penetrare aliud: quia per propriam virtutem intimè præſens eſt ei, & hæc penetratio requiritur, & ſufficit ad agendum circa internas partes corporis, hanc habet ignis circa lignum, cuius partes penetrat virtute ſui caloris, & per eam poteſt in eas, quantumuis internas agere, ſicque de cæteris corporibus intelligendum eſt. Verba autem D. Auguſt. nihil probant: quia in illo loco agit de cauſis liberis; quæ ſe ad agendum applicare poſſunt, & ſuarum actionum dominium habent; inter quæ non ſunt enumerandæ corporeæ; quia non ſe applicant ad agendum, ſed ab extrinſeco agente applicantur.

Tertia ſententia non tollit omnem efficientiam à cauſis ſecundis etiam corporeis, ſed aliquam habere concedit, non tamen circa ſubſtantiam, ſed ſolùm circa accidentia, ita vt ignis poſſit calorem producere, non alterum ignem, ſed hunc à quadam ſubſtantia ſpirituali produci, atque etiam reliquas ſubſtantias. Itaque ſecundæ cauſæ habent propriam efficientiam circa diſpoſitionem materię, quam per quaſdam alterationes determinant ad recipiendam formam, ſed materia diſpoſita ceſſat actio earum, & inducitur forma ſubſtantialis in materiam, produciturque integra ſubſtantia per actionem ſpiritualis ſubſtantiæ, hanc tribuit D. Thomas Auicennæ lib. primo ſuæ ſufficientiæ cap. 10. & lib. 4. ſuæ Metaphyſicæ ca. 4. & 5 quibus locis ſic ait eſſe diſpoſitum ordinem rerum naturalium, vt à prima cauſa vna ſola ſubſtantia ſpiritualis perfectiſſima immediatè procedat, & ab ea procedat ſecunda, & ab hac tertia vſque ad infimam, hæc verò infima intelligentia inducit omnes formas ſubſtantiales in materiam à cauſis corporeis diſpoſitam, & ita ab ea fiunt omnes corporeæ ſubſtantiæ. 19

Probat primò, quia ſubſtantiæ corporeæ non ſunt per ſe immediatè operatiuæ, & ideò data ſunt eis quædam accidentia, per quæ operentur, vt igni calor, & aquę frigus, vt aliquam dignitatem operandi conſequantur, hoc igitur ſolum poterunt quod poſſunt eorum accidentia, ſed hæc non poſſunt producere ſubſtantiam: cum ſint inferioris ordinis reſpectu illius, & longè imperfectiora; ergo corporeæ ſubſtantiæ non poſſunt alias producere, ſed ſola accidentia. Secundò, experientia conſtat plures ſubſtantias corporeas generari non habentes cauſas efficientes proximas, vt animalia quædam 20

ex putre

ex putrefactione terræ; neceſſe eſt ergo aliquam ſubſtantiam ſpiritualem ponere, quaſi ſemper paratam ad inducendas tales formas pro exigentia materiæ pro eis diſpoſitæ à cauſis particularibus; eadem ergo erit ratio de cæteris ſubſtantiis,quamuis ab aliis videantur produci.

21 Hæc tamen ſententia, licèt non ſit tam falſa, quàm præcedentes,quia aliquam efficientiam tribuit ſecundis cauſis,etiam corporeis: ſed in eo imprimis, quod aſſerit creaturas omnes procedere immediatè ab illa intelligentia, & non à Deo, veritati fidei apertè repugnat & erronea cenſenda eſt: cum fides doceat omnes creaturas in principio temporis à Deo immediatè proceſſiſſe; & euidens etiam ſit vnam creaturam ſpiritualem non poſſe producere aliam, quia creatura ſpiritualis per ſolam creationem produci poteſt:repugnat verò, quod vlla creatura habeat virtutem creandi. Aliud etiam, quod de efficientia ſecundarum cauſarum circa ſola accidentia affirmat, aliquo modo contradicit verbis Scripturæ ſacræ citatis: nam terram herbam germinare, arbores ſuos fructus producere; non ſolius accidentis productionem ſonat, ſed ſubſtantiarum. Contradicit etiam experientiæ, quæ ſicut euidenter conuincit ignem calefacere: ita etiam ſtupam conſumere, & eam in ſe conuertere, quod non poteſt fieri ſine corruptione & generatione ſubſtantiali; ergo negari non poteſt, quod etiam circa productionem ſubſtantiarum veram habeant efficientiam ſecundæ cauſæ.

22 Veritas ergo Philoſophica diuinæ fidei conſentanea, tenet ſecundas cauſas veram habere virtutem operandi communicatam à primo efficiente, verámque cauſalitatem ab eodem dependentem, non ſolùm circa accidentia, vel diſpoſitiones materiæ; ſed circa inductionem formæ ſubſtantialis, & eductionem eius de potentia materiæ, ac tandem circa generationem totius ſubſtantiæ, ex materia, & forma compoſitæ. Ita tenuit ſemper communis conſenſus Philoſophorum, præſertim Ariſtoteles 7. libro Phyſicorum à textu 29. vſque ad 39. & 5. libr. Metaphyſ. cap. 2. & 1. lib. Meteorum cap. 1. & Plato quem citat Damaſ. cap. 9. ſuæ Philoſophiæ, & cæteri Philoſophi vtroque antiquiores, qui tanquam certum præſupponentes cauſas ſecundas aliquid efficere, quæſierunt, ex quonam materiali principio omnia producantur, quam etiam veritatem profitetur Magnus Trimegiſtus in Dialog. 9. Vbi docet mundum eſſe inſtrumentũ Dei, & ab eo quaſi ſemina accepiſſe, hoc eſt effectiuam virtutem ad rerum omnium propagationem. Et hos Philoſophos ſecuti ſunt ſancti Patres, & ſcholaſtici

Doctores. Vnde factum eſt, vt iam ſit principium in ſchola receptiſſimum, cui innituntur, quamplurimæ veritates Philoſophiæ: *Cauſas ſecundas, atque proximas veram habere efficientiam circa generationem ſubſtantiarum participatam à primo efficiente.*

Ad primum argumentum Auicennæ diſtinguendum eſt, primum antecedens, quod ſubſtantiæ non ſint immediatè operatiuæ: nam ſi intelligatur nullam habere virtutem operandi præter accidentia ſibi ſuperaddita, falſum eſt, quia forma ſubſtantialis, quæ eſt eis ratio formalis eſſendi, eſt etiam virtus operandi, quod ſignificauit Ariſt. ſic definiens animam, *Anima eſt principium, quo mouemur, ſentimus, & intelligimus.* Et principium quidem ſubſtantiale, ex quo tanquam ex radice procedunt accidentia, aut potentiæ, quibus mediis operatur. Et ſicut accidentia ab ea procedunt, ita virtus operandi eorum, quæ non eſt aliud ab eſſe; ergo in anima non ſolùm eſt virtus eſſendi ſubſtantialis ſed etiam ſubſtantialis operandi, ſed imperfecta, & quæ ſicut non poteſt operari, niſi per actionem, quæ ſit accidens, ita nec poteſt attingere paſſum, niſi medio accidenti; quod tanquam virtus eius attingit, & ideò anima ipſa principaliùs, & non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Et in hoc ſenſu, verum eſt non eſſe immediatè operatiuam, ſed ex quo non bene infertur, nihil per ſe operari, cum operetur principaliter illud idem, quod accidentia tanquam virtutes eius, & ideò ſubſtantialiter, & quia in virtute eius operantur, non tantùm poſſunt alia accidentia producere ſibi ſimilia, ſed etiam ſubſtantiam; tanquam inſtrumenta eiuſdem ſubſtantiæ, vt poſtmodum dicetur.

Ad ſecundum concedendum eſt antecedens, ſed neganda conſequentia, quod pro illis formis ſubſtantialibus inducendis in materiam diſpoſitam, deputanda ſit infima intelligentia; ſed ad prouidentiam primæ cauſæ pertinet ſupplere omnes defectus ſecundarum, & ideò ab ea immediatè inducuntur; nam nec vlla intelligentia habet virtutem inducendi formam in materiam, præſertim ſubſtantialem, vt ſuo loco probabitur.

QVÆSTIO III.

An inſtrumenta veram cauſalitatem habeant, & quomodo eleuentur.

VT intelligatur quæſtio tria ſunt genera inſtrumentorum 24
diſtinguenda, Naturalia, Supernaturalia, & Artificilia. Inſtrumentum naturale dicitur, quod à natura ipſa inſtitutum eſt, pro

eſt, pro aliquo effectu naturali producẽdo, vt calor naturalis eſt naturale inſtrumentum animæ ad opera naturalia vitæ. Supernaturale verò dicitur illud, quod à Deo aſſumitur, vel inſtituitur ad effectus ſupernaturales præſtandos. Inſtrumenta denique artis, quæ ab artifice aſſumuntur ad opera artis perficienda, vt penicillus, vel ſerra. Et de primis duobus generibus non eſt dubium, quin vera ſint inſtrumenta, & verè effectiuè attingant effectus. De inſtrumentis verò artis, non ſolùm
25 dubitant Moderni quidam, ſed negant eſſe vera inſtrumenta, ſed talia vocari ex eo ſolùm, quia per quoſdam motus locales, quos ab artifice ſuſcipiunt, eum iuuant ad effectus artis præſtandos, ſed reſpectu motus localis non poſſunt eſſe inſtrumenta: cum motus localis non excedat virtutem eorum; ergo nec ſunt vera inſtrumenta artis. Nihilominus vera inſtrumenta cenſeri debent, & verum concurſum inſtrumentalem præſtare ad opus artificioſum. Quod ſic probo; Inſtrumenta artis non mouentur ab artifice, ſicut ab alio quocunque mouerentur, ſed tali modo, per ſe dependente ab arte, & ideò per ſe dependente ex actuali coniunctione cum artifice operante, vt artifex eſt, & hoc eſt moueri motu quodam artificioſo excedenti naturam eorum, & per talem motum attingunt opera artis, & concurrunt efficienter ad illa, tanquam mota, & eleuata ab artifice; quia ad illud res eleuatur, quod excedit naturalem virtutem eius, & hoc eſt eſſe vera inſtrumenta. Negandum eſt igitur, quod ſolùm habeant motum localem, ſicut cætera corpora: per quem acquirant ſimplex quoddam *vbi*, ſed habent motum cum tali modo, & acquirunt quoque *vbi* ſpeciali modo, ac diſtincto ab eo, quod acquirunt corpora per motum naturalem.

Suppoſito ergo, quod tria illa genera ſint vera inſtrumenta, quærimus, quonam modo eleuentur, vt veram cauſalitatem inſtrumentalem habere poſſint, hoc eſt, an per aliquam actionem ſibi propriam, & quaſi præſuppoſitam actioni principalis agentis, per quam aſſumantur; vel ſine illa, ita vt eleuatio non ſit aliud, quam operari ſimul cum agente principali ad effectum altioris ordinis.

26 *Et prima* opinio tenet, quod quamuis aliqua inſtrumenta propriam operationem habeant, per quam eleuantur, vt ignis, & etiam inſtrumenta artis, vt ſerra; hæc tamen non eſt neceſſaria, ſed ſine vlla prorſus operatione propria eleuari poſſunt, præſertim à Deo. Ita Scotus in 4. d. 1. q. 1. Duran. in 2. d. 1. q. 4. num. 12. quam Moderni non pauci ſequuntur; & explicant hoc modo: quælibet creatura reſpectu Dei habet poten-

Doctores. Vnde factum eſt, vt iam ſit principium in ſchola receptiſſimum, cui innituntur, quamplurimæ veritates Philoſophiæ: *Cauſas ſecundas, atque proximas veram habere efficientiam circa generationem ſubſtantiarum participatam à primo efficiente.*

Ad primum argumentum Auicennæ diſtinguendum eſt, primum antecedens, quod ſubſtantiæ non ſint immediatè operatiuæ; nam ſi intelligatur nullam habere virtutem operandi præter accidentia ſibi ſuperaddita, falſum eſt, quia forma ſubſtantialis, quæ eſt eis ratio formalis eſſendi, eſt etiam virtus operandi, quod ſignificauit Ariſt. ſic definiens animam, *Anima eſt principium, quo mouemur, ſentimus, & intelligimus.* Et principium quidem ſubſtantiale, ex quo tanquam ex radice procedunt accidentia, aut potentiæ, quibus mediis operatur. Et ſicut accidentia ab ea procedunt, ita virtus operandi eorum, quæ non eſt aliud ab eſſe; ergo in anima non ſolùm eſt virtus eſſendi ſubſtantialis ſed etiam ſubſtantialis operandi, ſed imperfecta, & quæ ſicut non poteſt operari, niſi per actionem, quæ ſit accidens, ita nec poteſt attingere paſſum, niſi medio accidenti; quod tanquam virtus eius attingit, & ideò anima ipſa principaliùs, & non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Et in hoc ſenſu, verum eſt non eſſe immediatè operatiuam, ſed ex quo non bene infertur, nihil per ſe operari, cum operetur principaliter illud idem, quod accidentia tanquam virtutes eius, & ideò ſubſtantialiter, & quia in virtute eius operantur, non tantùm poſſunt alia accidentia producere ſibi ſimilia, ſed etiam ſubſtantiam; tanquam inſtrumenta eiuſdem ſubſtantiæ, vt poſtmodum dicetur.

Ad ſecundum concedendum eſt antecedens, ſed neganda conſequentia, quod pro illis formis ſubſtantialibus inducendis in materiam diſpoſitam, deputanda ſit infima intelligentia; ſed ad prouidentiam primæ cauſæ pertinet ſupplere omnes defectus ſecundarum, & ideò ab ea immediatè inducuntur; nam nec vlla intelligentia habet virtutem inducendi formam in materiam, præſertim ſubſtantialem, vt ſuo loco probabitur.

QVÆSTIO III.

An inſtrumenta veram cauſalitatem habeant, & quomodo eleuentur.

VT intelligatur quæſtio tria ſunt genera inſtrumentorum 24 diſtinguenda, Naturalia, Supernaturalia, & Artificilia. Inſtrumentum naturale dicitur, quod à natura ipſa inſtitutum

eſt, pro

eſt, pro aliquo effectu naturali producẽdo, vt calor naturalis eſt naturale inſtrumentum animæ ad opera naturalia vitæ. Supernaturale verò dicitur illud, quod à Deo aſſumitur, vel inſtituitur ad effectus ſupernaturales præſtandos. Inſtrumenta denique artis, quæ ab artifice aſſumuntur ad opera artis perficienda, vt penicillus, vel ſerra. Et de primis duobus generibus non eſt dubium, quin vera ſint inſtrumenta, & verè effectiuè attingant effectus. De inſtrumentis verò artis, non ſolùm

25 dubitant Moderni quidam, ſed negant eſſe vera inſtrumenta, ſed talia vocari ex eo ſolùm, quia per quoſdam motus locales, quos ab artifice ſuſcipiunt, eum iuuant ad effectus artis præſtandos, ſed reſpectu motus localis non poſſunt eſſe inſtrumenta: cum motus localis non excedat virtutem eorum; ergo nec ſunt vera inſtrumenta artis. Nihilominus vera inſtrumenta cenſeri debent, & verum concurſum inſtrumentalem præſtare ad opus artificioſum. Quod ſic probo; Inſtrumenta artis non mouentur ab artifice, ſicut ab alio quocunque mouerentur, ſed tali modo, per ſe dependente ab arte, & ideò per ſe dependente ex actuali coniunctione cum artifice operante, vt artifex eſt, & hoc eſt moueri motu quodam artificioſo excedenti naturam eorum, & per talem motum attingunt opera artis, & concurrunt efficienter ad illa, tanquam mota, & eleuata ab artifice; quia ad illud res eleuatur, quod excedit naturalem virtutem eius, & hoc eſt eſſe vera inſtrumenta. Negandum eſt igitur, quod ſolùm habeant motum localem, ſicut cætera corpora: per quem acquirant ſimplex quoddam *vbi*, ſed habent motum cum tali modo, & acquirunt quoque *vbi* ſpeciali modo, ac diſtincto ab eo, quod acquirunt corpora per motum naturalem.

Suppoſito ergo, quod tria illa genera ſint vera inſtrumenta, quærimus, quonam modo eleuentur, vt veram cauſalitatem inſtrumentalem habere poſſint, hoc eſt, an per aliquam actionem ſibi propriam, & quaſi præſuppoſitam actioni principalis agentis, per quam aſſumantur; vel ſine illa, ita vt eleuatio non ſit aliud, quàm operari ſimul cum agente principali ad effectum altioris ordinis.

26 *Et prima* opinio tenet, quod quamuis aliqua inſtrumenta propriam operationem habeant, per quam eleuantur, vt ignis, & etiam inſtrumenta artis, vt ſerra; hæc tamen non eſt neceſſaria, ſed ſine vlla prorſus operatione propria eleuari poſſunt, præſertim à Deo. Ita Scotus in 4. d. 1. q. 1. Duran. in 2. d. 1. q. 4. num. 12. quam Moderni non pauci ſequuntur; & explicant hoc modo: quælibet creatura reſpectu Dei habet poten-

tiam obedientialem, per quam ei ſubditur ad quamcunque operationem, vel effectum, & hæc potentia obedientialis ſufficit, vt ea vti poſſit, tanquam inſtrumento, quando, vbi, & quomodo ei placuerit abſque alia operatione propria, vel proportionata effectui: per hanc etiam potentiam, & non per aliud dicuntur eleuari, & inſtrumenta effici, verúmque concurſum inſtrumentalem præbere ad productionem effectus naturalis, ſupernaturalis, vel cuiuſcunque ordinis: nam ad omnes producendos poſſunt eleuari indifferenter à Deo. Et vt paucis explicent, quidnã eleuatio ſit, aſſerunt, non eſſe aliud eleuari inſtrumentum, vel vt tale ad quemcunque vſum aſſumi, quàm Deum efficere, vt ſecum concurrat ad eandem actionem, per quam Deus ipſe operatur, & ad eundem effectum, quem per eam producit; ex hoc enim habebitur ab vtroque procedere actionem, & effectum, à Deo vt principali, à creatura verò, vt inſtrumento, & hoc ſiue ſit ad vnam, vel alteram operationem, aut effectum: quia reſpectu diuinæ omnipotentiæ eadem eſt ratio de omnibus: non enim indiget determinatis, aut proportionatis inſtrumentis ad determinatas operationes, vel effectus, ſed quibuſcunque & quomodocunque, vti poteſt ad quemlibet effectum aut operationem.

Probant primò in inſtrumentis naturalibus, quia phantaſma eſt inſtrumentum intellectus agentis ad producendam ſpeciem intelligibilem in intellectum poſſibilem: & ſpecies viſibilis inſtrumentum coloris, ad producendam viſionem ſui ſimul cum potentia viſiua: & probabile eſt etiam calorem productum in ligno ab igne eſſe inſtrumentum eiuſdem ignis ad producendam formam ſubſtantialem ignis in ligno, & tamen nihil horum habet operationem ſibi propriam, per quam eleuetur: cum neque phantaſma poſſit ex propria virtute operari circa intellectum poſſibilem, nec ſpecies viſibilis operetur aliquid circa oculum, aut calor receptus in ligno circa idem lignum; ergo nihil proprium requiritur ex parte inſtrumenti, vt eleuetur, vel vt aſſumatur, vt inſtrumentum, ſed ſine illo aſſumi poteſt. Secundò, in inſtrumentis ſupernaturalibus, qualia ſunt ſacramenta, nulla operatio propria eorum deſignari poteſt, per quam eleuentur; cum ipſa potius in operatione conſiſtat, vt in ablutione, in peccatorum confeſſione, aut aliorum verborum prolatione: operatio autem non operatur, ſed per ſeipſas abſque alio requiſito aſſumuntur operationes iſtæ à Deo, tanquam inſtrumenta gratiæ, & eo ipſo, quod ſimul cum eis operatur Deus, dicuntur eleuari, & inſtrumenta fieri. 27

Secunda

28 *Secunda* opinio eſt aliorum Modernorum huic oppoſita, aſſerens, non quamlibet rem poſſe aſſumi à Deo, tanquam inſtrumentum ad aliquem effectum, ſed eam tantùm, quæ habere poſſit ex ſe, hoc eſt propria virtute, aliquam operationem proportionatam, per quam eleuetur, vel certè aliquid efficere poſſit in effectu ipſo propria virtute, & cum hęc operatio quaſi præſuppoſita ſit eleuationi, præuia vocatur, & ſine illa non poteſt eſſe inſtrumentum. Exemplum proferunt in clara viſione Dei, ad quam eleuari poteſt intellectus creatus ex eo, quod aliquid in ea correſpondet propriæ virtuti; nempè ratio generica intellectionis, vel cognitionis non excedens propriam virtutem, & ideò ad ſpecificam, & ſupernaturalem rationem claræ viſionis propriam virtutem excedentem eleuari poteſt: quod ſi nihil horum habeat, neque efficere aliquid poterit in ordine ad effectum ſuperioris ordinis, ſed totum effectum efficiet ſolus Deus. Ex quo inferunt nullam creaturam ordinis naturalis poſſe eleuari à Deo, tanquam Phyſicum inſtrumentum ad effectus ſupernaturales, circa quos conſtat nihil ex propria virtute poſſe efficere; ideò neque ſacramenta, neque paſſionem Chriſti eſſe inſtrumenta Phyſica gratiæ, ſed ſolum moralia.

Tertia ſententia eſt aliorum Modernorum, qui non quodcunque ſufficere in inſtrumento ponunt, vt eleuetur, præſertim ad effectus ſupernaturales, ſed neceſſarium eſſe, quod virtus aliqua, vel potentia realis ponatur in eo eiuſdem ordinis cum effectu, vt per eam fiat aptum formaliter ad talem eleuationem recipiendam, & ideò ponunt in ſacramentis qualitatem quandam ſupernaturalem eis impreſſam, per quam eleuentur ad effectus gratiæ. Quod probant, quia illud quod aſſumi debet tanquam inſtrumentum debet præſupponi aſſumptioni aptum, vt aſſumatur, quia per aſſumptionem non fit aptum: ſed cum iam ſit aptum, eleuatur ad effectum ſuperioris ordinis, alioqui nulla eſſet differentia inter inſtrumenta, ſi per eleuationem apta fierent, nec vnum eſſet magis accommodatum, quàm aliud; cum eleuatio fit æqualis in omnibus, ſed inſtrumentum inferioris ordinis non poteſt eſſe aptum, vt aſſumatur ad effectum ſuperiorem, ergo neceſſe eſt aptum fieri, vt aſſumi poſſit, fieri autem aptum, eſt conſtitui in eodem ordine cum effectu, ergo hoc eſt neceſſarium, quod conſtat fieri non poſſe ante eleuationem, niſi per aliquid ei additum pertinens ad eundem ordinem cum effectu, & hoc debet eſſe qualitas aliqua, quia principia operationis ſuperaddita ſubſtantiis qualitates ſunt.

Poſtrema

Poſtrema ſententia eſt Caiet. 1.p.q.45.art.5. duo aſſerentis, 29
primum, aliquid eſſe neceſſarium in inſtrumento, quod vel ſit operatio, vel aliquid ſaltem, ratione cuius ei correſpondeat aliquo modo effectus: hoc verò proprium, quod habere debet, non eſſe realiter diſtinctum ab operatione principalis agentis, ſed ſufficit diſtingui ratione, ita vt actio, vel effectus ſub aliqua ratione tribuatur inſtrumento, & ei correſpondeat. Hoc etiam proprium quod debet habere inſtrumentum, non ſemper debet eſſe proportionatum actioni, vel effectui, niſi vbi effectus ad quem eleuatur, ad eundem ordinem eſſendi cum inſtrumento ipſo pertinet, ita vt ſit ordinis naturalis, ſi naturale ſit inſtrumentum, & ordinis ſupernaturalis, ſi inſtrumentum ſit ſupernaturale: & ita eleuari poſſe inſtrumentum naturale ad effectus ſupernaturales, quia licèt non ſit proportionatum, quia non eſt eiuſdem ordinis, ſed per eleuationem pertinet ad eundem ordinem cum effectu, & fit ei proportionatum. Vnde ad ſupernaturales effectus ſufficiet qualiſcunque contactus inſtrumenti, vt eleuari poſſit à Deo, & effectiuè attingere effectum. Quia contactus aliquid proprium eſt, virtute cuius ratio aliqua communis poteſt ei correſpondere in effectu: & effectus ſub eadem ratione communi ei attribui, & vt eleuato attribuetur ſub ratione ſpeciali. Hæc eſt ſententia
D.Tho.1.p.q.45.art.5. vbi aliquid proprium aſſerit eſſe neceſ- 30
ſarium in inſtrumento, vel eleuari poſſit, & ideò non poſſe eleuari creaturam, vt ſit inſtrumentum creationis, quia non poteſt habere propriam operationem circa nihil, imò neque illud tangere. Hoc autem proprium ſic intelligit, vt explicat Caiet. & ex aliis eius locis deduci poteſt. Et hæc videtur nobis probabilior ſententia: Sed vt eam probemus ex impugnatione aliarum, ſingulas concluſiones aduerſus eas conſtituemus.

Prima concluſio aduerſus primam ſententiam, Non eſt poſſibile aliquid aſſumi, vt inſtrumentum per ſolam potentiam obedientialem. Hanc probo duplici argumento, primum eſt, potentia obedientialis nullam virtutem confert inſtrumento, per quam poſſit effectiuè concurrere ad effectum: nec etiam eleuatio, ſi nihil proprium habeat, per quod eleuetur: ergo falſa eſt hæc ſententia: primam partem antecedẽtis ſic probo; potentia obedientialis eſt paſſiua, vt notum eſt de quacunque alia, ſed concurſus inſtrumenti debet eſſe actiuus: ergo potentia obedientialis non confert inſtrumento virtutem per quam poſſit effectiuè concurrere ad effectum.

Sed nec eleuatio, probatur, quia eleuatio nihil ponit in in- 31
ſtrumento

ſtumento, nec per modum permanentis, nec per modum tranſeuntis; ergo per illam nullam habebit virtutem, per quam poſsit effectiuè concurrere ad effectum. Antecedens quantum ad rem permanentem concedit eadem opinio; ſed quantum ad rem per modum tranſeuntis, probatur primò, ex eadem opinione, quæ aſſerit, eleuari inſtrumentum nihil aliud eſſe, quam Deum facere, vt ſecum concurrat ad operationem, & effectum; vel ergo facere, quod ſecum concurrat eſt ponere aliquem cõcurſum in eo, vel actionem per quam aliquid dicitur concurrere, actio autem, vel concurſus nihil ponit in agente; ſed agere, vel concurrere ſolum eſt, quod ab eo egrediatur actio, vel concurſus: ergo talis eleuatio nihil in eo ponit, per quod poſſit agere, tanquam inſtrumentum. Probatur conſequentia, quia nihil poteſt agere vllo modo, quin actio egrediatur ab eo, tanquam à principio, nec egredi poteſt ab eo actio, tanquã à principio, niſi rati one alicuius virtutis actiuæ in eo exiſtentis, ſed potentia obedientialis non confert inſtrumento talem virtutem actiuam, nec etiam eleuatio, quam ponit hæc opinio; ergo repugnat actionem ad quam eleuatur ab eo egredi, & ex conſequenti repugnat, quod actiuè concurrat ad illam, vt poſtulat ratio inſtrumenti.

32 Secundò, quia ſi eleuari inſtrumentum ſolum dicit potentiã obedientialem ex parte eius, & eleuatio non eſt aliud, quàm Deum facere, vt ſecum concurrat inſtrumentum, ſequitur creaturam quamlibet indifferenter poſſe eſſe inſtrumentum Dei. Probatur conſequentia, quia hæc duo æqualiter conueniunt omnibus, vt ex ſe eſt manifeſtum, quod ſi ita eſt, poterit Deus aſſumere creaturas pro inſtrumentis ineptas prorſus ad agendum, vt quãtitatem, relationem, imò & materiã primam: conſequens autẽ falſum eſt; ergo falſa etiam eſt ſententia ex qua ſequitur. Sed probo minorem, quod falſum ſit conſequẽs, quia vt inſtrumentum cõcurrat actiuè, neceſſe eſt aliquo modo egrediatur ab eo actio, ſed egreſſio actionis ab agente dicit influxum eius circa illam; quare repugnat aliquid eſſe inſtrumentum, niſi actu influat in effectum per actualem egreſsionem ab ipſo, ſed hæc non poſſunt actu influere ex ſe, cum inepta ſint prorſus ad talem influxum; nec per eleuationem, quæ nihil in eis ponit: ergo neque alia creatura poteſt eſſe inſtrumentum eo modo, quo prima illa opinio ponit.

33 Secunda concluſio, vt aliquid ſit inſtrumentum (Dei præſertim) non eſt neceſſarium, quod habeat præuiam operationem proportinatam effectui ex propria virtute. Hæc eſt contra ſecundam opinionem, & probatur, quia ſi talis operatio

requiri

requiritur, ſequitur nullam prorſus creaturam poſſe aſſumi à Deo, tanquam inſtrumentum ad aliquem effectum ſupernaturalem, præter intellectum, & voluntatem, & ſolum in ordine ad claram viſionem Dei, & amorem. Probatur conſequentia, quia talem operationem proportionatam ex propria virtute non poteſt habere aliqua creatura, præter has potentias, vt per ſe eſt manifeſtum, ſed conſequens eſt falſum, & præter omniũ opinionem: nemo enim huc vſque negauit poſſe Deum quãlibet creaturam aſſumere vt inſtrumentum ad opera ſupernaturalia, prout ſibi placuerit. Et de humanitate Chriſti, & ſacramentis concedit maior pars totius ſcholæ cum D. Thoma eſſe inſtrumenta gratiæ, & verbum ipſius Chriſti, vel etiam contactum habuiſſe modum Phyſici inſtrumenti ad miracula patranda.

Secundò, quia licet aliquid proprium ſit neceſſarium ex parte inſtrumẽti, (quod concedimus) ſed proportio non poteſt eſſe neceſſaria reſpectu diuinæ omnipotentiæ, quæ omnem proportionem ſupplere poteſt. ergo ſine aliqua vrgenti ratione coarctatur ad proportionata inſtrumenta. 34

Tertia concluſio; non eſt neceſſaria, nec poſsibilis qualitas ſuperaddita eiuſdem ordinis cum inſtrumento, vt aſſerit tertia ſententia. Probatur primò, quòd neceſſaria non ſit; quia operatio, & effectus ad quem eleuatur inſtrumentum, ex propria ratione inſtrumenti debet excedere propriam virtutem eius, & ideò debet eſſe altioris ordinis reſpectu inſtrumenti; quod ideò indiget eleuatione, vt poſsit attingere operationem, & effectum ſe ſuperiorem; ergo non eſt neceſſarium, quod qualitas ei ſuperaddatur ante eleuationem, vel vt eleuari poſsit, nec eſt neceſſarium, vt eleuetur, vel vt ſit inſtrumentum, quod ſit eiuſdem ordinis cum operatione, aut effectu producendo. Quin potius inferioris ordinis debet eſſe, & ſolum per eleuationem actualem debet fieri eiuſdem ordinis, fruſtra ergo ponitur talis qualitas. Probatur conſequentia, quia eleuatio inſtrumenti ſolùm eſt per modum actionis, aut concurſus, quare non poteſt actionem præcedere, vt ponitur ab hac opinione, vel ſi dicit per qualitatem eleuari, non bene intelligit eleuationem, quæ modum actus, aut concurſus dicit; non potentiæ vel virtutis. Quod verò non ſit poſsibilis talis qualitas ſuperaddita inſtrumento, probatur; quia ſi per illam conſtituitur in eodem ordine cum operatione, aut effectu ad quem eleuatur, ſequitur non eſſe inſtrumentum, ſed propriam cauſam vtriuſque. Probatur conſequentia; quia virtus, vel potentia proportionata ad aliquem effectum propria cauſa eius eſt: 35

cum

cum effectus non excedat illam, ſed ſint in eodem ordine; ergo efficiet etiam rem, cui additur, proportionatã cauſam, quare non inſtrumentalem, ſed propriam, aut principalem.

36 Ex his ergo concluſionibus, per quas refutantur tres illæ opiniones, ſequitur à ſufficienti diuiſione tenendam eſſe ſententiam D. Thomæ vt explicatur à Caietano, dicendúmque, aliquid proprium requiri in inſtrumento ſemper, ſed non ſemper proportionatum effectui, quo potius debet eſſe inferius; vt locum habeat eleuatio, præſertim reſpectu Dei potentis ſupplere omnem proportionem. Vnde reſpectu illius contactus ſufficit, qui cum aliquid ſit ex parte inſtrumenti, ſufficiet, vt ei poſsit correſpondere aliqua ratio ſaltem communis in eo, & ſpecialis per eleuationem. Gratia exempli: Phantaſma eſt inſtrumentum intellectus agentis ad productionem ſpeciei intelligibilis, quod licet non habeat operationem ex propria virtute proportionata eidẽ ſpeciei, & intellectui poſsibili, quia materialis eſt, & corporeum: habet tamen ex propria virtute poſſe efficere cognitionem ſui, licet inferiorem; quod ſufficit, vt eleuari poſsit ad efficiendum principium cognitionis ſuperioris, vel habet ex ſe, quod poſsit vtcunque imprimere ſpeciẽ ſui, & eleuatur, vt poſsit eam imprimere in potentia ſuperiori cui ſubordinatur, idque ſatis eſt, vt ei poſsit correſpõdere talis ſpecies ſub aliqua ſaltem ratione communi.

Ad 1. argumentum primæ opinionis concedendum eſt, phãtaſma eſſe inſtrumentum intellectus agentis, & ſpecies viſibilis inſtrumentum obiecti ad cauſandam viſionem; negandum tamen, quod nihil habeant ex propria virtute; nam licet non habeant operationem diſtinctam à principali, habent tamen ratione diſtinctam, nempe eandem operationem ſecundum aliquam rationem communem eis correſpondentem, vt phãtaſma poſſe imprimere ſpeciem ſui, vt ſic in communi; & ſpecies ſenſibilis repræſentationem obiecti, & quaſi præceptionẽ eius per modum principii: ratione cuius poteſt eleuari ad cõcurſum cum potentia vitali, per quem producatur pręceptio actualis eiuſdem obiecti, quæ eſt ſenſatio.

De calore verò exiſtente in ligno omninò negandum eſt, quod ſit inſtrumentum ignis ad expellendam formam ligni, vel introducendam formam eiuſdem ignis, vt ſuo loco probabitur.

37 Secundum argumentum procedit de ſacramentis, de quibus non eſt certum, quòd habeant modum inſtrumentorum naturalium; ſed in opinione poſitum, an ſolum ſint inſtrumenta moralia.

Nihi

Nihilominus aliquid proprium habent, ratione cuius poſſunt eleuari à Deo, vt ſint inſtrumenta ſupernaturalia; nam ablutio habet contractum totius corporis directum, & indirectum animæ, & verba ſunt ſonus quidam ſignificantes effectum, ad quem eleuantur, qui ex ſe poſſunt per ſenſus percipi, & etiam per intellectum ratione ſignificationis, quæ licèt non ſit aliquid reale formaliter, ſatis eſt ratione materialis, in quo fundatur aliquid proprium habere, quod vt minimum eſt contactus, ratione cuius poteſt eiſdem verbis correſpondere aliqua ratio communis in effectu.

Ad argumentum tertiæ opinionis diſtinguenda eſt maior, quod inſtrumentum debeat præſupponi aptum; nam ſi per aptitudinem intelligat, quod debeat eſſe eiuſdem ordinis, falſum eſt, vt probauimus: ſi verò, quod aliquid proprium habeat, licèt ordinis inferioris, verum eſt, & concedendum; ad hoc tamen non requiritur qualitas ſuperaddita, vt ex ſe eſt manifeſtum, quare fruſtra ponitur ab illa opinione.

QVÆSTIO IV.

An accidens poſſit concurrere ad productionem vnius ſubſtantiæ tanquam inſtrumentum alterius.

SVbſtantiæ corporeæ non poſſunt operari ad productionem ſibi ſimilium, niſi medijs accidentibus eis ſuperadditis, vt ignis medio calore, ſed in generatione ſibi ſimilium duo ſunt, nempè accidentia, quæ producuntur in materia, tanquam diſpoſitiones eius ad recipiendam formam ſubſtantialem per alterationes præcedentes; & eductio fomæ ſubſtantialis de potentia materiæ; atque etiam vnio eiuſdem cum materia, quæ eſt generatio totius ſubſtantiæ. Quærimus ergo, an calor ignis, ſicque de cæteris accidentibus, quæ ſunt virtutes agendi ſuperadditæ ſubſtantiæ, ſolùm concurrant effectiuè ad producendas diſpoſitiones, vel etiam ad productionem ſubſtantiæ, tanquam inſtrumenta eiuſdem ſubſtantiæ generantis, cuius ſunt accidentia. 38

Prima opinio tenet non ſolùm ad productionem accidentium, ſed etiam ſubſtantiæ concurrere efficienter; nec ſolùm vt inſtrumentum ſubſtantiæ; ſed tanquam propriam cauſam eiuſdem ſubſtantiæ, quæ producitur. Ita videtur tenere Ioannes Maior in 4. d. 12. q. 3. & probatur teſtimonio Ariſt. lib. de Senſu & ſenſibili, cap. de Sapore, vbi ait ignem non agere, vt ignem, ſed, vt calidum; ergo non producit alterum ignem, niſi 39

vt cali

vt calidum, quod eſt eum producere per calorē; & ideo calorem eſſe ei rationē agendi principalem ad generandum ſibi ſimile, & non inſtrumētum. Probatur etiam ratione, quia ad eandem cauſam pertinet diſponere materiam, pro introductione formę ſubſtantialis, expellere formam contrariā, & introducere propriam, ſed accidentia diſponunt materiam virtute propria, atque etiam expellunt formam contrariam, vt calor diſponit materiam ligni, & expellit formam eius; ergo propria etiam virtute introducit formam ignis generandi, eritque præcipua cauſa eius, & non inſtrumentum.

40 Secunda opinio omninò oppoſita eſt, negat enim vllo modo poſſe attingere productionem ſubſtātiæ, hoc eſt, nec vt pręcipuam cauſam; neque vt inſtrumentum, nec virtute propria, neque virtute ſubſtantiæ. Ita Scotus in 1.d.37.q.vnica, & in 4. d.12.q.3. Duran. in 2.d.1.q.4. & in 4.d.12.q.2. Ocham in 2.qu. 23. Iandunus in 1. lib. de anima quæſtione octaua. Probatur 1. quia impoſsibile eſt rem inferioris ordinis aſcendere ad ordinem ſuperiorem, vt corpus ad ordinem ſpiritus, ſed accidens eſt res inferioris ordinis reſpectu ſubſtantiæ; ergo non poteſt aſcendere ad ordinem ſubſtantiæ, ſed ſemper in proprio ordine permanebit: ſicut ſubſtantia corporea reſpectu ſpiritualis quare nec poterit attingere productionem ſubſtantiæ. Probatur hæc vltima conſequentia, quia cauſa debet eſſe in eodem ordine cum effectu, alioqui ſi inferior ſit, perfectior erit effectus, quàm cauſa. Et ſi dixeris accidens in ratione eſſendi eſſe inferioris ordinis; ſed in ratione operandi eſſe eiuſdem; non quidem per propriam virtutem operandi, ſed ratione ſubſtantiæ, in cuius virtute operatur. Contra hoc eſt, quòd virtus operandi ſequitur eſſe rei, ſed in ratione eſſendi ſemper accidens eſt inferioris ordinis; ergo ſemper etiam erit inferioris ordinis in ratione operandi, & ideò non poterit attingere productionem ſubſtantiæ, ſicut corporea ſubſtantia; nec virtute propria, nec virtute ſpiritualis poteſt producere ſubſtantiam ſpiritualem, quia ſemper eſt inferioris ordinis.

41 Secundò, accidens non poteſt attingere productionem ſubſtantiæ virtute propria, nec virtute ſubſtantiæ; ergo nec tanquam propria cauſa; nec tanquam inſtrumentum. Probatur antecedens; quia cum propria virtus ſit inferioris ordinis, ſicut proprium eſſe, non poteſt attingere productionem ſubſtantię; quia ſemper cauſa erit imperfectior effectu, quod repugnat. Quod verò non poſsit virtute ſubſtantiæ, probatur; nam eſſe virtutem ſubſtantiæ, aut in virtute eius operari, eſt vel aliquid ſuperadditum entitati accidentis vel nihil, ſi nihil ſuperadditum

tum ſit, remanebit ſemper in ordine inferiori, & ideò, nec virtute ſubſtantiæ poterit producere ſubſtantiam, ſi verò ſit aliquid ſuperadditum, vel erit accidens, & ideò non eleuabit accidens ad ordinem ſuperiorem, ſed in inferiori relinquet: ſubſtantia autem eſſe non poteſt, quia ſubſtantia non poteſt eſſe in accidenti, & ideò, nec eſſe ei additum, ergo non poteſt accidens virtute vnius ſubſtãtiæ attingere productionem alterius.

Tertia opinio, quaſi media eſt inter hæc extrema, & ideò 42
vtrique contraria, negans quidem accidens propria virtute poſſe attingere productionem ſubſtãtiæ, & ideò tanquam cauſam propriam, contra primam opinionem; ſed concedens, quòd virtute ſubſtantiæ cuius eſt accidens, poſsit attingere productionem alterius ſubſtantiæ, & ideò tanquam inſtrumentum, vt calor ignis virtute eiuſdem ignis poteſt producere alterum ignem & ideò tanquam inſtrumentum eius. Ita D. Tho. 1. p. q. 45. art. 1. ad 2. & 3. q. 77. art. 1. ad 3. & 4. qu. 115. art. 1. ad 5. & 3. p. q. 77. art. 1. Henricus quodlib. 17. q. 1. Ægidius quodli. 3. q. 1. ad 2. & 2. p. Exame. cap. 11. Herueus quodlib. 3. q. 12. Capreol. in 1. d. 3. q. 3. artic. 2. & in 4. d. 12. q. 1. artic. 3. Ferra. 4. contra gentes cap. 66. Caiet. 1. p. q. 53. art. 3. Paludan. in 4. d. 12. q. 4. Argent. ibidem, q. 5. Hiſpalen. q. 1. art. 3. Albert. Mag. in 2. d. 12. art. 12. Richar. in 4. d. 12. artic. 3. q. 2. & eſt iam communis in ſchola, quam & nos tanquam veram ſequimur. Probatur teſtimonio Ariſtot. 2. lib. de anima text. 10. lib. 7. Met. text. 31. & 3. lib. de Generat. animal. ca. 1. quibus locis expreſsè aſſerit ſemen eſſe inſtrumentum, quo vnum animal efficienter generat aliud.

Sed probatur rationibus aduerſus duas alias ſententias. Ad- 43
uerſus primam quidem, quod accidens non producat ſubſtantiam virtute propria, aut tanquam propria cauſa: quia omnis cauſa propria, aut eſt æquiuoca, aut vniuoca, ſed accidens, nec poteſt eſſe cauſa vniuoca, nec æquiuoca ſubſtantiæ; ergo non poteſt eam producere, tanquam cauſa propria. Probatur minor quia cauſa æquiuoca nobilior eſſe debet eſſentialiter ſuo effectu, vt ſuperius oſtendimus: cum non contineat eum formaliter, ſed eminenter. Cauſa verò vniuoca debet eſſe eiuſdem perfectionis eſſentialis, vel eiuſdem ſpeciei, ſed accidens, nec eſt perfectior eſſentialiter ſubſtantiâ, nec eiuſdem perfectionis, vel ſpeciei, ergo nec poteſt producere ſubſtantiam, tanquam cauſa æquiuoca, nec tanquam vniuoca, & ideò, nec tanquam cauſa propria.

Probatur deinde aduerſus Scotũ, quod virtute ſubſtantiæ, & 44
tanquã inſtrumentũ eius poſſit producere ſubſtantiam: primò, quia

quia ſol producit aurum,& argentũ in viſceribus terræ:luna,& ſtellæ producunt alios effectus ſubſtantiales circa inferiora corpora; imò cauſæ iſtæ vniuerſales producunt ſimul cum particularibus proprios illarum effectus ſubſtantiales, vt cũ igne ignem,& cum vaporibus aquam, ſed ad hos effectus non concurrunt per ſuam ſubſtantiam immediatè : cùm non ſint præſentes,ſed per ſuas virtutes, nempe lumen,& alias influentias, de quibus conſtat eſſe accidentia; ergo hæc accidentia virtute ſuarum ſubſtantiarum, & tanquam earum inſtrumenta producunt ſuſtantias.

Huic argumento ſolũ potuit reſpõdere Scotus,has ſubſtantias non produci ab accidentibus,ſed ab eiſdem ſubſtantiis per ſeipſas concurrẽtibus, nempe à ſole, & luna;nam licet præſentia non ſit,tanta eſt vis, & efficacia horum corporum, vt loca etiã diſtantia attingere, & penetrare poſsint virtute ſuarũ formarum ſubſtantialium,& in eis alias ſubſtantias producere ſine vllo adminiculo inſtrumentorum. Hæc tamen ſolutio expreſsè contradicit principiis Philoſophiæ, quibus decernitur agentia naturalia nõ poſſe agere,vbi præſentia non ſunt per ſe vel per ſuã virtutem,ita docet Ariſt.7.lib. Phyſ.cap.2. & 1.lib. de gener.ca. 6. approximationẽ agentis ad paſſum & cõtactum eius omninò neceſſariũ eſſe ad agendum, ita vt niſi præſens ſit agens per ſe, vel per ſuã virtutẽ, non poſsit vllo modo agere, quod recepit vniuerſa ſchola. Contradicit etiã communi ſententiæ Sanctorũ Patrũ in Scriptura ſacra inſinuatæ,qui omnes colligunt intimam præſentiam Dei in creaturis ex immediata operatione,quam circa illas per ſeipſum habet,hoc autẽ argumentum nullius momenti eſſet, ſi agens poteſt per ſe immediatè operari, vbi non eſt per ſe præſens vt concedit Scotus; ergo falſa eſt ſolutio eius.

45 Secundò probatur noſtra ſentẽtia:quia ſemen eſt inſtrumentum animalis,cuius virtute producit ſubſtantiã ſibi ſimilẽ,vbi non eſt animal ipſum per ſe præſens, & calor naturalis eſt inſtrumentũ ſubſtãtiæ,per quod producit ſubſtantiã ex alimẽto, vt docet expreſsè Ariſtoteles primo lib.de gener.ca. 5.& 7. & calor ignis producit ignẽ ex ſtupa,vbi ignis nõ eſt præſens per ſe:ſed virtus ſeminalis eſt accidẽs,& etiã vterq; calor;ergo negari nõ poteſt,quod accidẽtia virtute ſuæ ſubſtãtiæ, & tanquã inſtrumentũ eius attingãt productionẽ alterius ſubſtãtiæ.Negat Scotus de ſemine, quod ſit inſtrumentũ animalis ad generationẽ ſubſtãtiæ,in 4.d.43.q.3.art.3.quia cũ virtus eius ſit accidẽtalis,& inferioris ordinis,non poteſt attingere productionẽ ſubſtantiæ.Hoc tamen negari non poteſt:Quod ſic probo,

animal non attingit per ſeipſum immediatè formationem fœtus in ventre matris, nec etiam vnionem animæ cum corpore organizato, ergo attingit vtrumque per virtutem ſeminalem, quæ proinde erit inſtrumentum eius: vel ſi per illam attingere negat Scotus, ſequitur nullo modo eſſe cauſam eius, probatur euidenter conſequentia; quia non eſt cauſa per ſeipſum, nec per propriam virtutem, quare nec erit cauſa generationis, nec erit verum vnum animal, vel vnum hominem generare alterum, nec ſequetur relatio paternitatis, & filiationis in vno, & altero homine: cum hæc fundetur in generatione, per quam vnus procedit ab altero, tanquam à cauſa effectiua eius, quæ omnia non ſolùm principiis Philoſophiæ ab Ariſtotele traditis repugnant, ſed communi conſenſui totius Scholæ, & veritati.

Ad teſtimonium Ariſtotelis pro prima ſententia; Reſpondeo ſenſum eius eſſe, quod ignis non agit, niſi medio calore, id eſt non attingit paſſum per ſuam ſubſtantiam, niſi interueniente calore, quia ſubſtantię creatæ non ſunt alio modo actiuæ, niſi per accidentia, ex quo non ſequitur, quod earum accidentia operentur principaliter reſpectu effectus ſubſtantialis, ſed ſolùm ad eum concurrunt virtute eiuſdem ſubſtantiæ. Ad argumentum verò eiuſdem ſententiæ diſtinguenda eſt maior, quia eiuſdem agentis eſt diſponere materiam, expellere formam contrariam & introducere propriam, ſed non eodem modo operantis: nam cum diſpoſitiones ſint accidentales, & inferioris ordinis, has inducit, in quantum eſt tale per formam accidentalem ſimilem diſpoſitionibus, tanquam per cauſam propriam, expulſionem verò formæ ſubſtantialis, & introductionem propriæ, cùm ſint effectus ſubſtantiales, non facit; vt tale per accidentia, ſed per formam ſubſtantialem, vtitur tamen accidentibus ad eoſdem effectus, tanquam inſtrumentis. 46

Pro ſolutione argumenti Scoti notandum eſt, quod accidentia, quæ ſunt virtutes ſubſtantiæ, vel potentiæ eius ad operandum, duobus modis conſiderantur, vel præcisè in ratione accidentium, vel vt à natura conceduntur ſubſtantię, tanquam virtutes operandi: & vtroque modo ſunt aliquid ſubſtantiæ, ſed hoc poſteriori modo ſpeciali ratione ſunt aliquid eius, & computantur cum ea pro eodem integro agente: vnde ad ordinem eius aliquo modo pertinent, licèt ſub prima conſideratione inferioris ordinis ſint. 47

Ad primum igitur argumentum, negandum eſt antecedens, quod nullo modo poſſit accidens attingere virtutem ſubſtantiæ; & cum dicitur eſſe inferioris ordinis ſecúdum eſſe, & ideò etiam,

etiam,vt eſt virtus operandi,negandum eſt etiam:quia licèt,vt eſt entitas accidentalis, ſit inferioris ordinis, ſed vt conceſſa ſubſtantiæ in ordine ad talem finem, ad eundem ordinem ſuperiorem cum ea pertinet, tanquam aliquid eius ſpeciali ratione,ideò poteſt attingere effectum ſuperioris ordinis inſtrumentaliter, vt explicatum eſt,quod non habet ſubſtantia corporea reſpectu ſpiritualis:quia,cum non ſit aliquid eius eodem modo, nec poteſt eſſe eiuſdem ordinis,ſed inferioris omnibus modis.

Ad ſecundum,reſpondeo quod operari in virtute ſubſtantiæ non eſt aliquid ſuperadditum accidenti: ſed ſola eius entitas, tanquam virtus eius, quo pacto conſiderata eiuſdem ordinis, quodammodo eſt,& ideò poteſt attingere productionem alterius ſubſtantiæ,vt inſtrumentum propriæ.

QVÆSTIO V.

An vnum accidens ad productionem alterius ſimilis in ſpecie concurrat tanquam inſtrumentum, vel tanquam cauſa propria.

48 Senſus quæſtionis eſt, an dum ignis producit calorem, vel ferrum candens calefacit manum; calor in vtroque exiſtẽs, ſit cauſa propria, tanquam quo, eiuſdem caloris producti eo modo,quo forma ſubſtãtialis eiuſdem ignis eſt præcipua cauſa quo,alterius ignis producti, vel ſolum ſit inſtrumentum,ad productionem caloris, ſicut ad productionem ignis. Et prima opinio tenet ſolùm eſſe inſtrumentum.Ita Fonſeca 5.Met.cap. 2.q.6.ſect.6.& Conimbr.2.lib.Phyſ.cap.7.q.8.art.3. ad finem. Probatur hoc argumento,quia inſtrumentum eſt,quod non operatur virtute propria,ſed alterius cauſę,& propria cauſa,quę operatur virtute propria, ſed calor non operatur virtute propria ad productionem alterius caloris, ſed virtute ignis, ergo non tanquam cauſa propria,ſed tanquam inſtrumentum. Probatur minor, quia à quo aliquid habet eſſe, ab eodem habet virtutem operandi,ſed accidentia hęc habent eſſe à ſubſtantia, à qua emanare conſtat, & cuius aliquid ſunt,vt calor ab igne, ergo ab eodem habebunt virtutem operandi:vnde ſicut dependent ab ea in eſſe,ita etiam in operãdo, verum igitur eſt,quod in virtute ſubſtantiæ operentur,& dependenter ab ea,quę ſunt propriæ conditiones inſtrumenti. Et ſi dicas,etiam ſecundas cauſas operari in virtute primæ,à qua accipiunt virtutem operandi,ſicut accipiunt eſſe,& nihilominus non ſunt inſtrumenta. Contra hoc eſt, quod ſecundæ cauſæ non ſunt aliquid primæ,eo modo, quo accidentia ſunt aliquid ſubſtantiæ:cum ſint

rēs diſtinctæ ab ea, & per ſe ſubſiſtentes, nec ab ea emanent, tanquam virtutes, vel potentiæ operatiuæ eius, quæ cum habeant accidentia, non poſſunt dici, quod virtutem operandi propriam habeant, ſed potiùs, quod ſint virtutes operandi ſubſtantiæ, quare in virtute eius dicuntur operari, non ſicut cauſæ ſecundæ virtute primæ, ſed ſicut inſtrumenta virtute principalis cauſæ.

Secunda opinio aſſerit, non eſſe inſtrumenta ad tales effectus, ſed principales cauſas. Ita Scotus in 4.d.12.q.3. Ægidius, quodlib.3.& Theor.43. Palud. in 4.d.12.q.4.concl.2.& hāc ſequuntur iam ferè omnes Moderni, *& videtur mihi probabilior altera.* Probatur primò, quia certa regula inſtrumentorum eſt, quod effectus excedat virtutem eorum, & huius ratio eſt manifeſta: nam propterea indiget inſtrumentum eleuatione; quia virtus eius inferior eſt, ſed per eleuationem poteſt attingere effectū ſuperioris ordinis, ſed dum vnum accidens producit aliud, effectus non eſt ſuperioris ordinis, nec excedit virtutem cauſæ, ſicut non excedit ſpeciem eius; ergo non eſt inſtrumentum. ſed erit propria cauſa. Et ſi dicas excedere virtutem eius, quantum ad modum operandi, quia cum ſit virtus ſubſtantię operatur dependenter ab ea, & ideò non virtute propria, ſed alterius, quia virtus, quam habet, non eſt propria, ſed à ſubſtantia accepta, ſicut entitas ipſa ab eadem ſubſtātia accipitur. Contra hoc eſt, quod talia accidentia etiam ſeparata à ſubſtātia producunt eoſdem effectus abſque vlla dependentia ab eis cum non minus eos poſſint producere, etiam ſi ſubſtantia ſit extincta, quàm ſi permaneat; ergo etiam operantur virtute propria, quantum ad modum operandi, & ideò non erunt inſtrumenta. 49

Secundò probatur, quia ignis non calefacit, vt ignis, ſed vt calidus: nam calor effectus calidi eſt, vt talis, & quodlibet aliud corpus calidum producit calorem, etiam ſi non ſit ignis; ſed calidum eſt cauſa propria caloris: quia operatur per virtutem intrinſecam, & formalem, atque eiuſdem perfectionis cum effectu; ergo non eſt inſtrumentum, nec proinde calor cuius virtute operatur. Et tandem, quia ſola cauſa propria diuiditur in æquiuocam, & vniuocam, non inſtrumentum, quo indifferenter ſe habet ad vtramque & eodem prorſus modo; ſed vnum accidens eſt cauſa vniuoca alterius, cum producat illud intra propriā ſpeciem; ergo cauſa propria eſt, & non inſtrumentum. 50

Vt autem hæc ſententia meliùs intelligatur, & argumentum alterius faciliùs ſolui poſſit; notandum eſt accidentia hanc habere imperfectionem intrinſecam, vt à ſubſtantia accipiant

accipiant eſſe, & conſequenter virtutem operandi, & ſemper ab ea dependeant; non quidem in actuali concurſu ad operandum: cùm in abſentia eius operētur, ſed in eo, quod naturaliter non poſſunt eſſe per ſe, ſed in ſubſtantia: ideò nec per ſe ſeparata à ſubſtantia. Vnde ſequitur, quod licèt ſint propriæ cauſæ, imperfectiſſimæ tamen in hoc ordine, & aliquo modo inſtrumentis ſimilia, ex quo occaſionem ſumpſit deceptio oppoſitæ ſententiæ exiſtimantis, eſſe inſtrumenta, cum tamen proprias conditiones habeant cauſæ principalis, licèt in modo imperfectiſſimo eſſendi, & operandi fundatas: quare potius vocari debent propriæ cauſæ imperfectæ, quàm inſtrumenta. Igitur ad argumentum alterius opinionis diſtinguenda eſt maior, quod inſtrumentum non operatur virtute propria: nam duplicem ſenſum efficere poteſt propoſitio hæc; primus eſt, quod non operetur per formam, aut virtutem, ſeu potentiam in ſe exiſtentem: ſed in principali cauſa; & in hoc ſenſu intelligitur in communi modo loquendi, *& eſt vera*, quia ſi inſtrumentum operaretur per virtutem, aut formam in ſe exiſtentem, non eſſet inſtrumentum, ſed propria cauſa: cum effectus non excederet virtutem eius. Secundus ſenſus eſt, quod inſtrumentum non operetur per virtutem, quam per ſe habeat, hoc eſt non acceptam ab alio: licèt in ſe eam habeat, & hoc non pertinet vllo modo ad inſtrumentum, ſed ſolùm dicit imperfectionem accidentis, cuius virtus operandi, ſicut & entitas ipſa procedit à ſubſtantia, & ab ea accipitur: quare ſolùm arguit imperfectionem harum cauſarum, quæ cum accidentia ſint, ſemper habent attributionem ad ſubſtantiam, & aliquid eius cenſentur: non tamen arguit rationem cauſandi inſtrumentalem, quæ repugnat cum propria virtute intrinſeca, & proportionata effectui. Nam, quod cauſa ſit per ſe ſubſiſtens, vel inhærens, aut quod ſit ſubſtantia, vel accidens, non pertinet ad virtutem cauſandi, nec etiam ad modum cauſandi, ſed ſolùm ad modum eſſendi perfectum, vel imperfectum eiuſdem cauſæ; & ideò non facit eam inſtrumentum, ſi talis ſit, quòd effectus non excedat perfectionem eius, ex quo deſumenda eſt ratio cauſæ principalis, vel inſtrumenti.

QVÆSTIO VI.

An ſecundæ cauſæ ſolùm operentur per ſuas potentias, aut virtutes accidentales, vel præter earum efficientiam propriam, ac diſtinctam habeant.

CAuſæ ſecundæ concurrunt ad productionem ſuorum effectuum per virtutes agendi; quæ ſunt accidentia quædam,

vel potentiæ eis ſupperadditæ, vt ignis per calorem, & anima intelligit medio intellectu, atque etiam vult media voluntate. Quærimus ergo, an præter concurſum, quem præſtant per has potentias, vel virtutes accidentales, præſtent alium per formas ſubſtantiales; ita vt ignis ad generationem alterius ignis, non ſolùm concurrat per concurſum caloris, ſed alium etiam præſtet per formam ſubſtantialem, & anima rationalis ad intellectionem, & alias operationes vitales, non ſolùm per intellectum, & cæteras potentias; ſed præter concurſum, quem per eas præſtat, alterum diſtinctum præſtet per ſe. Si enim ſolùm præſtet concurſum per accidentia, non erit ipſa principium formale & proximum operationum, ſed radicale, & quaſi remotum; ſi verò alterum præſtet concurſum, per ſe formale, & proximum erit, & vt tali attribuentur ei operationes.

Prima opinio eſt Scoti, vbi ſupra, aſſerentis ſolam ſubſtantiam per ſubſtantialem formam concurrere per ſe, formaliter, & immediatè ad generationes: accidentia verò, aut potentias, ſeu virtutes nullo modo eam attingere. Sed alij ex Modernis, qui accidentibus concedunt inſtrumentalem concurſum, quantum ad hoc ſequuntur Scotum: quia præter concurſum, quem accidentia præſtant, proprium, ac diſtinctum aiunt habere ſubſtantiam virtute formæ ſubſtantialis. Probatur teſtimonio Ariſt. 2. lib. Phyſ. cap. 7. vbi triplicem cauſalitatem tribuit formæ ſubſtantiali, formalem, finalem, & efficientem: ſed primam, & ſecundam exercet per ſe; ergo etiam tertiam, quod verum eſſe non poteſt, niſi diſtinctum concurſum præſtet per ſe, ab eo, quem præſtat per accidentia. Vnde 2. lib. de Gener. tex. 54. & 55. reprehendit eos, qui efficientiam formarum negabant, dicentes eam ſolùm præſtare per accidentia, tanquam per inſtrumenta his verbis: *Amplius autem, & potentias attribuunt corporibus propter quas & generant, vt valdè inſtrumentaliter auferentes eam, quæ ſecundum formam, cauſam.* Quibus apertè docet, non eſſe confundendam efficientiam, quam præſtat ſubſtantia per formam ſubſtantialem propriam, cum ea, quam adhibet per accidentia, ſed diſtinguendam: quia principalis eſt, & cauſæ propriè conuenit, illa verò, quam præſtat per accidentia, ſolùm inſtrumentalis. 52

Probant deinde ratione primò, quia forma ſubſtantialis eſt principium formale eſſendi compoſito; ergo eſt etiam ei principium formale operandi, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi. Vnde Ariſto. 2. lib. de anima in principio, vtramque rationem tribuit animæ in duplici definitione, per quam eam definit; nam primò dicit eſſe actum ſubſtantialem corporis, 53

corporis, quod eſt eſſe ei principium formale eſſendi; deinde, quòd anima ſit principium, quo mouemur, ſentimus, & intelligimus, ſi verò ſolùm adhiberet concurſum per accidentia, non eſſet principium formale operandi; ſed radicale tantùm; imò nec accidentia concurrere poſſent, tanquam inſtrumenta eius ad generationem, probatur efficaciter; quia inſtrumentum non poteſt concurrere, niſi eleuetur à cauſa principali; ſed eleuari non poteſt inſtrumentum, niſi per actualem concurſum eiuſdem cauſæ principalis cum eo; ergo neceſſe eſt ſubſtantiam diſtinctum adhibere concurſum per formam ſubſtantialem, ab eo, quem adhibet per accidentia, alioqui neque hunc adhibere poterit, & ideò nullo modo erit cauſa efficiens generationis.

54 Secundò generatio eſt actio ſubſtantialis diſtincta ab alteratione; ergo requirit diſtinctum principium efficiens ſubſtantiale, à principio eiuſdem alterationis accidentali, & ex conſequenti diſtinctam virtutem, & diſtinctum concurſum actualem: ſed per accidentia eſt principium alterationis, & per eadem concurrit ad illam, non per ſe; ergo neceſſe eſt alium concurſum diſtinctum per ſe præſtare, alioqui non erit principium actuale, nec actualis cauſa efficiens generationis.

Sed quia ſtatim aduerſus hanc opinionem ſe offerebat grauis quædam difficultas plurium generationum ſubſtantialium, ad quas non poteſt concurrere per ſe ſubſtantia; nec per propriam formã ſubſtantialem adhibere proprium cõcurſum, ac diſtinctum ab eo, quem adhibet per accidentia, quales ſunt generationes auri, & argenti in viſceribus terræ, ad quas non poteſt concurrere ſol per ſe ipſum: quia non eſt præſens, ſed ſolùm per ſuas virtutes accidentales, quales ſunt lumen, calor medio lumine productus, & aliæ: & præterea generationes plantarum, & animalium, ad quas plantæ ipſæ, vel animalia non poſſunt per ſe concurrere, ſed ſolùm per virtutem ſeminalem, ob defectum eiuſdem præſentiæ. Moderni, qui eam ſequuntur, dixerunt in his omnibus caſibus primam cauſam ſupplere efficientiam ſecundarum, quam adhiberent, ſi præſentes forent. Itaque Deus ſupplet concurſum ſolis, hominis, & aliorum animalium, quem non poſſunt per ſe adhibere; quia non ſunt præſentes generationi per ſe iſtæ cauſæ: vnde nec ſunt cauſa proxima eius, neque effectus, vel ſubſtantiæ per eam productæ, ſed remotæ tantum, & ideò remota quadam ratione, & valdè impropria attribuitur eis generatio atque effectus productus per eam, qui eſt ſubſtantia genita: Deus autem ſolus eſt proxima, & propria cauſa generationis, & rei

genitæ, cui vt tali attribuitur vtraque. Imò apud hos Modernos, nullo modo homo eſt cauſa generationis hominis, nec eiuſdem hominis, quia tenent virtutem ſeminalem, non attingere vnionem animæ rationalis cum corpore; quia ſpiritualis eſt hæc, & illa corporea, corporea verò ſubſtantia non poteſt attingere productionem ſubſtantiæ ſpiritualis, etiam vt inſtrumentum.

Secunda opinio tenet ſubſtantiam ſolùm concurrere ad generationem alterius mediis accidentibus, ita vt præter concurſum; quem per illa præſtat, nullum alium præſtet per ſe, aut per formam ſubſtantialem; neque illum eſſe neceſſarium, ſed ſufficere, quod ſubſtantia concurrat per accidentia, tanquam per inſtrumenta propria, quæ eius virtute operantur, vt ei verè & propriè tribuatur generatio, & effectus, tanquam cauſæ proximæ. Ita Ægidius Theor.48.de Euchariſt. Zimara Theor.114. Caiet.1.p.q.53.art.3. & plures Moderni, *& videtur probabilior, & tenenda*, licèt in primis noſtris Commentariis, medium quoddam tenuerimus, aſſerentes ſubſtantiam, non ſolùm per accidentia concurrere ad generationem: ſed etiam per formam ſubſtantialem præbere diſtinctum concurſum; quando præſens eſt, in abſentia verò ſolùm concurrere per accidentia. 55

Vt autem hanc ſententiam explicemus ſimul, & probemus aduerſus oppoſitam, notandum eſt, Modum agendi proximarum cauſarum triplicem eſſe; nam quædam ſunt, quæ agunt immediatione virtutis ſimul, atque ſuppoſiti; aliæ immediatione ſolius ſuppoſiti, & non virtutis; aliæ tandem immediatione ſolius virtutis, & non ſuppoſiti. Illa cauſa agit immediatione virtutis, & ſuppoſiti, quæ per proprium ſuppoſitum præſens eſt paſſo, & per virtutem propriam illud contingit, & hoc modo concurrit ignis, dum agit in lignum ei approximatum. Immediatione ſuppoſiti, & non virtutis agit illud, quod per ſe præſens eſt paſſo; illud tamen non attingit per propriam virtutem ſed per alienam, & hoc modo operatur inſtrumentum: nam ſerra per ſe præſens eſt ligno, ſed non operatur circa illud modo artificioſo per propriam virtutem ſed per virtutem artificis, à quo mouetur. Immediatione tandem virtutis, & non ſuppoſiti operatur, quod per ſe non eſt præſens, ſed per virtutem propriam attingit paſſum, quo pacto agunt corpora Cœleſtia in hæc inferiora. 56

Secundò notandum eſt inſtrumentum duplex eſſe, coniunctum, & ſeparatum. Inſtrumentum coniunctum eſt illud, quod non poteſt agere, niſi ſit coniunctum cauſæ principali, & talis 57

eſt calor

eſt calor naturalis, qui ſolum coniunctus animæ poteſt concurrere ad productionem ſubſtantiæ viuentis ex alimento. Inſtrumentum ſeparatum eſt, quod etiam ſeparatum à principali agente, poteſt concurrere ad altiorem effectum; vt calor ignis, qui in ferro candenti producit ignem ex ſtupa, inſtrumẽtum ſeparatum cenſetur. Et ex his inſtrumentis quædam ſic ſeparata ſunt, vt coniuncta eſſe non poſsint, & tale eſt ſemen arborum, & animalium. Alia, quæ ſeparata poſſunt eſſe: atque etiam coniuncta, vt calor ignis, & cæteræ qualitates elementorum. Et ſicut diſtinguuntur inſtrumenta, ita etiam diſtinguuntur cauſæ propriæ: nam quædam ſunt, quæ per inſtrumenta tantùm coniuncta agere poſſunt, aliæ, quæ tantùm per ſeparata, vt animalia ad generationem, alia denique poſſunt per coniuncta, & ſeparata, vt elementa.

58 His adnotatis, noſtra ſententia duabus concluſionibus explicatur. Prima eſt, cauſæ ſecundæ ſolum concurrunt ad generationem per ſuas virtutes, & potentias, ita vt præter concurſum, quem per illa præſtant, non habeant aliud, ſiue inſtrumenta ipſa ſint eis actu coniuncta, ſiue ſeparata: vnde aliquãdo operantur per inſtrumenta coniuncta, aliquando per ſeparata. Probatur hæc in omnibus generationibus viuentium, atque etiam in generatione metallorum in viſceribus terræ, in quibus cauſæ ipſæ non ſunt per ſe præſentes: ſed ſolùm per ſuas virtutes; ergo ſolùm per illas cõcurrere poſſunt, per ſe verò nullum concurſum præſtabunt. Huic argumẽto dupliciter reſpondent autores alterius ſententiæ, primò Scotus, negans præſentiam cauſarum eſſe neceſſariam, vt cauſæ ſecundæ per ſe agere poſsint, ſed abſentes poſſe per ſe, per proprias formas ſubſtantiales agere. Sed hanc ſolutionem refutauimus q. 4. tãquam expreſsè contrariam doctrinæ Ariſtot. & principiis veræ Philoſophiæ. Ideò reſpõdent Moderni, qui Scotum ſequũtur, quod in his omnibus generationibus Deus per ſe immediatè ſupplet concurſum ſecundarum cauſarum, & ideò ei attribuuntur generationes. Sed hæc etiam ſolutio plura videtur habere incommoda; primum eſt, quod generationes non fiant à ſecundis cauſis, quia non concurrunt ad illas, niſi tanquam cauſæ remotæ, & ideò non tribuantur eis, quia cauſæ remotæ non tribuitur generatio, neque effectus, vt patri qui genuit filium, non tribuitur generatio, per quam idem filius generat alterum: quare non dicentur animalia, nec plantæ ſibi ſimilia generare, quod eſt contra omnem Philoſophiam, ſed in hominibus probatur efficaciùs, quia apud hos autores homo non concurrit per ſe immediatè ad gene

ad generationem hominis, cum non ſit præſens, & ideò Deus ſupplet efficientiam eius, nec etiam concurrit per virtutem ſeminalem tanquam per inſtrumentum, quia virtus ſeminalis apud eos, cum ſit corporea, non attingit vnionem animæ rationalis cum corpore, quæ eſt ſpiritualis, ergo nullo modo eſt cauſa generationis, vel hominis geniti. Nec verum eſt vllo modo ſibi ſimile generare. Ex quo etiam graue aliud ſequitur inconueniens: quòd non ſit relatio paternitatis, & filiationis inter homines. Probatur conſequentia: nam relationes iſtæ apud Ariſtotelem in prædicamento ad aliquid, & etiam apud omnes, fundantur in proceſsione vnius hominis ab altero per generationem, & vnus dicitur pater (inquit Ariſtot. eodem loco) quia genuit, atque produxit filium, tanquam efficiens eius cauſa; alter filius, quia genitus eſt ab eo, ſed vnus homo non procedit ab alio apud hos autores, nec generatur ab eo; ergo neque vnus habet relationem paternitatis, nec alter relationem filiationis, illa enim fundatur in generatione actiua, hæc in paſsiua, ſublatis igitur his fundamentis, non conſurgent relationes. Sed nec verum erit, quod Ariſtoteles aſſeruit, & recepit vniuerſa ſchola, nempè *ſol, & homo, generant hominem:* quæ ſatis difficilia ſunt. Et tandem nulla erit generatio vniuoca in viuentibus, ſed omnes erunt æquiuocæ. Probatur conſequentia, quia nulla fit à cauſa eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſæ; nempè à Deo, ergo nulla erit vniuoca. Propterea hoc ſupplementum cauſalitatum ſecundarum cauſarum à prima, difficilè mihi videtur, & argumentum pro noſtra ſententia factum, vix, aut nullo modo ſolui poſſe.

Sed probatur ſecundò, quia ſubſtantiæ creatæ propter ſuam imperfectionem non poſſunt agere immediatè per ſe, ſed mediis accidentibus, propter indigentiam conceſsis eiſdem à natura, vt illis mediis poſſint attingere paſſum, & effectum, ergo ex propria imperfectione habent non poſſe præſtare ſuum concurſum, niſi mediis accidẽtibus. Ex quo infero nullũ per ſe præſtare diſtinctum ab eo quẽ præſtãt per accidentia; & probo conſequentiam, quia ſi præter illum præſtarent alterum, per ſe immediatè illum præſtarent, & non mediis accidentibus, alioqui duos pręſtarent cõcurſus mediis accidentibus ad eundem effectum, quód repugnat. Et tandem, quia omnes generationes viuentium fiunt ſine tali concurſu, per ſolum eum, quem per accidentia præſtant; ergo in cæteris generationibus, & operationibus non erit neceſſarium ponere alterum, quem immediatè præſtent per formas ſubſtantiales; quia ſi generationes illæ omnium perfectiſsimæ ſine tali con- 61

curſu

curſu fiunt per virtutem ſeminalem tanquam per inſtrumentum ſeparatum, melius fieri poterunt aliæ, & ideò fruſtra, & ſine vlla neceſsitate poneretur.

62 Secunda concluſio; potentiæ, vel virtutes agendi, quæ ſunt inſtrumenta cauſarum ſecundarum, ſiue ſint inſtrumenta coniuncta, vel ſeparata, non indigent actuali motione, vel eleuatione; ſed ex eo ſolùm cenſentur eleuata, & operari, tanquam inſtrumenta earum, quia virtutes earum ſunt in hunc finẽ eis conceſſæ à natura, vt per eas poſsint propriam virtutem effectiuam exercere circa productionem ſuorum effectuum. Hæc non indiget probatione, ſed delaratione, cum valde ſit conſona principiis veræ Philoſophiæ, ex quibus habemus duos eſſe modos operandi per inſtrumenta coniuncta & ſeparata, duos etiam modos concurrendi immediatè cauſarum ſecundarum; nempè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, aut ſolius virtutis, & ideò, dum operantur per inſtrumenta ſeparata, concurrunt immediatione ſolius virtutis, dum verò per coniuncta, immediatione virtutis, & ſuppoſiti, & dum virtutes eorum ſunt inſtrumenta ſeparata; euidens eſt non indigere, imò neque habere poſſe actualem motionem, vel eleuationem, ſed ex eo ſolùm cenſeri ab eis eleuata, eorum quod virtutes ſunt, & vt tales operantur ad effectum ſuperioris ordinis, ad quem conſtat ex propria virtute non poſſe concurrere; ſed non minus eſt certum non indigere, nec habere aliam eleuationem, dum ſũt inſtrumenta coniuncta, quia nullam actionem habet ignis circa proprium calorem, vt poſsit per eum, tanquam per inſtrumentum agere, ſed eo ipſo cenſetur eleuatus; quia virtus propria eſt ſibi naturaliter coniuncta, vt per eam concurrat ad generationem ſubſtantialem.

63 Ad teſtimonium Ariſtotelis pro prima ſententia reſpondeo illos contra quos eo loco agit, falsò negaſſe efficientiam formis ſubſtantialibus, aſſerentes nullam prorſus habere, nec per ſe, nec per inſtrumenta: Noſtra tamen ſententia veram cauſalitatem eis concedit, non tamẽ per ſe exercitam; ſed per virtutes proprias, quæ ideò attingũt effectus ſubſtãtiales, quia virtutes ſunt, atque inſtrumenta formarum ſubſtantialium, quos proinde non poſſent attingere propria virtute, vnde eorum cauſalitas in eaſdem formas ſubſtantiales refertur, tanquam in radicem eius.

Ad primum conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, quia ſicut forma non agit, tanquam forma, hoc eſt in genere cauſæ formalis, ita non dicitur principium formale efficiendi, ſed principium efficiens, quod concedimus eſſe: quia tota

virtus

virtus efficiendi accidentium ab ea emanat, & ei attribuitur, quare verum eſt eſſe principium proximum radicale, cui attribuitur efficientia inſtrumentorum, potiùs quàm accidentibus, & ideò ei etiam attribuitur generatio, & effectus eius, qui eſt res genita. Aliud, quod dicitur non poſſe concurrere accidentia ad generationem, niſi per eleuationem, nec eleuari poſſe, niſi per actualem motionem, diſtinguendum eſt: nam duplex eſt eleuatio, vna naturalis, & quaſi per modum habitus, quam habere cenſentur accidentia abſque vlla motione actuali, ex eo ſolùm, quod ſunt virtutes ſubſtantiæ in talem finem à natura ei conceſſæ. Alia eſt eleuatio actualis, quæ fit per actualem motionem, vt dum ſerra eleuatur ab artifice, & hęc non poteſt fieri, niſi per actualem motionem. ſed hac non indigent accidentia, vel potentiæ; nam ſufficit eis prima: vt vera ſint inſtrumenta ſubſtantiæ, & vt talia operentur virtute eius.

Ad 2. conceſſo antecedenti, diſtinguendum eſt conſequens de diſtincto concurſu; quia non requiritur diſtinctus concurſus formalis, aut diſtinctus realiter, ſed ſufficit diſtinctus virtualiter, & ſecundum rationem. Itaque generatio requirit diſtinctum principium efficiens, & illud habet, nempe formã ſubſtantialem; ſed hoc principium radicale eſt, non per ſe cõcurrens, ſed per accidentia. Concurſus tamen accidentium dupliciter conſideratur, vno modo, vt ſolùm attingit alterationem, & alia accidentia per eam producta, & hoc modo procedit ab accidentibus ſecundum propriam virtutem, quam habent ex ſua ſpecie. Alio verò modo, vt etiam attingit generationem ſubſtantialem, & hoc modo, non ab eis ſecundum propriam virtutem, ſed vt ſunt virtutes ſubſtãtiæ, quibus mediis generat aliam ſibi ſimilem: vnde concurſus ita conſideratus non eſt eorum, nec eis attribuitur, ſed ſubſtantiæ ratione ſuæ formæ ſubſtantialis, cui generatio, & res genita attribuuntur, & non accidentibus, & hoc modo petit, & habet generatio diſtinctum principium, diſtinctam virtutem, & diſtinctum concurſum ab alteratione, & non alio. 64

QVÆSTIO VII.

An prima cauſa per ſe, & proximè concurrat cum ſecundis, ad quamcunque earum operationem.

EXplicata natura, & modo agendi ſecundarum cauſarum, & inſtrumentorum: agendum eſt iam de prima cauſa, à 65

qua

qua hæc, & illæ dependent, & de modo, quo concurrit cum eiſdem cauſis ſecundis ad ſuas operationes. Præſupponit autē quæſtio tanquam certum, quod aliquo modo ſaltem virtualiter concurrit cum eis ad omnes ſuos effectus, & quærit de actuali, & immediato concurſu, an per ſe immediatè, & actu cū eis concurrat, quod eſt concurrere immediatione virtutis, atq; ſuppoſiti, & non ſolum tanquam cauſam remotam, aut ſolum per aliquam virtutem

Et circa hanc quæſtionem fuit quædam poſitio tempore D. Auguſtini, aſſerens Deum à principio hunc modum produxiſſe ex nihilo: & poſtquam creaturis dedit eſſe, & virtutem operandi, commiſiſſe eiſdem propagationem, & multiplicationem eiuſdem mundi per generationem aliarum rerum ſibi ſimilium; ita vt poſt primam rerum creationem nihil amplius operetur Deus per ſe; ſed per creaturas, & ideò non ſit cauſa proxima operationum earum, atque effectuum, ſed remota tātum, ex eo, quòd eiſdem cauſis dedit à principio eſſe, & cum eo virtutem, per quam operantur, & hoc eſt non concurrere cum eis immediatè per ſe ad ſuas operationes.

66 Hanc poſitionem refert, 5. lib. de Geneſi ad literam cap. 20. his verbis: *Sunt qui arbitrentur tantummodo mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinauit, & iuſſit, Deum autem ipſum nihil operari poſt.* Eandem retulerunt Albert. Magnus in 1. diſt. 37. artic. 1. & Henricus quodlib. 14. quæſt. 3. quam poſtea ſecutus eſt Duran. in 2. diſt. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. Probatur teſtimonio Scripturæ ſacræ, ſtatim in principio Geneſis, dicentis: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum:* & paulò inferius: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quibus multiplicationem omnium rerum videtur Deus committere prorſus creaturis, poſtquam eis tribuit poteſtatem, & virtutem ſufficientem ad illam, ſicut ſolet Rex, per ſuas litteras communicare pro Regibus ſuam poteſtatem adminiſtrandi regna; ſed data eis hac poteſtate, non cōcurrit amplius Rex ipſe per ſe ad ſpeciales actus gubernationis; ſed à ſolis proregibus efficiũtur; nec talis concurſus Regius eſt amplius neceſſarius; ergo poſtquam Deus dedit creaturis virtutem, & poteſtatem operandi & præcepit eis ſuo verbo, vt operarentur ad multiplicationē rerum, & conſeruationem totius mundi, non amplius concurrit cum eis ad particulares operationes, nec talis concurſus eſt neceſſarius.

67 Probatur etiam ratione, primò, quia duæ cauſæ eiuſdem ordinis non requiruntur ad eundem effectum; niſi quando

vna

vna non habet ſufficientem virtutem ad illum producendum, ſed operari debet virtute alterius, & ab ea adiuuari, ex hoc enim requiruntur cauſæ ſecundæ præter inſtrumenta: quia hæc non poſſunt per ſolam virtutem proptiam effectum attingere, & ideò indigent adminiculo cauſarum ſecundarum, quarum virtute operantur, ex hoc etiam applicantur plures cauſæ partiales ad eundem effectum, quia virtus ſingularum nō eſt ſufficiens: ſed cauſæ ſecundæ habent ſufficientem virtutem producendi quaſcunque alias creaturas, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo non indigent adminiculo primæ cauſæ, nec eius concurſu ad eas producendas, & ſi eo indigerent, ſolùm concurrerent tanquàm inſtrumenta eius, & non vt cauſæ propriæ, & principales, vel certè tanquàm partiales cauſæ, quod conſtat eſſe falſum.

Secundò, quia certum videtur, poſſe Deum tam perfectas facere creaturas, vt per ſe, & abſque nouo concurſu eius poſſint producere ſuos effectus: quod ſi ita eſt, quis negare poterit tales eas feciſſe: & ſi tales fecit; non indigebunt nouo concurſu eius, ſed ſuperfluus omninò erit: quia duæ cauſæ principales, & proximæ eiuſdem ordinis efficientes non poſſunt eſſe neceſſariæ ad eundem effectum, & ideò nec poſſibiles: quia Deus nihil facit ſuperfluum, ſicut nec ſunt neceſſariæ duæ cauſæ aliorum generum pro eodem effectu, vt duæ materiæ, duæ formæ, aut duo fines. 68

Secunda ſententia aſſerit concurrere Deum cum ſecundis cauſis immediatè, non quidem immediatione ſuppoſiti, ita vt per ſe ipſum concurrat, ſed ſolùm immediatione virtutis, in quantum ſua virtute conſeruat eſſe, & virtutem earum, vt ita agere per hæc poſſint. Ita Ferra. 3. lib. contra gentes capit. 7. Probatque hoc argumento: agere immediatione ſuppoſiti, eſt attingere paſſum, aut effectum nullo alio medio ſuppoſito, quod attingat etiam eundem effectum: quo pacto dicitur Deus agere immediatione ſuppoſiti, dum aliquid creat ex nihilo: quia talem effectum non attingit medio alio ſuppoſito, ſed effectus, quos producit per ſecundas cauſas, non attingit, niſi mediis earum ſuppoſitis, de quibus euidens eſt per ſe attingere paſſum, atque effectum; ergo non attingit tales effectus immediatione ſuppoſiti, ſed ſolius virtutis, per quam eſſe earum, & virtutes operandi conſeruat.

Tertia ſententia affirmat cauſam primam per ſe immediatè concurrere ad omnes actiones, & effectus ſecundarum cauſarũ, contra primam ſententiam: & ideò non ſola immediatione virtutis, & ſuppoſiti, contra ſecundam. Et quantum ad primam 69

primam partem eam recipiunt ſancti Patres, & ſcholaſtici Doctores, tanquam contentam in ſacris litteris, & ideò ſententia Duran. erronea reputatur in ſchola. Vnde D. Auguſt. poſtquam eam retulit, *hac verba addidit, contra quos profertur illa ſententia Domini, pater meus vſque modo operatur, & ego operor: deinde, quia non ſolum magna, & pracipua, verum etiam illa terrena, & infima ipſe operatur, vt dicit Apoſtolus, tu nudum granum ſeminas, Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & vnicuique proprium corpus, hac D. Auguſt.* Et Paul. actuum 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus:* & epiſtola prima ad Corinth. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat ſed qui incrementum dat Deus:* eandem profeſsi ſunt antiquiſsimi Philoſophi; Trimegiſtus in Dialogo Crater. dicens, *Deum vbique præſentem agere omnia;* & Plato apud Damaſc. cap. 9. ſuæ Philoſophiæ, adeò certum eſſe exiſtimauit, vt ſecundas cauſas vocaret inſtrumenta primæ. & Ariſtoteles expreſsè docuit 7. lib. Phyſ. cap. 1. & lib. 8. cap. 5. & lib. 2. Meta. cap. 2. inferiorem cauſam non poſſe agere ſine influxu ſuperioris, ſed in lib. de cauſis, qui ab Ariſtotele, vel à Proclo grauiſsimo Philoſopho, cenſetur conſcriptus propoſitione prima, his verbis grauiſsimis continetur: *Cauſa prima adiuuat ſecundam cauſam ſuper operationem ſuam, quoniam omnem operationem, quam cauſa efficit ſecunda, prima etiam cauſa efficit eam, verùtamen efficit eam per modũ altiorem, & ſublimiorem.*

70 Et probatur ratione, primò, quia quidquid entitatis eſt in rebus, pendet à Deo in conſeruari; ergo eſſe cauſarum ſecundarum, virtus operandi, actualis concurſus, & operatio earum. Probatur euidenter conſequentia: quia hæc omnia ſunt entitates reales, & eo ipſo, quod dependent in conſeruari, dependent in eſſe, quia conſeruatio eſt continuatio in eſſe recepto; ſed Deus non facit, neque conſeruat hæc, per alias cauſas, ſed per ſe immediatè; alioqui daretur proceſſus in infinitum; ſequitur ergo non dari vllum concurſum cauſæ ſecundæ, nullamque operationem; cum quo & ad quam non concurrat Deus per ſe immediatè, & conſequenter ad omnes effectus. Secundò, ſancti Patres, & Scriptura ipſa ſacra colligunt intimam præſentiam Dei in creaturis ex operatione, quam habet in eis, vt ſuperius vidimus, ſed ſecundum ſententiam Durand. nihil modo in eis operatur; ergo nec præſentia in eis colligi poteſt ex operatione.

71 Secunda verò pars noſtræ ſententiæ, quòd prima cauſa concurrat ad operationes, & effectus ſecundarum, per ſe immediatè, & ideò non ſolum immediatione virtutis, ſed ſuppoſiti, probatur contra ſecundam ſententiam Ferta. hoc

modo, Concurrere ad aliquam actionem, vel effectum immediatione virtutis, & non ſuppoſiti, non eſt aliud, quàm concurrere per virtutem a ſe emanantem: non tamen per proprium ſuppoſitum, eo modo, quo concurrit ſol ad generationem auri, vel argenti; ergo ſolum hoc modo concurrit Deus cum ſecundis cauſis: conſequens eſt falſum; ergo, & opinio ipſa falſa eſt. Probatur minor, quia Deus concurrit ad conſeruandas virtutes operandi cauſarum, concurſus earum, & operationes, non ſolùm immediatione virtutis, ſed etiam ſuppoſiti: cum per ſe ipſum immediatè conſeruet omnia, nec poſsit hæc conſeruare per alias creaturas vel per aliquam virtutem; ergo nec poſſunt cauſæ ſecundæ operari, nec concurrere ad ſuas operationes: & effectus; niſi Deo per ſe immediatè vtraque immediatione cum eis concurrente.

Secundò, quia ſi Deus concurrit cum eis per ſolam immediationem virtutis, quæritur, per quam virtutem concurrat, creatam, vel increatam, ſi per virtutem creatam, hæc non poteſt eſſe alia à virtute earundem cauſarum: cum illæ ſolum operentur per ſe ad tales effectus, & tunc concurrere Deum hoc modo, non erit aliud, quàm concurrere, quia concurrunt ſecundæ cauſæ, quod eſt remotè cõcurrere, & non proximè, vt Durand. aſſerit, quare hoc erit incidere in ſententiam, eius iam refutatam, tanquam erroneam. Si verò concurrit per virtutem increatam; ergo etiam immediatione ſuppoſiti, probatur euidenter conſequentia; quia virtus increata non poteſt eſſe, niſi in ſuppoſito diuino; ergo nec per illam poterit Deus operari, quin concurrat per proprium ſuppoſitum. 72

Ad teſtimonia ſcripturæ pro prima ſententia, reſpondeo, Deum quidem commiſiſſe creaturis multiplicationem, tribuens eis virtutem producendi alias ſimiles, ſed virtutem creatam, & ideò à ſe dependententem, ſicut dependet quodlibet eſſe creatum ex propria natura, quare non poſſunt operari per eas, nec actualem præbere concurſum, niſi dependenter è prima cauſa actu conſeruante, virtutes ipſas concurſus, & operationes: & ideò, niſi actu cum eiſdem creaturis concurrente, & quidem per ſe immediatè, quia repugnat alio modo eas conſeruare. Et rurſus cum concurſus, & operationes earum ſint entitates reales extra cauſas, non poſſunt in actum exire, niſi à Deo ipſo procedant, quia quodcunque eſſe reale creatum debet procedere à Deo actu illud efficiente, atque immediatè, & per, ſicut immediatè conſeruante, quia conſeruatio non eſt aliud, quàm continuata productio.

Circa primum argumentum dubitari poſſet, an prima cauſa, 73

&

& ſecunda reſpectu eiuſdem effectus ſint partiales, & inadæquatæ, vel quælibet ſit totalis, & adæquata. Cui reſpondent Moderni quidam, ex parte effectus totales eſſe, & adæquatas: cum quælibet producat totum effectum, & cuilibet integer correſpondeat, & non partialiter; ſed ex parte cauſæ partiales vocari poſſe, quatenus nec ſecunda ſine prima, nec prima ſine ſecunda operantur. Et rurſus, quia ſi Deus ſolus produceret effectum, maiorem concurſum deberet adhibere, quàm dum producit eum cum ſecundis cauſis; ergo non videtur habere modum totalis cauſæ cum eis concurrens. Nobis tamen videtur, quod licet dubium hoc, quaſi in ſolo modo loquendi conſiſtat; non tamen eſt vtendum modo loquendi partialis cauſæ reſpectu Dei, propter intrinſecam imperfectionem in tali modo concurrendi neceſſariò incluſam; ſed dicendum eſt eſſe totales, & completas in ſuo ordine, quia concurſus, quem adhibet quæcunque, totalis eſt, completus, & ſufficientiſsimus in ſuo ordine primæ, vel ſecundæ cauſæ ad productionem effectus, & ideò nec in re, nec in modo concurrendi habent rationem partialium cauſarum. Nec obſtat, quod maiorem deberet concurſum præſtare Deus, ſi ſolus concurreret: quia tunc concurreret alio modo, ad concurrendum verò eo modo, quo nunc concurrit, hoc eſt cum alia cauſa ſibi ſubordinata, complete, & totaliter concurrit: cauſæ verò partiales non adhibent vllo modo ſufficientem concurſum, vt per ſe notum eſt, & ideò non habet locum ratio cauſæ partialis reſpectu Dei, nec ſecundarum cauſarum.

74 Ad formam autem argumenti reſpondetur diſtinguendo maiorem, nam duobus modis intelligitur ſufficiens virtus cauſæ ad producendum effectum, vel omninò ſufficiens, ita vt ſine adminiculo, aut dependentia ab altera poſsit producere effectum: aut ſufficiens in ſuo ordine cauſæ ſecundæ, & virtus ſecundæ cauſæ primo modo non eſt ſufficiens: cum nec poſsit ſola, nec ſine dependentia à prima producere effectum, eſt tamen ſufficiens ſecundo modo, & ideò neceſſarius eſt concurſus primæ, vt poſſit producere effectum; cauſa autem partialis, & inſtrumentalis, nec omninò ſunt ſufficientes, vt cõſtat; nec in ordine ſecundarum, quem nullo modo attingit inſtrumentũ: cum ſit inferioris longè virtutis, nec partialis cauſa; niſi cum illa imperfectione intrinſeca, qua caret ſecunda, vndè nec ſequitur ex neceſſario concurſu primæ cum ſecundis quod ſint partiales cauſæ, vel inſtrumenta.

Ad ſecundum, negandum eſt antecedens, quod factibiles

ſint à Deo creaturæ tantæ perfectionis, vt non dependeant in ſuis operationibus ex immediato concurſu eius: nam cum dependentia hæc in ratione intrinſeca creaturæ eſſentialiter ſit incluſa, repugnat fieri creaturam, quæ ſine tali dependentia poſsit operari. Quod euidenter probo hoc argumento, implicat contradictionem, quod fiat aliqua creatura à Deo, quæ non dependeat in eſſe; & conſeruari ab eo; ergo etiam implicat talem fieri, quæ non dependeat in operari. Probatur conſequentia, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi.

QVÆSTIO VIII.

Quidnam ſit concurſus, quo prima cauſa concurrit cum ſecundis ad proprias actiones & effectus.

NOn intelligitur quæſtio de omnibus ſecundis cauſis, ſed ſolum de naturalibus: nam concurſum eiuſdem cum cauſis liberis explicare, ageréq; de modo, quo eis tribuatur, ad Theologiam pertinet, ideò Theologis hæc libenter relinquo, & ſolùm diſputo de concurſu cum cauſis naturalibus, quærens, quid ille ſit, vel in quo conſiſtat. 75

Et prima opinio tenet concurſum diuinũ eſſe aliquid reale impreſſum à Deo cauſis ſecundis, actioni earum præſuppoſitum, non ſecundum prioritatem temporis: quia in eodem inſtanti in quo operantur, eis imprimitur, ſed ſolum ſecundum prioritatem naturæ, ita, vt ſit quaſi principium actionis, vel ſaltem tanquam conditio neceſſaria ad agendum, non tamen habens modum permanentis in cauſa ſecunda, ſed impreſsi per modum tranſeuntis cum ipſa operatione, his enim diuerſis modis loquuntur diuerſi, qui ponunt concurſum primæ cauſæ eſſe aliquid impreſſum ſecundæ ab ea, præcedens ordine naturæ actionem, vt teſtantur Conimbricenſes hoc loco, & Suarius Tomo 1. ſuæ Meta. diſp. 22. ſect. 2. aſſerit itaque hæc ſententia, ſecundam cauſam eſſe in actu primo ad agendum per naturalem virtutem, vt ignis per propriam formam, & calorem, non tamen omninò completè, & ſufficienter, ſed aliquid ei deficere, quod ſit quaſi complementum ſuæ virtutis, vt agere poſsit, vel ſaltem conditio, ſine qua non poteſt agere. Et hoc eſſe aliquid impreſſum ei à prima cauſa, quod appellatur concurſus eius cum ſecunda, & ita hæc dicitur agere dependenter à prima, mota à prima, & determinata ab ea. Hæc eadem videtur eſſe ſententia Fer. 3. lib. cõtra gentes ca. 70. vbi duplicẽ virtutem agendi diſtinguit in agentibus 76

tibus creatis, vnam firmam,& permanentē,quæ eſt propria,& naturalis, aliā verò quaſi incompletam, quā aſſerit non cōuenire eis,niſi quando actu operantur, tanquā inſtrumēta diuinæ virtutis, & eā vocat intentionē diuinæ virtutis, id eſt, qualitatem quandam,vel modum quodammodo diminutum & habentem quaſi eſſe quoddam intentionale ad modum ſpecierum intentionalium, per quas objecta concurrunt cum potentiis ad operationes. Hanc etiam attribuunt Moderni quidam D.Thomæ 1.p. q.105.12.q.109. art.1.& q.3.de potētia art.2. quibus locis aliquid etiam impreſſum à Deo ſecundis cauſis prius natura operatione earum ponere videtur, ſed quid ſentiat D.Tho.in hac re ſtatim dicemus.

77 Probatur hæc ſententia hac ratione, circa modum concurrendi primæ cauſæ cum ſecundis hæc omnia axiomata recipiuntur communi conſenſu totius ſcholæ: *Cauſa ſecunda applicatur ad operandum à prima. Cauſa prima excitat ſecundas ad operandum. Cauſa ſecunda determinatur à prima, & ſine tali determinatione non poteſt operari. Cauſa ſecunda non agit, niſi mota à prima. Cauſa ſecunda ſubordinatur primæ, vt inſtrumentum ſubordinatur artifici.* Quæ non poſſunt eſſe vera, niſi ponatur concurſum diuinum eſſe aliquid impreſſum ſecundis cauſis,actioni earum præſuppoſitum ſecundum prioritatem naturæ per modum principij, vel neceſſariæ conditionis ad operandum; ergo neceſſariò ponendum eſt. Probatur minor: quia non poteſt cauſa ſecunda applicari ad operandum à prima, nec excitari ab illa; vel ab ea determinari, niſi per aliquid ei impreſſum; nam ſi nihil nouum in ea ponatur, quod prius non habebat, nec dicetur determinari, nec applicari, vel excitari ad operandum de nouo, ſed eodem modo ſe habebit, quantum ad hæc omnia, nunc,& prius. Et illud, quod neceſſariò ei debet imprimi, debet etiam præcedere operationem eius ſecundum prioritatem ſaltem naturæ; quia excitatio ad operandum,determinatio,& motio,prior natura eſt operatione; ergo id,per quod excitatur, mouetur, & determinatur ad operandum,prius debet eſſe operatio ipſa.

78 Hæc tamen ſententia falſa eſt, quod duplici argumento probatur; primò quia ſi concurſus diuinus eſt aliquid reale impreſſum ſecundæ cauſæ, operationem eius præcedens, vt, per talem impreſſionem cenſetur concurrere prima cauſa cum ſecunda, ita vt nihil aliud præter impreſsionē faciat; vel præter impreſsionem illam cōcurrit poſtea tribuens ei auxilium per modum actus, ſi primum dicatur; ſequitur non concurrere ad operationes, & effectus creaturarum immediatione ſuppoſiti,

ſed ſolius virtutis,quod probauimus falſum q.præcedenti.Probatur cõſequentia,quia operatio ſequitur impreſſionem illam; ergo ſi nihil aliud facit prima cauſa præter impreſſionem, non concurrit actu, & per ſe ad operationem ſequentem, ſed ſolùm per illam virtutem impreſſam,quod eſt ſola immediatione virtutis, & non ſuppoſiti concurrere. Si verò dicatur ſecundum, quod præter impreſſionem illam concurrit per modum actus cum ſecunda cauſa ad operationem; vel concurſus iſte ſuperfluus eſt; vel ſuperflua eſt impreſſio. Probatur hoc modo, concurſus primæ cauſæ conſiſtit in illa impreſſione præcedente operationem; ergo facta illa impreſſione cenſetur concurriſſe prima cauſa ad operationem ſecundę;non eſt igitur neceſſarius concurſus alius,ſed omninò ſuperfluus. Et ſi adhuc dixeris eſſe neceſſarium, ſequitur ſuperfluam eſſe impreſſionem. Probatur conſequentia,quia cauſa ſecunda naturalis ſufficienter eſt in actu primo per ſuam formam,& virtutem operandi, quam nõ excedit operatio,vel effectus;ergo nihil aliud requiritur, vt ſit ſufficienter in actu primo,quare fruſtra ponitur aliquid ei impreſſum.Probatur conſequentia, quia non requiritur, vt ſecũda cauſa ſit ſufficienter in actu primo,nec etiam,vt prima concurrat cum ea in actu ſecundo,cum talis cõcurſus ponatur poſt impreſsionem; ergo neceſſe eſt impreſsionem, vel actualem concurſum eſſe ſuperfluum.

Secundò probatur, quod illud impreſſum non ſit conditio neceſſaria ad actionem creaturæ;quia ſi illud, quod imprimitur eſt concurſus diuinus, & ſolum eſt conditio neceſſaria ad agendum,ſicut approximatio agentis ad paſſum: cum per talẽ concurſum dicatur concurrere prima cauſa ad operationem, atque effectum ſecundæ; ſequitur concurrere, tãquam cauſam ſine qua nõ,& non tanquã cauſa per ſe,quod patet eſſe falſum. 79

Secunda opinio *eſt vera & tenenda*, quod concurſus primæ cauſæ cum ſecunda nihil ſit impreſſum ei à prima, præcedens actionem; ſed eſſe ipſammet actionem ſecundæ cauſæ, prout prouenit à prima. Ita Suarius vbi ſupra, & Conimbr.2.Phyſ. cap. 7.quæſt.13. art. 1. & 2. & Moderni ferè omnes. Et hæc abſque dubio eſt ſententia D. Thomæ *& vera*, 1. p. qu. 14. artic.13. & q.19. art. 8. vbi, explicans illud axioma: *Cauſa ſecunda non agit, niſi mota à prima*. Ait intelligendum eſſe,nõ de motione præuia, ſed de motione intrinſecè cooperante actioni:motio autẽ cooperans actioni creaturæ ſimultanea eſt;quare nihil aliud eſſe poteſt impreſſum, eidem actioni præuiũ, (vt ponit prima ſententia) ex mente D. Thomæ,ſed eſt actio ipſa, vt à prima cauſa procedẽs, quod tenuit etiam expreſsè Scotus

in 2.

in 2.d.12.q.1. ad vltimum, vbi cauſam ſecundam agere in virtute primæ non eſſe, quòd aliquid ab ea recipiat, ſed, quòd vtraque actu agente, ſecunda ſubordinetur primæ, his verbis docet: *Ex his patet, quod concurſus cauſæ primæ in cauſam ſecundam, non eſt influentia noua, quæ ſit productio alicuius inhærentis cauſæ ſecundæ; ſed influentia eſt determinatus ordo iſtarum cauſarum in agendo effectum communem.* Idem ſentiunt Almainus 1. Moral.cap.1.Greg.in 2.d.28.q.1.art.3.ad 12.Capreol. ibidem, q.1.art.3.ad 12.contra 2.concl.Gab.in 2 d.37.art.3.dub.2.

80 Et probatur ratione, primò, quia poſito concurſu diuino actuali, repugnat non ſequi actionem naturalem; vt per ſe eſt manifeſtum, ſed poſita quacunque impreſſione præuia actioni, poteſt Deus actionem ſuſpendere; poſito autem, quòd actio ſecundæ cauſæ procedat à prima, repugnat ſuſpendi; ergo concurſus Dei actualis non poteſt eſſe aliquid impreſſum ſecundæ cauſæ præcedens actionem, ſed eſt actio ipſa prout à Deo procedit. Probatur minor, quia impreſſio illa, quæ ponitur pro actuali concurſu, eſt prior natura actioni, ergo non repugnat, quòd ea poſita ſuſpendatur actio, quia non repugnat Deum poſito aliquo priori ſuſpendere poſterius, quod ex eo ſequitur diſtinctum realiter, ſed conſtat impreſſionem illam natura priorem actioni, eſſe rem diſtinctam ab actione, tanquam principium efficiens eius; ergo impreſſione poſita poteſt actio ſuſpendi à Deo. Quod verò non poſſit, non ſequi actio ſecundæ cauſæ, ſuppoſito, quòd procedat à prima, euidentius eſt, quia ſuppoſito, quod prima operatur per ſecundam, repugnat actionem, vel effectum non procedere à prima, procedens autem ab vtraque ſimul non poteſt ſuſpendi; ergo concurſus actualis primæ cauſæ in ſola actione ſecundæ cauſæ conſiſtit, vt ab ea procedente.

81 Secundò, quia bene ſequitur, concurſus primæ cauſæ cum ſecunda ad ſuum effectum eſt aliquid reale non præcedens actionem, neque conſequens illam; ergo eſt ipſamet actio ſecundæ cauſæ, prout procedens à prima. Conſequentia euidens eſt, quia nihil reale excogitari poteſt, præter actionem ipſam, quod eam non præcedat, tanquam principium; vel eam non ſequatur, vt effectus. Maior verò certiſſima eſt; nam ſi prima cauſa realiter concurrit cum ſecunda, aliquid reale erit concurſus eius. Sed probatur minor, quia iam vidimus talem concurſum primæ cauſæ non eſſe aliquid præuium actioni ſecundæ, ſed quod non ſit conſequens magis notum eſt, quia ſi concurſus primæ cauſæ eſſet aliquid poſterius actione, euidenter ſequitur non concurrere ad illam: nam ſi actio præſuppo-

nitur concurſu eius,ſine illo erit facta à ſecunda. Et ideò verum erit, quod ad eam non concurrat. Reſtat igitur concurſum primæ cauſæ eſſe actionem ipſam, vt ab eo procedentem, quia nihil poteſt eſſe ſimul cum ipſa actione per modum actus,quod realiter non ſit ipſamet actio.

Sed vt veritas noſtræ ſententiæ meliùs intelligatur, & faciliùs ſolui poſſit argumentum, notandum eſt, actionem ſecundæ cauſæ, & primæ cum ea concurrentis ad effectum, eandem eſſe, vt docuit expreſsè D. Thomas 1. part. quæſt. 105. artic. 5. ad ſecundùm, his verbis: *Vna actio non procedit à duobus agentibus eiuſdem ordinis, ſed nihil prohibet, quod vna, & eadem actio procedat à primo, & ſecundo agente.* Et cum eo Capreol. in 2. d. 1. quæſt. 2. artic. 3. & Ægidius ibidem quæſt. 2. artic. 6. & probatur hac ratione; quia ſi diuerſis actionibus concurrerent prima, & ſecunda cauſa ad productionem eiuſdem effectus, vel actio ſecundæ cauſæ eſſet ab ea ſola, & non à prima, vel prima agens per diſtinctam actionem adhuc concurreret cum ſecunda ad propriam: vtrumque eſſet falſum; ergo neceſſe eſt dicere, quod per eandem actionem realem concurrant ad effectum. Probatur minor, quia ſi actio creaturæ ab ea ſola procederet, non concurreret ad eam prima, ſed ſolùm diceretur concurrere ad propriam: ita, vt verum eſſet, ſimul efficere proprias actiones, neutram tamen efficere actionem alterius, & hoc eſſet incidere in ſententiam Durandi iam refutatam, quod prima cauſa non concurrat per ſe immediatè cum ſecundis ad ſuas actiones, & effectus. Si verò adhuc prima cauſa agens per diſtinctam actionem concurrit ad actionem ſecundæ; ergò concurſus eius erit ipſamet actio ſecundæ cauſæ: nam ſi eſſet alia, non diceretur ad eam concurrere, ſed ſimul ac diſtincta actione agere cum cauſa ſecunda; quod patet eſſe falſum. 82

Suppoſito ergo, quod eadem ſit actio primæ, & ſecundæ cauſæ, notandum eſt ſecundò, duplicem eſſe actionem primæ cauſæ, Immanentem, & Tranſeuntem. Immanens eſt actus voluntatis diuinæ, per quem vult effectum extra fieri, & actionem ſecundæ cauſæ, per quam fit ab eadem ſecunda cauſa procedere; & actio hæc non eſt aliud ab eſſentia diuina, vt fundamentum relationis rationis ad creaturas. Alia eſt actio Tranſiens, & hæc non eſt in Deo, ſed in creatura, non quidem in ea, quæ cauſa ſecunda eſt effectus, qui producitur, ſed in altera circa quã iſta operatur, vt in ligno, circa quod operatur ignis, niſi fortè eadem actio, quæ reſpectu Dei vocatur tranſiens, ſit immanens reſpectu creaturæ, à qua procedit, tanquam à cauſa ſecunda, vt ſunt intellectiones, & volitiones noſtræ: nam 83

tunc

tunc actio Dei in eadem ſecunda cauſa reciperetur: cum ſit etiam actio propria, & immanens reſpectu eius, ſed reſpectu Dei dicetur tranſiens, quia extra ipſum eſt, & reſpectu cauſæ ſecundæ immanens, quia manet intra ipſam.

84 Ex quibus intelligitur, Deum concurrere cum ſecunda cauſa, vt cum igne ad productionem caloris, nihil aliud eſſe, quàm efficere eandem eius actionem: nam eo ipſo, quod eam ipſe efficit, ſimul efficit concurſum ignis, qui eſt eadem actio, vt ab eo procedens, & ideò concurſus primæ cauſæ non eſt aliud, quàm actio ipſa, vt procedens ab ea, ſic autem intelligitur eandem actionem, quæ eſt concurſus vtriuſque cauſæ, ab vtraque procedere; vt à prima procedat abſolutè, hoc eſt ſine dependentia ab aliquo, à ſecunda verò cum intrinſeca dependentia à prima, & ideò licèt in eodem momento temporis procedat ab vtraque, ſed priùs natura à prima; quam prioritatem efficit dependentia ipſa; nam dependentia cauſalitatis, prioritatem naturæ includit apud Ariſtotelem, & omnes. Vnde ſequitur cauſalem hanc conſequentiam veram eſſe, & propriam; quia effectus, vel actio procedit à cauſa prima, procedit à ſecunda, non tamen oppoſitam, quia procedit à ſecunda, procedit à prima. Sed argumentum erit à poſteriori, ſi dicamus, calor procedit ab igne; ergo procedit à Deo, euidens tamen, ac neceſſarium, quia neceſſe eſt, ſi cauſa ſecunda operatur, primam concurrere cum ea: & cum concurſus primæ ſit eadem actio ſecundæ, vt ab eadem prima procedens, neceſſarium eſt etiam, quod ſi actio, vel effectus procedit à cauſa ſecunda, procedat etiam à prima.

85 Ad argumentum alterius opinionis concedenda eſt maior, quod omnia illa axiomata de concurſu primæ, & ſecundæ cauſæ probata, ſint vera, ſed neganda eſt minor, quod non poſſint eſſe vera, niſi concurſus primæ cauſæ ſit aliquid impreſſum ſecundæ præuium actioni eius: nam multò melius ſaluatur veritas eorum, nihil tale admittendo, ſed ponendo potius, quod concurſus primæ cauſæ cum ſecunda ſit eadem actio ſecundæ, vt procedit à prima, ſicut concurſus ſecundæ, non eſt aliud, quàm eadem actio, vt procedens ab eadem ſecunda. Ex eo enim, quod eadem actio procedit ab vtraque, ſed prius natura à prima per dependentiam, intelligitur, quòd prima cauſa moueat, & excitet ſecundam ad operandum, & hæc operetur vt mota, & excitata à prima, atque etiam virtute primæ: intelligitur tandem, quod prima determinet ſecundam ad operandum: ſed determinatio duplex eſt, quo ad ſpe-
86 cificationem, & exercitium, & primo modo ſecunda cauſa

determinat primam: probatur euidenter, quia determinatio, quo ad ſpecificationem in eo conſiſtit, quòd actio, & effectus producendus à cauſa ſecunda cum concurſu primæ, vel à prima per ſecundam ſit huius vel illius ſpeciei, ſed actio, & effectus talis ſunt ſpeciei: quia talis eſt forma ſecundæ cauſæ, per quam operatur; ergo per ſecundam cauſam determinatur concurſus primæ quantum ad ſpecificationem. Determinatio verò, quoad exercitium eſt determinatio ad hunc effectum numero, aut hanc numero actionem, ſed cauſa ſecunda eſt indifferens ex ſe ad producendum hunc, vel illum effectum, per hanc, vel illam numero actionem; ergo determinari debet à prima, vt hunc effectum potius, quàm alium producat, & per hanc numero actionem; potius quàm per aliam, quæ determinatio ſufficienter ſaluatur per ſolam prioritatem naturæ; quia eadem actio, idemque effectus, prius procedit à prima cauſa, quàm à ſecunda vt expoſitum eſt. Hoc exemplo placet vtramque determinationem explicare, vt effectus procedens ab igne, & Deo ſimul concurrentibus, ſit calor & non frigus, vel res alterius ſpeciei, vt actio, per quam eum producunt, ſit calefactio, & non actio alterius ſpeciei, ab eiuſdem ignis natura prouenit, in ordine ad quam ſpecificatur actio, & quæ ad hunc effectum, & non alium iuxta propriam ſpeciem producendum inclinatur, à qua determinatur Deus, vt ſuum concurſum ei præſtet ad eandem calefactionem; & calorem producendum, & non ad actionem, & effectum alterius ſpeciei. Sed vt ignis iſte in hoc tempore, & loco, circa hoc ſubiectum, & cum aliis circumſtantiis operetur, & hunc concurſum, & non alterum præſtet: & ita iſte numero calor producatur, & per hanc numero calefactionem, non ab eodem igne, ſed à Deo illum ſic mouente, & determinante prouenit.

QVÆSTIO IX.

Quonam modo prima cauſa præſtet ſuum concurſum ſecundis.

SPecialem difficultatē continet quæſtio præſens, ſuppoſitis 1
his, quæ in præcedenti determinata ſunt, videlicet concurſum primæ cauſæ nō eſſe aliquid impreſſum ſecundis, actionibus earum præuium, ſed actionem ipſam ſecundæ cauſæ, prout ab eadem prima prouenit. Quod ſi ita eſt, difficilis apparet modus, quo talem concurſum eis tribuat: & ratio difficultatis eſt; quia ſi primam cauſam concurrere cum ſecunda non eſt aliud, quàm ſimul ab vtraque procedere eundem effectum,

effectum, eandemque actionem, à quonam coniunguntur: non enim coniunguntur ad operandum, vel producendum eundē effectum naturaliter; quia prima cauſa non naturaliter, ſed liberè tribuit proprium concurſum cauſis ſecundis, etiam naturaliter operantibus: neque coniunguntur per aliquam vnionem, vel coniunctionem, quam prima producat circa ſecundam, per quam eam ſibi coniungere dicatur, quia nihil ei imprimere probauimus eidem actioni præuium, per ipſam verò actionem, quæ eſt concurſus; vtriuſque; non videntur coniungi poſſe: quia concurſus primæ, non eſt productio alicuius circa ſecundam, vt per illud eam ſibi coniungere dicatur: quare non apparet, per quidnam coniungi poſsint, & cum concurſus ex coniunctione dependeat, vel ſit coniunctio ipſa non apparet, quonam modo tribuatur ſecūdæ à prima, niſi aliquis dicat ab aliquo tertio cōiungi diſtincto ab vtraque: quod pugnat cum ſumma dignitate, & libertate primæ cauſæ, quarū ratione cogi non poteſt ab aliquo ad talem concurſum præſtādum; in hoc eſt poſita tota difficultas huius quæſtionis potius, quam in diuerſitate opinionum, aut difficultate aliorum argumentorum.

2 Cui reſpondemus, ex dignitate, vniuerſalite, libertate & efficacitate primæ cauſæ prouenire modum, quo ſibi coniungit ſecundas, concurſum eis præbens ad effectus, & operationes naturales. Nam cum per intellectum, & liberam voluntatem operetur, quidquid extra ſe operatur, & à propria determinatione, quam ſemel habet, ſit omninò immutabilis, ita, vt neque ab alio, neque à ſe mutari ab ea poſsit, ab æterno decreuit has res, non alias producere per has cauſas ſecundas, hoc ordine, hoc tempore, hoc loco, his motibus, aut actionibus, & non aliis, tantoque concurſu, & non maiori, vel minori, ac poſtulat natura ſpecifica, & indiuidualis earum. Ex efficacitate autem huius determinationis prouenit, quod per ſe coniungantur prima, & ſecunda cauſa, & per ſe vna cooperetur alteri ſuum concurſum præſtans, aut recipiens ad operandum: ita vt cōiunctio ex virtute, & voluntate primæ fiat, ſecunda tamen non reſiſtente, ſed potius ex naturali inclinatione cooperante, nam cum habeat eſſe participatum à prima, atque etiam virtutem operandi, per ſe dependet in agendo, ex concurſu eius, & per ſe inclinatur ad operandum ex illo.

3 Quare non eſt neceſſaria, alia motio, vel impreſsio, vt duæ iſtæ cauſæ, quaſi in vnum conueniant; ſed ſufficit æterna voluntas Dei prædefinientis, præparantis, & quaſi offerentis determinatum concurſum ad determinatam actionem, & effectum;

ctum,& ex virtute æterni decreti temporalis exhibitio eiuſdẽ concurſus tali tempore, & cum determinatis circumſtantiis, vt ſecunda cauſa naturaliter ſubordinata primæ, eidem coniũgatur, & ex concurſu eius agere dicatur, quidquid agit, & quãdocunque agit.

Ex quibus infertur primò, concurſum Dei, non eſſe vnum, & eundem, cum omnibus ſecundis cauſis, ſed diuerſum iuxta diuerſitatem earum ſpecificam, aut numericam, ita vt concurſus quem tribuit igni ad generandum ignem, ſpecie diſtinctus ſit ab eo, quem tribuit equo, aut leoni ad generandum alterum ſibi ſimilem: & concurſus, quem tribuit huic igni ad generandum hunc ignem diuerſus numero ſit ab eo, quem tribuit alteri igni. Probatur primò, quia ſi cõcurſus primæ cauſæ non eſt aliud, quàm actio ipſa, ab eo proueniens, pro diuerſitate ſpecifica, aut numerica actionis diuerſus numero, aut ſpecie erit cõcurſus. Secundò, quia cauſa prima in tribuendo concurſum ſecundis, ſe accommodat naturæ, & indigentiæ earum, ſed quælibet petit diuerſum concurſum ab alia, numero, aut ſpecie pro diuerſitate naturæ, aut conditionis propriæ, ſicut actio eius numero, aut ſpecie diuerſa eſt; ergo diuerſum eis præbebit concurſum iuxta earum diuerſitatem. 4

Secundò infertur alio modo Deum influere in effectum, dum ſolus eum producit, ac dum ſimul cum ſecunda cauſa, vt dum aliquid creat ex nihilo, vel cum ſecunda cauſa cõcurrit ad generationem: nam dum ſolus operatur, adhibet totum concurſum requiſitum, & ſufficientem ad productionem effectus, ſed dum concurrit cum cauſis ſecundis, minorem tribuit; quia minor requiritur, & ſufficit ad producendum effectum ſimul cũ ſecunda cauſa, quàm ſine illa. Quod ſic probo, quia dum Deus operatur cum ſecunda cauſa, quaſi partitur concurſum ſufficiẽtem ad producendum effectum inter ſe, & ſecundam cauſam; quare non adhibet ipſe totum; ſolus autem operãs totum adhibet; ergo abſque dubio maiorem, quod non ſic intelligendũ eſt, vt prima, & ſecunda cauſa ſimul operantes partiales cõcurſus præſtent, ſicut plures trahentes nauim; nam ſi ita eſſet, partiales, & incompletæ cauſæ forent, ſed totalem, & completum præſtant, quia totum requiſitum, & ſufficientem ad effectum in ſuo ordine cauſandi: nempe prima totum, quod ex parte primæ requiritur, & ſecunda totum etiam, quod requiritur ex parte ſecundæ; ſed talis concurſus primæ minor eſt, quàm tribueret, ſi ſola operaretur: concurſus autem partialis cauſæ, nec abſolutè eſt ſufficiens, nec in ordine ſecundæ cauſæ, ſed inſufficiens etiam in hoc ordine, & qui ſine alio, vel aliis eiuſdem 5

dem ordinis nõn ſufficit ad productionem effectus.

6 Ex quibus intelligitur; quod licet prima cauſa ſola poſſit producere effectum quem producit cum ſecunda, non tamen, niſi adhibendo maiorem concurſum, quem præſtat operans cum ſecunda: probatur, quia ſola operans ſupplere debet concurſum quem præſtaret ſecunda, quod non poteſt fieri, niſi præſtando maiorem.

TRACTATVS V.

De cauſa finali.

PRopter ignorantiam finalis cauſæ teſtatur Ariſtoteles veteres Philoſophos in multos errores incidiſſe cap. 8. huius lib. 1. lib. de partibus animalium cap. primo, & lib. 1. Meta. cap. 3. nam cum ſit primum principium totius progreſſus agentiũ, graue periculum errandi in multis incurritur per ignorantiam finis; & propterea neceſſe eſt naturã huius cauſę diligenter inueſtigare, vt eã perfectè cognoſcere poſsimus. Sex igitur quæſtiones circa eam diſputabimus, Prima erit, an finis ſit vera, ac realis cauſa naturalis. Secunda, quæ ſit ratio obiectiua, per quã conſtituitur in ratione cauſæ finalis. Tertia, quænam ſit cauſalitas eius. Quarta, an eſſe cognitum ſit cognitio neceſſaria, ſine qua non poteſt actu cauſare. Quinta, an finis moueat agentem per bonitatem, quam habet extra, vel per eſſe cognitum, quod habet ab intellectu. Sexta, an vltimus finis concurrat immediatè cum fine particulari quocunque, ſicut prima cauſa efficiens cum quocunque particulari efficiente.

QVÆSTIO I.

An finis ſit vera cauſa realis, & Phyſica.

7 VT meliùs intelligatur quæſtio quædam ſunt explicandæ diuiſiones finis, & prima eſt, finis alter, eſt finis, cuius; alter finis, cui: finis cuius, dicitur res illa, propter quã conſequendam mouetur aliquis ad operandum, vt ſanitas eſt finis, cuius: quia propter illam aſſequendam ſumit infirmus medicamenta omnia: finis, cui; vocatur res illa, cui volumus eandem rem; quæ vocatur finis, cuius; vt homo eſt finis, cui volumus eandem ſanitatem, non enim eam intendimus, niſi vt nobis, vel alteri eam acquiramus.

Secunda diuiſio eſt, finis aut operatio, aut res ex operatione reſultans: operatio dicitur finis, ſi propter ſe intẽdatur, hoc eſt non

non propter aliũ finem intrinſecum,& permanentem ea trãſacta, in quem per ſe ordinetur. Gratia exempli,contemplatio eſt operatio quædam propter ſe appetibilis, & quæ non intenditur propter alium finem , in quem neceſſariò ſit ordinanda, tanquam in rem permanentem poſt ipſam , licet extrinſecum finem habere poſsit,vt delectationem , vel aliquid aliud;& licet proprium terminum intrinſecum habeat in eodem intellectu:cuius proprius actus eſt , non tamen permanentem poſt ipſam; ſed qui cum ea tranſit.Finis verò , qui eſt res ex operatione reſultans ,eſt ſanitas acquiſita per curationem.Hanc diuiſionem affert Ariſtoteles primo lib.Ethic.cap.1. & primo li. Magnorum moralium cap.3.

Tertiò diuiditur finis in finem operationis , rei factæ , ſeu genitæ. Primum membrum huius diuiſionis tetigit Ariſtoteles 2.lib. de cœlo cap.3. vbi dixit quamlibet rem eſſe , & fieri propter ſuam operationem ; vt ignis propter calefactionem, membrum verò ſecundum tetigit in hoc 2.lib. cap.7. aſſerens formam eſſe finem generationis ; quod intelligitur , tanquam res facta,non tanquam operatio. Sed dum in primo membro dicitur,finem alium eſſe,tanquam operationem,non intelligitur nuda operatio,ſed res cuius eſt operatio;vt perfecta per ipſam.Gratia exempli,ignis non eſt propter calefactionem nudã ſed propter illam,tanquam id, quo perficitur : nam ſi nudè cõſideretur;erit effectus ignis,ſed finis nullo modo.Nomine etiã rei factæ non intelligitur nuda forma, ſed quatenus componit rem completam,hæc eſt enim res facta ſimpliciter;forma verò non facta,ſed quo aliud fit. 8

Quarta diuiſio finis eſt,vnus eſt formalis , alter obiectiuus. Formalis eſt operatio , per quam conſequimur aliquod obiectum,aut notitiam eius,& finis obiectiuus eſt obiectum ipſum cuius notitiam aſſequimur,vt viſio clara Dei vocatur finis formalis,& Deus ipſe clarè viſus finis obiectiuus. Et iuxta hanc diuiſionem diuidunt etiam Theologi beatitudinem in formalem,& obiectiuam, formalem vocantes viſionem claram Dei; & Deum clarè viſum beatitudinem obiectiuam. 9

Quinta diuiſio finis eſt in finem per operationem factum, & in finem eidem operationi præſuppoſitũ.Et finis factus eſt res illa, vel operatio facta, vt ſanitas eſt finis factus per operationem;ſed finis præſuppoſitus eſt homo , qui præſupponitur ſanitati, & non fiet per curationem ; ſed intenditur , tanquam perfectus per finem factum.Et hanc diuiſionem tetigit Ariſtoteles,capite tertio & ſeptimo, huius libri quinti,Metaphyſ. ca. ſecundo;& libro duodecimo; textu 36. atque etiam ſecundo lib.de

lib.de Cœlo,textu 64.& D.Thomas 3.lib.contra gentes, c.18.

10 Vltima diuiſio finis eſt in proximum,& vltimum. Vltimus finis eſt in quem ordinantur omnia, vt bonum ſub ratione boni ſumptum, vel ſummum bonum.quod eſt Deus.Finis proximus eſt, in quem proximè tendit intentio, vel actus agentis: vt bonum temperantiæ eſt proximus finis temperatè comedẽdi;ſed finis proximus ſemper ordinatur in vltimum,vel ſaltem ordinabilis eſt.Hæc etiam diuiſio ſumitur ex Ariſtot. 2. Met. cap.2.atque etiam ex locis proximè citatis.

His explicatis,tria dubia proponemus, quibus ſolutis, ſoluta etiam erit quæſtio.Eſt autem primum circa primam diuiſionem finis,in finem cuius, & finem cui: quiſnam illorum propriè ſit finis.Et multi tenent finem, cui,propriè eſſe finem; non verò finem cuius. Ita Gab. in 2.d.1.q.5. Ocham in 2.q.3. art.3.quod videntur deſumpſiſſe ex Henr.quolib.2. q.1. probantque quia ſolum habet rationem finis illud,in quo ſiſtit intentio agẽtis,ſed in ſolo fine,cui,ſiſtit intẽtio agẽtis,imò illum ſolum videtur intendere;nam ſanitatem, quæ eſt finis, cuius, nemo intenderet;niſi propter finem,cui,nempe, quia bonum hominis eſt, cui eam volumus.Alij verò Moderni, vtrumque habere veram rationem finis ſentiunt; quia diuiſum debet cõuenire cuicunque membro:Sed veram ſolutionem huius dubij attulit D. Thom.prima ſecundæ q.1.art.8. q.2.art.7. & q.11. art.3.ad 3.quibus locis, præſertim vltimo, ait finem, cuius,& finem, cui, non eſſe duos fines, ſed ex vtroque fieri vnum, eo ferè modò,quo ex obiecto materiali,& formali alicuius ſcientiæ, vel potentiæ fit vnum obiectum completum, tanquam ex obiecto & ratione formali obiectiua;quare finis cuius (inquit D. Tho.) non habet rationem finis, niſi vt coniungitur fini, cui;vt ſanitas non habet rationem finis, nec appetitur à voluntate,niſi quia bonum hominis eſt, nec ſcientia,niſi quia eſt perfectio eiuſdem, nec viſio Dei; niſi quia eidem homini eſt aſſecutio vltimi finis,nec finis,cuius, habet rationem finis,niſi vt eſt id,cui volumus finem,cuius;vt homo non eſt finis curationis,niſi vt perfectibilis per ſanitatem,ſicque de cæteris, ſi ergo ratio finis non conuenit vtrique, vt condiſtincto,aut ſeparato ab alio, ſed vt cum alio conſtituit vnum, eundemque finem, ſequitur non eſſe comparabiles in ratione finis,nec diuiſum eſſe finem in eos, vt in membra completa,ſed quaſi incompleta,ex quibus vnus,idemque finis completus conſtituitur,neque aliud probat ratio primæ opinionis.

11 Secundò,dubium eſt circa vltimam diuiſionem,qua diuiditur finis in proximum, & vltimum; quia non videtur dari poſſe

poſſe finem proximum, ſed tantùm vltimum. Probatur hoc argumento, finis, vt finis, eſt per ſe appetibilis, & non propter alterum; ſed omnis finis proximus ordinatur ad alterum, vel ſaltem ad vltimum; ergo non eſt propter ſe appetibilis; ſed propter alterum, hoc eſt propter vltimum, in quem tandem ordinantur omnia, quare non erit finis. Probatur hæc vltima conſequentia, ex differentia inter medium,& finem: nam finis eſt,quem propter ſe appetimus; medium verò,non niſi propter finem conſequendum; ſed omnes fines præter vltimum appetuntur propter alterum, hoc eſt, propter eundem vltimum, in quem ordinantur; ergo reſpectu illius omnes ſunt media, & ideò non bene diuiditur finis in vltimum, & proximum.

Huic dubio diuerſæ adhibentur ſolutiones difficultatibus plenæ. Et propterea vera ſolutio ex doctrina D. Thom. deſumenda eſt,qui 1.2.q.13. artic.3. annotat ſic ſe habere finem reſpectu voluntatis, ſicut ſe habet principium reſpectu intellectus: vnde ſicut contingit in demonſtrationibus, vt quod eſt principium in vna,ex quo infertur concluſio, ſit concluſio illata in altera ex alio principio, & ita procedatur vſque ad vnum primum principium, ex quo inferuntur omnes, & ipſum non infertur ex altero, ſed ei aſſentitur intellectus habita ſolùm notitia terminorum. Ita in actibus voluntatis datur finis particularis vnius intentionis, vel actionis, qui propter ſe diligitur, & propter ipſum alia, quæ aſſumuntur ad conſecutionem eius, & nihilominus, quia finis ille non eſt ſummum bonum per eſſentiam, ſed particulare, & per participationem ſummi boni, poteſt alio actu eligi, tanquam medium, & ordinari in ſummum bonum per eſſentiam, vel in vniuerſalem rationem boni apprehenſam. Quod etiam contingit in bonis particularibus: nam ſanitas habet rationem finis, & ideò non cadit ſub conſultatione medici, ſed ad illam ordinat medicamenta omnia; ſed quia ſanitas, ſicut cætera bona corporis, inferior eſt reſpectu bonorum animæ, poteſt per alium actum ad illa ordinari, & in tali actu non erit iam finis, ſed medium. Et excedantur fines particulares, & proximi præter vltimum, veram habentes rationem finis in actibus, vel intentionibus particularibus, in quibus non ordinantur actu in vltimum, licèt ex ſe ſint ordinabiles. 12

Ad formam igitur argumenti concedenda eſt maior, quod finis ſit per ſe appetibilis, ſed minor diſtinguenda; quod omnis finis particularis ordinetur ad vltimum: nam de actuali ordinatione neganda eſt, de potentiali verò, aut aptitudinali concedenda; quæ non tollit eos eſſe per ſe appetibiles in actibus

particulari

particularibus, & propter alterum, ad quem actu ordinentur, quod ſatis eſt, vt ab vltimo diſtinguantur, & ideò finis in vtrumque, tanquam in membra diſtincta potuerit diuidi ab Ariſtotele.

13 Tertium dubium eſt quod quæſtio ipſa propoſuit, an finis ſit vera cauſa realis, & Phyſica, & videtur non eſſe, propter hæc duo argumenta, primum, quia principium eſt quid ſuperius reſpectu cauſæ; ergo bene ſequitur, quòd ſi aliquid non eſt principium, non ſit cauſa; ſed finis non eſt principium; ergo neque cauſa. Probo minorem, quia principium, & finis opponuntur; ergo pugnat cum ratione finis ratio principij, & ideò non poteſt ei conuenire. Secundò, quia eſſe actu cauſam præſupponit actualem exiſtentiam, quod enim non eſt, non poteſt eſſe actu cauſa, ſed finis, dum mouet, & cauſat, non habet actualem exiſtentiam; ergo non poteſt eſſe cauſa realis, & Phyſica, ſed ad ſummum erit moralis. Probo minorem in ſanitate, à qua mouetur infirmus, tanquam à fine, & cuius gratia ſumit medicamenta, dum adhuc non eſt, & dum aliquando, nec futura eſt; ergo non poteſt eſſe cauſa realis, & Phyſica, & dum iam eſt, potius eſt effectus cauſæ efficientis, quàm cauſa: cum tamen ratio effectus pugnet cum ratione cauſæ, præſertim finalis, quæ eſt omnium prima, vt videbimus.

14 *Concluſio tamen vera, & tenenda eſt*, quod finis ſit vera cauſa, nō ſolum moralis, ſed realis, & Phyſica, ita Ariſtot. expreſsè 2. lib. Phyſ. cap. 3. & 2. lib. Met. cap. etiam 3. Ita etiam Plato in Phœdone ſecutus in hac re Socratem, quem ipſe refert, ita etiam vniuerſa ſchola. Et probatur ratione. primò; quia agens Phyſicum, & reale, non temerè, neque caſu agit, ſed gratia alicuius; ergo proprius effectus eius alicuius gratia productus erit, quare ſicut realiter, & per ſe reſpicit cauſam efficientem, & per ſe dependet ab illa; ſic realiter, & per ſe reſpiciet illud, cuius gratia productus eſt, per ſeque dependebit ab illo; ſed id, à quo per ſe, & realiter dependet effectus; eſt cauſa realis, & per ſe eius; ergo id cuius gratia effectus fit ab agente eſt cauſa realis, & Phyſica eius, & hoc eſt finis, vt patet ex definitione eius, ab Ariſtotele tradita, nempe, *cuius gratia aliquid fit*; ergo finis eſt vera cauſa realis, & Phyſica. Secundò, probatur euidenter experientia in agentibus liberis; homines enim humano modo operantes aliquem finem ſibi præſtituunt, in quem dirigunt proprias operationes; vt patet, dum quis infirmatur, vel ad conſeruandam ſalutem aliquid facit; in vtroque enim caſu plura adhibet media ad conſequendam vel conſeruandam ſanitatem; ergo verè; & realiter mo-

V uetur

uetur ab illa; cum gratia illius hæc omnia faciat. Probatur conſequentia; quia hæc motio, & hæc tendentia, non eſt Phantaſtica, vel imaginaria, ſed vera, & realis; ergo ſanitas, cuius gratia mouetur, & operatur, veram, & realem cauſalitatem finalem habet.

Et ad primum argumentum diſtinguenda eſt minor quod 15 finis non ſit principium: nam finis duobus modis accipitur, in intentione, vel apprehenſione, & hoc modo ita eſt primum, vt efficientem ipſum præcedat ordine naturæ: cum illum moueat, & excitet ad agendum. Secundò conſideratur in executione, & hoc modo poſterior eſt omnibus cauſis; quia omnes cauſalitates earum terminat; & ex his duabus rationibus finis; prior eſt potiſſima eius; & ex hac habet eſſe principium; & primum reſpectu aliarum cauſarum, & ex eodem habet eſſe cauſam. Quare ratio cauſæ non tollitur per rationem effectus, quam habet aliquando, vt conſideratur in executione, hanc tamen rationem effectus propriè, & formaliter loquendo tantum habet finis, cuius non finis, cui; vt ex præcedentibus diuiſionibus eſt manifeſtum.

Secundum argumentum de ſolo fine, cuius; difficultatem habere poteſt: nam finis cui; ſemper præſupponitur exiſtens, vt homo reſpectu curationis, & Deus reſpectu noſtrarum operationum. Finis verò cuius, effectus eſſe ſolet per actionem efficientis productus, & ita mouet, non vt eſt in re; ſed in apprehenſione, vel intentione) ſed exiſtentia duobus modis conſideratur, vt in actu, vel vt in potentia, & finis, cuius; dum mouet efficientem, & propriam exercet cauſalitatem, non habet exiſtentiam actualem, ſed ſolùm in potentia, quæ ſufficit, vt ſit actu cauſa finalis, realis, & Phyſica, quamuis non ſufficiat, vt aliquid ſit cauſa efficiens, materialis, aut formalis. Et ratio huius differentiæ eſt; quia ſecundum modum cauſandi requiritur modus eſſendi cauſæ, ad modum autem cauſandi efficienter, cum ſit per actualem actionem actu egredientem ab agente, tanquam ab actuali principio, requiritur actualis exiſtentia: cum non egrediatur realis actio, niſi à principio habente actuale eſſe. Et longè clarius eſt de materia, & forma enim ſint partes eſſentiales, & actuales compoſiti. Modus autem cauſandi finalis cauſæ valdè diuerſus eſt; non eſt enim per actionem actu, & proximè à fine egreſſam; ſed ſolùm procedentem ab eo, tanquam mouente, & excitante efficientem cauſam, à qua proximè egreditur, & id quidem per apprehenſionem; ad excitandum verò hoc modo non requiritur actualis exiſtentia, ſed ſufficit virtualis, cum reali apprehenſione

actua

actualis ſecundum eſſe poſsibile; nam, vt iam exiſtens actu mouere non poſſet, cum non moueatur infirmus ad conſequendam ſanitatem iam exiſtentem; ſed poſsibilem, vt patet. Et cum modus iſte agendi ſit realis, licet alterius rationis à modo agendi cauſæ efficientis ſufficit ad cõſtituendum finem veram realem, Phyſicam, & actualem cauſam.

QVÆSTIO II.

Quænam ſit ratio obiectiua conſtituens finem in ratione finalis cauſæ.

16 DVobus modis conſiderari poteſt cauſa, vt in potẽtia, vel, vt in actu: aut in actu primo, vel, vt in actu ſecundo: nam actum primum vocauit Ariſtoteles rationem, ſeu virtutẽ operandi, actum verò ſecundum operationem ipſam. 1. libro de anima in principio. Et in quibuſcunque generibus cauſarum diſtinctæ rationes ponuntur, per quas cauſa illius generis dicatur talis in actu primo, & in actu ſecundo, vel in potentia proxima, & in actu. Gratia exempli: In efficiente, vt in igne ponitur potentia, ſeu virtus calefaciendi: qui eſt calor, per quam dicitur cauſa calefactionis in actu primo; vel in potẽtia proxima, & deinde actio ipſa calefaciendi, per quam dicitur cauſa in actu ſecundo, & ideò hæc vocatur cauſalitas, & illa poteſt vocari cauſabilitas (vt ſic loqui liceat) & in cæteris cauſis præter finem manifeſta eſt ratio cauſabilitatis, & ſolum diſputatum eſt de cauſalitatibus, in quibuſnam ponendæ ſint. In cauſa verò finali neutrum eſt manifeſtum; ſed de vtroque diſputandum eſt, & primo de ratione cauſandi eius in potentia proxima, ſeu in actu primo, hoc eſt de cauſabilitate in hac quæſtione, in ſecũda verò de ratione cauſandi in actu ſecũdo quæ vocatur cauſalitas, & quia cauſalitas finis exercetur per ſe primò circa voluntatem, quæ dicitur appetitus rationalis, & appetitus mouetur à fine per modum obiecti apprehenſi, vel cogniti à potentia cognoſcitiua, ratio cauſandi finis in actu primo, ſiue cauſabilitas obiectiua eſt; & vocari poteſt appetibilitas; quærimus, quæ ſit ratio appetibilitatis in fine, ratione cuius mouere poteſt appetitum, vel voluntatem, & ſub qua appetitus ipſe in eundem finem tendit; nam actus appetitus tendentia vocatur propriè, cum in obiectum tendat per modum inclinationis, ac ſi de obiecto intellectus quæramus, quæ ſit ratio obiectiua, per quam aliquid dicitur intelligibile, & mouere poteſt intellectum, ratio entitatis, aut veritatis.

17 Triplex autem ratio appetibilitatis poteſt conſiderari in fine.

uetur ab illa; cum gratia illius hæc omnia faciat. Probatur conſequentia; quia hæc motio, & hæc tendentia, non eſt Phantaſtica, vel imaginaria, ſed vera, & realis; ergo ſanitas, cuius gratia mouetur, & operatur, veram, & realem cauſalitatem finalem habet.

Et ad primum argumentum diſtinguenda eſt minor quod finis non ſit principium: nam finis duobus modis accipitur, in intentione, vel apprehenſione, & hoc modo ita eſt primum, vt efficientem ipſum præcedat ordine naturæ: cum illum moueat, & excitet ad agendum. Secundò conſideratur in executione, & hoc modo poſterior eſt omnibus cauſis; quia omnes cauſalitates earum terminat; & ex his duabus rationibus finis; prior eſt potiſſima eius; & ex hac habet eſſe principium; & primum reſpectu aliarum cauſarum, & ex eodem habet eſſe cauſam. Quare ratio cauſæ non tollitur per rationem effectus, quam habet aliquando, vt conſideratur in executione, hanc tamen rationem effectus propriè, & formaliter loquendo tantum habet finis, cuius non finis, cui; vt ex præcedentibus diuiſionibus eſt manifeſtum.

Secundum argumentum de ſolo fine, cuius; difficultatem habere poteſt: nam finis cui; ſemper præſupponitur exiſtens, vt homo reſpectu curationis, & Deus reſpectu noſtrarum operationum. Finis verò cuius, effectus eſſe ſolet per actionem efficientis productus, & ita mouet, non vt eſt in re; ſed in apprehenſione, vel intentione: ſed exiſtentia duobus modis conſideratur, vt in actu, vel vt in potentia, & finis, cuius; dum mouet efficientem, & propriam exercet cauſalitatem, non habet exiſtentiam actualem, ſed ſolùm in potentia, quæ ſufficit, vt ſit actu cauſa finalis, realis, & Phyſica, quamuis non ſufficiat, vt aliquid ſit cauſa efficiens, materialis, aut formalis. Et ratio huius differentiæ eſt; quia ſecundum modum cauſandi requiritur modus eſſendi cauſæ, ad modum autem cauſandi efficienter, cum ſit per actualem actionem actu egredientem ab agente, tanquam ab actuali principio, requiritur actualis exiſtentia: cum non egrediatur realis actio, niſi à principio habente actuale eſſe. Et longè clarius eſt de materia, & forma cum ſint partes eſſentiales, & actuales compoſiti. Modus autem cauſandi finalis cauſæ valdè diuerſus eſt; non eſt enim per actionem actu, & proximè à fine egreſſam; ſed ſolùm procedentem ab eo, tanquam mouente, & excitante efficientem cauſam, à qua proximè egreditur, & id quidem per apprehenſionem; ad excitandum verò hoc modo non requiritur actualis exiſtentia, ſed ſufficit virtualis, cum reali apprehenſione

actualis ſecundum eſſe poſsibile; nam, vt iam exiſtens actu mouere non poſſet, cum non moueatur infirmus ad conſequendam ſanitatem iam exiſtentem; ſed poſsibilem, vt patet. Et cum modus iſte agendi ſit realis, licet alterius rationis à modo agendi cauſæ efficientis ſufficit ad cōſtituendum finem veram realem, Phyſicam, & actualem cauſam.

QVÆSTIO II.

Quænam ſit ratio obiectiua conſtituens finem in ratione finalis cauſæ.

16 DVobus modis conſiderari poteſt cauſa, vt in potētia, vel, vt in actu: aut in actu primo, vel, vt in actu ſecundo: nam actum primum vocauit Ariſtoteles rationem, ſeu virtutē operandi, actum verò ſecundum operationem ipſam. 1. libro de anima in principio. Et in quibuſcunque generibus cauſarum diſtinctæ rationes ponuntur, per quas cauſa illius generis dicatur talis in actu primo, & in actu ſecundo, vel in potentia proxima, & in actu. Gratia exempli: In efficiente, vt in igne ponitur potentia, ſeu virtus calefaciendi: qui eſt calor, per quam dicitur cauſa calefactionis in actu primo; vel in potētia proxima, & deinde actio ipſa calefaciendi, per quam dicitur cauſa in actu ſecundo, & ideò hæc vocatur cauſalitas, & illa poteſt vocari cauſabilitas (vt ſic loqui liceat) & in cæteris cauſis præter finem manifeſta eſt ratio cauſabilitatis, & ſolum diſputatum eſt de cauſalitatibus, in quibuſnam ponendæ ſint. In cauſa verò finali neutrum eſt manifeſtum; ſed de vtroque diſputandum eſt, & primo de ratione cauſandi eius in potentia proxima, ſeu in actu primo, hoc eſt de cauſabilitate in hac quæſtione, in ſecūda verò de ratione cauſandi in actu ſecūdo quæ vocatur cauſalitas, & quia cauſalitas finis exercetur per ſe primò circa voluntatem, quæ dicitur appetitus rationalis, & appetitus mouetur à fine per modum obiecti apprehenſi, vel cogniti à potentia cognoſcitiua, ratio cauſandi finis in actu primo, ſiue cauſabilitas obiectiua eſt, & vocari poteſt appetibilitas; quærimus, quæ ſit ratio appetibilitatis in fine, ratione cuius mouere poteſt appetitum, vel voluntatem, & ſub qua appetitus ipſe in eundem finem tendit; nam actus appetitus tendentia vocatur propriè, cum in obiectum tendat per modum inclinationis, ac ſi de obiecto intellectus quæramus, quæ ſit ratio obiectiua, per quam aliquid dicitur intelligibile, & mouere poteſt intellectum, ratio entitatis, aut veritatis.

17 Triplex autem ratio appetibilitatis poteſt conſiderari in fine.

Prima vniuerſaliſſima,& quaſi communis bono,& malo,atque vtrumque comprehendens. Secunda minus vniuerſalis, non communis bono & malo, quia malum fortè, vt malum non eſt appetibile; ſed communis tantùm bono, & indifferenti. Tertiò magis adhuc ſpecialis, quæ conuertatur cum bono, ita vt finis dicatur appetibilis, & motiuus volũtatis per bonitatẽ.

Et iuxta has tres conſiderationes appetibilitatis tres ſunt opiniones. Prima tenet rationem obiectiuam, per quam finis eſt cauſa in actu primo, eſſe appetibilitatem communem bono,& malo, quam videtur tenere Scotus in primo d. 1. q. 4. & in 2.d.43. qu. 2. quibus locis aſſerit voluntatem non ſolùm tendere in bonum ſub ratione boni; ſed etiam in malum, ſub ratione mali, quod ſi ita eſt, ratio communis, & adæquata, per quam mouet voluntatem; erit ratio appetibilis vtrique communis. Quod tenuit etiam Ochamus in 3.q. 13. dub. 3. Probatur primò, quia eadem eſt potentia contrariorum, ſicut eadem ſcientia, vt eadem potentia viſiua verſatur circa album, & nigrum, ſed bonum & malum ſunt contraria; ergo eadem voluntas, quæ verſatur circa bonum, debet etiam verſari circa malum: vnde ratio obiectiua adæquata finis erit appetibilitas vniuerſalis comprehendens bonum, & malum. Secundò, quia duplex eſt actus voluntatis, amor, & odium, & ille verſatur circa bonum; iſte verò circa malum, ergo vtrumque comprehenditur ſub obiecto adæquato voluntatis, quod eſt finis; quare ratio obiectiua eius erit appetibilitas communis, bono & malo. Quod præſertim verum eſſe intelligitur, ſi conſideremus, peccata quædam fieri ex ignorantia, alia ex paſſione, & alia ex malitia, vt docet D. Thó. 2.2.q. 76.77. & 78. & cum eo omnes. Peccatũ verò ex malitia illud vocari, quod committit homo videns obiectum, circa quod peccat eſſe malum; ergo in tali peccato tendit voluntas in malum ſub ratione mali, quare obiectum eius adæquatum erit appetibile, vt commune bono, & malo; & hæc etiam appetibilitas vniuerſalis vtrumque comprehendens, erit ratio obiectiua finis, per quam dicitur cauſa in potentia proxima, vel in actu primo.

Secunda opinio tenet hanc rationem motiuam voluntatis in 18 fine non comprehendere malum, ſed bonum tantùm, & indifferens; quia putat malum ſub ratione mali non eſſe appetibile. Probatur hoc argumento, non ſolùm dantur fines boni & mali, ſed etiam indifferentes, vt ſi aliquis velit exire in agrum, non intẽdens in hoc aliquid bonum, nec malum, ſed obiectum hoc, vt ſecundum ſe eſt indifferens; ſed malum, vt malum non eſt appetibile, niſi ſub aliqua ratione apparentis boni, vel

indiffe

indifferentis; ergo appetibilitas finis ſolum comprehendit bonum, indifferens. Maior euidens eſt apud omnes, quod dentur actus indifferentes ſecundum ſpeciem, & plures tenent, etiam dari in exercitio, ita vt aliquis hunc, vel illum actum exercere poſsit, qui non habeat bonitatem, vel malitiam, ſed indifferens ſit, etiam in indiuiduo. Minorem verò probo, quia in malo, vt tali cognito, nulla datur ratio conuenientiæ, reſpectu appetitus, vel appetentis, ſed omnibus modis eſt diſconueniens, ſed appetibilitas præſupponit conuenientiam, vt ex ſe eſt manifeſtum; ergo malum, vt malum nullam habet appetibilitatem, nec proinde poteſt comprehendi ſub ratione obiectiua finis.

19 Tertia opinio communis eſt. & vera. Quòd ratio appetibilis, per quam finis dicitur motiuus voluntatis, & per quam conſtituitur, vt cauſa finalis, in actu primo, non ſit communis bono & malo: nec bono, & indifferenti, ſed cum bonitate conuertatur, imò ſit ipſamet ratio bonitatis. Hæc eſt expreſſa ſententia Ariſt. in hoc 2. lib. Phyſ. cap. 3. tex. 31. 5. Met. cap. 2. & 1. Ethic. cap. 7. quibus locis affirmat finem & bonum conuerti, imò eſſe idem. Et D. Tho. 1. 2. quæſtione quinta, artic. 4. Alenſis etiam 1. p. q. 12. Memb. 3. & q. 34. Memb. 1. quos ſequitur tota ferè ſchola. Probatur aduerſus primam ſententiam ex communi illo axiomate: *Nemo intendens ad malum, operatur.* Quod tanquam verum, & neceſſarium recipiunt ſancti Patres, Dionyſ. de diuinis nominibus cap. 4 D. Auguſt. 2. lib. Confeſſ. ca. 6. & 8. Greg. Niſſen, lib. de Opificio hominis cap. 20. Damaſ. lib. 2. fidei cap. 21. & omnes ferè Scholaſtici, in 2. d. 42. illúdque acceperunt ex Ariſtotele, primo lib. Ethic. cap. 1. Ex quo euidēter ſequitur, quod nemo appetat malū ſub ratione mali, nec vt tale ſit vllo modo appetibile, quare appetibilitas, per quam mouet finis, non cōprehendit malum, vt aſſerit prima opinio. Secundò quia voluntas eſt potentia cœca, & ideò non poteſt tendere, niſi in illud, quod ſibi proponitur cognitum ab intellectu; ſed intellectus non poteſt ei proponere malum ſub ratione mali; ergo nec voluntas poteſt illud, vt tale appetere. Probatur minor, quia inter potentiam, & obiectum, euidens, & neceſſaria reperitur correſpondentia conuenientiæ, ita, vt obiectum ſit conueniens potentiæ; verum enim conueniens eſt intellectui, & viſibile conueniens viſui, ſicque de cæteris, ſed malum, vt malum non poteſt eſſe conueniens voluntati, imò nulli poteſt eſſe conueniens; ergo nec poteſt tendere in illud tanquam in obiectum, & ideò nec erit in eo vlla prorſus ratio appetibilitatis, per quam mouere poſſit

voluntatem, nec comprehendetur ſub ratione finis obiectiua, per quam ſit cauſa in actu primo.

Probatur deinde contra ſecundam opinionem, quod nec ratio obiectiua finis poſſimmmppetibilitas comprehendens indifferentia; quia appetitus naturaliter procedit ab eſſentia aut natura ipſius rei, tanquam à principio, ergo non inclinat niſi in illud, quod eſt conueniens eidem naturæ, ſed id, quod eſt indifferens nullam habet conuenientiam reſpectu eiuſdem naturæ: quia indifferens vt tale, nec eſt conueniens, nec diſconueniens; ergo nec habet vllam rationem appetibilis: probatur euidenter conſequentia; quia appetibilitas oritur ex conuenientia. Secundum, quia ſicut intellcteus ſe habet ad verum, & falſum, ſic voluntas ad bonum, & malum, ſed intellectus non poteſt operari circa obiectum indifferens ad verum, vel falſum, quia nec poteſt habere aſſenſum, nec diſſenſum circa illud; nam veris ſolis aſſentitur, falſis verò diſſentitur; ergo nec poteſt habere rationem obiectiuam intellectus, & conſequenter nec rationem obiectiuam voluntatis illud, quod indifferens eſt ad bonum, & malum, 20

Ad primum argumentum reſpondetur diſtinguendo maiorem, quod eadem potentia ſit contrariorum, nam duplici ratione poſſunt ſe habere contraria in ordine ad potentiam; quia vel vtrumque dicit rationem poſitiuam conuenientiæ, & ideò poſitiuè conueniunt ſub ratione vniuerſali obiectiua eiuſdem potentiæ; quæ ideò per actum poſitiuum tendit in vtrumque tanquam in ſibi conueniens, & tunc non ſunt formaliter contraria reſpectu eiuſdem potentiæ, ſed ſolum materialiter, vt album, & nigrum reſpectu viſus. Alio modo ſe habent tanquam oppoſita formaliter reſpectu eiuſdem potentiæ; quia non dicunt conuenientiam reſpectu illius, vel naturæ, à qua procedit, ſed vnum eorum eſt ei conueniens; alterum verò diſconueniens, & ita ſe habent verum & falſum reſpectu intellectus, & bonum & malum reſpectu voluntatis, à quibus non reſpicitur vtrumque per actum poſitiuum: quia non habet vtrumq; poſitiuam conuenientiã reſpectu potentiæ; ſed vnum tantum; nempe verum reſpectu intellectus, & bonum reſpectu voluntatis; ſed quod conueniens eſt tantùm, circa illud verò, quod eſt diſconueniens, ſolum verſatur potentia per negationem, vt intellectus circa falſum, per diſſenſum, & voluntas circa malum, non per actum appetendi, aut volendi illud, ſed per negationem, quam ideò vocamus nolitionem vel fugam. Ex quo intelligitur potentiam non verſari circa vtrumq; contrarium, quia poſitiuam rationem ſui obiecti contineat; 21

tineat; ſed circa vnum tantùm eorum; circa aliud verò ſolùm refugiendo illud, tanquam ſibi diſconueniens, & ideò non ſequitur, quod ratio obiectiua adæquata eius vtrumque comprehendat; ſed vnum tantum, aliud verò non contineri ſub ea, ſed ſolùm ab ea reſpici ratione contrarietatis formalis, & ideò non per reſpectum poſitiuum, ſed quaſi per negationem conuenientiæ, cum quo ſtare poteſt, quod conuertatur ſimpliciter cum altero; & ſolùm illud dicatur reſpicere, & ita appetibilitas finis, per quam motiuus eſt voluntatis, & cauſa finalis in actu primo, cum bonitate conuertitur, & illam tantùm reſpicit.

22 Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo etiam antecedens, quod duplex ſit actus voluntatis, nempè amor, & odium, nam vterque non eſt actus appetitiònis, aut volitionis, nec tendentiæ in obiectum; ſed ſolus amor, odium verò potius vocatur fuga, aut nolitio, & ideò quaſi negatiuus actus eſt, non poſitiuus, vnde ex eo non ſequitur, quod malum comprehendatur poſitiuè ſub obiecto voluntatis, aut quod ei conueniat ratio obiectiua finis, ſed ſolùm, quòd per quandam negationem diſconuenientiæ.

Ad argumentum ſecundæ opinionis, etiam eſt diſtinguenda maior, quia ratio boni dupliciter ſumi poteſt. Primò pro vniuerſaliſſima cõprehendente bonitatem naturalem, & moralem, & bonitas naturalis ſumitur ex conuenientia cum natura, bonitas verò moralis ex conuenientia cum recta ratione. Secundò poteſt ſumi pro ſola bonitate morali; & hoc ſecundo modo ſumpta bonitate, dantur obiecta indifferentia, quæ nec bona ſint, nec mala moraliter, & ex conſequenti actus, ex ſua ſpecie indifferentes, & etiam in indiuiduo (vt Scoto, & aliis placuit) quamuis ſecundùm opinionem D. Thomæ longè probabiliorem, non poſſint in particulari exerceri, ſine bonitate, aut malitia morali: ſed ſumpta bonitate primo modo non datur aliquid indifferens; quia non videtur poſſibile obiectum abſtrahi ab aliqua conuenientia ſaltem naturali, vtilis, aut delectabilis. Quod ſi aliquis velit adhuc abſtrahi poſſe, tunc dicendum eſt obiectum ſic abſtractum non poſſe mouere voluntatem, quia non continet vllam rationem appetibilitatis, ſicut neque continet vllam rationem conuenientiæ.

23 Et ſi aliquis dicat actum voluntatis alium eſſe intentionis & alium electionis, & illum verſari circa finem, hunc verò circa media; tunc ergo, vel electio verſatur circa bonum, vel non: & ſi verſari circa bonum concedas, cum non verſetur circa finem, ſed circa media, non conuertetur bonum

cum fine, nec bonitas cum ratione finis obiectiua: ſi verò non verſatur circa bonum, iam erit vniuerſalior bonitate ratio obiectiua voluntatis. Reſpondeo electionem imprimis verſari circa vtile formaliter; quod bonum ſaltem naturæ eſt, deinde etiam verſatur circa bonitatem finis deriuatam ad media, quæ non appetuntur, nec ſub electione cadunt, niſi, vt participant bonitatem finis, & ideò etiam electio pertinet ſuo modo ad finem vt ratio boni ſemper cum fine conuertatur, atque etiam cum appetibilitate, & hæc ſit adæquata ratio obiectiua finis, per quam eſt motiuus voluntatis, & cauſa finalis in actu primo, aut in proxima potentia.

QVÆSTIO III.

Quenam ſit cauſalitas finis.

IAm inquirimus quid ſit illud, per quod finis eſt cauſa actualis, hoc enim vocatur cauſalitas in titulo quæſtionis.

Prima opinio eſt Caiet. qui tria diſtinguit in fine, ſicut in agente. In agente quidem datur ratio, ſeu virtus agendi, per quã dicitur agens in actu primo, vt in igne calor in ſe exiſtens, datur effectus ab eo procedens, nempè calor productus ab eo in ligno, & datur tertium, quod eſt, quaſi mediũ inter vtrumque, nempè actio, per quam conſtituitur actu cauſa. Ita in fine datur ratio obiectiua finalizandi, per quam mouet voluntatem, quæ eſt bonitas, datur effectus gratia finis productus ab agente & datur finalizatio actualis, per quam eſt cauſa finalis actualis: & duo priora diſtinctè cognoſcuntur à nobis, ſed finalizationem non cognoſcimus diſtinctè, ſed ſolùm eam nominamus confuſa quadam ratione dicentes eſſe id cuius gratia aliquid fit. Et ideò nec diſtinctè cognoſcimus, quid illa ſit, vel in quo ſit ponenda, ſed hoc in particulari ignoramus. De hac tamen ſententia, non eſt curandum, quia cum in particulari non explicet, quæ ſit cauſalitas finis, de qua procedit quæſtio, nec pro vera eam poſſumus recipere, nec pro falſa refutare, ſed omittenda eſt.

Et ad ſecundam opinionem procedendum, quæ aſſerit cauſalitatem finis præcedere actionem agentis; qui eſt voluntas & conſiſtere in motione metaphorica, qua bonum quaſi allicit ad ſe voluntatem, & attrahit, vt in ipſum tendat, vocatur autem hæc motio metaphorica: quia non fit per aliquid reale, & phyſicum impreſſum voluntati ante actionem eius, ſed in eo ſolùm conſiſtit, quod eſt finem apprehenſum ſe exhibere præſentem voluntati, & quaſi offerre ei bonitatem propriam, & quaſi inuitare,

nitare, & allicere illam ad amorem: vnde nomine attractionis vocari ſolet, non veræ, & realis, ſed quaſi affectiuæ, & ideò metaphoricæ. Ita Conimbricenſes in hoc lib. cap. 7. q. 21. Ab aliis verò defenditur hęc ſententia alio modo; quia per hanc motionem, aut excitationem voluntatis ponunt aliquid reale, ſaltem intentionale imprimi voluntati à fine: & in hac impreſſione, ſiue in reipſa impreſſa actionem voluntatis præcedente conſiſtere cauſalitatem finis. Et probatur teſtimonio Ariſtot. 1. lib. de Gener. cap. 7. & D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. quibus locis videntur explicare cauſalitatem finis per actualem motionem, & excitationem agentis.

26 Sed probatur ratione; primò, quia bonitas finis apprehenſa ſtatim, ac repræſentatur voluntati, excitat illam, & ad ſui amorem attrahit, hanc autem attractionem, & excitationem ſequitur actualis amor, qui eſt propria actio ipſius agentis: nempè voluntatis: ergo attractio ipſa præcedit actionem ordine naturæ: cum ſit excitatio ad illam; ſed repugnat intelligere finem actu excitantem, & attrahentem ad ſe voluntatem, quin intelligatur actu cauſare amorem, quantum eſt ex parte ſua, & ideò quin intelligatur actu finalizare, & cauſare; in tali igitur excitatione, & attractione præcedente actionem ponenda erit cauſalitas finis. Secundò, quia duo ſolùm officia habet finis circa agentem, nempè monere ipſum ad agendum, & terminare actionem eius; ſed cauſalitas finis non poteſt eſſe terminatio poſterior actione; ergo erit motio, eadem actione prior. Probatur minor, quia officium terminandi eſt poſterius natura actione, quod adeò verum eſt, ac neceſſarium, vt finis ſecundum rationem terminandi ſæpè ſit effectus productus per actionem, ergo eſt poſterius cauſalitate eiuſdem finis. Probatur euidenter conſequentia, quia actio procedit à cauſa actuali; ergo præſupponit illam, & ex conſequenti cauſalitatem eius, per quam conſtituitur actu cauſa.

27 Hæc tamen ſententia in vtroque ſenſu videtur contraria doctrinæ Ariſt. & D. Tho. atque etiam rationi. Probo primum, quia Ariſt. expreſsè ponit cauſalitatē finis, circa actionē ipſam agentis verſari, ſed hæc ſententia ponit eam in aliquo præcedente actionem, non ſolùm ordine naturæ, ſed etiam tempore, quia fieri poteſt, & ſæpè fieri videmus, voluntatem etiam excitatam à fine, non moueri, neque exire in actum amoris; ergo cauſalitas finis ſecundum hanc ſententiam non eſt circa actionem agentis: cum ſæpè ponatur, non poſita vllo modo, nec ſubſecuta actione. Et D. Tho. qu. 5. de Potentia art. 1. & qu. 22. de veritate artic. 2. cauſalitatem finis expreſsè ponit in

actione ipſa voluntatis his verbis: *Sicut influere cauſæ efficientis eſt agere, ita influere cauſæ finalis eſt appeti, ſeu deſiderari.* Hæc autem opinio in vtroque ſenſu ponit eam præcedentem actionem,& aliquando ſine illa, ergo in doctrina D.Tho. non videtur poſſe ſuſtineri.

Sed probatur ratione non eſſe veram in primo ſenſu, quia cum finis ſit cauſa realis, & non ſemper ſit actu cauſa, per aliquid reale nouum, & ab eo diſtinctum debet conſtitui actu cauſa, & ideò cauſalitas eius aliquid reale nouum eſſe debet, quod nunc habeat, dum eſt actu cauſa; & prius non habebat, dum actu non cauſabat: ſed nihil reale nouum poteſt ponere hæc ſententia in primo ſenſu intellecta, ergo nec vera eſſe poterit. Minorem ſic probo: vel hoc reale nouum eſt in voluntate à fine impreſſum,vel in ipſo fine:impreſſum voluntati non admittit primus ſenſus, ſed nec poteſt eſſe in ipſo fine: nam finis dum actu excitat voluntatem, nihil reale nouum habet, præter eſſe cognitum, per quod eſt præſens voluntati, quod eſt ſola denominatio extrinſeca, de qua euidens eſt, quod non ſit cauſalitas eius. Et ſi dicas hoc nouum habere,quod eſt exhibere propriam bonitatem voluntati, & eam allicere, aut attrahere ad ſui amorem, quod antea non præſtabat: Nihil valet; quia eodem modo procedit contra hoc argumentum; nam totum hoc non eſt aliud,quàm præſentia eius obiectiua, nihil prorſus addens ſupra bonitatem eius apprehenſam, & ex conſequenti præter potentiam proximam cauſandi; ergo non eſt aliquid reale nouum per quod poſſit eſſe actualis cauſa. Probatur conſequentia; quia quouſque voluntas obiectiuè inuitata & attracta elicit actum intentionis, nullum actualem concurſum adhibet finis, quare neque ante actionem poterit eſſe cauſa in actu ſecundo; ſed ſolùm in actu primo, quemadmodum neque agens ex eo,quod eſt præſens paſſo: dicitur actu cauſa, ſed ſolùm dum actu operatur circa idem paſſum. 28

Secundò ſi præſentia obiectiua finis, per quam excitat voluntatem ad ſui amorem, eſt cauſalitas finis, cum poſſit præcedere actum voluntatis, non ſolùm natura, ſed tempore, vt contingit, quando voluntas non elicit actum amoris,vel illum ſuſpendit pro aliquo tempore, ſequitur dari cauſam actu, ſine effectu,& finalizare finem,dum nihil gratia eius fit,quod patet eſſe falſum,quare repugnat cauſalitatem finis præcedere actionem voluntatis. 29

Probatur deinde falſam eſſe eandem ſententiam ſecundo modo intellectam,de impreſſione actuali in volũtate actionem præcedente, in qua conſiſtat cauſalitas finis; quia ſi cauſalitas finis

finis ſit aliquid impreſſum voluntati ante actionem eius, vel illud imprimitur ei à fine, vel à ſeipſa; vtrumque eſt impoſsibile; ergo talis impreſsio impoſſibilis erit. Probatur minor, quia non poteſt fieri talis impreſsio, niſi per aliquam actionẽ: cum id quod imprimitur, ſit aliquid reale nouum, quod neceſſe eſt produci per aliquam actionem realem, & ab aliquo agente reali, ſed voluntas nullam habuit actionem: cum talis impreſſio ponatur prior natura actu eius; ergo non poteſt voluntas ſibi illud imprimere ante actionem propriam; imo neque vllo modo, quia cum omnis actus voluntatis ſit tendentia in obiectum, nihil circa ſeipſam directè, & per ſe operatur, ſed nec poteſt illud eſſe impreſſum à fine, quia vt finis non agit, ſed eſt id cuius gratia operatur agens, alioqui finis vt finis eſſet cauſa efficiens: per veram & realem actionem, quod repugnat. Probatur conſequentia; quia talem impreſsionem non poteſt cauſare, niſi ſub ratione finis: cum per eam conſtituatur in ratione actuali finalis cauſæ.

30 Secunda igitur ſententia eſt cõmunis & vera, quod cauſalitas finis non ſit aliquid præcedens vllo modo actionem volũtatis, hoc eſt, nec tempore, nec natura, nec etiam ſit aliquid cõſequens actionem, & ideò poſterior illa, ſed eſſe actionẽm ipſã in quantum gratia finis elicita, aut producta à voluntate. Ita expreſsè D. Thomas vbi ſupra, cuius verba citauimus aduerſus primam opinionem vtroque modo intellectam, Auicenna 6. lib. Met. trac. 5. cap. 5. Alber. Mag. 5. Meta. trac. 1. cap. 3. Alenſis 1. p. q. 17. Memb. 3. Herueus quodlib. 2. q. 1. & q. 8. §. ad rationes. Soncinas 5. Meta. q. 2. Ochamus in 2. q. 3. art. 2. Et probatur ex refutatione alterius opinionis hoc modo, cauſalitas finis debet eſſe aliquid reale nouum, atque diſtinctum ab eo, & à voluntate: cum conſtet vtrumque dari, ſine cauſalitate, dum finis non mouet actu voluntatem, ſed hoc reale nouum non poteſt eſſe aliquid præcedens actionem eiuſdem voluntatis; quia ante actionem nihil eſt factum gratia finis; neque etiam ſit, vt probatum eſt aduerſus aliam opinionem vtroque modo intellectam; ergo repugnat, quod ante actionem voluntatis præſupponatur finis, vt actu cauſa. Neque poteſt eſſe aliquid poſterius actione voluntatis: cum hæc præſupponat finem, vt actu cauſam, cuius gratia elicita eſt à voluntate; ergo debet eſſe aliquid ſimultaneũ actioni, nihil autem ſimul cum actione intelligi poteſt ab eadem actione diſtinctum; ergo cauſalitas finis erit actio ipſa, prout gratia finis elicitur.

31 Sed aduerſus noſtram ſententiam poteſt, ſic arg. finis mouet, & attrahit voluntatem ad ſui amorem, & hæc attractio eſt realis,

realis,& præcedens amorem eius, vt ex ſe eſt manifeſtum, nec poteſt fieri, niſi à fine, vt ab actuali cauſa ; ergo ante actionem voluntatis intelligitur finis, vt cauſa actualis, & ex conſequẽti cauſalitas eius, quare non poteſt in actione conſiſtere. Quod præſertim verum eſt, ac neceſſarium, quia finis eſt prima cauſa omnium, ergo cauſalitas eius præcedit omnes cauſalitates aliarum ordine naturæ, quare prior erit actione, quæ eſt cauſalitas agentis, falſum igitur erit, quod actio eadem ſit cauſalitas finis, ſed diſtinctæ cauſalitates his cauſis adeò diuerſis tribui debent, quia repugnat diuerſas cauſas actuales conſtituere eandem cauſalitatem. His autem reſpondeo, veras eſſe omnes has locutiones, quod finis moueat voluntatem, quòd eam attrahat, eam alliciat, & inuitet ad amorem, ſed per eas non ſignificari aliquam actionem, vel impreſsionem eiuſdem finis circa voluntatem, ſed ſolum obiectiuam motionem, & attractionem, & vt ſic loquamur, non ſignificãt motionem, & attractionem in actu ſecundo, ſed ſolum in actu primo, & quaſi in ſuo principio, proximo tamen reſpectu conuerſionis eius per amorem. Hæc autem motio & attractio obiectiua, & in actu primo, quæ principium eſt actualis attractionis per actualem amorem, ſolum conſiſtit in oſtenſione bonitatis eiuſdem finis, cuius gratia voluntas obiectiuè ab ea attracta & quaſi allecta mouetur ad amorem, & elicit actum eius, vnde nihil reale eſt præter finem ipſum cognitum, & per cognitionem oſtenſum voluntati. Et ex hoc intelligitur hanc motionem, & attractionem, nec eſſe aliquid procedens à fine, nec impreſſum voluntati: ſed nec procedens ab ea, vt ab actuali cauſa ; imo nec præſupponere illam, vt actu cauſam ; ſed ſolùm vt cauſam in actu primo, ex qua tamen proximè ſequitur actus ſecundus: qui eſt actio ipſius voluntatis excitatæ, & attractæ, obiectiuè ab eadẽ bonitate, vt ei oſtenſæ per cognitionem: à qua actione, in quãtum gratia eiuſdem finis facta; cõſtituitur idem finis in ratione actualis cauſæ prius tamen natura, quam conſtituatur efficiens, vt actu cauſa ab eadẽ actione; quia prius eſt, quod actio fiat gratia finis allicientis, quàm quod procedat effectiuè ab agente: nam vera eſt cauſalis hæc; quia finis mouet voluntatẽ, & eam attrahit obiectiuè, voluntas ipſa producit effectiuè actum amoris; è conuerſo verò falſa; quia voluntas elicit actum amoris, mouetur, & attrahitur obiectiuè à fine; ergo hoc potius eſt cauſa illius, & ideò prius natura eſt, quod actio procedat à voluntate, vt mota à fine, quàm vt à cauſa efficiente: & ita eadem actio, vt procedens à fine, prior natura eſt ſeipſa vt procedente

cedente

cedente à cauſa efficiente, cum hoc, quod eſt procedere à fine, ſit cauſa procedendi ab efficiente; quod ſufficit, vt cauſalitas finis ſit prior natura cæteris cauſalitatibus aliarum cauſarum. Nec tandem repugnat; quod diuerſæ cauſæ conſtituantur actu cauſæ per eandem rem diuerſo modo conſideratam; ſicut non repugnat, quod idem effectus realis procedat ab eis ſub diuerſis conſiderationibus, & omnes ſimul cōcurrant ad illum producendum per modos cauſandi adeò diuerſos. Neque aliquis vnquam negauit, quod cauſa efficiens, & finalis concurrant ad eandem actionem per ſuos modos cauſandi diuerſos.

33 Et ſi tandem dicatur actionem eſſe effectum finis; cum verum ſit ac neceſſarium gratia eius eſſe factam, & ideò non poſſe eſſe cauſalitatē eius; quia effectus præſupponit cauſam actu & ex conſequenti cauſalitatem eius. Reſpondeo actionem non fieri, nec eſſe effectum propriè loquendo; ſed medium per quod effectus fit, & quaſi fieri eius, quare eum præcedit ordine naturæ. Ideò poteſt eſſe cauſalitas finis, ſicut poteſt eſſe cauſalitas efficientis, & effectus cum ſit poſterior natura eadem actione, poteſt præſupponere finem conſtitutum per eam in ratione actualis cauſæ.

Ad teſtimonium Ariſtotelis, & D. Thom. Reſpōdetur vtrūque explicare cauſalitatem finis per actualem motionem, & excitationem agentis, quæ eſt actio ipſa voluntatis, in qua verum eſt, conſiſtere cauſalitatem finis.

Ad primum argumentum concedenda eſt maior, quod bonitas finis apprehenſa ſtatim ac repræſentatur voluntati, excitet illam ad amorem obiectiuè, & tanquam in principio ipſius amoris, & ideò verum eſt, quod hanc excitationem obiectiuam ſequatur amor actualis; quem excitatio ipſa præcedit, ſed neganda eſt minor, quod repugnet intelligi finem excitare voluntatem ad amorem, quin ſit actu cauſa: nam ad excitationem obiectiuam, & in actu primo, atque proximo; reſpectu actionis voluntatis ſatis eſt eſſe etiam cauſam in actu primo, nec requiritur in actu ſecundo, quia non intelligitur finis actu finalizare, niſi dum actu appetitur, ac deſideratur, vt expreſſis verbis aſſeruit D. Thom. & ideò nec intelligitur actu cauſa, niſi per actionem amoris, vel deſiderij elicitam ab eadem voluntate vt efficiente gratia eiuſdem finis. Ad ſecundum neganda eſt conſequentia, quod actio procedat à fine, vt à cauſa actuali; ſed procedit ab eo, vt cauſa in primo, & conſtituit eum cauſam finalem in actu ſecundo, ſicut etiam diximus procedere ab efficiente primo modo, & conſtituere cum actu cauſam ſecundo modo

QVÆSTIO IV.

An eſſe cognitum ſit conditio neceſſaria, ſine qua finis nullo modo poſſit propriam cauſalitatem exercere.

IN duabus quæſtionibus præcedentibus definitum eſt bonitatem eſſe rationem obiectiuam finis; per quam mouet voluntatem; & cauſa finalis eſt in actu primo, & actionem eiuſdem voluntatis in quantum fit ab ea gratia eiuſdem finis, eſſe cauſalitatem eiuſdem per quam conſtituitur in ratione actualis cauſæ: nunc autem quærimus, an eſſe cognitum ab intellectu ſit conditio neceſſaria ad exercendam propriam cauſalitatem; ita vt incognitus non poſsit mouere voluntatem, neque hanc in eum tendere. Sed poteſt habere duplicem ſenſum quæſtio; primum, an naturaliter hoc ſit poſsibile; ſecundum, an ſaltem poſsit fieri per potentiam Dei abſolutam, & in primo ſenſu omnes conueniunt, finem non poſſe mouere voluntatē niſi cognitum per intellectum; neque hanc in eum tendere. Quod docuit expreſsè D. Auguſt. 10. lib. de Trinitate cap. 1. & 2. his verbis: *Prorſus incognitum amare nullus poteſt.* D. Greg. lib. 5. moraliū cap. 23. & lib. 23. cap. 1. D. Bernar. lib. 12. de interiori domo cap. 18. & 19. & lib. de gratia & lib. arbitrio, in principio, D. Anſel. in monologio cap. 48. idem ſentiunt Scholaſtici omnes, præſertim D. Tho. 1. p. q. 82. art. 4. & prima ſecundę q. 3 art. 4. ad 4. & q. 9. art 1. à quibus vulgatum illud recipitur: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Et probatur ex natura voluntatis duo habentis, nempe, quod ſit cæca potentia, & quod ſit appetitus rationalis, & ratione vtriuſque petit, vt à fine apprehēſo, vel cognito moueatur. Nam ſi cæca potentia eſt, non poterit in ſuum obiectum tendere; niſi ei oſtendatur, oſtendi autē eſt per cognitionem ei repræſentari; ergo natura eius poſtulat vt in finem cognitum tendat. Prætetea, ſi appetitus rationalis eſt, ratione duci debet in ſuis actibus, ſed ratione duci, eſt, quòd in obiectum cognitum per rationem feratur; ergo cognitio neceſſaria conditio eſt vt finis eam moueat, & propriam cauſalitatem circa eos exerceat. 34

In ſecundo autem ſenſu, an per potentiam Dei abſolutam fieri poſsit, vt voluntas tendat in finem: non conueniunt omnes, ſed prima opinio tenet poſsibile eſſe, quod voluntas in incognitum tendat, & ab illo moueatur. Ita ſentit Palud. in 4. d. 49. quæſt. 1. art. 2. num. 29. quem videntur ſequi Greg. ibidē, & Ochamus q. 77. ar. 7. & 15. & nonnulli ex miſticis Theologis aſſerentibus eos, qui altiſsimę contemplationi dediti ſunt ad eum 35

ad eum peruenire ſtatum poſſe, in quo voluntas, ſine præuia cognitione bonum diligat. Probatur hoc argumento, finis non mouet voluntatem, nec actus eius finalizat per cognitionem, tanquam per rationem formalem obiectiuam, vt quæſtione ſequenti oſtendetur; cognitio verò ſolum eſt conditio neceſſaria, vel cauſa ſine qua non, ſicut ex parte cauſæ efficientis approximatio eius ad paſſum, ſed probabile eſt hanc conditionē approximationis ſupplere poſſe Deum in cauſa efficiente, ita vt operetur circa paſſum diſtans: ergo eandem ſupplere poterit in cauſa finali, ita vt voluntas tendat in finem incognitum, quod eſt quaſi tendere in obiectum non approximatum. Et vniuerſaliter videtur concedendum poſſe Deum ſupplere omnes conditiones, ſine quibus non fit aliquid; quia iſtæ non eſſentiales ad agendum. Communis tamen, & vera ſententia tenet contradictionem implicare, quod voluntas tendat in bonū prorſus incognitum, quam videtur inſinuare D. Thom. vbi ſupra, & eam expreſsè tenent Henric. quodlib. 1. quæſt. 15. Gab. in 2. d. 25. quæſt. 1. art. 3. Dionyſius Cartuſienſis in lib. de laudibus vitæ ſolitariæ art. 26. & 37.

36 Et probatur ex intrinſeca conditione voluntatis, quæ appetitus rationalis eſt: ſed quemadmodum intrinſecum eſt rei naturali agere per formam naturalem, & ſine illa agere implicat contradictionem eodem modo intrinſecum eſt appetitui agere, per formam apprehenſam, hoc eſt per conceptum ex cognitione cauſarum, qui quaſi forma eius eſt repræſentans ei obiectum, à quo moueatur, & in quem tendat: quare implicat contradictionem ferri in incognitū, ſicut repugnat operari ſine forma ſibi conueniente. Cum enim ſit cæca potentia, repugnat moueri, vel excitari à bono, aut in illud tendere; niſi ei oſtendatur, oſtendi autem non poteſt, niſi per cognitionem: Secundò probatur; quia finis in quem tendere debet voluntas per amorem, aliquando non eſt in rerum natura, vt de ſanitate conſtat, ad quam mouetur infirmus; ergo non poterit mouere voluntatem, neque hanc in eum tendere, niſi ſit in apprehenſione intellectus, per quam repræſentetur voluntati, vt poſſibilis; repugnat igitur fieri voluntatem in incognitum.

37 Ad argumentum verò diſtinguenda eſt maior, quod cognitio finis tantùm ſit conditio eius ad cauſandum requiſita; nam duplex eſt conditio, vna quæ ſe tenet ex parte cauſæ pertinens ad ſubſtantiam eius, & hæc cenſetur intrinſeca; altera, quæ nec ſubſtantiam agentis, nec paſsi attingit, & hæc cenſetur extrinſeca: Intrinſeca conditio eſt actualis exiſtentia agentis,

agentis: ſine qua agere repugnat, etiam per potentiam Dei abſolutam: nam ſi cauſa efficiens non habeat entitatem realem actualem, repugnat, quòd ab ea egrediatur realis actio, & realis effectus: repugnat quòd realem, & actualem influxum præſtare poſſit: & ſicut ſe habet reſpectu efficientis realis exiſtentia extra cauſas, ſic ſe habet reſpectu finis realis, & actualis exiſtentia in cognitione, ſine qua etiam implicat contradictionem excitare, aut mouere voluntatem, & ex conſequenti finalizare actus eius, & eſſe id cuius gratia ab ea procedant. Niſi enim oſtendatur voluntati bonitas finis; ita ſe habebit, ac ſi non eſſet, quantùm pertinet ad voluntatem, vt in eam tendat, ergo conditio hæc intrinſeca nullo modo ſuppleri poteſt. De conditione verò extrinſeca, qualis eſt approximatio agentis ad paſſum, non eſt certum, quod ſuppleri poſſit, ſed valdè probabile, quòd non poſſit, vt lib. 7. probabitur.

Suppoſito igitur, quòd neceſſariò requiratur cognitio; ſtatuendum eſt, qualis requiratur, & ſufficiat. Et imprimis certum eſt, non ſufficere habitualem, quia niſi actu repræſentetur finis voluntati, nec eam mouere poteſt, nec voluntas in eum tendere, vt patet in dormientibus. Et probatur ex natura habitus, quæ conſiſtit in inclinatione ad obiectum medio actu; ergo cognitio habitualis deſeruire non poteſt ad mouendam voluntatem, niſi media actuali; quæ ideò neceſſaria omninò cenſetur. Sed actualis duplex eſt, ſpeculatiua, & practica, ſpeculatiua eſt, per quam non proponitur obiectum ſub ratione conuenientis, ſed ſolùm cognoſcitur ſecundùm propriam naturam, & nudam veritatem, quam ex ea habet, & talis eſt cognitio huius veritatis, *totum eſt maius ſua parte.* Cognitio verò practica eſt, per quam cognoſcitur res per modum conuenientis, & illa non mouet voluntatem, quia vt Ariſtot. docet 3. lib. de anima cap. 9. textu 42. cognitio practica nihil dicit de proſequendo aut fugiendo, & ideò non eſt motiua voluntatis. Sed nec ſufficit cognitio practica in communi, qualis eſt de communiſſimo illo obiecto, *bonum eſt proſequendum, vel malum fugiendum*, quia vt alibi etiam aſſerit Ariſtoteles, ſermones in communi non mouent: neceſſe eſt ergo, vt in particulari proponatur obiectum voluntati, hoc eſt hic, & nunc, & cum his circumſtantiis proſequendum, vel fugiendum, vt ab eo moueatur, & talis cognitio eſt conditio neceſſaria, vt propriam cauſalitatem exerceat finis circa actus voluntatis. 38

QVÆ

QVÆSTIO V.

An finis moueat voluntatem ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe cognitum.

39 EXplicantes in ſuperioribus proprium modum cauſandi finalis cauſæ diximus, non ſemper eſſe neceſſarium, vt finis habeat actualem exiſtentiam extra cauſas, ſed ſatis eſſe, vt habeat eſſe poſsibile; quod eſſe poſsibile, nunc extendendum eſt ad apprehenſionem, ita vt neceſſarium ſit, quòd habeat eſſe poſſibile ſecundum veritatem rei, vel vt tale apprehendatur. Hoc enim ſecundum ſufficere probat euidenter experientia: cum videamus moueri hominem, non minus efficaciter ad procurandam ſanitatem, nec minus efficaciter applicare media curationis ad illam conſequendam; dum naturaliter eſt impoſsibilis ac ſi poſsibilis foret: ex eo ſolùm, quòd vt poſsibilis ab eo apprehenditur; nam ſi apprehendatur, vt impoſsibilis; non poterit mouere voluntatem ad abſolutam, & efficacem intentionem eum aſſequendi; ſed ad ſummum poterit voluntas quoſdam actus ſimplicis complacentiæ circa illum exercere, ſatis eſt ergo, finem apprehendi, vt poſsibilem, vt poſsit mouere voluntatem, & propriam cauſalitatem exercere circa actus eius. Quod cum ita ſit, quæritur, an finis moueat voluntatem ratione bonitatis, vel ratione apprehenſionis; ita vt cognitio, vel apprehenſio ſit ratio formalis objectiua, per quam moueat voluntatem, vel ſolùm conditio, ſine qua mouere eam non poſsit; & ratio formalis mouendi ſit entitas realis, vel realis bonitas.

40 Et prima opinio aſſerit cognitionem, vel apprehenſionem, non ſolùm eſſe conditionem neceſſariam ad mouendum, ſed rationem formalem per quam mouet, potius quàm bonitatem realem, vnde formaliter mouebit, vt cognitum, potius quàm vt bonum realiter. Ita Auicenna 6. lib. ſuæ Metaphyſ. cap. 5. Capreol. in 2. diſt. 25. quæſtion. 1. articul. 3. ad argumentum Gregorij, Soncin. 5. Metaphyſ. quæſt. 3. Medina 1.2.q.1.art.1. Probant teſtimoniis D. Thom. 1.p.q.80.art.2. 1.2.q.30.artic. 3.ad 2.& quæſt.31.ar.3.ad 1.quibus locis duo aſſerit. Primum eſt, quod appetitus rationalis, & ſenſitiuus ſunt ſpecie diuerſi, propter diuerſas apprehenſiones, quas ſequuntur; nam rationalis, (qui eſt voluntas) ſequitur apprehenſionem intellectus, ſenſitiuus verò apprehenſionem ſenſus; ſed potentiæ diſtinguuntur ſpecie, per diuerſas rationes formales objectorum;

agentis: ſine qua agere repugnat, etiam per potentiam Dei abſolutam: nam ſi cauſa efficiens non habeat entitatem realem actualem, repugnat, quòd ab ea egrediatur realis actio, & realis effectus: repugnat quòd realem, & actualem influxum præſtare poſſit: & ſicut ſe habet reſpectu efficientis realis exiſtentia extra cauſas, ſic ſe habet reſpectu finis realis, & actualis exiſtentia in cognitione, ſine qua etiam implicat contradictionem excitare, aut mouere voluntatem, & ex conſequenti finalizare actus eius, & eſſe id cuius gratia ab ea procedant. Niſi enim oſtendatur voluntati bonitas finis; ita ſe habebit, ac ſi non eſſet, quantùm pertinet ad voluntatem, vt in eam tendat, ergo conditio hæc intrinſeca nullo modo ſuppleri poteſt. De conditione verò extrinſeca, qualis eſt approximatio agentis ad paſſum, non eſt certum, quod ſuppleri poſſit, ſed valdè probabile, quòd non poſſit, vt lib. 7. probabitur.

Suppoſito igitur, quòd neceſſariò requiratur cognitio; ſtatuendum eſt, qualis requiratur, & ſufficiat. Et imprimis certum eſt, non ſufficere habitualem, quia niſi actu repræſentetur finis voluntati, nec eam mouere poteſt, nec voluntas in eum tendere, vt patet in dormientibus. Et probatur ex natura habitus, quæ conſiſtit in inclinatione ad obiectum medio actu; ergo cognitio habitualis deſeruire non poteſt ad mouendam voluntatem, niſi media actuali; quæ ideò neceſſaria omninò cenſetur. Sed actualis duplex eſt, ſpeculatiua, & practica, ſpeculatiua eſt, per quam non proponitur obiectum ſub ratione conuenientis, ſed ſolùm cognoſcitur ſecundùm propriam naturam, & nudam veritatem, quam ex ea habet, & talis eſt cognitio huius veritatis, *totum eſt maius ſua parte.* Cognitio verò practica eſt, per quam cognoſcitur res per modum conuenientis, & illa non mouet voluntatem, quia vt Ariſtot. docet 3. lib. de anima cap. 9. textu 42. cognitio practica nihil dicit de proſequendo aut fugiendo, & ideò non eſt motiua voluntatis. Sed nec ſufficit cognitio practica in communi, qualis eſt de communiſſimo illo obiecto, *bonum eſt proſequendum, vel malum fugiendum*, quia vt alibi etiam aſſerit Ariſtoteles, ſermones in communi non mouent: neceſſe eſt ergo, vt in particulari proponatur obiectum voluntati, hoc eſt hic, & nunc, & cum his circumſtantiis proſequendum, vel fugiendum, vt ab eo moueatur, & talis cognitio eſt conditio neceſſaria, vt propriam cauſalitatem exerceat finis circa actus voluntatis. 38

QVÆ

QVÆSTIO V.

An finis moueat voluntatem ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe cognitum.

39 EXplicantes in ſuperioribus proprium modum cauſandi finalis cauſæ diximus, non ſemper eſſe neceſſarium, vt finis habeat actualem exiſtentiam extra cauſas, ſed ſatis eſſe, vt habeat eſſe poſsibile; quod eſſe poſsibile, nunc extendendum eſt ad apprehenſionem, ita vt neceſſarium ſit, quòd habeat eſſe poſſibile ſecundum veritatem rei, vel vt tale apprehendatur. Hoc enim ſecundum ſufficere probat euidenter experientia: cum videamus moueri hominem, non minus efficaciter ad procurandam ſanitatem, nec minus efficaciter applicare media curationis ad illam conſequendam; dum naturaliter eſt impoſsibilis ac ſi poſsibilis foret: ex eo ſolùm, quòd vt poſsibilis ab eo apprehenditur; nam ſi apprehendatur, vt impoſsibilis; non poterit mouere voluntatem ad abſolutam, & efficacem intentionem eum aſſequendi; ſed ad ſummum poterit voluntas quoſdam actus ſimplicis complacentiæ circa illum exercere, ſatis eſt ergo, finem apprehendi, vt poſsibilem, vt poſsit mouere voluntatem, & propriam cauſalitatem exercere circa actus eius. Quod cum ita ſit, quæritur, an finis moueat voluntatem ratione bonitatis, vel ratione apprehenſionis; ita vt cognitio, vel apprehenſio ſit ratio formalis objectiua, per quam moueat voluntatem, vel ſolùm conditio, ſine qua mouere eam non poſsit; & ratio formalis mouendi ſit entitas realis, vel realis bonitas.

40 Et prima opinio aſſerit cognitionem, vel apprehenſionem, non ſolùm eſſe conditionem neceſſariam ad mouendum, ſed rationem formalem, per quam mouet, potius quàm bonitatem realem, vnde formaliter mouebit, vt cognitum, potius quàm vt bonum realiter. Ita Auicenna 6. lib. ſuæ Metaphyſ. cap. 5. Capreol. in 2. diſt. 25. quæſtion. 1. articul. 3. ad argumentum Gregorij, Soncin. 5. Metaphyſ. quæſt. 3. Medina 1.2.q.1.art.1. Probant teſtimoniis D. Thom. 1. p. q.80.art.2. .2.q.30.artic. 3. ad 2. & quæſt. 31.ar.3.ad 1. quibus locis duo aſſerit. Primum eſt, quod appetitus rationalis, & ſenſitiuus ſunt ſpecie diuerſi, propter diuerſas apprehenſiones, quas ſequuntur; nam rationalis, (qui eſt voluntas) ſequitur apprehenſionem intellectus; ſenſitiuus verò apprehenſionem ſenſus; ſed potentiæ diſtinguuntur ſpecie, per diuerſas rationes formales objectorum;

X ergo

ergo apprehenſiones; per quas diſtinguit has potentias, erunt rationes formales obiectiuæ: per quas bonum mouet diuerſum appetitum, & non conditiones tantùm. Secundum, quod aſſerit, eſt idem obiectum diuerſo modo apprehenſum cauſare diuerſos actus in voluntate; vt ſi apprehendatur bonum abſolutè, cauſat amorem; ſi vt abſens, cauſat deſiderium; ſi vt præſens, gaudium, vel delectationem, ſed actus voluntatis non diſtinguuntur ſpecie, niſi per diuerſa obiecta formalia; ergo apprehenſio, vel cognitio ratio formalis obiectiua eſt, & non ſolum conditio.

Sed probatur ratione; quia illud, quod ſemper finis poſtulat ad finalizandum, & ſine quo non poteſt propriam cauſalitatem exercere, cenſetur potius ratio formalis obiectiua finis, quàm aliud; quod non eſt ſemper neceſſarium, ſed ſine illo poteſt eam exercere; ſed cognitio ſemper eſt neceſſaria ad finalizandum, & ſine bonitate reali poteſt finis id præſtare; ergo apprehenſio potius erit ratio formalis mouendi, quàm realis bonitas. Probatur minor; quia bonitas realis finis aliquando non eſt in rerum natura, imò aliquando non eſt poſſibilis; ergo non poteſt finis ratione illius mouere voluntatem, ſed ratione apprehenſionis.

Secunda opinio tenet, quod quando finis habet actualem exiſtentiam, vel ſaltem poſsibilem in ſuis cauſis, bonitas eius apprehenſa eſt ratio formalis finalizandi, quando verò prorſus eſt impoſſibilis, ſed tanquam poſſibilis apprehenditur, potius mouet, & finalizat ratione apprehenſionis, quàm ratione bonitatis, itaque apprehenſio in hoc caſu eſt ratio formalis mouendi voluntatem; ſed in illis ſolum eſt conditio. Ita nonnulli ex Modernis. Probatur primò, quia dum finis verè eſt impoſſibilis nullam habet veram, & realem bonitatem, per quam poſſit mouere voluntatem, niſi quam tribuit ei apprehenſio; ergo ſola apprehenſio erit bonitas formalis eius, per quam mouet, & ideò non ſolùm conditio; ſed ratio formalis mouendi. Secundò quia dum finis eſt impoſſibilis, nihil reale permanet præter apprehenſionem, qua apprehenditur poſſibilis, per quod poſſit mouere voluntatem, & eſſe id cuius gratia operatur agens; ergo vel ſola apprehenſio tunc eſt ratio mouendi, vel finis non erit cauſa realis. Probatur conſequentia; quia cauſa realis eſſe non poteſt, niſi ratione alicuius entitatis realis.

Tertia opinio affirmat bonitatem realem finis poſſibilem vel actu exiſtentem, veram, vel ſolum apprehenſam eſſe rationem formalem mouendi vluntatem: apprehenſionem verò 41

ſemper

ſemper eſſe conditionem tantùm. Ita D. Thom.1. lib.contra gentes cap.75.& 1.par.quæſt.80.artic.1.ad primum. Scotus in 2.d.25.quæſt.2.Gabr.in 1.d.quæſt.5.art.1.notab.5. Caiet.1.2. quæſt.1.artic. primo, & 1.p.q.1.artic.4. Ferrar. lib. contra gentes cap.44. Iauellus 5.libro,Meta.q.15. Sotus 2. lib. Phyſ. q.3.Tolet.q.14.Perer.libr.8.q.4.Fonſ.5.Meta.cap.2.q.11. Conimb.2.lib.Phyſ.cap.7.q.23.Suar.tom.1.Meta.diſp.23.ſect.8. *& hæc eſt vera, & tenenda.* Probatur primò ex definitione finis tradita ab Ariſtot. *Finis eſt cuius gratia agens mouetur ad operandum, & cuius gratia operatur.* Sed agens nō operatur gratia cognitionis, vel apprehenſionis; ſed bonitatis, quæ eſt in fine, vel apprehenditur in eo; ergo hæc eſt ratio mouendi, & finalizandi, non illa.

42 Probatur etiam ratione; quia illa eſt ratio formalis finalizandi ad quam diligendam inuitatur, & attrahitur voluntas, ſed non inuitatur voluntas, neque attrahitur ad diligendam apprehenſionē, ſed bonitatem potius apprehenſam; ergo hæc potius eſt ratio finalizandi, quàm illa. Probatur minor; quia infirmus non mouetur, neque inuitatur ad apprehenſionem vel cognitionem ſanitatis; ſed ad ſanitatem ipſam, vt ex ſe eſt manifeſtum; ergo hæc eſt ratio formalis, per quam mouetur; illa verò ſolùm conditio. Secundò, quia ſecundum eam rationem formalem mouet finis agentem ad operandum: ſecundum quam ſatiat appetitum eius poſt conſecutionem, & qua obtenta quieſcit; ſed nec ſatiat appetitum agentis apprehenſio bonitatis, nec ea habita quieſcit, & vtrumque habet bonitas apprehenſa; ergo hæc eſt ratio formalis, per quam finis exercet propriam cauſalitatem, & non illa.

43 Sed ſpecialius probatur contra ſecundam opinionem duabus aliis rationibus. Prima, quia ratio formalis obiectiua cuiuſcunque potentiæ ſemper eſt eadem, & inuariabilis: cum ab ea ſumat ſuam ſpeciē; ergo ratio formalis obiectiua, per quam finis mouet voluntatem, ſemper eſt eadem. Probatur euidenter conſequentia, quia ab illa ſumit ſuam ſpeciem voluntas, ſicut cæteræ potentiæ à propriis rationibus obiectiuis. Quare falſum eſt, quod aſſerit ſecunda ſententia, nēpe in quibuſdam actibus bonitatē finis eſſe rationem formalē mouēdi, & finalizandi, in aliis verò, non bonitatem, ſed apprehenſionem eius.

44 Secundò, quia illa eſt ratio formalis finalizandi, cuius gratia operatur agens, & ad quam aſſequēdam mouetur, ſed nunquam agens operatur gratia apprehenſionis, nec ad hanc aſſequendam mouetur: etiam ſi finis ſit impoſſibilis, dūmodo vt poſſibilis apprehēdatur; ſed ſemper gratia bonitatis apprehēſæ;

X 2 ergo

ergo bonitas apprehenſa ſemper eſt ratio formalis objectiua finis; ſiue poſsibilis ſit,vel impoſsibilis,& apprehenſio ſemper eſt conditio tantùm. Quod expreſsè docuit Ariſtot. in 2. lib, text.32.& 5.Meta.text.3.afferens nihil referre;an finis ſit verè bonus,aut verè poſsibilis; vel ſolùm ſecundum apparentiam, aut apprehenſionem,intellectus.

Pro ſolutione autem argumētorum aliarum opinionum,in quibus ſoluendis tota difficultas huius quæſtionis conſiſtit, notandum eſt, ex doctrina D. Tho.1.2.q.1.art.1.ad 5. bonitatem finis tribus modis conſiderari, primò,ſecundum ſe, & hoc modo eſt ratio formalis cauſandi, quæcunq; cauſat finis; ſed petit pro conditione neceſſaria exiſtētiam, quæ duplex eſt,vera,& realis à parte rei,aut in apprehenſione intellectus reali;& hæc vocatur exiſtentia intentionalis;quia eſt in intentione, & apprehenſione agentis: & ſecundum hos duos modos exiſtentiæ, duo præſtat officia ſibi propria finis;nam per exiſtentiam intentionalem mouet cauſam efficientem, nempe volūtatem, & ideò per eandem dicitur eſſe primum in intentione, & vera cauſa finalis, cuius gratia agens mouetur, & operatur; ſed ſecundum exiſtentiam actualem è parte rei terminat actionem agentis,& eſt quaſi vltimum complementum totius proceſſus, eiuſdem agentis incipiētis ab intentione,& terminati per conſecutionem; & etiam ſecundum hanc exiſtentiam actualem dicitur finis vltimum quid in executione. Per illam denique exiſtentiam intentionalem, finis eſt principium deſiderij in voluntate; & per realem, eſt principium delectationis. Ex quibus intelligitur, quòd etiam ſi non habeat exiſtentiam realem; ſed impoſsibilis ſit per intentionalem quam habet in apprehenſione agentis eſt vera cauſa realis.

Quod,vt melius intelligatur, notandum eſt ſecundò, quod dum finis eſt impoſsibilis, non habens bonitatem,quam de eo apprehendit intellectus, in hoc tantum decipitur intellectus eum apprehendens, vt poſsibilem; quòd huic rei,quam apprehendit tanquam finem, tribuit bonitatem in ſe, vel in cauſis, quam à parte rei nō habet; vnde licet finis apprehenſus non ſit aliquid reale à parte rei; nec habeat exiſtentiam realem in rebus, actualem, nec poſsibilem; habet tamen entitatem, & exiſtentiam intentionalem; quæ ſuo modo realis eſt; ſed vocatur realis intentionalis, per additum diminuens; quia eſt conceptus objectiuus realis bonitatis,& realis exiſtentiæ, ſaltem poſsibilis; non quidem ex eo falſus: quia non ſit reale, quod apprehenditur, ſed ſolùm ex eo, quòd non conuenit rei cui attribuitur, quod nihil refert ad motionem, & finalizationem. 45

tionem. Et ratio huius accipitur ex natura voluntatis, & intellectus, quæ hoc modo moueri poſtulant, vt intellectus per actum realem voluntatis; quæ virtutem habet mouendi intellectum quantum ad exercitium, vel applicationem, propter naturalem ſubordinationem, & ſympathiam harum potentiarum: licet nihil reale in eodem intellectu ponat; voluntas verò per realem actum intellectus mouetur, quantùm ad ſpecificationem, virtute objecti per eum apprehenſi ſub ratione boni, & conuenientis; non eſt enim apta moueri alio modo: cum nec poſſit in proprium objectum tendere, niſi ab intellectu propoſito, & ſub ratione, qui ab eo proponitur.

46 Ex quo intelligitur ſatis eſſe, vt finis ſit cauſa realis, quod apprehendatur, per actum, & conceptum realem intellectus, ex quo ſolo dicitur habere eſſe reale intẽtionale in eodem intellectu, per quod mouere poteſt voluntatem; cuius actus licet non terminetur, niſi ad finem ſecundum eſſe reale extra cauſas, ſed cauſatur ab eo ſecundum eſſe reale intentionale. Quod ita eſſe probatur euidenti experientia, videmus enim finem verè impoſſibilem, ex eo ſolum, quòd tanquam poſſibilis apprehenditur mouere voluntatem ad actus reales intentionis, conſilij, & electionis, propter realem conceptum formalem, in quo verum eſt habere eſſe reale obiectiuum repræſentatum, quod eſt eſſe reale intentionale; licet illud non habeat à parte rei illud, cui tale eſſe attribuitur. Gratia exempli: Non minus efficaciter intendit infirmus ſanitatem verè impoſſibilem; ſed vt poſſibilem apprehenſam, nec minus eam procurat medicus, quàm ſi eſſet poſſibilis, nec minus talis ſanitas cauſat actus reales, & Phyſicos, intentionis, conſilij, & electionis mediorum; ergo non minus realiter mouet, realiter finalizat; ergo

47 non minus eſt cauſa realis & Phyſica. Sed difficultas hoc intelligendi procedit ex eo, quòd motionem finis, & cauſalitatem eius intelligimus ad modum aliarum cauſarum, modo materiali cauſantium: cum tamen cauſa finalis valdè diuerſa ſit, & valde diuerſum modum cauſandi realem habitura ſit, vt poſtulat natura voluntatis, quæ eſt efficiens cauſa ab eo mouenda, & circa quam propriam cauſalitatem debet exercere: voluntas verò non eſt apta moueri modo materiali; ſed intentionali; hoc eſt ab obiecto apprehenſo ab intellectu, & modum intentionalem habente, quod reale quidem eſt, ſed diminutum, & quaſi metaphoricum, ſufficientem tamen, vt finis dicatur cauſa realis, & Phyſica; quia per hoc eſſe reale intentionale, & per hunc modum mouendi intentionalem mouet voluntatem ad veros actus reales, & Phyſicos, & ſub motu natu-

rali comprehenſos, quales ſunt, actus intentionis, conſilij, & electionis; qui licèt habeant eſſe voluntarium, in quantùm procedunt à voluntate, tanquam à principio intrinſeco cum cognitione eiuſdem finis, & etiam eſſe morale, in quantùm liberè procedunt ab eadem voluntate, & conſoni ſunt, vel diſſoni rectæ rationi; etiam habent eſſe naturale, & phyſicum. Vnde ſequitur negari non poſſe; quin voluntas cauſa moralis, ſimul & Phyſica eorum ſit, & conſequenter finis, cuius gratia fiunt; etiam ſit cauſa moralis, & verè Phyſica. Et propter hoc eſſe intentionale, & modum intentionalem mouendi vocauit Ariſtoteles cauſalitatem finis Metaphoricam, & quaſi tranſlatitiam; atque etiam, quia deſiderium cauſat in voluntate; quòd motus quidam Metaphoricus eſt; ſed ſimul realis, & Phyſicus, & ideò realis etiam, & Phyſica cauſalitas finis, & finis ipſe realis, & Phyſica cauſa, per modum tamen diuerſum cauſandi reſpectu aliarum cauſarum, quantùm ad rationem mouendi, & cauſandi materialem, & naturalem, ſed verè conſonum naturæ finalis cauſæ illum poſtulantis. Et ideò finem debemus appellare cauſam realem, & Phyſicam finalem.

Tertiò notandum eſt, vt bene Caiet. prima ſecundæ q. 1. art. 1. cauſalitatem finis à motione voluntatis incipere: in intétione, & electione exerceri, & in actu terminandi compleri. Itaq; cum primum proponitur voluntati, incipit eam excitare, & quaſi ad ſe attrahere obiectiuè, & hæc attractio obiectiua, non eſt cauſalitas eius, ſed ſolum cauſalitatis principium: quam ſequitur actus intentionis: & virtute intentionis ſequuntur cõſilium, & electio, & omnes gratia finis, qui iam eſt actualis cauſa finalis per actionem, & tandem, dum iam voluntas coniungitur actu fini adepto (quæ coniunctio vocatur aſſecutio eius) incipit finis exercere aliud officium terminandi; nam vſque ad aſſecutionem ſolùm exercuit officium mouendi. Et terminatio eſt, quaſi complementum cauſalitatis eius, ſine qua incompleta, & imperfecta permaneret, & fruſtra laboraſſe agentem dicitur; dum labor eius aſſecutione finis priuatur; nihilominus veram habuit cauſalitatẽ finis, in actuali intentione agentis, in conſilio, & electione mediorum, ad quam ſufficit fuiſſe in apprehenſione reali eius, licet non habuerit veram exiſtentiam, nec poſſibilem: ſed ad officium terminandi, non ſatis eſt in apprehenſione exiſtere; ſed neceſſaria eſt realis exiſtentia eius, ſecundum quam ei coniungatur agens realiter. Itaque duo includit cauſalitas finis, nempe motionem agentis, per quam actualis eſt cauſa intentionis, deſiderij, conſilij &

48 and 49 margin numbers: 48 beside "Tertiò notandum", 49 beside "liter. Itaque duo".

filij & electionis; & terminationem, quam non præſtat niſi in actuali conſecutione, in qua realiter ei coniungitur agens; & ex his duobus primum pertinet ad eſſentiam eiuſdem cauſalitatis; ſecundum non ad eſſentiam, ſed ad perfectionem eius, quaſi ſubſtãtialem, eo modo, quo integritas partium integrantium pertinet ad ſubſtantiam rei, ſed non ad eſſentiam; quæ ſine illa ſaluari poteſt, vt ſine brachio, vel pede eſsẽtia hominis. Et ad eſſentiam quidẽ cauſalitatis ſufficit bonitas finis apprehenſa; quæ dicitur realis intentionalis; ſed ad terminationem non ſufficit; ſed vera requiritur; quia ſi finis ſit verè impoſſibilis, nihil conſequetur agens; ergo actio eius non erit realiter terminata; neque perfecta, ſed quaſi ſuo fine fruſtrata, & nihilominus vera erit actio, vera intentio, verum deſiderium: quia actualis terminatio non pertinet ad eius eſſentiam, ſed ſolùm aptitudinalis, quam habet per apprehenſionem finis ex ſe ſufficientem perducere agens ad realem aſſecutionem finis; quia per accidens priuatur propter realem impoſſibilitatem eius præter intentionem euenientis, licèt reipſa ſit neceſſaria.

50 Ad teſtimonia igitur D. Thomę pro prima ſententia reſpondetur verum eſſe vtrumque: primum quidem, quod appetitus rationalis, & ſenſitiuus diſtinguantur per bonitatem apprehenſam per ſenſum & intellectum, ex quo non ſequitur, quod apprehenſiones diuerſæ ſint rationes formales diſtinguendi eos; ſed ſolùm ſunt conditiones; rationes verò formales ſunt bonitates diuerſæ; quæ apprehenduntur; nam vna ſumitur ex conuenientia ad naturam rationalem; alia ex conuenientia ad naturam ſenſitiuam, & ex hoc habent diuerſitatem formalem, quam comitantur diuerſæ apprehenſiones, per ſenſum & intellectum, tanquam conditiones congruentes naturæ earum. Verum eſt etiam ſecundum, quod actus appetitus diſtinguantur ſpecie per obiecta diuerſo modo apprehenſa, ſed ratio formalis eos diſtinguens non eſt, niſi bonitas ipſa præſens, vel futura, quod verò vt talis apprehendatur conditio tantùm.

Ad argumentum eiuſdem ſententię diſtinguenda eſt minor, quod ſine bonitate reali poſſit finis exercere propriam cauſalitatem; nam bonitas duplex eſt, intentionalis exiſtens in conceptu reali intellectus, & exiſtens extra cauſas, & vtraque eſt realis, hæc quidem ſimpliciter, & perfectè: intentionalis verò, non niſi cum addito diminuente. Sed quod realis ſit ſuo modo, patet: cum ſit conceptus obiectiuus realis bonitatis, & realiter repræſentatus, per formalem mouens, quæ ad actus voluntatis Phyſicos & reales, quamuis attribuatur talis entitas realis, vt poſſibilis realiter ei, quod non eſt eam habiturum

turum, in quo conſiſtit deceptio intellectus, & ratione cuius deceptionis priuatur agens aſſecutione finis, & finis ipſe priuatur officio terminandi pertinente ad perfectionem ſubſtantialem cauſalitatis eius, quamuis non ad eſſentialem, vt explicatum eſt.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis diſtinguendum eſt antecedens, quod finis, dum eſt impoſſibilis, nullam habeat bonitatem, niſi quam tribuit ei intellectus, quia bonitas finis ſecundùm ſe conſiderata abſtrahit à bonitate exiſtente extra cauſas, & ſolùm habente eſſe intentionale in apprehenſione intellectus: determinatur autem per hos modos eſſendi, tanquam per diuerſas conditiones, quarum neutra eſt præcisè neceſſaria ad finalizandum. Sed hæc vel illa ſufficit, vt docuit expreſsè Ariſtoteles textu 32. huius libri, & 2. lib. Meta. text. 3. aſſerens nihil referre, an finis ſit verè bonus; aut verè poſſibilis, vel ſolùm ſecundùm apparentiam. Negamus igitur, quod intellectus tribuat bonitatem fini impoſſibili, ex eo quod vt poſſibilem eum apprehendit, ſed ſolùm tribuit modum eſſendi intentionalem, requiſitum quidem neceſſariò, tanquam conditionem; quia nullo modo poteſt finis mouere voluntatem, niſi habens eſſe intentionale, quantumlibet ſit poſſibilis, vel etiam actu exiſtens extra cauſas: bonitatem verò ex ſua ratione eſſentiali, quæ concipitur, habet, non ex ipſo conceptu: nam cum conſtet obiectum priùs habere eſſentiam, quàm ſecundùm eam concipiatur, non poteſt intellectus eam illi tribuere. 51

Itaque finis ſecundùm eſſentialem bonitatem apprehenſam mouet, & finalizat; quia ſecundùm eam appetitur, & ſecundùm eam eſt id cuius gratia mouetur agens, ſed tanquam conditionem neceſſariam modum eſſendi intentionalem petit, ſine quo non poteſt mouere voluntatem, quod verò hunc modum eſſendi ſolùm habeat, vel præter eum habeat etiam modum eſſendi extra cauſas ad ſolam conditionem pertinet, & ita pertinet ad conditionem, vt cum qualibet indifferenter poſſit mouere, & finalizare; ſed nõ cum qualibet terminare; ſed cum ſolo modo eſſendi extra cauſas, ſed cum terminatio non pertineat ad eſſentiam cauſalitatis finalis, ſed ſolùm ad quandam perfectionem ſubſtantialem, intelligitur, ita eſſentialiter cauſare finem non exiſtentem, nec poſſibilem, ac ſi verè exiſteret aut poſſibilis foret, ſed non ita perfectè; quia ſi primo modo ſe habeat, non terminat; & ideò non finalizat completè, & perfectè, exiſtens verò extra cauſas perfectam præſtat cauſalitatem finalem. 52

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod dum finis eſt impoſſi

impoſſibilis,nihil reale permaneat præter apprehenſionem,per quam cauſare poſſit.permanet enim bonitas realis apprehenſa; quæ eſt conceptus obiectiuus realis,& eſſentialis bonitatis apprehenſæ,& li. èt habeat modum eſſendi intentionalem ab apprehenſione, non tamen habet ab ea eſſentiam realis bonitatis apprehenſæ, ſecundùm quam mouet, apprehenſio verò,& modus intentionalis, quem per eam acquirit, ſolùm eſt conditio neceſſaria,ſine qua,nec mouere, nec finalizare poſſet.

QVÆSTIO VI.

An omnes operationes agentis ſint effectus cauſæ finalis.

55 Explicata iam natura, & modo agendi cauſæ finalis,aliquid de effectibus eius dicendum eſt in hac vltima quæſtione; ex quibus meliùs adhuc intelligetur natura eiuſdem cauſæ. Agens autem, quod gratià finis operatur duplex eſt, naturale, & intellectuale, naturalia agentia ſunt omnes cauſæ naturales, vt elementa mixta, & etiam ſuo modo corpora cœleſtia. Intellectuale verò eſt voluntas ſub qua comprehenditur appetitus ſenſitiuus; quia aptus eſt ab ea moueri: & effectus quidem agentium naturalium determinati ſunt: cum quælibet cauſa naturalis, ſiue cognoſcitiua ſit, vt ſenſus, ſiue cognitione careat, vt inferiora corpora in vnum aliquem finem ſit à natura ordinata, cuius gratia proprias operationes elicit. De operationibus igitur agentis naturalis dubium eſſe non poteſt, quin ſint effectus cauſæ finalis, vt in fine huius libri oſtendetur, ideò ſolùm procedit quæſtio de operationibus agentis intellectualis, quod eſt voluntas, an omnes ſint effectus cauſæ finalis. Sunt autem actus voluntatis in duplici differentia, quidam proprij eiuſdem voluntatis, qui dicuntur ab ea eliciti, aut facti, vt intentio finis, & electio mediorum. Alij ſunt, quos voluntas ſua virtute cauſat in cæteris potentiis, vt intellectu, aut ſenſibus, vel etiam in membris externis, & iſti dicuntur imperati à voluntate; quia fiunt, quaſi per imperium, & authoritatem eius, per quam mouentur cæteræ potentiæ. Et primò dicendum eſt de actibus elicitis: deinde de imperatis; nam de omnibus procedit quæſtio. Actus autem proprij multi ſunt, ſed iſti: qui ſequuntur præcipui, ſub quibus intelliguntur cæteri.Primus eſt ſimplex amor finis, quem ſequitur intentio eiuſdem finis: intentionem verò ſequitur electio; per quam præcedente conſilio (qui eſt actus intellectus, per quem media quæruntur) voluntas eligit medium, quod ſibi magis placet pro conſecutione finis. Electio-

nem verò ſequitur alius actus voluntatis, qui dicitur vſus, virtute cuius mouentur membra corporis ad exequendam electionem. Et hi omnes actus præcedunt conſecutionem finis. Sunt tamen alij, qui poſt conſecutionem eius habentur à voluntate, & verſantur circa finem iam poſſeſſum, vt fruitio, gaudium, delectatio. Ad tria itaque genera poſſumus reducere omnes actus elicitos voluntatis. Primum genus eſt eorum, qui verſantur circa finem nondum obtentum, vt amor, & intentio. Secundum, eorum, qui verſantur circa media, per quæ obtinendus eſt, vt electio, & vſus. Tertium eorum, qui verſantur circa finem iam adeptum. Et de his, quæ verſantur circa media, certum eſt apud omnes, quod ſint effectus cauſæ finalis, cuius ratio euidens eſt; quia electio mediorum, & vſus,per quem mandatur executioni,procedunt ex amore finis ad cuius conſecutionem ordinantur; ergo gratia finis dilecti, atque intenti eliciuntur à voluntate, ac propter conſecutionem eius: quare neceſſe eſt, quod ſint effectus finalis cauſæ. Quæſtio igitur ſolùm eſt de actibus, qui verſantur circa finem, & conſecutionem eius antecedunt, atque etiam de his, qui ſequuntur poſt conſecutionem.

Et prima opinio tenet, nullum actum qui verſatur circa finem, ſiue præcedentem conſecutionem eius, vel ſubſequentem, eſſe effectum cauſæ finalis; neque in aliquo eorum exercere finem propriam cauſalitatem, ſed ſolùm in actibus, qui verſantur circa media, vt in electione, & vſu. Itaque nec primus amor finis,nec intentio eius,nec fruitio,gaudium, vel delectatio ſunt effectus cauſæ finalis, ſed ſolùm cauſantur à fine, tanquam ab obiecto voluntatis effectiuæ, ſicut actus aliarum potentiarum, non finaliter. Ita tenent Moderni quidam. Et quantum ad ſimplicem amorem qui eſt primus actus voluntatis, idem ſentit Ferra. 1. libr. contra gentes, capit. 75. probàtque teſtimonio Diui Thomæ ibidem aſſerentis, cauſalitatem finis in eo conſiſtere, quòd propter ipſum alia deſiderentur; ſed deſiderari propter finem, eſt deſiderari propter eum iam dilectum; ergo omnis actus, qui exercetur gratia finis, præſupponit alterum, per quem finis diligatur, & ideò pugnat cum modo agendi cauſæ finalis; quòd primus actus dilectionis ſit effectus eius. Sed probatur etiam de intentione finis à modernis hoc modo, cauſalitas finis conſiſtit in eo, quòd gratia eius fiat aliquid: gratia autem finis idem eſt, quod ex intentione eius fieri; ſed ſolùm fiunt ex intentione finis actus, qui ſequuntur intentionem, non intentio ipſa; alioqui daretur proceſſus in infinitum in intentionibus, cum omnis intentio fieret 55

fieret ex alia, ergo de intentione ſaltem videtur neceſſarium quod non procedat à cauſa finali.

56 Sed probatur etiam de aliis actibus, qui ſequuntur poſſeſſionem finis, vt delectatio, fruitio, & gaudium, primò, ex Ariſtotele, 1. lib. de generatione textu 55. vbi docet adepto fine ceſſare actionem, & proceſſum agentis; quæ ad conſecutionem finis terminatur; nam obtento termino, non procedit vlterius motus; ſed primum non eſſe mobilis in eo eſt primum non eſſe Motus. Ex quo ita arguunt, cauſalitas finis, & agentis eſt actio, in quantum procedit ab vtroque ſecundum proprios modos cauſandi, ſed ceſſante actione ceſſat cauſalitas agentis, ergo ceſſabit etiam cauſalitas finis, quam ideò non poterit exercere circa alios actus; qui ſequuntur poſt adeptionem finis: quales ſunt tres illi numerati, ſi actus quidem ſunt nam potius videntur habere rationem quietis in adepto fine; quies verò priuationem cuiuſlibet actus importat. Et hæc præſertim videntur neceſſaria; quia poſt adeptionem finis, nihil iam fit gratia eius; ergo non ampliùs exercet propriam cauſalitatem.

Secunda opinio eſt D.Thomæ 1.2.quæſt.1.artic.1.aſſerentis omnes actus humanos ſiue circa finem, vel circa media verſentur, ſiue ante conſecutionem finis eliciantur, vel poſt eam, eſſe propter finem, & ideò effectus cauſæ finalis. ita etiam tenet Henricus 2.p.ſummæ art.46.quæſt.6.propriè quidem, & non ſecundum rationem impropriam, vt de intentione tenuerunt Gabriel in 2.d.38.notab.3.Greg. quem idem Gab. retulit, & ex modernis nonnulli. *Et hæc videtur nobis probabilior, & tenenda.*

57 Sed vt eam ſimul explicemus, & probemus, notandum eſt primò, quid propriè ſit agere propter finem, aut gratia finis; non eſt enim agere propter finem iam amatum, vt volunt moderni; ſed vniuerſalior eſt ſignificatio eius; nempe à propria bonitate finis moueri, & allici, & ab ea motum & allectum operari; tunc enim cenſetur moueri aliquis, & operari gratia finis abſtrahendo à quocunque amore eius præcedente, aut conditione amati, quod probat amor charitatis, quo diligimus Deum, quem nemo vnquam negauit nos diligere, tamquam vltimum finem ſupernaturalem. Ex quo patet primum amorem ſimplicem voluntatis, quem circa finem primò allicientem, & excitantem habet, eſſe gratia finis, & effectum cauſæ finalis; quia eum ſimul cum voluntate producit finis, non obiectiuè tantùm ſicut obiecta aliarum potentiarum; ſed finaliter, cum eius gratia moueatur.

Secundò

Secundò notandum eſt, finem triplicem habere ſtatum, vel conſiderationem: nam primò conſideratur ſecundum ſe, in quantum per ſe bonus eſt, & appetibilis. Secundò, vt abſens eſt, ſecundum eſſe reale, quod habet; vel habiturus eſt extra cauſas, & præſens tantùm in eſſe cognito. Tertiò, vt præſens vtroque modo habet eſſe perfectiſſimum in voluntate; quia non ſolùm per apprehenſionem ei coniungitur; ſed ſecundum eſſe reale; & actuale, quod habet extra. Et ſub prima conſideratione habet formalem rationem finis, ſub aliis verò duabus ſpecialem quandam rationem addit; nam dum abſens eſt, cauſat in voluntate deſiderium, & intentionem; atque etiam electionem, & vſum, quæ verſantur circa media; per quæ eum intendit conſequi voluntas, ſed in omnibus his actibus imperfecta quadam ratione cauſat finis, cum ſolùm cauſet tendentiam voluntatis in ſe: dum autem res tendit, & ad aſſecutionem non peruenit, imperfectè operatur. Sed poſt aſſecutionē perfectiſſimè cauſat, vt perfectiores actus oſtēdunt, quos gratia eius, vt iam poſſeſſi elicit voluntas; nempè fruitio, delectatio, & gaudium. Perfectè autem operari tunc voluntas gratia finis dicitur; quia non iam vt tendens operatur, ſed vt poſſidens, ideò firmiores, atque ſtabiliores actus elicit, vt eidem fini perfectè coniuncta. Ex quo intelligitur decipi eos; qui putāt finem iam obtentum nihil in voluntate cauſare; quia ſolùm conſiderant modum imperfectum, quem habet in ordine ad voluntatem, quam ad tendentiam, & conſecutionem mouet, quaſi imperfectas ſolum operationes habere poſſit voluntas circa eum; non conſiderantes perfectiſſimum ſtatum, ſecundū quem perfectiſſimè etiam vnitur voluntati, & voluntas ipſa perfectiſſimè ei vnita, perfectiſſimas quoque operationes gratia eius elicit, de quibus dubitandum non eſt, quòd ſint effectus eius, vt cauſæ finalis perfectiſſimè cauſantis.

Quibus expoſitis probat D. Tho. propriam ſententiàm is eodem articulo hac ratione: Omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, cauſantur ab ea ſecundum rationem obiecti; vt omnes actiones intellectus cauſantur ab eo ſub ratione veri: quod eſt obiectum eius, & omnes actu videndi cauſantur à viſu ſecundum rationem viſibilis, ſeu obiectum voluntatis eſt finis ſub ratione finis; ergo omnes actiones voluntatis cauſantur ab ea gratia finis: quare ſicut actiones aliarum potentiarum procedunt ab obiectis earum ſub ratione obiectiua efficienti, ita omnes actiones voluntatis procedunt à fine ſub ratione, finalis cauſæ. Secundò, principium cauſalitatis finis eſt allicere, & attrahere voluntatem obiectiuè ad ſui amorem, & 59

à tali

à tali attractione,& excitatione incipit moueri ad amorem, & intentionem eius; ergo actus iſti procedunt à fine propter bonitatem eius allicientis,& attrahentis,quod eſt gratia eius fieri,& ab eo procedere,tanquam à cauſa finali.

Probatur tandem de actibus ſubſequentibus adeptionem finis; quia non minus mouet voluntatem bonitas finis adepti, ſed longè perfectius,quam nondum adepti,cum hæc ſit ſecundum ſe abſens, illa ſecundum ſe præſens, & ideò perfectiùs vnita voluntati. Vnde hæc cauſat actus imperfectos, vt deſiderium,& cæteros;illa verò perfectiſſimos,vt fruitionem,delectationem,& gaudium. Vnde ſequitur hos actus perfectiſſimè procedere à bonitate finis, & gratia eius iam præſẽtis elici quod eſt procedere à cauſa finali perfectiſſimè cauſante, & perfectiſsimo modo eſſe effectus eius.

60 Ad teſtimonium D. Thomæ pro prima ſententia reſpondeo non loqui de cauſalitate finis vniuerſaliter ſumpta, ſed in particulari de ea,quam habet circa media. Ad argumentum Modernorum de intentione finis diſtinguẽda eſt maior, quod cauſalitas finis conſiſtat in eo, quod gratia eius fiat aliquid: nam gratia finis aliquid fieri,non ſolùm ſignificat aliud diſtinctum ab ipſamet intentione finis; ſed etiam ipſammet intentionem eius,quia gratia finis operari eſt voluntatem motam, & excitatam obiectiuè à bonitate finis ſibi propoſita, moueri actu ad amorem,aut intentionem eius, vel ad quid aliud propter conſecutionem eiuſdem finis efficiendum, vnde omnes actus,quem voluntas elicit mota, & excitata à fine, ſiue ſit amor ſimplex,ſiue intentio,vel quicunque alius dicitur elici ex amore finis, & gratia eius,& ideò omnes ſunt effectus cauſæ finalis verè & propriè. Cum quo tamen ſtat, vt in electione mediorum expreſſiùs voluntas dicatur propter finem agere: cum electio ſit actus diſtinctus aliquo modo ab intentione, & ſupponat iam finem dilectum per ſimplicem amorem,& deſideratum per intentionem, ad quam ordinatur electio ipſa,& propter quam media adhibentur per illam. Et in hoc fortè decipiuntur, qui putant in ſola electione exercere finem propriam cauſalitatem, quia expreſſiùs, ac diſtinctiùs in ea cernitur;ſed verè eam ex eo cum intentione, & amore ſimplici, quia nec operari propter finem ſolùm & propter finem iam dilectum per alium actum præſuppoſitum, vt verè prius putauit Ferrar.ſed etiam ex motione,& attractione finis obiectiua pro illo putaui.

61 Ad aliud argumentum de actibus, qui ſequuntur poſt adeptionem finis: diſtinguenda eſt maior de ceſſatione actionis; nam

nam duplicem ſtatum habet voluntas, atque etiam finis, vt eam mouet; imperfectum, quamdiu eſt in motu, & tendentia ad finem conſequendum: & perfectum poſt conſecutionem eius: Et ſecundum vtrumque ſtatum habet diuerſum modum operandi circa finem. Imperfectum in primo, & Perfectum in ſecundo; nam in primo operatur circa finem abſentem, & nondum ſibi per eſſe reale extra cauſas vnitum, ſed ſolùm ſecundum eſſe intentionale, in ſecundo verò circa finem ſibi perfectè vnitum. Vnde perfectiores longè actus gratia eius elicit, & finis ipſe perfectius longè propriam exercet cauſalitatem. Ariſtoteles ergo ceſſare actionem agentis adepto fine docet, de Imperfecta, quæ eſt tendentia in finem nondum adeptum intelligens, non de ea, quæ verſatur circa illum iam poſſeſſum, & ideò ſolum ceſſat cauſalitas imperfecta finis, ſed perfecta manet, à qua procedunt actus illi perfectiſsimi, fruitionis, delectationis, & gaudij: qui non in priuatione conſiſtunt, licet à voluntate iam quieſcente in fine adepto eliciantur: nam quieſcere voluntas ſolum dicitur in hoc ſenſu, quod iam non tendit ad conſequendum finem, nihilo minus circa finem iam adeptum operari non deſinit, quin potius in operatione circa eum ſibi perfectè vnitum conſiſtit fælicitas eius. Conſecutio igitur finis terminus eſt tendentiæ voluntatis, & ideò per illam ceſſat motus iſte, ſicut ceſſant alij motus in termino ad quem.

TRACTATVS VI.
De cauſa exemplari.
QVÆSTIO I.
An ſit, quid ſit, & quotuplex cauſa exemplaris, & quæ ſit cauſalitas eius.

EXemplar pro eodem accipitur ab omnibus, ac Idea, & idē Græcè ſignificant, quod Latinè forma; Vnde Idearum, aut exemplarium nomine formas aliarum rerum præter ipſas in mente exiſtentes intelligimus, vt docet D. Auguſt. lib. 83. qq. q. 46. & D. Th. 1. p. q. 15. art. 1. cum magiſtro, & cæteris ſcholaſticis in 1. d. 35. & 36. Celebrem verò ſententiam de Ideis in ſchola Philoſophica introduxit Plato, quas in Thimeo, & Phædone poſuit in mente diuina exiſtentes, tanquam omnium rerum exemplaria. Ex quorum imitatione res extra fiunt, vt grauiſſimi autores teſtantur, Cœlius Rodiginus lib. 16. lectionum antiquarum cap. 16. D. Aug. lib. 1. retracta. cap. 3. Clemens 62

mens Alexan.lib.4.ſtromatum ad finem,& lib. 5. in principio, Eugubinus,ex Plutarcho idem referens libro 1.de perenni: hi loſophia cap.12.quãuis Ariſtot. eius diſcipulus aſſeruerit eas poſuiſſe à diuina mente, & rebus ipſis ſingularibus ſeparatas. Sed ante Platonem Ideas poſuerunt Socrates, vt teſtatur Euſebius libro 11.de præparatione Euangelica, capite 11. Philo. etiam, & Plotinus, atque etiam Mercurius Triſmegiſtus, & poſt Platonem,Seneca Epiſto.66.Tullius libro primo,Tuſcu-
63 lanarum qq.D.Auguſt.12.lib.de ciuit.cap.2.5. vbi Idearũ nomen per Antonomaſiam teſtatur diuinis conuenire Boetius li. 3.de Conſolatione,Metro. 9. & cum his omnibus Scholaſtici Doctores cum Magiſtro,vbi ſupra. Ita vt in intellectu diuino ſint reſpectu creaturarum omnium,per quas factæ ſint à Deo, ſicut fit domus ab artifice ,per exemplar eius, quod intra proprium intellectum fabricatur. In creaturis verò reſpectu rerũ artificialium,quas per diuerſas artes efficiunt. Et poteſt probari euidenti ratione. Nam omne agens operatur per aliquã formam,quæ ſibi ſit virtus operandi, ad cuius ſimilitudinem producit effectum, naturale quidem per formam naturalem, agens verò intellectuale per formam intellectualem, ſeu intentionalem:ſed forma intellectualis eſt Idea, ſiue exemplar in mente exiſtens,ad cuius ſimilitudinem res extra fiunt; ergo neceſſe eſt in Deo, qui eſt agens intellectuale perfectiſſimum, à quo fiunt omnia ponere Ideas rerum omniũ tanquam exẽplaria,per quæ operetur,& etiam in quocunque artifice reſpectu ſuæ artis, & effectuum eius.

Quid ſit cauſa exemplaris.

64 EXemplarem cauſam definit Aug.12.lib.de ciuit.cap.15.ſed definitionem eius ad formam ſcholaſticam reduxit D. Th. quæſt. 3. de veritate attic. 1. his verbis: *Exemplar eſt forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinãtis ſibi finem.* Et ſub hac forma eam omnes receperunt. Ponitur autem pro genere *forma*,quæ communis eſt naturalibus, & intellectualibus ac cæteris.Per ſecundam particulam,*quam effectus imitatur*, excluduntur omnes formæ, à quibus non procedunt effectus:& per tertiam,*ex intentione agentis*, illæ formæ ſeu imagines,quæ caſu repræſentant aliquos effectus,vt imago Petri, quam pictor nihil ad Petrum reſpiciens depinxit. Cuius non dicetur exemplar Petrus in mente artificis exiſtens, cum non procedat ab eo ex intentione agentis. Et per vltimam particulam, *determinantis ſibi finem*, excluduntur formæ naturales inferiorum agentium, quæ per intellectum non operan

operantur, vt formæ ignis, vel plantarum. Quia licèt agentia naturalia operentur aliquo modo propter finem, non tamen ex cognitione formali finis,& ideò nec proponendo,aut determinando ſibi finem: quare nihil ſibi imitandum proponunt in ſuis actionibus: ſed ex præconcepto fine ab authore naturæ in determinatos finem tendunt.

Quotuplex ſit cauſa exemplaris.

EXemplar diuiſit Seneca Epiſt.66.in internum,& externum, cuius diuiſionem recepit ſchola. Et internum exemplar eſt, quod ſibi format in mente, qui aliquem effectum vult extra producere, vt ad ſimilitudinem eius eum efficiat, vt exemplar domus quod ſibi format artifex, ad cuius ſimilitudinem eam fabricatur extra. Exemplar externum eſt, quod ſibi extra mentem format artifex,vt rem aliam ad eius ſimilitudinem producat, & talis eſt imago, quam ſibi pictor proponit imitandam. Sed omnes conueniunt exemplar ex primæua, ac propria ſignificatione internum tantùm ſignificare; quia quaſi viuum eſt, externum verò,quaſi emortuum,vnde internum ſemper eſt neceſſarium,externum verò,nec per ſe, nec ſemper adhibetur,ſed per accidens,& aliquando, quare ſine illo poteſt opus ab agente fieri. Diuiſio igitur exemplaris, in internum & externum non eſt vniuoca,ſed analoga;quia diuiſum per ſe primò dicitur de ſolo interno, de externo verò per ſimilitudinem, & attributionem ad illud. 65

Quænam ſit cauſalitas exemplaris cauſæ.

HOc eſt vltimum, quod titulus quæſtionis propoſuit, in quonam conſiſtat cauſalitas exemplaris cauſæ. Dicimus autem conſiſtere in actione intellectualis agentis, in quantum menſurata, ac regulata, in certumque finem directa ab eo procedit. Quæ ſic explicanda eſt; nam proprium munus exemplaris eſt præſtare regulam, ac directionem operi efficiendo ab agente intellectuali,vt non temerè,vel caſu dicatur fieri,nec in incertum tendere artificem eum faciens, ſed ratione,& conſilio duci,& ideò in ordine ad ipſammet exemplarem cauſam,ad cuius ſimilitudinem fit,ſumit ſuam ſpeciem effectus:meritò ergo dicitur, vt actualem cauſam conſtitui per eandem actionem intellectualis agentis, vt regulatam, & directam ab eodem exemplari.

QVÆSTIO II.

Vtrum exemplar ſit aliquid exiſtens formaliter in intellectu vel obiectiuè tantum.

66 DEfinientes cauſam exemplarem diximus eſſe formam ad cuius ſimilitudinem agens intellectuale producit effectũ extra. Dupliciter autem poteſt hoc intelligi;primò,ita vt exẽplar ſit forma in intellectu exiſtens, ſiue per inhærentiam, ita vt ſit conceptus formalis, vel Idolum repræſentans effectum efficiendum in agente intellectuali creato; & in Deo eſſentia ipſa diuina ad modum ſimilitudinis repræſentantis creaturas faciendas intellecta à Deo ipſo;in quo certum eſt Ideam non eſſe conceptum,vel Idolum, quòd ſit accidens productum per intellectionem, vel non ſit conceptus formalis, ſeu Idolum repræſentans effectum efficiendum in creaturis,nec in Deo eſſentia diuina,vt ſic intellecta:ſed effectus ipſe efficiendus,vt à nobis intellectus, qui dicitur conceptus obiectiuus, & ſolum eſt obiectiuè in intellectu,non formaliter, & in Deo creaturæ faciendæ,vt ab eo intellectæ.

Et *prima* opinio tenet Ideam non eſſe conceptum formalem; ſed obiectiuum;quod dupliciter poteſt intelligi;primò, ita vt ſit conceptus obiectiuus eiuſdem rei faciendæ, vt obiectiuè exiſtentis in mente artificis.Secundò,ita, vt ſit conceptus obiectiuus alterius rei ei ſimilis,ad cuius ſimilitudinem efficienda eſt.Et ſi ſit conceptus eiuſdem rei ſingularis faciendæ, adhuc poteſt duobus modis intelligi: primò, ita vt ſit eiuſdem rei ſingularis diſtinctè conceptæ,vel cõfusè,& quaſi ſub quo-
67 dam conceptu vago. Nempe rei ſingularis ſimilis, non huius ſub proprio,& diſtincto conceptu,& hoc quidem in agentibus creatis.In Deo verò dupliciter etiam poteſt intelligi, quod Idea ſit conceptus obiectiuus.Primò,ita vt Ideæ non ſint ipſa eſſentia diuina;aut increatum aliquid; ſed creaturæ ipſæ faciendæ in eſſe cognito, ſeu obiectiuè exiſtentes in intellectu diuino.Secundò,ita vt ſint ipſamet eſſentia diuina, vt cognita à Deo,tanquam imitabilis ab eiſdem creaturis. Aſſerit ergo hæc opinio Ideam in creaturis non eſſe conceptum formalem, ſeu Idolum in mente artificis formaliter exiſtens, ſed conceptum obiectiuum, hoc eſt rem ſingularem faciendam, non diſtinctè conceptam; ſed vago quodam, atque confuſo conceptu; nempè, vt ſingularem illius ſpeciei, vt ſic,non vt hanc ſingularem determinatam. Gratia exempli, dum artifex vult

conſtruere domum, non concipit mente hanc domum ſingularem, quam vult facere ſub proprio, atque diſtincto conceptu; neque aliam domum ſingularem ab ea diuerſam, ſed eandem, quam vult facere, quaſi vagam, atque confuſam his partibus conſtantem: & hæc ita concepta eſt Idea, ad cuius ſimilitudinem vult cōſtruere hanc domum ſingularem, ac determinatam his partibus determinatis conſtantem: in Deo verò ipſamet eſſentia diuina, vt cognita à Deo, tanquam imitabilis à creaturis. Hanc ſententiam ſic explicatam tenent Fonſ. 1. lib. Meta. cap. 7. quæſt. 1. ſect. 5. & Conimbr. 2. lib. Phyſ. cap. 7. quæſt. 3. art. 2. quam ſecuti ſunt prius, quantum ad diuinas Ideas, Richar. in 1. d. 36. artic. 2. Ægidius ibidem q. 5. ad 2. & Ferrar. 1. lib. contra gentes cap. 54. nihil aſſerentes de exemplari creato. Sed quantum ad primum ſenſum, qui aſſerit exemplar, vel Ideam in creaturis eſſe conceptum obiectiuum, non eiuſdem rei faciendæ, ſed alterius ad ſimilitudinem hæc facienda eſt, & in Deo creaturas ipſas faciendas, vt à Deo cognitas, tenent eam Scotus in 1. lib. d. 35. q. 1. Ocham q. 5. Gabr. q. 5. art. 2. Aliacenſis in 1. q. 6. art. 3. Durand. d. 36. q. 6. Baſol. q. 2. art. 2. Maior. d. 35. q. 1. ſed omnes iſti pro hac opinione citati in eo conueniunt, quod exemplar non ſit conceptus formalis in creaturis, ſed obiectiuus, nec in Deo habeat modum cōceptus formalis, ſed obiectiui, & ſolum differūt in modo explicandi cōceptum obiectiuum, ideò pro omnibus indifferenter probanda eſt.

Probatur autē primò de exemplari in creaturis, quia etiam ſi artifex nullum conceptum formalem, vel idolum in mente effingeret, per ſolam cognitionem domus efficiendæ poſſet eam extra facere; ergo exemplar non eſt conceptus formalis, ſed obiectiuus. Antecedens probatur in Angelis Deum videntibus; qui cum non producant verbum mentis, vel conceptum formalem ipſius Dei, nec creaturarum quas in eo vident, certum eſt poſſe producere per artem aliquas creaturas ad extra; ad quas producendas non erit neceſſarius conceptus formalis, ſed obiectiuus ſufficiet. Ex quo ſequitur exemplar non eſſe conceptum formalem, ſed obiectiuum. Probatur conſequentia, quia ſine exemplari non poſſunt operari per artem, & poſſunt ſine conceptu formali, non tamen ſine obiectiuo, bene ergo ſequitur hunc, & non illum eſſe cauſam exemplarem. Secundò; quia exemplar eſt id, quod agens reſpicit, dum operatur, ſed non reſpicit conceptum formalē proprium, ſed ſolùm obiectiuum; ergo non ille, ſed iſte erit exemplar. Probatur minor, quia conceptum formalem, non poteſt reſpicere, niſi per cognitionem reflexam; quæ verſetur circa illum, tanquam 68

circa

circa rem cognitam, ſed non eſt neceſſarium, quod artifex operetur per notitiam reflexam, imò per illam non operari docet experientia, ſed per directam operatur ſufficienter; ergo cùm non poſſit ſine exemplari operari, non erit exemplar formalis conceptus, ſed objectiuus.

69 Probatur deinde eadem ſententia, quantum ad exemplaria, vel Ideas diuinas: quia in Deo ponuntur plures Ideæ, vt D. Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 46. & D. Thomas 1. p. quæſt. 15. artic. 2. & cum eis cæteri ſcholaſtici docent: ſed repugnat eſſe plures, ſi ponatur Ideam eſſe diuinam eſſentiam; quæ nec ſecundum rem, nec ſecundum rationem multiplicatur; ergo neceſſariò dicendum eſt Ideas diuinas eſſe creaturas ipſas faciendas, vt à Deo cognitas, & ideò non eſſe conceptum formalem, ſed objectiuum.

Secunda opinio duo aſſerit. Primum eſt, exemplar, vel Ideam in creaturis eſſe conceptum formalem, ſeu idolum, quod agens intellectuale format apud ſe, dum operatur, non quidem ſub materiali ratione qualitatis inhærētis in intellectu, quamuis hanc habeat, ſed ſecundùm rationem formalem, qua repræſentat, atque exprimit rem faciendam, non aliam ab ipſamet re ſingulari, quam artifex intendit facere, nec eandem ſub ratione confuſa, & quaſi vaga conceptam, ſed eandem conceptam diſtinctè. Gratia exempli; cauſa exemplaris domus ædificandæ, eſt conceptus formalis, ſeu idolum, quod artifex format in ſuo intellectu, per quod eadem ſingularis domus repræſentatur, atque exprimitur, diſtinctè quidem cum omnibus

70 ſuis partibus diſtinctè repræſentatis. Secundò aſſerit Ideam, vel exemplar in Deo, non eſſe creaturam extra efficiendam, nec diuinam eſſentiam, vt à Deo cognitam, ſed eandem, vt modo intellectuali repræſentat creaturas extra efficiendas, à quibus imitabilis eſſe dicitur, hoc eſt per modum conceptus formalis noſtri, non tamen vt ſit in intellectu diuino per inhærentiam, ſicut conceptus noſter inhæret in intellectu noſtro, ſed vt ſit in eo per identitatem. Itaque hæc ſententia eodem modo explicat exemplaria in Deo, atque in creaturis. Ita D. Thomas expreſsè 1. p. q. 15. art. 1. vbi docet, quod vt artifex operetur per Ideam, vel exemplar, neceſſe eſt per notitiam reflexam ad illud conuertatur, in eoque inſpiciat rationem effectus, & partes eius, differre autem exemplar noſtrum ab ſpecie impreſſa, quod hæc impreſſa principium cognitionis eſt; non vt quod cognoſcitur, ſed vt ratio cognoſcendi: exemplar verò, vt quod cognoſcitur per notitiam reflexam: quæ non poſſunt conuenire conce-

ptui obiectiuo, reſpectu cuius non datur cognitio reflexa, ſed ſolum formali. Ita etiam Alenſis 1. p. q. 23. Memb. 4. art. 1. D. Bonauen. in 1. d. 35. art. 1. quæſt. 1. Capreol. in 1. d. 36. quæſt. 1. art. 1. ad 1 contra 3. conclu. Duran. Suarius tomo 1, Met. diſp. 25. ſect. 1 num. 10. *Et hæc videtur mihi probabilior, & magis conformis doctrinæ Ariſtotelis, & ſanctorum Patrum, præſertim, quantum ad diuinas Ideas, de quibus loquuntur ipſi.*

Probatur quantum ad primum de exemplaribus creatis 70
teſtimonio Ariſtotelis 7. lib. Meta. textu 23. vbi ſic ait: *Faciens igitur, & vnde conualeſcendi motus incipit, ſi ab arte, forma eſt in anima.* Eſſe autem formam in anima, de ſolo conceptu formali verum eſſe poteſt, & nullo modo de obiectiuo, ergo illum intelligit Ariſtoteles eſſe exemplar, & non hunc. Minorem probo, quia conceptus obiectiuus eſt res extra exiſtens, quæ ſolùm dicitur eſſe in intellectu obiectiuè, & per extrinſecam denominationem cogniti; ſed quod ſolum eſt in intellectu per extrinſecam denominationem cogniti, non eſt in eo tanquam forma, vt ex ſe patet, ergo verba Ariſtotelis non poſſunt conuenire conceptui obiectiuo, nec ideò ex eius mente exemplar eſſe poteſt.

Probatur deinde ratione. Primò, quia, ſi exemplar eſt con- 71
ceptus obiectiuus, vel eſt res alia diſtincta ab efficiẽda, vt cognita, vel eadem res facienda, vt confusè cognita (his enim duobus modis explicat prima opinio conceptum obiectiuum) ſed neutro modo poteſt eſſe verum, ergo nec poteſt eſſe conceptus obiectiuus, ſed formalis. Probatur minor: quia euidens experientia docet, ſæpe operari artificem ſine cognitione alterius rei ab ea, quam intendit facere per artem: ſed ſolum per cognitionem eiuſdem, vt artifex dum conſtruit domum, vel pictor depingit imaginem, non ſemper aliam diſtinctam à ſe conceptam inſpicit, ſed ſolum faciendam cum ſuis partibus; ergo cum ſemper concurrat exemplaris cauſa, non erit alia res à facienda, vt concepta ab artifice. Sed nec eſt eadem res ſingularis facienda, vt confusè concepta quia ſiue exemplar reducatur ad cauſam efficientem, vel ad formalem, diſtingui debet realiter ab effectu, cum cauſa efficiens, & formalis relationem realem ſemper ad illum habeant, & relatio realis non poſſit reperiri; niſi inter extrema realiter diſtincta, ſed euidens eſt rem efficiendã, vt cognitã non diſtingui realiter ab eadẽ, vt extra, ſed ſola ratione, ergo nec exemplaris cauſa diſtinguetur ab effectu, niſi ſola ratione, quod patet eſſe falſum. Secundò probatur ratione D. Th. q. 3. de veritate art. 1. & 1. p. q. 15. art. 1. quia ſicut agẽs naturale cõſtituitur in actu 1.

ad

Digitized by Google

ad agendum per formã naturalem, ita agens intellectuale per formam intellectualem, ſeu intentionalem : ſed res efficienda, vt cognita non eſt forma intellectualis ; ergo non eſt exemplar. Probatur minor, quia forma intellectualis eſt, quæ informat intellectum ; ſicut naturalis, quæ informat materiam, vel ſubiectum. ſed res cognita non informat intellectum, ſed conceptu formali informatur, ergo iſte, & non ille exemplar eſt.

72 Probatur ſecundò de diuinis Ideis, ſeu exemplaribus ex communi ſententia ſanctorum Patrum, qui de eis loquuntur, omnes enim aſſerunt eſſe formas, & rationes incommutabiles, æternas; ſubſtantiales & vitales intra ipſum Deum, aut diuinum intellectum exiſtentes. Præſertim Dionyſ. cap. 5. de diuinis nominibus, Auguſt. 11. libr. de Ciuitate Dei capit. 29. tractat. 1. in Ioannem, & libr. 83. qq. q. 46. & Ambroſius libro 1. Examer. capit. 1. & 2. ſed hæc non poſſunt conuenire creaturis, vt à Deo cognitis, vt ex ſe eſt manifeſtum, ergo nec poſſunt eſſe diuina exemplaria: ſed hæc aliquid formaliter in Deo exiſtens, hoc eſt ipſamet eſſentia diuina, prout eas repræſentat intellectuali modo eſſe debent. Probatur etiam ratione, quia exemplar præſertim diuinum, in quocunque genere cauſæ concurrat ad effectum ; non eſt cauſa vniuoca eius, ſed æquiuoca, ſicut ipſe Deus, qui per exemplar operatur, ſed creaturæ, vt à Deo cognitæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum eiſdem ad extra factis, vt ex ſe patet, ergo non poſſunt eſſe exemplar diuinum. Probatur euidenter conſequentia : quia cauſa æquiuoca ſpecie diſtincta debet eſſe ab effectu, alioqui, ſi ſit eiuſdem ſpeciei, vniuoca erit.

73 Sed probatur iam, quod nec exemplar diuinum, poſsit eſſe eſſentia diuina per modum conceptus obiectiui à Deo cognita, vt aſſerunt alij authores eiuſdem ſententiæ, quia exemplar non conſtituitur per eam cognitionem ; per quam inſpicitur, tanquam id, ad cuius ſimilitudinem res facienda eſt, ſed præſupponitur conſtitutum per aliam cognitionem directam, præſuppoſitam, vt probat efficaciter verba illa Scripturę Exod. 25. *Inſpice & fac ſecundũ exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt:* ergo diuina eſſentia ex eo ſolùm quod directè cognoſcitur à Deo, non conſtituitur in ratione exemplaris, ſed præſupponi debet conſtituta per aliam cognitionem, & cum non ſit in Deo alia cognitio per quam conſtituatur, ſequitur non eſſe exemplar, etiam, vt obiectiuè cognitam à Deo ; ſed vt per modum conceptus formalis modo intellectuali repræſentat creaturas ; nam vt cognita ſimpliciter ſolùm repræſentat eas

modo naturali, tanquam cauſa efficiens effectus quos continet eminenter. Secundò, quia exemplar eſt forma intellectualis, ſeu intentionalis; ſed eſſentia diuina, nec ſecundum ſe, nec vt cognita habet rationem formæ intellectualis, ergo non eſt exemplar. Probatur minor: nam forma intellectualis eſſe debet intra intellectum ipſum, ſed eſſentia diuina vt cognita non intelligitur eſſe intra intellectum diuinum, ſed potius extra illum noſtro modo intelligendi: cùm ſolùm ſit in eo obiectiuè, & per extrinſecam denominationem cogniti; ergo non habet rationem exemplaris, ſed ſolùm, in quantùm modo intellectuali, hoc eſt, per modum intellectualis formæ repræſentat creaturas eidem intellectui diuino eam inſpicienti, tanquam rationem earum, dum vult eas extra producere, ſicut intelligimus exemplaria creaturarum.

Ad primum argumentum alterius opinionis negandum eſt antecedens, quod poſsit artifex conſtruere domum per artem domificatoriam: quia licet partes eius, & ea, ex quibus fit, cognoſcat, neceſſe eſt eas prius apud ſe ordinare, atque diſponere ſicut exteriùs ordinandæ ſunt, vt poſsit eaſdem poſtea ordinare & diſponere in executione. Apud ſe autem ordinare non poteſt niſi totam, atque integram ordinationem vnico conceptu exprimat, & conceptus iſte eſt exemplar totius domus cõpletę, atque perfectæ, quod verò addit Angelos videntes diuinam eſſentiam, non producere verbum, vel conceptum eam repræſentantem cum creaturis in ea viſis, falſum eſt, & expreſsè contra D. Thomam, vt ſuo loco probabitur: quia cum intellectio ſit actio vitalis, vel eam præſupponat, non poteſt eſſe ſine termino: terminus autem proprius eius eſt verbum, vel cõceptus, in quo repræſentatur obiectum, actu atque expreſsè, per hunc ergo conceptum poterit Angelus exemplar creaturarum extra producendarum formare, ſi verum ſit, quod poſſit creaturas per artem producere, & licet verbum nõ formarent, ſatis eſſet cognoſcere creaturas in diuina eſſentia repræſentatas, vt ex earum clara notitia poſſent Angeli per aliam notitiam reflexam earundem creaturarum, exemplaria apud ſe formare, quibus mediis poſſent eas extra producere iuxta regulas artis. 74

Circa ſolutionem ſecundi argumenti quidam ex his, qui noſtram ſententiam ſequuntur, aſſerunt, non eſſe neceſſarium, quod artifex per cognitionem reflexam inſpiciat exemplar, ad conſtruendum opus, quod efficit per artem, vtcunque neceſſarium tamen eſſe ad perfectè illud efficiendum ſecundum regulas artis. Itaque ad qualemcunque vſum exemplaris 75

dicunt

dicunt non eſſe neceſſariam inſpectionem eius reflexam: ſed ad perfectum vſum eius. Sed D. Thom. abſolutè docuit eſſe neceſſarium, ad constructionem operis, *& ita nobis videtur dicendum*, quod probatur ex propria natura, & ratione exemplaris, quod ex ſe eſt quaſi regulatiuum operis faciendi iuxta regulas artis, quare non poteſt ſecundum eas fieri, etiam imperfectè, niſi aliquo modo inſpecto exemplari. Et certè ſi nullo modo inſpiciatur, non intelligo, quo pacto ſuam cauſalitatem exercebit, vel proprium influxum præſtabit. Sed an talis inſpectio reflexa exemplaris debeat eſſe continua, & tamdiu durare, quamdiu durat constructio operis, non explicat D. Thom. Noſtra tamen ſententia eſt, *formalem non eſſe continuam, ſed certis temporibus adhibendam, virtualem verò continuam eſſe, ſemperque concurrere.* Voco autem virtualem reflexionem continuam, directionem virtute formalium reflexionum in opere ipſo relucentem. Quod verò certis temporibus adhibeatur neceſſariò reflexa inſpectio, non eſt contra experientiam: quia licèt eiuſmodi reflexi actus non ſemper ſentiantur, & ideò videatur non concurrere, ratio à nobis adducta probat neceſſariò adhibendos eſſe: cui ſtandum eſt potius, quàm ratione ſenſibili; cui in hac parte non eſt adhibenda tanta fides: cum eadem nos doceat ratio intellectum ſæpè comparare vnam rem cum alia ſine actuali aduertentia, aut cognitione eiuſdem comparationis.

76 Ad argumentum denique de pluralitate diuinarum idearum concedenda eſt maior; quod plures ponantur ratione diſtinctæ per ordinem ad creaturas repræſentatas in diuina eſſentia, tanquam in intelligibili forma, quæ ideò poteſt concipi, vt diuerſo modo imitabilis à diuerſis creaturis, & ſic concepta diſtingui in plures ideas.

QVÆSTIO III.

An exemplar reducatur ad cauſam formalem, vel efficientem.

PRæſupponit titulus quæſtionis cauſam exemplarem non efficere per ſe aliquod genus cauſæ diſtinctum à cæteris aduerſus ſententiam Platonicorum quam retulit Perer. lib. 8. cap. 1. qui ponebant quintum genus cauſæ exemplaris, præter quatuor conſueta genera, & ideò ad nullum eorum reduci, propter hoc argumentum; Quot modis poteſt fieri de rebus quæſtio propter quid, tot ſunt diſtincta cauſarum genera, per quæ eiſdem quæſtionibus fiat ſatis; ſed fieri poteſt quæſtio

propter quid de aliquo, cui non poſſit ſatisfieri per quatuor conſuetas, cauſas; ſed per ſolam exemplarem; ergo hæc erit quinta. Probatur minor; nam ſi de imagine ſima quæratur, propter quidnam ſima euaſerit, non fit ſatis; ſi dicatur propter materiam, ex qua facta eſt; aut propter formam, vel figuram, nec propter artificem, aut finem; ſed ſolùm propter exemplar, quod ſibi artifex imitandum propoſuit, internam, aut externam ſimitatem habens; quam in ea artifex exprimere voluit. Hæc tamen ſententia, vel eodem eius argumento probatur falſa: quia nulla poteſt excogitari interrogatio propter quid de re quacunque, cui non poſſit plenè ſatisfieri per aliquam ex quatuor cauſis, vt in primo tractatu noſtro de cauſis in generali probauimus, ex doctrina Ariſtot. quam recipit iam vniuerſa ſchola. Quare non eſt addendum aliquod genus cauſæ, nec detrahendum. Minorem ibidem probauimus, ſed probatur in eodem exemplo argumenti propoſiti, vt ſimul illud ſoluamus; quia ſimitas illius imaginis ab exemplari proceſſit; tanquam à cauſa efficiente quemadmodum defectus alij; quos effectus naturales ex ſua generatione cōtrahere ſolent, reducuntur ad alios ſimiles, quos habuit efficiens cauſa, vel materialis, vt per ſe eſt manifeſtum: meritò ergo præſupponit quæſtio non eſſe multiplicandum aliud genus cauſæ pro exemplari, ſed ad vnum ex quatuor reduci debere. Quærit autem, ad quodnam ex duobus reducatur; ex formali, vel efficiente; præſupponens, tanquam certum, quod non poſſit pertinere ad materiam, nec ad finem. Et de materia quidem notum eſt, cuius propria ratio eſt eſſe potentiam; & propria cauſalitas recipere formam; ſed ratio exemplaris conſiſtit potius in actu, & in actuali influxu, per quem effectui tribuit eſſe; ergo non pertinet ad efficientem cauſam. Sed nec ad finalem; quia finis præcedit efficientem cauſam, quam mouet ad operandum, & ideò præcedit formationem exemplaris; quod apud ſe conſtituit agens intellectuale gratia finis, nempè vt effectum ad ſimilitudinem eius efficiat iuxta regulas artis; ſicut ergo finis prior eſt efficiente, ita etiam eſt prior exemplari, & longè diuerſum modum cauſandi ab eo habet: nam effectus non aſſimilatur fini, vt finis eſt, ſed gratia eius aſſimilatur agenti; ergo per ſe eſt manifeſtum diſtinctas eſſe has cauſas, & ideò ſicut exemplar non poteſt pertinere ad materialem, ita neque ad finalem. Solum ergo reſtant formalis, & efficiens; ad quas reduci poſſit, ideò quærit titulus quæſtionis ad quam, ex his duabus reducenda ſit. 77

Et prima opinio eam reducit ad cauſam formalem. Ita Albert. Magn. in 1. d. 20. artic. 1. Durand. d. 45. q. 2. Argent. artic. 2. 78

Ægidius

Ægidius propoſ.35.de Euchariſtia. Caiet.1.p. quæſt.6.artic.3. & q.44. artic.3. Abulen.in cap.5. Matthæi q.12. quam ita probabilem reputant. Fonſec.5. Metaph. cap.2. quæſt.7. ſect.5. & Conimbr.2.lib. Phyſ.cap.7.qu.4.artic. 2. Vt affirment non eſſe reducendã ad cauſam formalẽ,ſed per ſe,& propriè eſſe cauſam formalem extrinſecam tamen,& ideò ſpecie diſtinctam à cauſa formali intrinſeca, ſub eodem genere formalis cauſæ; ſicut diſtinguuntur ſub efficiente,cauſa prima & ſecunda,& ſub ſecunda particularis,& vniuerſalis, in quo nihil aduerſus doctrinam Ariſtotelis aſſeritur: cum nullum genus cauſæ multiplicetur. Et hoc videntur deſumpſiſſe ex Henrico quodlib.9 q.2.

79 Sed probatur primum,quòd ad genus cauſæ formalis,& non efficientis reducenda ſit ex priori ratione exemplaris,quod non eſt aliud,quàm id,ad quod reſpiciens agens operatur,vt certam ſpeciem effectui conferat ad ſimilitudinem eiuſdem exemplaris,confert ergo ſpeciem,& ſimilitudinem ſuo modo exemplar, ſed vtrumque pertinet ad cauſam formalem,& non ad efficientem, cuius ratio propria cauſandi diſtincta eſt; nempè eſſe principium, à quo incipit motus:ergo ad formalem potius reduci debet, quod ſatis expreſſum videtur in eius definitione,in qua dicitur eſſe formam. Quod verò ſit propriè cauſa formalis diſtincta ſpecie à forma intrinſeca ſub eodem genere cauſæ probant Conimb. quia forma intrinſeca recipitur in materia, quam informat; & cum qua totum compoſitum conſtituit, & ideò pars eſſentialis eius vocatur, exemplar verò nihil horum habet, ſed forma extrinſeca eſt, ad cuius ſimilitudinem producitur effectus per artem, eſt etiam forma intelligibilis, ſeu intentionalis, ex quo etiam diuerſum modum cauſandi formalem habere debet à forma naturali. Vnde vt vtrumque ſignificaret Ariſtot. nempè vtramque eſſe formalem cauſam, ſed ſpecie diſtinctam locis ſuperius citatis, his verbis eas coniunxit, *alio autem modo forma, & exemplar.*

80 *Secunda* opinio ad cauſam potius efficientem, quàm ad formalem pertinere exemplar docet. Ita D. Thomas in 1. d. 2. q. vnica, Scotus qu.2. D. Bonau.in 3.d.11.q.2. Alenſ.1.p.qu.23. Memb. 4. art.1. Herueus in 1.d. 36.q.1. Pererius lib. 8. cap. 1. Suarius tomo 1. Meta. diſp.25.ſect.2. num.8. & videtur nobis longè probabilior,præſertim in doctrina Ariſt. Quod oſtendo duobus teſtimoniis eius. Primum habetur 7.lib. Met. text. 23. vbi duo aſſerit. Primum, quod externa ſanitas, & externa domus effectiuè procedunt à ſanitate, quæ eſt in mente medici, & à domo, quæ eſt in mente artificis, his verbis: *Quodammodo ex ſanitate, ſanitatem accidit fieri, & domum ex domo, quæ ſine*

materia eam, quæ habet materiam, ars enim medendi, & ædificandi eſt forma, ſanitas, & domus. Secundum principium: vnde incipit motus artificialis eſſe formam in anima, per quam operatur artifex, ſic inquiens: *Faciens igitur, & vnde conualeſcendi motus incipit, ſi ab arte, forma eſt in anima:* Et vtrumque conuincit eum ſentire, quod exemplar contineat cauſam efficientem in agentibus per intellectum; ſicut forma naturalis efficientis cauſæ reſpectu effectus ab eo procedentis continet efficientem cauſam in agentibus naturalibus. Alterum teſtimonium accipitur, ex hoc libr. 2. textu 33. & ex 5. libr. Met. cap. 2. vbi aſſignans differentiam inter cauſas efficientes per ſe, & per accidens, aſſerit, aliter Polycletum eſſe cauſam ſtatuæ, aliter ſtatuarium: nam ille per accidens, quia accidit ſtatuario, quod ſit Polycletus, ſicut accidit, quod ſit muſicus, vel albus: ſtatuarius verò eſt cauſa per ſe per artem, quam, vt talis habet, ſed ars non eſt principium efficiens ſtatuæ, niſi per Ideam eius, à qua determinatur ad operandum; ergo aſſerens Ariſtoteles ſtatuarium eſſe cauſam efficientem per ſe ſtatuæ, ſentit exemplar artis, quo medio operatur, continere cauſalitatem efficientem.

Sed probatur ratione D. Thomę 1. p. q. 15. art. 1. ſic procedente. Eadem forma, quæ conſtituit agens in eſſe, eſt ſibi principium formale agendi, per quod conſtituitur in actu primo ad operandum: quia ſicut operari ſequitur eſſe, ita principium operandi ſequitur principium eſſendi, quod in naturalibus probauit Ariſt. 1. lib. de anima in principio, oſtēdens animā eſſe principium effectiuum operationum vitalium, ex eo, quod eſt principium eſſendi eidem viuenti, à quo procedunt; ſed quemadmodum agens naturale conſtituitur in eſſe per formam naturalem, ita agens intellectuale per formam intellectualem; quæ duplex eſt, Habitualis, vt ars, Actualis, vt exemplar; ergo quælibet harum formarum in ſuo gradu erit artifici principium operandi, ſicut eſt ei principium eſſendi, habituale, atque vniuerſale, & quaſi primum ars, actuale, & particulare, ſeu determinatum, & proximum exemplar, quia ars poteſt eſſe principium multorum effectuum, exemplaria verò ad ſingulos determinant, quare ſicut forma naturalis agentis eſt efficiens cauſa operationum ab eo procedentium; ita exemplar continet efficientem cauſam effectus procedentis ab agente intellectuali, quod tanquam conſtituit. 81

Ex quibus infero exemplar non ſic reduci ad efficientem cauſam, vt reduci ſolent illa, quæ impropriè continent rationem aliquam, ad ea, in quibus propriè continetur; ſed reduci 82

dicimus,

dicimus, id eſt, propriè contineri ſub genere efficientis cauſæ; quia propriam rationem cauſandi huius generis continet, & propriam cauſalitatem efficientem exercet. Probatur euidenter; quia agens intellectuale propriiſſimè eſt agens; propriiſſimè cauſa efficiens, & longè perfectior cauſa efficiente naturali: quia agere per intellectum perfectiſſimus modus agendi eſt; vnde cum primum agens (quod eſt Deus) ſit etiam perfectiſſimum efficiens per intellectum operatur omnia, & agens intellectuale eſt reſpectu omnium effectuum, ſed exemplar continet cauſalitatem efficientem, tanquam forma agentis intellectualis; ergo non impropriè, nec in hoc ſenſu per reductionem pertinet ad cauſam efficientem, ſed propriè, tanquam vna ex ſpeciebus huius generis: quia cauſa efficiens diuiditur in naturalem, & intellectualem, tanquam genus in ſuas ſpecies.

83 Ad 1. argumentum alterius opinionis diſtinguenda eſt maior, quòd exemplar conferat ſpeciem, & ſimilitudinem effectui: nam conferre ſpeciem, & ſimilitudinem duobus modis contingit, nempe tanquam formam eiuſdem effectus, à qua conſtituitur in ſpecie, vel tanquam formam efficientis cauſæ, cuius virtute procedit effectus talis ſpeciei: & agenti ſimilis; & primo modo negandum eſt, quòd exemplar conferat effectui ſpeciem, & ſimilitudinem: cum manifeſtum ſit, non eſſe formam eius intrinſecam, ſed confert ei ſpeciem, & ſimilitudinem ſecundo modo, qui proprius eſt formæ efficientis, à qua conſtat effectiuè procedere. Itaque exemplar, ſicut quælibet forma efficientis cauſæ non confert ſpeciem, & ſimilitudinem effectui formaliter; ſed efficienter, & ideò exemplar non pertinet ad cauſam formalem, ſed ad efficientem. Cætera argumenta ſolum probant exemplar diſtingui à cauſa formali intrinſeca, quòd ad nos non pertinet, qui diſtingui concedimus, non tanquam formalem cauſam extrinſecam, ſed tanquam efficientem, vt probauimus. Ponere enim formam extrinſecã intra genus cauſæ formalis contra propriam rationem formalis cauſæ eſt, cuius proprius modus cauſandi eſt per informationem, vt ſuperius vidimus: exemplar verò non informat; niſi efficientẽ cauſam intellectualem: & ideò principium effectiuum eſt operationum ab ea, vt tali, procedentium. Itaque forma accidentalis, eſt comparatum ad intellectuale agens; reſpectu cuius genus cauſæ formalis exercet, ſicut cæteræ formæ accidentales reſpectu ſuorum ſubiectorum, quibus inhærent: ſed comparatum ad effectus artis ab eodem agente procedentes, vera cauſa efficiens eſt, formalis verò nullo modo.

TRACT.

TRACTATVS VII.
De Comparatione cauſarum cum ſuis effectibus.

COmparationes cauſaruu cum ſuis effectibus, quædam ſunt generales: vt illæ quibus comparantur cum eis ſecundum perfectionem, & proprietatem, & iſtæ propriè pertinent ad Metaphy. qui ſicut agit de ente, de bono, atque perfecto, & cauſis eius: ſic pertinet ad eum diſputare, an, & quo modo cauſæ in vniuerſum nobiliores ſint, atque priores ſuis effectibus; ei igitur relinquendæ ſunt. Aliæ ſunt comparationes particulares pertinentes ad genus Phyſicum, vt illæ, quibus comparantur cauſæ naturales cum ſuis effectibus naturalibus ſecundum modum, & applicationem, qua eos producunt, & comparationes iſtæ pertinent ad noſtrum inſtitutum. Ideò de illis agendum eſt. Sunt autem duæ: prima, an idem effectus poſsit procedere à pluribus totalibus, & adæquatis eiuſdem ordinis, ſimul concurrentibus; ſecunda, an poſsit procedere à multis concurrentibus ſucceſsiuè, ac diuiſim. Ideò duplicem quæſtionem continebit tractatus iſte. 84

QVÆSTIO I.

An idem numero effectus poſſit procedere à multis cauſis eiuſdem generis, & ordinis ſimul, & adæquatè concurrentibus.

CErtum eſt eundem effectum, non ſolùm poſſe, ſed debere procedere à multis cauſis diuerſi generis; vt ab efficiẽte, finali, formali, & materiali; ideò ſolùm quæritur de cauſis eiuſdem generis, non quidem formalibus, & materialibus; quia de his diſputatum eſt in 1. lib. neç etiã de finalibus; quia ad moralem potius Philoſophum pertinet diſputare, an ſimul poſsit aliquis operari propter plures fines. Quæſtio ergo reducitur ad ſolas efficientes, de quibus non eſt minus certum plures, non ſolùm poſſe, ſed actu concurrere ad eundem numero effectum, ſi ſubordinatæ ſint, vt cauſa prima, & ſecunda, & ex ſecundis, vniuerſalis, & particularis. De ſolis igitur cauſis non ſubordinatis dubitamus, proximis quidem: nam de remotis curandum non eſt; quæ nihil ad effectum videntur operari. Et de proximis, quidem totalibus, & adæquatis: cum ſit manifeſtũ plures partiales, & inadæquatas concurrere ad eundem numero 85

effe

effectum totalem, vt plures homines ad portandum eundem lapidem. Et eadem ratione adhuc de totalibus non dubitamus, niſi totaliter concurrentibus. Ita, vt quælibet applicet virtutem ſufficientem atque concurſum ad productionem totius effectus; quem producet, etiam ſi non applicetur ſimul altera, vel poſtquam applicata eſt, remoueatur. De pluribus igitur cauſis efficientibus, non ſubordinatis, quarum quælibet applicat ſufficientem virtutem per quam ſola poſſet producere effectum; quærit titulus quæſtionis, an ſimul poſsint concurrere ad eundem numero effectum producendum.

Quæſtio autem ſic propoſita duplicem ſenſum habere poteſt. Prior eſt naturalis, an ſecundum ordinem à natura conſtitutum in rebus poſsibilis ſit talis concurſus: poſterior an ſaltem per potentiam Dei abſolutam. Et licet in ſenſu priori videantur nonnulli dubitare, an poſsibilis ſit: tanquam certũ ſtatuendum eſt naturaliter non eſſe poſſibilem, vt probat euidenter hoc argumẽtum: In rebus naturalibus nihil ſuperfluum natura permittit, ſed in tali applicatione ſuperflua foret multitudo cauſarum: cum ſupponamus quamlibet eſſe ſufficientẽ, & ſufficientem applicare virtutem ad producendum effectum; ergo ſuperfluæ eſſent plures, & ideò applicatio vel concurſus earum impoſsibilis cenſetur. Sed an repugnet ab intrinſeco, & ita cenſeatur implicare contradictionem, vel ſolum propter ordinem naturalem in cauſis conſtitutum & ideò propter aliũ finem poſsit à Deo fieri, hæc eſt difficultas quæſtionis.

86 Circa quam eſt prima opinio Scoti in 2.d.20.q.2.& in 3.d. 1.q.2. quod nec per potentiam Dei abſolutam fieri poſsit. Quã videntur ſequi Capreol. in 2.d.2.q. vnica art.3. & in 3.d.1.q.1 art.3. Ferrar. 3. contra gentes cap. 68. Soncinas 5. Met. q.5. & Iauell. ibidem q.7. Marſilius 1. lib de generat. q. 8.

Probatur primò, quia repugnat applicari plures cauſas ſufficiẽtes ad eundem effectum; quin eo ipſo ſint partiales, & inadæquatæ; ergo vt tales, & adæquatæ concurrere non poſſunt. Antecedens probo, quia effectus correſpondet virtuti cauſæ applicatæ ad agendum; atque etiam actuali concurſui eiuſdẽ: ergo virtuti applicatæ, & concurſui, vt quatuor debet correſpondere effectus, vt quatuor: ſi ergo applicentur duę cauſæ ad producendum effectum, vt duo, quarum quælibet habeat virtutem vt duo; ſequitur virtutem applicatam ab vtraque eſſe, vt quatuor, cum neceſſariò debet correſpondere effectus vt quatuor; reſpectu cuius non poſſunt eſſe cauſæ totales; ſed partiales; cum non correſpondeat ſingulis totus effectus, ſed ſolum pars; nempe duo gradus in effectu producto, quos conſtat non

non poſſe excedere virtutem ſingularem. Et hinc etiam ſequitur, quod cauſa minoris virtutis poſsit producere perfectiorẽ effectum; quàm cauſa maioris virtutis, etiam ſi hæc applicet totam virtutem ad operandum. Probatur conſequentia: nam duo agentia ſic applicata ad eundem effectum ſunt virtutis, vt quatuor applicatæ ad agendum, & non producunt, niſi effectum vt duo: ſi verò agens vt tria applicetur ad operandum; producet effectum, vt tria, ergo perfectiorem: cum conſtet minoris virtutis eſſe, quàm duo alia ſimul applicata, quod patet abſurdum eſſe; ergo impoſsibile eſt duas cauſas adæquatas ſimul concurrere ad eundem numero effectum.

Secundò, quia ſi duæ cauſæ applicentur ad eundem effectũ; 87
non poſſunt ad illum concurrere; niſi per diſtinctas actiones; quia actio indiuiduatur ab agente, & aliis, & ideò diſtincta agentia non poſſunt agere, niſi per diſtinctas numero actiones ſed diuerſæ actiones poſtulant diuerſos terminos; & diuerſi termini ſunt diuerſi effectus agentium; ergo non poſſunt producere eundem; niſi per partes eis correſpondeat; quare neceſſe eſt partiales eſſe cauſas eius, & totales eſſe repugnat. Et confirmari poteſt; quia ex tali applicatione ſequerentur duæ contradictiones. Prima, quod à nulla dependeret effectus per ſe, & à nulla adæquatè, & ex alia parte ſupponitur, quod tanquam à cauſis per ſe, & adæquatis producatur.

Sed probatur conſequentia: nam illud per ſe dependet ab aliqua cauſa, ſine qua produci non poteſt, & illud dependet à cauſa adæquata, à qua ſola produci poteſt, ſed ſuppoſita tali applicatione, ſic dependet à qualibet illarum, vt ſine illa produci poſsit, vt conſtat; ergo à neutra per ſe; ſic etiàm producitur à qualibet, vt non ab ea ſola, ergo non vt à cauſa adęquata. Alia contradictio eſt, quòd bis produceretur talis effectus: cũ à duabus cauſis, & per duas actiones producatur. Bis autem produci ſimul repugnat.

Secunda opinio tenet non implicare cõtradictionem, quod duæ cauſæ ſimul concurrant ad eundem numero effectum. Ita Caiet. 1. p. q. 52. articulo tertiò. Fonſeca 5. Metaphyſ. capite ſecundo, q. 15. ſect. 1. Suarius Tomo primo Metaphyſ. diſputatione vigeſima ſexta, ſect. 4. & videtur nobis ſequenda. Non tamen videtur probari poſſe efficaci aliqua ratione, niſi ex ſolutionibus argumentorum, à quibus repugnantiæ, quæ excogitari poſſunt adducuntur, ideò eis ſolutis conſtabit, nullam eſſe rationem ob quam diuinæ potentiæ denegandum ſit.

Ad primum argumentum concedendum eſt antecedens, 88
quòd

quòd effectus debeat correſpondere virtuti cauſæ applicatæ ad agendum, ſed diſtinguendum conſequens, quòd virtuti, vt quatuor duorum agentium debeat correſpondere effectus, vt quatuor: nam ſecundum ordinem naturalem cauſarum verum eſt, cum talis virtus earum æquiualeat virtuti, vt quatuor vnius atque eiuſdem cauſæ; ſed per potentiam abſolutam primæ cauſæ non repugnat quod cuilibet correſpondeat idem effectus, vt duo, atque etiam vtrique; quia in hoc neutra priuatur ſuo effectu adæquato, ſed ſolum fit, quod non ab ea ſola producatur, ſed ſimul ab alia, itaque repugnantia ſolum poſſet conſiſtere in ſimultanea concurrentia, in qua nulla apparet; ſed ſolum fit diuina virtute, vt concurſus vnius cauſæ non impediat alterum; nec eum expellat ab eodem ſubiecto.

89 Et poſſet adduci exemplum duorum corporum occupantium eundem locum, quod ſecundum communem ſententiam ſcholæ non repugnat per diuinam potentiam, & tamen effectus iſte fit ex eo, quod virtus diuina impedit expulſionẽ formalem vnius corporis ab alio, ita ergo exiſtimamus fieri poſſe vt Deus applicans duas cauſas adæquatas ſua virtute, faciat, vt concurſus vnius, nec excludat, neque impediat alterum, ſed ſimul cum eo ſtare poſsit reſpectu eiuſdem effectus. Quod verò infertur ex hoc fieri, vt minor virtus producat perfectiorem effectum, quàm virtus maior, non eſt concedendum in virtutibus ſimplicibus ac ſingularibus totaliter applicatis ad operandum; ſed in his, quæ quaſi duplicatæ concurrunt, concedi poteſt abſque vllo incommodo; quia non apparet manifeſta repugnantia in eo, quòd eſt Deum eas ſimul applicare ad eundem effectum, quod eſt quaſi duplicare illas, & efficere, vt vna non impediat alteram, nec diſtinctus ei effectus correſpõdeat, & ideò nec perfectior vtrique quam ſingulis, quod tamen fieri repugnaret in vna ſola cauſa tantam virtutem habente, ac habent duæ illæ, quæ ſimul applicantur: quia ſuppoſito, quod tota applicatur, & cum tota concurrit Deus, contradictionem implicat, quod non producat totum effectum ſibi adæquatum, in duabus verò ſimul applicatis repugnat quidem, quod quælibet non producat effectum ſibi adæquatum: ſed non videtur repugnare, quod non producat diſtinctum ab alia, ſed eundem.

90 Secundum argumentum petit, an ſi duæ cauſæ applicarentur ad eundem effectum, eadem, vel diuerſis actionibus numero agerent: nam, quod eadem actione agerent, videtur neceſſarium: quia actiones ſunt in paſſo, & paſſum eſt idem; ergo actiones non poſſunt eſſe numero diſtinctæ. Probatur conſequentia;

quentia; quia ſi eſſent numero diſtinctæ, admittendum eſſet duo accidentia ſolo numero diſtincta ſimul eſſe in eodem ſubiecto, quod videtur repugnare; cũ aliquo ſaltẽ modo accipiant indiuiduationẽ à ſubiecto. Deinde effectus productus eſt vnus numero propter identitatem ſubiecti, vt ſi eſſent duo ignes agentes in eadem aqua: eundem numero calorem producerent; ergo propter eandem identitatem ſubiecti, atque etiam termini, eadem numero actio erit vtriuſque agentis. Ex altera verò parte, non minus neceſſarium videtur, quod diſtinctis numero actionibus agerent; quia per virtutes numero diuerſas operantur, & per diuerſos concurſus: repugnat autem à diuerſis virtutibus non ſubordinatis, & per diuerſos concurſus operantibus eandem numero actionem procedere. Et tandem, quia diuerſæ numero cauſæ per diuerſas numero cauſalitates debent conſtitui in ratione actualium cauſarum; ſed cauſalitates ſunt actiones; ergo neceſſe eſt per diuerſas actiones agere. *Et hoc videtur nobis probabilius*, non ſolùm propter rationes has: ſed præcipuè propter aliam; quia vt videbimus in 5. lib. actio ex mente Ariſtotelis non ſolùm à ſubiecto, tempore, & termino, ſed etiam ab eodem agente ſumit indiuiduationem; ergo vbi ſunt diuerſa numero agentia, neceſſe eſt ponere diuerſas numero actiones, ſicut etiam eſt neceſſarium, vbi diuerſa ſunt tempora, in quibus fiunt, vel diuerſa ſubiecta. Quod verò de identitate ſubiecti affertur in contrarium, difficultate caret; quia actio non à ſolo ſubiecto indiuiduatur, ſed ab aliis, ex quibus poſſunt duæ diſtingui ſolo numero: licèt ſint in eodem ſubiecto, de termino verò diuerſa eſt ratio, qui nón ſumit indiuiduationem ab actionibus, vt ex ſe eſt manifeſtum, & ideò poteſt eſſe idem numero, etiam ſi per diſtinctas actiones producatur, præſertim cum diſtinguatur ab eis ex natura rei.

Hoc ſuppoſito ad argumentum neganda eſt minor, quod actiones diſtinctæ neceſſariò poſtulent diſtinctos terminos: nam ſi nulla apparet repugnantia in eo, quòd diſtincta agentia & per diſtinctas virtutes agendi applicentur ad eundem effectum producendum, nulla erit etiam repugnantia in alio; quod diſtinctæ actiones habeant eundem numero terminum; ſicut habent idem numero ſubiectum: quia nec à ſolo ſubiecto, nec à ſolo termino accipiunt vnitatem numericam, ſed ab aliis, per quæ numero diſtingui poſſunt.

Duas alias contradictiones, quæ adduntur in eodem argumento, negamus ex noſtra ſententia inferri; ſed in eo caſu, à qualibet cauſa procedere per ſe effectus; nam cauſa per ſe non eſt illa, à qua non poteſt non procedere effectus: cum fieri 92

poſſit,

poſsit, vt per ſe poſsit à diuerſis procedere per ſe,& tunc non tollet;quin ſic procedat à qualibet, vt poſſit non procedere ab ea;ſed ab alia. Gratia exempli,calor procedit ab igne, & poteſt etiam non procedere ab eo, ſed à ſole;& hoc non tollit, quin à quolibet procedat per ſe. Per ſe igitur procedere effectum ab aliqua cauſa eſt, quod per ſe contineatur in virtute actiua eius,& quod virtus actiua eius per ſe ad illum ordinetur, ſiue poſsit procedere ab alia,vel non. In caſu ergo,quod duo agentia ſimul applicarentur ad eundem effectum per ſe procederet ab vtroque; quia per ſe continetur in virtute vtriuſque;& virtus ipſa ad illum per ſe ordinatur. Quod verò duo ſimul agentia applicentur ad eum producendum; ex voluntate primi agentis prouenit, quæ non tollit, quin per ſe procedat à quolibet, licet accidentale ſit, quòd ab vtroque ſimul. Nec etiam ſequitur, quod à neutra procedat, tanquam à cauſa totali, & adæquata; quia cauſa totalis, vel adæquata non eſt illa, à qua ſola procedit effectus; ita vt non ab alia, ſed à qua procedit, tanquam à virtute ſufficienti; & ſine dependentia neceſſaria ab altera eiuſdem ordinis. Vnde cum ſic procederet à qualibet earum, procederet abſque dubio, tanquam à cauſa totali, & adæquata. Nec tandem ſequitur eundem effectum bis produci; quia licet à diuerſis agentibus, & per diuerſas virtutes,& actiones procedat, ſemel tantùm exit extra ſuas cauſas, ideò ſemel tantùm producitur, quod ex modo procedendi à diuerſis cauſis ſubordinatis intelligitur, à quibus licet procedat effectus, non bis,ſed ſemel producitur,quia ſemel ab illis egreditur.

QVÆSTIO II.

An idem numero effectus poſsit diuiſim procedere à diuerſis numero agentibus.

93 TRibus modis intelligi poteſt, quòd idem numero effectus procedat à diuerſis cauſis diuiſim, aut ſucceſſiuè applicatis:primò quantùm ad productionem eius.ſecundò quantùm ad productionem, & conſeruationem. tertiò quàntùm ad ſolam conſeruationem. Et de his duobus modis vltimis certum eſt, quod idem numero effectus poſſit procedere à diuerſis cauſis diuiſim, aut ſucceſſiuè applicatis; nam fieri poteſt naturaliter, vt idem calor productus ab hoc igne in aqua,conſeruetur ab alio igne, ſi ſtatim ac productus fuit ab eo remoueatur, & alter ei applicetur, à quo euidens eſt poſſe conſeruari, non minus quàm ab eo, à quo fuit productus. Et poſt-

Z quam

quam ab hoc ſecundo igne conſeruatur, poteſt remoueri, & applicari alteri, à quo conſeruabitur: & ecce idem numero effectus producitur, & conſeruatur à diuerſis cauſis ſucceſsiuè applicatis, & etiam conſeruatur à diuerſis. Solùm ergo poteſt eſſe dubium de productione, an poſsit à diuerſis produci ſucceſſiuè applicatis, quod duobus modis poteſt intelligi, primò, ita vt productus iam ſemel ab vna, iterum producatur ab altera, & hoc dupliciter, vel ita, vt permanens in eſſe recepto per primam productionem, iterum producatur ab alia cauſa de nouo applicata, vel ita, vt poſtquam ſemel productus eſt, corrumpatur, & iterum producatur ab alia cauſa. Et vtrumque conſtat eſſe impoſſibile naturaliter: cum nec poſſit applicari naturaliter alia cauſa ad producendum: de nouo effectum iam productum, & permanentem, nec etiam ſi applicaretur, poſſet illi de nouo conferre illud eſſe, quod iam habet: ſed nec poſſit vlla cauſa naturalis eandem numero formam iam extinctam, iterum educere de potentia materiæ, vel animam ſemel à corpore ſeparatam eidem corpori, vel alteri vnire, vt ſuo loco probabitur. Sed an hæc fieri poſsint per potentiam Dei ſupernaturalem: de hoc vltimo videtur mihi certum, quòd poſſit fieri, quia ſicut Deus per ſeipſum iterum vnit animam corpori in reſurrectione alicuius mortui, poſſet eandem vnire media aliqua cauſa ſecunda diſtincta ab ea, per quam in generatione fuit primò vnita. De primo verò an fieri poſſit, quod res ſemel producta, & permanens, iterum producatur ab alia. Quibuſdam Modernis viſum eſt non implicare contradictionem. Mihi tamen ſemper viſum eſt omnibus modis impoſsibile. Propter hoc argumentum produci aliquid in rerum natura, & fieri extra cauſas, ſed ſolùm fit extra cauſas illud; quod intra eas tantùm continebatur, aut ſolum in potentia earum; ergo non eſt intelligibile, quod res habens eſſe extra cauſas, iterum extra illas fiat, & de nouo producatur. Nec intelligibile eſt, quid ei conferatur per ſecundam productionem vel quomodo ei conferatur idem numero eſſe, quod iam habet, aut quomodo anima actu vnita materiæ, iterum vniatur.

Alio modo intelligi poteſt, quòd idem numero effectus poſſit produci à diuerſis cauſis, non quidem abſolutè applicatis, ſed ſub conditione; ita vt intelligamus hunc effectum numero productum ab hac cauſa, potuiſſe produci ab alia diſtincta in eodem tempore, & loco applicata eidem numero ſubiecto. Gratia exempli: An iſte numero calor, quem producit hic ignis in hac aqua, produci poſſet ab alio igne, ſi ei in eodem loco, & 94

tempore

tempore applicaretur loco alterius, vel ſicut applicatus eſt ei alter, ſi enim hoc poſsibile ſit, erit etiam poſsibile, quòd idem numero effectus producatur à diuerſis cauſis, ſi diuiſim applicarentur. Et quod poſsibile hoc ſit per potentiam Dei abſolutam, videtur certum ſuppoſita determinatione præcedentis quæſtionis, quòd ſimul poſsint applicari duæ cauſæ adæquatæ ad productionem eiuſdem effectus, nam ſi abſolutè non repugnat actu procedere à diuerſis, multò minus repugnabit, quod poſſet procedens ab vna conditionaliter procedere ab altera, ſi loco eius applicaretur. Solùm ergo procedit quæſtio naturaliter, an idemmet effectus, quem producet cauſa hæc, hoc loco, & tempore, & circa hoc ſubjectum:produceretur, ſi alia cauſa diſtincta fuiſſet applicata, ſicut fuit applicata illa, à quà productus eſt. Gratia exempli: An hic numero calor, qui producitur in hac aqua ab hoc igne, produceretur ſi alius ignis, & non iſte fuiſſet eodem loco,& tempore applicatus eidem aquæ, vel neceſſe foret eo ipſo, quod alia cauſa applicaretur,licet cum eiſdem conditionibus, alium calorem numero diſtinctum produci.

95 *Et prima* opinio tenet naturaliter id repugnare, ſed eo ipſo, quod alia cauſa applicaretur,& non hæc, alium quoque effectum numero diſtinctum produci. Ita Comm.7. libro Meta. Comm. 21. Marſilius primo libro, de Generatione q.8. Sotus in 4.d.41.quæſt.1. artic. 3. Fonſeca 5. lib.Meta.cap.2.q.5. ſect.2. Probatur primò, quia vel hic numero effectus habet hanc numero cauſam determinatam, à qua produci poteſt, & non ab alia;ſi primum dicatur, ſequitur,quod non poſſet idem numero effectus,qui producitur ab hac cauſa, produci ab alia, ſi cum eiſdem circumſtantiis applicaretur loco huius: quia eo ipſo, quod alia ſit cauſa, alius debet eſſe effectus, ſi quilibet numero effectus habet determinatam numero cauſam, à qua produci poſtulat. Si verò dicatur, non habere determinatam, ſed indifferenter poſſe à qualibet produci, ſequitur aliud inconueniens; quod quælibet cauſa poſsit producere omnes, & ſingulos effectus ſuæ ſpeciei, vt quilibet ignis producere omnes alios producibiles, & quilibet homo generare omnes homines, quod patet eſſe abſurdum; ergo impoſsibile cenſendum eſt, quod idem numero effectus poſſet produci ab alia cauſa, ſi hæc non applicaretur ad productionem eius: ſed alia diuerſa numero. Secundò, quia ſi alia cauſa applicaretur ad eundem numero effectum, ſicut applicata eſt hæc, per diuerſam numero actionem ageret ab hac, ſed diuerſis numero actionibus non poteſt naturaliter correſpondere idem nu-

mero terminus, vel effectus: ſed cum actio ſit fieri termini, diſtinctæ numero actiones, tanquam diuerſa fieri, poſtulant diſtinctos terminos numero; ergo repugnat eundem effectum procedere à diuerſis cauſis diuiſim applicatis

Secunda opinio negat hoc eſſe impoſſibile. Quam tenet Scotus in 2. d. 20. q. 2. & ſequitur Suarius Tomo 1. Meta. diſp. 26. ſect. 5. annotans rationes, quibus eam probat Scotus nullius roboris eſſe, & meritò quidem: nam ex duabus quas attulit, altera eſt Theologica res ſatis difficiles, & incertas continens: altera Philoſophica parum momenti habens. *Ipſa tamen opinio probabilior mihi videtur*, quam ſic probo: Si idem numero effectus non poteſt à diuerſis numero cauſis ſucceſsiuè applicatis procedere; ergo ex intrinſeca, aut naturali indiuiduatione poſtulat hanc numero cauſam; ſed conſequens eſt falſum, ergo etiam antecedens; quòd repugnet Euidens eſt conſequentia, quia ſi non poſtularet determinatam cauſam, ergo indifferenter poſſet produci à diuerſis. Sed probatur minor; quia idem numero effectus poteſt produci naturaliter ab vna cauſa, & conſeruari ab alia diuiſim applicata, imò etiam poteſt conſeruari à diuerſis; ergo non poſtulat determinatam cauſam ſuæ productionis, vel conſeruationis; ſed à diuerſis poteſt naturaliter produci, ſi ſucceſſiuè applicentur, vel diuiſim. Secundò, quia eundem numero effectum; quem producit cauſa vniuerſalis cum particulari, poteſt per ſe immediatè producere, vt eundem calorem, quem producit ſol cum igne in aqua, poteſt ſine igne producere: & tunc non producet illum tanquam cauſa vniuerſalis, ſed vt particularis; & proxima; licet æquiuoca, & diuerſo quidem modo operante; ac dum concurrit cum ſecunda; ergo poteſt etiam à diuerſis cauſis particularibus produci, quod etiam de cauſa prima efficacius probabitur; ergo non eſt negandum; quod poſſit à diuerſis cauſis particularibus produci. Et ſi dixeris effectum ſumere vnitatem numericam ab hac numero cauſa, quam per ſe reſpicit, & ideò nō poſſe hunc effectum numero produci ab alia. Hoc imprimis nullus vnquam dixit, quòd ſubſtantia, vel accidens, quæ producitur, ſumat vnitatem numericam à cauſa efficiente, à qua producitur: & probatur falſum in conſeruatione rei, quæ cum ſit realis effectus, non indiuiduatur à cauſa efficiente. Et ſecundò, quia cauſa efficiens prorſus eſt extrinſeca; ergo non poteſt ab ea effectus ſuam indiuiduationem ſumere. 96 97

Ad 1. argumentum reſpōdetur, hunc effectum numero non poſtulare determinatā numero cauſam: ſed indifferenter poſſe 98

ab

ab hac, vel illa produci, ſi cum eiſdem circunſtantiis applicentur. Et dum ex hoc infertur poſſe quamlibet cauſam producere omnes & ſingulos effectus ſuæ ſpeciei, diſtinguendum eſt conſequens: nam diuiſiuè poteſt; collectiuè verò repugnat; non ex parte effectuum; quia poſtulent diuerſas numero cauſas; nec ex parte cauſæ; cui deficiat proportio reſpectu productionis ſingulorum; ſed quia cum ſit limitata, non continet ſua virtute differentias indiuiduales omnium indiuiduorum; & quia ex aliis circunſtantiis limitatur in agendo; nempe ex parte loci: quia non poteſt operari; niſi in loco determinato & etiam determinato tempore, ex parte etiam materiæ, quæ non poteſt ei, niſi determinata applicari, nec enim poteſt circa plura ſubiecta, & valde diſtantia operari eodem tempore: quod ergo diuiſim poſſit omnes, & ſingulos effectus ſuæ ſpeciei producere, nullum eſt inconueniens; & quod poſsit omnes collectiuè, non eſt poſsibile; propter alias limitationes neceſſariò admittendas; quare nihil probat 1. argumentum contra noſtram ſententiam. Hoc ſolùm annotari debet, quòd nec in affectibus viuentium poteſt quælibet cauſa producere omnes effectus ſuæ ſpeciei: quia cauſa generationis ſubminiſtrat materiam, & à diuerſis cauſis diuerſa ſubminiſtratur, & cum non poſſit vna, & eadē ſubminiſtrare omnem materiam, nec poteſt ex hac parte omnia indiuidua ſuæ ſpeciei producere. Quòd in cauſis vniuerſalibus nō eſt verum; ſed propter vniuerſaliorem virtutē, & modum etiā cauſandi vniuerſaliorē producere poſſunt omnes effectus earū ſpecierum, quas eminēter continent.

99 Ad ſecundum concedenda eſt maior, quod diuerſa agentia ſucceſſiuè applicata agerent per diuerſas numero actiones: ſed minor neganda, quod diuerſis actionibus non poſſit idem terminus correſpondere, vt actioni alterius ignis, ſi applicaretur ad hunc calorem producendum loco huius ignis, à quo productus eſt idem calor numero. Et ratio huius eſt; quia ſicut effectus, vel terminus productus non indiuiduatur ab agente; ita nec indiuiduatur ab actione; ſed à propria entitate intrinſeca, & aliquo etiam modo à ſubiecto, ſi accidens ſit, vt ſuo loco explicabitur. Vnde ſicut à quocunque agente poteſt indifferenter procedere, ita per quamcunque actionem.

TRACTATVS VIII.

De comparatione cauſarum inter ſe ſe.

1 COmparatis cauſis cum ſuis effectibus, reſtat comparare eas inter ſe ſe, quod duobus modis fieri poteſt: primò,

ſecundum entitatem; deinde ſecundum modum; vel rationem cauſandi: & prima comparatio metaphyſica eſt; nam ſicut ad metaphyſicam pertinet conſiderare entitates rerum, ſic pertinet conſideratio cauſarum ſecundum entitates. Conſideratio verò ſecunda magna ex parte phyſica eſt: nam cum Phyſicus conſideret per ſe cauſas rerum naturalium, ad eum pertinet conſiderare ordinem earum ſecundum proprios modos, & rationes cauſandi. Et hoc modo eas comparabimus quærentes primò, an hoc modo conſideratæ habeant ordinem perfectionis, & prioritatis; deinde an ſint ſibi inuicem cauſæ.

QVÆSTIO I.

An inter quatuor genera cauſarum vnum ſit perfectius, & prius aliis.

MVltis modis comparari poſſunt cauſæ; primò intrinſecæ cum extrinſecis, atque etiam inter ſe ſe; deinde extrinſecæ etiam inter ſe ſe, explicandumque eſt in vtraque comparatione, quæ ſint aliis perfectiores, ac priores in ratione cauſandi. Intrinſecæ cauſæ ſunt materialis, & formalis, extrinſecæ finalis, & efficiens: primò igitur, cōparandæ ſunt intrinſecæ, cum extrinſecis, in quarum comparatione dicimus extrinſecas eſſe perfectiores, atque priores; nempè finalem, & efficiētem perfectiores, atque priores materiali, & formali. Quod probatur primò; quia modus cauſandi Materiæ, & Formæ eſt incompletus, & ideò ab intrinſeco imperfectus; modus autem cauſandi Efficientis, & Finis completus eſt; atque perfectus; ergo perfectiores, & priores ſunt iſtæ. Antecedens probatur; quia Materia, & Forma cauſant per modum partium componendo totum; cui non tribuunt totum eſſe, ſed partem; quæ intrinſecam dicunt imperfectionem; Finis verò, & Efficiens nihil horum habent, quia non componunt totum, nec tribuunt ei partem, ſed integrum eſſe, vt per ſe eſt manifeſtum. Secundò, illud genus cauſæ nobilius cenſetur, ſub quo continentur res perfectiſſimæ, etiam in ratione cauſandi, ſed ſub genere Efficientis, & Finalis continetur primum efficiens, & vltimus finis à quo dependent cæteræ omnes cauſæ: tanquam à quo recipiunt eſſe, & virtutem cauſandi; ergo hæc duo genera perfectiora erunt Materiali, & Formali. Quod verò Materia, & Forma ſint cauſæ intrinſecæ, nihil refert, quia in hoc ipſo, quod intrinſecæ ſunt, includuntur omnes illæ imperfectiones, quare licet ex modo intrinſeco perfectiores ſint, ſimpliciter cenſentur imperfectiores.

2 Si verò Materialis,& Formalis comparentur inter ſe,dicendum eſt formalem eſſe ſimpliciter nobiliorem, & priorem. Probatur euidenter ex modo cauſandi vtriuſque: nam materia cauſat, tanquam potentia paſſiua, & per paſſiuam receptionem formæ; hæc verò tanquam actus eius & per informationem, & actuationem; ergo perfectior eſt; atque prior. Tertia comparatio eſt extrinſecearum cauſarum inter, ſeſe; nam cum intrinſecis iam ſunt comparatæ. In comparatione autem earum dicendum eſt, finalem eſſe nobiliorem, atque priorem ſimpliciter efficiente. Hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis; non ſolùm in his capitibus, ſed 5. Metaph. cap. 2. & vbicunque cauſas inter ſe comparat: ſemper enim finalem præfert cæteris omnibus. Ita etiam ſentiunt omnes eius interpretes nullo excepto, & ideò nullum in particulari refero. Quod probatur ex duobus, quæ habet finis, vnum ex parte principij, aliud ex parte termini, ex parte principij habet, quod ſit primum mouens, primumque excitans agentem ad operandum; vnde in toto proceſſu cauſarum eſt, tanquam primus motor. Ex parte etiam termini habet, quòd ſit vltimum, & optimum, quod agens intendit per ſuam operationem, cuius gratia operatur, media quærit, eligit, atque executioni mandat; quare à fine accipiunt nobilitatem, & dignitatem omnes actiones eius. Ex quo factum eſt, vt finis appelletur cauſa cauſarum, quod eſt dicere, cæteras cauſas eſſe quaſi effectus eius, eique deſeruire; quia verum eſt gratia finis cauſare, quidquid cauſant, & ab eo dependere in propriis generibus cauſandi, finem verò à nulla earum.

3 Si autem contra hoc dicatur, efficientem cauſam cauſare ſecundum eſſe reale, per realem influxum, ac dependentiam effectus ab ipſa, & ideò non ſolùm tribuere eſſe effectui, ſed eſſe, quaſi fontem, & originem, à quo eſſe eius emanat. Finem verò ſolùm habere metaphoricum quendam, & intentionalem modum cauſandi, nec tribuere eſſe effectui, ſed ſolùm eſſe id cuius gratia tribuitur ei ab efficiente, ex quibus ſequi videtur efficientem eſſe nobiliorem, atque priorem. Quod etiam probari poteſt; Secundò; quia modus cauſandi fundatur in modo eſſendi, illudque ſequitur; ſed Materia, & Forma, atque efficiens habent eſſe ſubſtantiale, & Finis ſæpè eſt accidens, & aliquando nihil: cum ſit res impoſſibilis, ſolùm habens eſſe poſſibile in apprehenſione agentis; imò Materia & Forma habent modum cauſandi, atque cauſalitates ſubſtantiales: cum cauſent per vnionem ſubſtantialem; ergo non ſolùm in ratione eſſendi ſunt nobiliores fine, ſed etiam in ratione

Z 4 cauſandi.

cauſandi. Reſpondendum eſt hac diſtinctione : Non ſolùm cauſæ conſiderari poſſunt in ratione eſſendi, & cauſandi, vt in principio diximus, ſed etiam modus cauſandi, & cauſalitates ipſæ : in ratione autem eſſendi conſiderantur dum dicimus eſſe ſubſtantiam, vel accidentia, & hæc eſt conſideratio materialis eorum atque etiam cauſarum, ſed formaliter, & in ratione cauſandi conſiderantur, non ex entitate, ſed ex modo ſe habendi ad effectum. Et licèt ex prima conſideratione Materiali perfectior inueniatur efficiens cauſa, atque etiam Materialis, & Formalis comparatione finis, ex ſecunda verò finalis longè ſuperat omnes, cum ſit primum, & vltimum, in quod ordinantur, non ſolùm cæteræ cauſæ, ſed earum cauſalitates: cum ſit etiam optimum quod per eas intenditur, & quaſi ſcopus, in quem diriguntur, quæ omnia euidenter oſtendunt nobiliorem eſſe, atque priorem modum cauſandi eius; & ideò ſub formali ratione, & modo cauſandi finalem eſſe nobiliorem cauſam cæteris.

Ad formam igitur primi argumenti cócedenda ſunt omnia, quæ in antecedenti aſſumuntur, ſed diſtinguendū conſequens, quod efficiens ſit nobilior cauſa, quàm finalis : nam in ratione eſſendi, ad quam omnia illa pertinent, verum eſt, ſed in ratione cauſandi deſumpta ex modo ſe habendi in ordine ad effectum, manifeſtè falſum vt probauimus.

Ad ſecundum alia ſimili diſtinctione reſpondeo, ſic applicanda ad formam eius, vt cum dicitur, modum cauſandi fundari in modo eſſendi, & illum ſequi, non ſit verum de modo eſſendi ſecundum ſe conſiderato; ſed ſecundum modum, quo concurrit ad effectum, & ad productionem eius ſe habet, & licèt aliquando modus eſſendi finalis cauſæ ſit infimus, ſecundum entitatem, ſemper eſt ſupremus in modo concurrendi ad productionem effectus, vt probatum eſt, in quo conſiſtit ratio formalis cauſandi, & ex quo deſumenda eſt nobilitas, & prioritas cauſarum ſimpliciter.

QVÆSTIO II.

An omnes cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, mutuamque dependentiam habeant inter ſe ſe.

DVplicem ſenſum habere poteſt quæſtio, prior eſt intra idem genus cauſæ, ita vt duæ cauſæ efficientes ſint ſibi inuicem cauſæ; vel duæ cauſæ materiales; ſicque de cæteris, poſterior verò in diuerſis generibus cauſarum, ita vt formalis cauſa, & materialis ſint ſibi inuicem cauſæ, vel quæuis aliæ 5

aliorum

aliorum generum. Et in primo ſenſu certum eſt apud omnes, quod cauſæ non ſint ſibi inuicem cauſæ, nec mutuam dependentiam habeant. Quod colligunt ex doctrina Ariſtotelis in hoc 2.lib. Phyſ.text.35.& 5.lib. Meta.cap.2.vbi, cum dixiſſet cauſas aliquas ſibi inuicem eſſe cauſas, addidit, non in eodem genere cauſæ id contingere, ſed in diuerſis. Verba autem primi loci hæc ſunt: *Sunt autem quædam, & ad inuicem cauſa, vt laborare cauſa eſt bona habitudinis, & hæc laborandi; ſed non eodem modo, ſed hoc quidem vt finis, illud autem, vt principium motus.* Et ratione probatur; quia ſi cauſæ eiuſdem generis eſſent ſibi inuicem cauſæ, idem eſſet prius, & poſterius altero, notius, & ignotius ſub eadem ratione. Et deinde daretur vitioſus circulus; ita vt idem per ſeipſum demonſtraretur à priori, & idem eſſet cauſa efficiens, vel finalis ſuimet, & ſeipſum pro-
6 duceret. Probatur conſequentia; quia cauſa eſt prior, & notior effectu; ergo ſi duæ cauſæ efficientes ſunt ſibi inuicem cauſæ, quælibet erit prior & notior altera; vt cauſa eius eſt, atque etiam poſterior, & ignotior, vt eſt effectus. Præterea per quamlibet, vt cauſam alterius poſſemus eam cognoſcere à priori: & rurſus eadem, quam à priori cognoſcimus per aliam, poſſet eſſe cauſa cognitionis eiuſdem, ac de primo ad vltimum quælibet cognoſceretur à priori per ſeipſam: nam ſi, a, cognoſcitur à priori per b, & rurſus, b, à priori cognoſcitur, per idem, a, cognoſcetur idem, a, atque idem, b, per ſeipſum. Et ſi a, eſt cauſa efficiens, b, & rurſus, b, eſt cauſa efficiens, a, erit quodlibet cauſa efficiens ſui ipſius per illam regulam: *Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, ſeu effectus ab ea procedentis.*

7 Sed an impoſſibile hoc ſit ſolùm naturaliter, vel etiam per potentiam Dei abſolutam, dubitatum eſt à quibuſdam, & aſſertum ſolùm naturaliter repugnare; & per potentiam ſupernaturalem fieri poſſe, vt duæ cauſæ eiuſdem generis ſint ſibi inuicem cauſæ. Quod ſic probant: non repugnat, quod poſtquam effectus aliquis productus eſt à ſua cauſa, adhibeatur à Deo ad conſeruationem eiuſdem cauſæ, & tunc erit cauſa efficiens ſuæ cauſæ, ſaltem quantùm ad conſeruationem. Et id quidem, etiam naturaliter videtur contingere, dum potentia per primum actum producit in ſe habitum in genere cauſæ efficientis, qui habitus iam productus poteſt concurrere cum eadem potentia ad continuationem, & conſeruationem eiuſdem actus, & tunc actus, & habitus erunt ſibi inuicem cauſæ efficientes. Hæc tamen ſententia cum ſuis rationibus friuola eſt, & dicendum eſt contradictionem implicare; quòd cauſæ

eiuſdem generis ſint ſibi inuicem cauſæ, & ideò per nullam potentiam fieri poſſe. Quod intelligi debet, ſecundum illud eſſe per quod cauſant; nam ſi ſecundum aliud intelligatur, iam non accipiuntur, vt tales cauſæ efficientes, natura priores ſuis effectibus; ſed quaſi æquiuocæ, ita vt in vna cauſalitate accipiantur ſecundum eſſe, in alia ſecundum conſeruationem eiuſdem; & non ſecundum productionem eius, quæ conſtat eſſe diuerſa. Si ergo eodem modo accipiantur; euidens eſt non poſſe eſſe ſibi inuicem cauſas. Quod in efficiente probatur; nam ſi duæ cauſæ efficientes ſint ſibi inuicem cauſæ ſecundum idem eſſe, quod vna accipit ab altera, & è conuerſo, euidenter ſequitur idem eſſe cauſam efficientem ſui.

Probatur: quia ſi eſt effectus ſui effectus, quem propria virtute cauſauit; ergo propria eius virtus eſt effectus ſuimet, atque adeò ſeipſam producit. Quod verò idem ſeipſum producat, manifeſtam contradictionem continet, propter diſtinctionem realem, & prioritatem naturæ inter cauſam, & effectum neceſſariò intercedentem; quæ non poſſunt conuenire vllo modo eidem rei reſpectu ſui ipſius. Rationes verò adductæ in contrarium difficultate prorſus carent, cùm non procedant de eodem eſſe producto; ſed vel de diuerſo, vel de conſeruatione eius illud iam præſupponente, & ideò non ſumuntur cauſæ eodem modo, ſed diuerſo, & planè æquiuoco: quare non oportet eis reſpondere in particulari; ſed ad alium ſenſum quæſtionis procedere de diuerſis generibus cauſarum; an ſint ſibi inuicem cauſæ, & mutuam habeant dependentiam. 8

Quem ſenſum, vt faciliùs proſequamur, diſtinctio illa præſupponenda eſt, quam tradit Alexand. Alenſis 5. lib. Meta. cap. 2. dupliciter intelligi poſſe, quòd cauſæ diuerſorum generum ſint ſibi inuicem cauſæ; nempè ſecundum eſſe earum, vel ſecundum cauſalitates; & ſecundum eſſe vna dicetur cauſa alterius; ſi eam producit aliquo modo in ſuo eſſe; ſecundum cauſalitatem verò, ſi in propriam eius cauſalitatem influit. Hac autem diſtinctione præſuppoſita hoc ordine producendum erit, vt quamlibet cauſam cum tribus aliis comparemus, & ſimul explicemus, an, & quomodo habeant mutuam cauſalitatem cum ea primò igitur comparabimus materiam cum cæteris, deinde formam, & rurſus efficientem, ac tandem finem. 9

Comparatio materialis cauſæ cum cæteris.

MAteria primò comparanda eſt cum forma, & dicendum primò mutuam habere cauſalitatem cum ea ſecundum eſſe, 10

eſſe, ita vt ipſa ſit cauſa formæ ſecundum eſſe,& etiam forma ſit cauſa eſſe materiæ. Ita D.Thom.5.lib.Meta.lect.2.& probatur euidenti ratione; quia ſi forma ſit materialis:educitur de potentia materiæ,ſed educi de potentia materiæ eſt dependere à materia in eſſe, & fieri tanquam à cauſa materiali; ergo materia eſt cauſa materialis formæ ſecundum eius eſſe. Si verò forma non ſit materialis, nec proinde educatur de potentia materiæ,vt anima rationalis,vnitur ſaltem materiæ in eodem inſtanti, in quo creatur à Deo, & ideò habet eſſe actuale in materia, ad quod concurrit materia ſuo genere cauſæ:cum illud habeat anima per receptionem actualem in materia, quæ eſt proprius influxus materialis cauſæ. Forma etiam eſt cauſa materiæ ſecundum eſſe,ſed non eodem modo:cum præſupponat materiam eſſe: de cuius potentia educitur; quare non poteſt eſſe cauſa entitatis,vel exiſtentiæ, aut ſubſiſtentiæ eius quæ à ſolo primo agente per creationem habet materia; eſt tamen cauſa materiæ, quantùm ad duo alia, nempe quantùm ad eſſe ſpecificum,ac determinatum,quod certum eſt à forma recipere:nam per illam accipit materia eſſe hominis, vel alterius ſpeciei;quod à ſe non habet, deinde licet à ſe habeat exiſtentiam,& ſubſiſtentiam,imperfectas tamen,& diminutas,ita vt non poſsit ab eis naturaliter ſuſtentari ſine adminiculo formæ & ex hac parte; etiam dependet in ſuo eſſe à cauſalitate formæ:ſi verò comparetur materia cum eadem forma ſecundum cauſalitatem, non videtur habere mutuam cauſalitatem cum ea;quia cauſalitas materiæ conſiſtit in receptione formę,
11 cauſalitas verò formæ in informatione,vel actuatione materię ſed materia non tribuit formæ informationem,nec forma tribuit materiæ receptionem; ergo non ſunt ſibi inuicem cauſæ ſecundum cauſalitates:Et ita tenent Conimbricenſes, vbi ſupra propter hoc argumentum, & afferunt pro ſe D. Thomam in eodem loco nuper citato. Sed oppoſitum videtur nobis probabilius,nempe,quòd etiam ſecundum proprias cauſalitates ſint ſibi inuicem cauſę. Quod tenet Suarius Tomo primo Metaphyſicæ,diſputat.27.ſect.2.numero quarto, & probatur hoc argumento,informatio formæ,in qua conſiſtit cauſalitas eius:dependet à receptione materiæ cum materia concurrant neceſſariò ad illam recipiendo, & ideò tanquam materialis cauſa,& rurſus forma per informationem concurrit ad receptionem materiæ actuando illam; ergo receptio dependet neceſſariò ab informatione, & hæc cauſa formalis eius eſt, ſicut receptio eſt cauſa materialis informationis

neceſſe

neceſſe eſt ergo ponere mutuã cauſalitatem, ac dependentiam inter has duas cauſas, non ſolùm ſecundum eſſe, ſed etiam ſecundum cauſalitatem. Nec probat contrarium argumentum oppoſitæ ſententiæ: nam quod dicitur materiam non tribuere formæ actuationem, nec formam materię receptionem, ſed à ſe illas habere, verum eſt, ſed licet non tribuat, concurrit tamen quælibet per propriam cauſalitatem ad cauſalitatem alterius, quam excercet cum intrinſecã dependentia ab illa, & hoc ſatis eſt, vt mutuò ſint ſibi cauſæ, mutuamque dependentiam habeant ſecundum cauſalitatem. Quod Diuus Thomas nec aſſeruit, nec negauit, ſed ſolùm docuit mutuam habere cauſalitatem ſecundum eſſe.

Secundò comparatur materialis cauſa cum efficiente, & ſi 12 comparatio fiat ſecundum eſſe: videtur certum, non habere mutuam cauſalitatem cum ea, quod ſic probo: Materia non poteſt eſſe cauſa primi efficientis, à quo conſtat accipere eſſe ex nihilo per creationem, ſed nec aliorum agentium; ergo nec poteſt habere mutuam cauſalitatem, cum hac cauſa. Probatur minor; quia vel nomine cauſæ efficientis intelligitur compoſitum, vel forma, ſed vtrumque præſupponitur cauſalitati materiæ rei generandæ, vt patet; nam ignis, qui eſt cauſa efficiens alterius, quem generat ex ligno: præſupponitur generationi conſtitutus in ſuo eſſe, & ex conſequenti præſupponitur forma eius vnita materiæ eiuſdem, ergo materia ignis producendi non poteſt habere cauſalitatem reſpectu ignis generantis, aut formæ eius ſecundum eſſe. Ita tenet P. Suar. vbi ſupra.

Si verò comparetur ad eandem cauſam efficientem ſecundum cauſalitatem, dicendum eſt, mutuam habere cum ea cauſalitatem; ac dependentiam. Quod ſic probo, cauſalitas materiæ conſiſtit in receptione formæ, vel vnione ſubſtantiali cum ea; ſed vtraque eſt effectus cauſæ efficientis, vt patet, ergo efficiens eſt cauſa materiæ ſecundum cauſalitatem; cauſalitas etiam agentis conſiſtit in actione, per quam educit formam de potentia materiæ, & generat cõpoſitum, ſed ad hanc actionem concurrit materia, tanquam materialis cauſa eam recipiendo, ergo eſt cauſa efficientis ſecundum cauſalitatem conſiderati: habetque proinde mutuam cauſalitatem, mutuamque dependentiam cum eo ſub eadem conſideratione. 13

Solùm reſtat comparatio materialis cauſæ cum finali, inter 14 quas dicimus ponendam eſſe mutuam cauſalitatem, & ſecundum eſſe, & ſecundum cauſalitates. Probatur hac ratione, quia forma eſt finis generationis, vt ſæpè Ariſtote. repetit in hoc 2. lib. ad quem ordinatur ab ipſa natura; quia materia fit, vt ſit

recepta

receptaculum formæ, cum qua conſtituat compoſitum, ergo gratia formæ, & compoſiti habet eſſe,& etiam gratia illorum exercet propriam cauſalitatem. Vnde ſequitur ſecundum vtrumque eſſe effectum cauſæ finalis; ſed etiam concurrit per ſuum genus cauſæ materialis ad eandem formam educendam, & ad compoſitionem totius,atque etiam ad cauſalitatem finalem vtriuſque reſpectu ſui, cum conſtet vtrumque eſſe finem generationis dependentem à receptione materiæ, ſine qua neutrum poterit finalizare generationem; ergo mutuam habet cauſalitatem materia cum fine; non ſolum ſecundum eſſe, ſed ſecundum cauſalitatem.

Comparatio cauſæ formalis cum cæteris.

15 POſt comparationem materiæ cum cæteris cauſis, ſequitur comparatio formæ cum eiſdem. Sed ex comparatione iam facta materiæ cum ea, explicata eſt mutua cauſalitas, ac depēdentis vtriuſque. Ideò cum duabus reliquis ſolùm eſt comparanda, & primò cum efficiente. Cum qua dicimus non habere mutuam cauſalitatem, vel dependentiam, nec ſecundum eſſe, nec ſecundum cauſalitatem. Probatur vtrumque teſtimonio Ariſtot.capit.7.huius lib. textu 70.vbi docet formam, & efficientem non concurrere in eandem rem numero; ſed ſolùm in eandem ſpecie, quia forma agentis non poteſt eſſe terminus generationis,ſed forma rei generandæ virtute eius,quæ licèt effectiuè producatur ab efficiente, non poteſt vllo modo eſſe cauſa formalis eius ſecundum eſſe.Sed nec ſecundum cauſalitatem; quia forma rei generandæ educitur de potentia materiæ per actionem eiuſdem agentis, in qua actione conſiſtit cauſalitas eius; ergo repugnat, quod circa eandem cauſalitatem agentis exerceat propriam forma generanda, & ex conſequenti repugnat, quod ſit cauſa agentis ſecundum cauſalitatem, & eadem eſt repugnantia ex parte formæ non eductæ de potentia materiæ, quia cum vniatur eidem materiæ per eandem actionem,quæ eſt cauſalitas agentis, non poteſt ad illam in genere formalis cauſæ concurrere.

Comparata verò forma cum cauſa finali,videtur quibuſdam Modernis non poſſe habere reciprocam cauſalitatem cum ea; nec ſecundum eſſe; nec ſecundum cauſalitatem. Probant teſtimonio Ariſtot. in his capitibus aſſerentis finem, & formam coincidere in eadem re, ex quo ſequitur non poſſe habere mutuam cauſalitatem. Probatur conſequentia,quia vera, & realis cauſalitas

cauſalitas præſupponit diſtinctionem realem inter cauſam, & id, quod ab ea procedit; ſed inter finem, & formam non datur diſtinctio realis ex mente Ariſtot. ergo vna non poteſt eſſe cauſa alterius, & ideò nec poſſunt habere mutuam cauſalitatem; vel dependentia. Minor præterquam, quod expreſsè aſſerta eſt ab Ariſtot. probatur euidenter; nam in generatione forma generantis non poteſt exercere cauſalitatem formalem nec finalem; ſed ſolùm efficientem, ſed ſola forma rei genitæ, quæ eſt finis generationis, ſimul eſt cauſa formalis; ergo non poteſt dari diſtinctio realis inter finem, & formam, nec proinde vera, & realis cauſalitas. Et ſi dicatur, informationem eſſe finem formæ, & etiam effectum formalem eius realiter ab ea diſtinctum, & ideò eſſe ſimul cauſam finalem, & effectum formalem reſpectu eiuſdem formæ: & ex conſequenti mutuam habere cauſalitatem formalem; & finalem cauſam. Reſpondent informationem propriè loquendo non eſſe effectum formæ, licèt ab ea aliquo modo procedat, ſed eſſe medium, & quaſi viam ad effectum; & ideò cauſalitatem eiuſdem formæ, ſicut actio non eſt propriè effectus agentis, licèt aliquo modo ab eo procedat; ſed via potiùs ad effectum, & ideò cauſalitas efficientis; quare nec ratione informationis poterunt habere finis, & forma veram cauſalitatem.

Noſtra tamen ſententia eſt, veram, ac realem, mutuámque cauſalitatem habere cauſam finalem, & formalem. Quod ſic 16 probo: Licet finis, & forma diſtinctione reali careant, nec informatio propriè ſit effectus formæ, certum tamen eſt primò compoſitum eſſe effectum formalem eiuſdem formæ generantis, circa quod propriam cauſalitatem exercet, illud tanquam formalis cauſa componendo cum materia. Secundò certum eſt, idem compoſitum eſſe finem formæ, & cauſalitatis eius: nam partes gratia totius ſunt, & etiam gratia eius cauſant, ſunt enim, & cauſant ad illud conſtituendum. Certum eſt tertiò compoſitum diſtingui realiter à forma. Ex his autem tribus euidenter ſequitur mutuam cauſalitatem intercedere inter finem, & formam, non ſolum ſecundum eſſe, ſed ſecundum cauſalitatem: ergo non eſt eis deneganda. Probatur conſequentia, quia compoſitum eſt vera cauſa finalis formæ, & cauſalitatis eius diſtincta realiter ab ea; & forma eſt vera cauſa formalis eiuſdem compoſiti, & finalizationis eius, ergo ſecundum vtrumque intercedit vera, ac mutua cauſalitas inter has duas cauſas. Nec Ariſtoteles contrarium ſenſit, quia nec omnem finem docuit conincidere cum forma in eadem re, ſed aliquem: alius verò poteſt eſſe res diſtincta ab ea, cum quo poterit

poterit habere mutuam cauſalitatem, & hoc eſt compoſitum, in quo perfectior ratio finalis cauſæ reperitur, quàm in forma: cum ſit præcipuus finis generationis, in quem forma ipſa ordinatur, in id cuius gratia fit, eſt, & cauſat, licet ergo concedatur totum argumentum non probat denegandam eſſe mutuam cauſalitatem his cauſis; quia quamuis eam non exerceāt reſpectu ſolius formæ, bene tamen reſpectu formæ, & compoſiti, vt probatum eſt.

Comparatio cauſæ efficientis cum cæteris cauſis.

17 QVid de comparatione efficientis cauſæ cum materiali, & formali ſentiendum ſit, conſtat ex comparationibus earundem cauſarum cum ea iam explicatis, nam cum forma nō poteſt habere mutuam cauſalitatem ſecundum eſſe, nec ſecūdum cauſalitatem; & cum materia poteſt eam habere ſecundum cauſalitatem; non tamen ſecundum eſſe, vt ſuis locis probatum eſt. Solùm reſtat comparatio eiuſdem cauſæ efficientis cum finali; Circa quam non videtur, quod inter has duas cauſas poſſit verſari mutua cauſalitas, & dependentia; quia finis ſimpliciter eſt prior cæteris cauſis, & quaſi primus motor reſpectu earum. Cum ante motionem eius; nec agēs aliquid operetur, neque aliqua omninò cauſa propriam cauſalitatem exercere poſſit; ergo repugnat finem eſſe effectum alterius cauſæ, nam eo ipſo eſſet ſub tali ratione poſterior, quod pugnat cum natura, & dignitate eius.

18 Noſtra tamen ſententia eſt, cauſam efficientem, aliquo modo habere poſſe mutuam cauſalitatem, ac dependentiam cum finali; tam ſecundum eſſe, quàm ſecundum cauſalitatem, non tamen ſemper, neque omnibus modis. Vt autem hoc explicetur & probetur ſimul: duo notanda ſunt, primum, quod finis aliquando eſt factus per actionem agentis, & iſte eſt finis cuius: nam finis cui, actioni eiuſdem agentis ſolet præſupponi, vt ſanitas, quæ eſt finis cuius, fit per curationem: homo verò, qui eſt finis, cui deſideratur, curationi præſupponitur. Quando ergo dicimus cauſam efficientem, aliquando habere mutuam cauſalitatem cum fine, de fine cuius, per actionem eius facto intelligitur, non de fine, cui, præſuppoſito eidem agenti, & actioni eius.

19 Secundò notandum eſt, propriam cauſalitatem finis conſiſtere in actione, in quantùm gratia eius egreditur ab agente, & principium huius cauſalitatis eſſe motionē, & attractionem obiectiuam eiuſdem finis, vt vidimus: complementum

verò

verò eiuſdem cauſalitatis eſſe officium terminandi, quod finis exercet in conſecutione. Et ſine hac terminatione poterit eſſe cauſalitas finis eſſentialiter; ſed quaſi manca & imperfecta; quia licèt agens moueatur à fine per intentionem; & gratia eius eligat media, atque executioni mandet: ſi tamen finem non conſequatur, totus proceſſus eius, quaſi vacuus, & inanis remanebit, ac ſine fructu, & ideò cauſalitas eiuſdem finis valdè imperfecta ſubſtantialiter, ac remanebit homo, ſi ſine aliquo membro principali generetur. Si igitur finis conſideretur ſecundum primam rationem, in qua conſiſtit cauſalitas eius eſſentialis, neque cauſa efficiens, neque aliqua alia poteſt habere mutuam cauſalitatem cum eo, vt probat argumentum factum; quia ſecundum hanc rationem prior natura eſt omnibus cauſis, ita vt nulla poſſit eum præcedere. Quare nec poteſt eſſe effectus alicuius, ſed ſecundum complementum eiuſdem cauſalitatis conſiſtens in officio terminandi, quod exercet in conſecutione, bene poteſt habere mutuam cauſalitatem cum cauſa efficiente, tam ſecundum eſſe, quàm ſecundum cauſalitatem. Probatur hoc; quia ſecundum officium terminandi, quod exercet in conſecutione, poſterior eſt efficiente, & actione eius, quam terminat; ergo rationem effectus habere poteſt reſpectu eiuſdem agentis, ſecundum eſſe quidem, ſi ſit finis, cuius, per actionem eiuſdem agentis factus, atque etiam ſecundum complementum cauſalitatis; ſi verò ſit finis, cui, actioni præſuppoſitus, non ſecundum eſſe ſed ſecundum complementum cauſalitatis. Argumentum verò ſolùm procedit de fine ſub prima conſideratione cauſalitatis eſſentialis, qua ratione dicitur primum ſimpliciter in intentione, & ideò probat intentum, quod cum fine hoc modo conſiderato non poſſit efficiens habere mutuam cauſalitatem: neque alia cauſa, quod tamen non tollit, quin poſſibilis ſit talis cauſalitas mutua, cum fine ſecundo modo conſiderato; non tamen ſemper, aut cum omni fine ſecundum eſſe, ſed ſolùm cum fine, qui ſimul eſt effectus. Reſtabat comparatio finis cum reliquis cauſis, ſed conſtat iam, quid de ea dicendum ſit, ex explicatione aliarum comparationum cæterarum cauſarum cum eo, ideò non eſt ampliùs in ea immorandum.

CAPVT

CAPVT IIII.
De fortuna & Caſu.

TEXT. ARISTOTELIS.

Dicuntur autem, & Fortuna, & caſus de numero cauſarum eſſe, &c.

Breuis expoſitio Text.

1 CASVS, & fortuna aliquo modo pertinent ad naturam cauſarum, ideò agit Ariſt. de illis in hoc libr. poſt diſputationem de cauſis, atque etiam vt errores antiquorum circa vtrumque referret atque refutaret: Cap. igitur pręſenti, nihil aliud pręſtat quam tres errores antiquorum circa fortunam, & caſum referre, ac reijcere.

Fuit igitur primus error antiquorum, qui caſum, & fortunam prorſus abſtulerunt, propter duo; nempè; quia antiquiores Philoſophi, qui exactè tradiderunt naturam cauſarum, nullam mentionem eorum fecerunt. Atque etiam; quia effectus, qui eis attribui ſolent, veras, certas, ac determinatas habent cauſas, quare falsò finguntur fortuna, & caſus quibus attribuantur. Hunc errorem reiicit Ariſtot. primò; quia ex communi omnium conſenſu, eorum etiam, qui cauſas horum effectuum cognouerunt, caſui, & fortunæ attribuebantur: ergo non debuerunt auferri, ſed qui de cauſis agentes eos omiſerunt, diminutos fuiſſe cenſendum eſt.

Secunda ſententia fuit aliorum, caſum quidem ſolum admittentium, cui attribuebant, primam omnium rerum productionem, vt dicerent cœleſtia corpora, & elementa, ex quibus tanquam ex præcipuis partibus conſtat mundus, atque etiã ordinem inter ea conſtitutum, caſui debere attribui: aſſerendúmque eſſe quòd talia ſint, & tali modo ordinata; quia ita caſu accidit fieri & ordinari propter motum atomorum, (ex quibus factus eſt mundus) verſus hunc potius, quàm verſus
2 alium locum directum. Reliqua verò corpora, ad propagationem mundi poſtea facta, ab eiſdem præcipuis corporibus non caſu, ſed per ſe fieri per generationes. Quam ſententiam reijcit Ariſtoteles quia ſi in partibus mundi ignobilioribus, quales ſunt plantæ, & animalia de nouo genita, in quibus facilius erat admittere caſum, eum non admittunt, abſurdum eſt in præcipuis partibus eum ponere.

Tertia ſententia non ſolum fortunam poſuit, ſed eam vſque

A 2 adcō

adeò extulit, vt affirmaret diuinum quid eſſe nobis occultum, à quo caſuales,& fortuiti effectus proueniunt. Quam ſententiam Stoicis attribuit Simplicius cap. præſenti. Eam tamen non impugnat Ariſt. hoc loco, quia eorum impugnatio ex definitione caſus, & fortunæ in ſequentibus tradenda maximè dependet.

CAPVT V.

De fortuna,& caſu.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Primum igitur cum videamus aliqua ſemper ſimiliter fieri,&c.

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt aſſignare definitio- 3
nem fortunæ. Diuiditur autem in duas partes. In
prima quinque diuiſiones effectuum affert. In ſe-
cunda colligit ex eis quædam, in quibus conue-
niunt caſus & fortuna,& ex eis fortunæ definitionem.

Prima diuiſio effectuum eſt,quòd quidam ſemper eueniunt, vt ſolem oriri,alij non ſemper, ſed frequenter, vt quòd ſenex caneſcat,alij denique nec ſemper, nec frequenter, ſed rarò, vt quòd terram effodiens inueniat theſaurum. Secũda diuiſio, effectus quidam fiunt propter finem, vt deambulatio gratia ſanitatis. Alij non propter finem;quia non fiunt ex iudicio, & aduertentia rationis, ſed ſine illa, vt fricatio barbæ fieri ſolet. Tertia diuiſio eſt effectuum, qui fiunt propter finem; nam quidam fiunt ex electione; nempe illi,qui fiunt à cognoſcente, ac dirigente media in finem, & talia ſunt opera humana,ab homine ex conſilio, & electione facta. Alij ſunt effectus, propter finem quidem facti, non tamen ex electione,
ſed ex naturali inclinatione,vel inſtinctu, vt operationes bru- 4
torum. Et has duas diuiſiones poſtremas ait Ariſtoteles omnibus effectibus conuenire, hoc eſt, non ſolùm his, qui ſemper,vel frequenter eueniunt,ſed etiam,qui rarò;de quibus verum eſt; quod quidam fiant propter finem,alij non propter finem, atque etiam,quod quidam fiant propter finem ex conſilio

lio & electione, & alij ſine his. Vt exemplis eſt manifeſtum. Quia dum quis aliis rebus attendens, aliquem motum habeat inſolitum à ſe fieri, rarum eſt & non factum propter finem; quod verò terram effodiens inueniat theſaurum, rarum quoque, ſed propter finem, & ex electione factum. Quarta diuiſio eſt cauſæ per accidens, in eam, quæ coniungitur cauſæ per ſe, & alteram, quæ coniungitur effectui per ſe, & illa dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ, hæc verò ex parte effectus. Gratia exempli, album, aut muſicum dicitur cauſa per accidens ſtatuæ ex parte cauſæ; quia albedo, vel muſica coniungitur arti, quæ eſt cauſa per ſe eius. Et ignis, qui eſt cauſa per ſe combuſtionis ligni; cui paries innititur, eſt cauſa per accidẽs ruinæ eiuſdem parietis ex parte effectus. Vltima diuiſio eſt cauſæ per accidens ex parte effectus, quæ tribus modis poteſt coniungi effectui per ſe; nempe ſemper euenienti, frequenter & rarò, vt combuſtio ligni, cui paries innititur, ſemper coniungitur ruinæ domus; frequenter verò nimia potatio vini coniungitur nocumento ſalutis, & rarò coniungitur effoſsio terræ inuentioni Theſauri. Applicans autem has duas diuiſiones vltimas, ad fortunam aſſerit, non quamcunque cauſam per accidens dici fortunam; ſed eam tantùm, quæ coniungitur cauſæ per ſe ex parte effectus: non enim dicitur à fortuna euenire, quòd muſicus ædificet, bene tamen, quod terram effodiens inueniat Theſaurum. Ex quo infert, qui dicantur fortuiti, & caſuales effectus, nempè illi omnes, & ſoli, qui rarò coniunguntur effectui cauſæ per ſe, & præter intentionem eiuſdem cauſæ.

5 Ex his diuiſionibus colligit in ſecunda parte capitis tria, in quibus caſus, & fortuna conueniunt. Primum eſt, quòd reperiuntur in ſolis cauſis operantibus propter finem. Secundum, quod dicuntur reſpectu effectus non per ſe, ſed per accidens euenientis. Tertium, quod non dicuntur reſpectu effectus ſemper, vel frequenter euenientis, ſed rarò. Sed hoc habere fortunam ſibi proprium aſſerit, in quo à caſu diſtinguitur; quòd ſolum reperitur in cauſis agentibus ex conſilio, & electione: cum tamen caſus in agentibus propter finem reperiatur, quamuis non ex electione. Ex his omnibus colligit tandem hanc definitionem fortunæ: *Fortuna eſt cauſa per accidens, in his, quæ operantur propter finem, raróque contingunt.*

CAPVT VI.

De Caſu & fortuna.

TEX. ARISTOTELIS.

Sunt igitur ambo cauſę (quemadmodum dictum eſt) ſecundum accidens, & fortuna & caſus, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt oſtendere, quomodò 6
caſus, & fortuna diſtinguantur, & ad quod genus cauſæ reducantur. Et hæc etiam ſunt de quibus eodem ordine agit Ariſtoteles in toto capite, & ideò in duas partes conſtat eſſe diuidendum.

In hoc ait differre fortunam & caſum, quod cum vterque ſit cauſa per accidens; caſus tamen ſuperior eſt fortuna, hæc verò inferior; ita vt quicunque fortuiti effectus caſuales vocentur, ſed non quicunque caſualis dicatur fortuitus. Quam differentiam probat ex ſubiectis, in quibus reperiuntur; nam ea tantùm, quibus fortuna conuenit, fortunata dicuntur; ſed non omnia, quibus conuenit caſus, dicuntur fortunata; ergo caſus ſuperior fortuna eſt, minorem probat; quia ea ſolùm bene fortunata propriè dicuntur, quibus conuenit libera operatio, ſed hæc non omnibus conuenit, in quibus reperitur caſus; ergo nec omnia hæc dicuntur bene fortunata. maiorem ita oſtendit, quia proſpera fortuna, à qua denominatur aliquis fortunatus, vel eſt fœlicitas, vel fœlicitati proxima, ſed fœlicitas non conuenit propriè, niſi operantibus ex electione; ergo iſti tantum dicuntur bene fortunati. In 2. parte cap. docet Ariſto. ad quod genus cauſæ reducantur caſus, & fortuna; nempe ad cauſam efficientem. Quod ſic probat, caſus & fortuna proueniunt à natura; vel ab intellectu, & electione, ſed natura enumeratur præcipuè inter cauſas efficientes naturales, intellectus verò eſt cauſa efficiens intellectualis; ergo ad cauſam efficientem reduci debent.

Ex omnibus, quæ de caſu, & fortuna in his capitibus tradidit Ariſtoteles, colligit in fine huius ſexti, falſam eſſe ſententiam Democriti aſſerentis hanc mundi machinam caſu fuiſſe factam. Probat conſequentiam euidenter; nam ſi caſu, aut fortuna factus eſt mundus, ſequitur aliquem alium effectum per ſe eum præceſſiſſe, cui coniungi debuit; vt caſualis,

vel

vel fortuitus effectus foret; conſequens autem patet eſſe falſum, etiam apud eundem Philoſophum, qui nihil præter mundum prius eſſe factum poſuit.

QVÆSTIO I.

An caſus & fortuna ſint in rebus, & quonam modo diſtinguantur.

7 VT rationes caſus, & fortunæ intelligantur & inter ſe ſeparentur, notandum eſt, caſum duobus modis accipi: primò vniuerſaliter pro quacunque cauſa naturali, vel libera, cuius effectui per ſe, adiungitur, alter per accidens, & quia omnis cauſa naturalis, vel libera operatur propter finem, propriè quidem cognoſcendo rationem formalem finis, vel minus propriè, cognoſcendo finem ſolum materialiter, aut impropriè non cognoſcendo vllo modo finem, ſed tendendo in eum ex naturali inclinatione ei data à cognoſcente finem, ideò caſus comprehendit in hac ſignificatione omnem cauſam per accidens, quomodocunque operantem propter finem. In qua acceptione comprehendit etiam fortunam, & ea ſuperior eſt, vt docuit Ariſt. cap. 5. Secundo modo accipitur caſus cum minori extenſione, nempe, prout ſolum ſignificat cauſam operantem propter finem; non ex cognitione finis formaliter, ſed ſolum materialiter, aut ex ſola inclinatione naturali, & hoc modo diſtinguitur à fortuna, quæ propriè ſignificat cauſam per accidens operantem propter finem formaliter, & ideò operantem ex cõſilio, & electione, in qua acceptione ſic poſſumus caſum deſcribere: *Caſus eſt cauſa per accidens in his, quæ ſola ratione materiali operantur propter finem, raróque contingunt.*

8 Circa exiſtentiam caſus & fortunæ varij præceſſerunt errores antiquorum Philoſophorum, & primus fuit eorum, qui effectus omnes, quos caſuales, aut fortuitos nos vocamus, reducebant in cauſam per ſe determinatam, vt in corpora cœleſtia, & ideò caſum, & fortunam abſtulerunt. Hunc errorem retulit Ariſtoteles cap. 4. huius ſecundi libri, & D. Thom. 1. p. q. 116. artic. 1.

Secundus error fuit aliorum, qui tanti fecerunt fortunam, vt cauſam occultam eſſe putauerint, & numen quoddam diuinum ei ineſſe, & ideò Deam, vel certè Dearum omnium præſtantiſſimam vocarunt, quos retulit Aug. 4. lib. de ciuitate Dei, cap. 18. & lib. 7. cap. 3. quidam verò ex his Philoſophis ſic effectus omnes caſuales, & fortuitos pro libito ab ea pro-

 uenire

uenire dicebant, vt nulli prouidentiæ ſubderentur, vt etiam docuit idem Aug. primo lib. retract. cap. 1. vbi ſeipſum reprehendit, quod aliquando vſus fuerit fortunæ nomine in eo ſenſu, vt diceret hunc, aut illum effectum à fortuna effectum eſſe, quaſi diuinæ prouidentiæ non ſubiectum. Nihilominùs de caſu euidens eſt, quod ſit in rebus, videlicet cauſa naturalis agens propter finem, præter cuius intentionem ſequatur effectus. Nam euidens experientia docet percuſſionem à lapide deſcendente factam euenisse præter intentionem eiuſdem lapidis, & percuſſi hominis, & ſæpè etiam præter intentionem proijcientis; ergo verè eſt caſualis effectus, & cauſa eius effectui coniungitur, verè, & propriè vocatur caſus.

Sententia etiã Ariſtotelis de fortuna in his capitibus tradita, *vera quidem, & tenenda* (quam tota Schola, non ſolùm Philoſophica, ſed Theologica ab eo accepit) medium tenet inter hæc extrema. Ita vt nec putandum ſit fortunam nihil omnino eſſe, nec tamen ita eſſe aliquid, vt ſit omninò diſtinctũ à quatuor generibus cauſarum conſuetis, à quo per ſe eueniant effectus fortuiti, & ei ſoli ſubiecti ſint, & non diuinæ prouidentiæ, ſed eſſe cauſam ſecundam liberam; non vt proprios actus per ſe elicientem, ſed vt actibus, aut effectibus per ſe eius; alter effectus præter ſcientiam, aut intentionem eius, aut (quod vocant) præter opinionem coniungitur. Itaque fortunam putat Ariſtoteles eſſe cauſam liberam, & per accidens fortuitorũ effectuum, nullam habentium cauſam ſecundam per ſe; à prima tamen per ſe hoc eſt ex præuiſione, & intentione procedere, per ſeque intentos eſſe ab ea mediis cauſis liberis per accidens concurrentibus. Quod hoc exemplo oſtendere poſſumus: Si Dominus duos ſeruos mittat, ad loca quidem diuerſa, ſed vt ſibi in medio itineris occurrant, hanc intentionem domini neſcientibus ipſis, tunc occurſus reſpectu eorum per accidens, & fortuna dicetur euenisse, quia præter intentionem vtriuſque, ſed reſpectu Domini per ſe, quia præuiſus fuit ab eo, & intentus, atque ordinatus per ſe. Ita ergo effectus fortuiti reducuntur ad cauſas particulares, quarum effectibus coniunguntur per accidens, hoc eſt, præter intentionem earum, & ideò reſpectu earum dicuntur fortuiti; non tamen reſpectu Dei, à quo per ſe cognoſcuntur, intenduntur, & ordinantur: & ſola cauſa particularis, cuius effectui coniunguntur per accidens, vocatur fortuna, non cauſa prima, reſpectu cuius non ſunt fortuiti, ſed per ſe. Quam doctrinam efficiet manifeſtam commune exemplum inuentionis Theſauri, qui enim terram effodiens Theſaurum fortè

inuenit

inuenit, duplicem habet effectum, primarium quidem ac per ſe; qui eſt effoſſio terræ, ſecundarium & per accidens, qui ex accidenti, & rarò cõiungitur eidem primario, & eſt inuentio Theſauri, & idem effodiens, qui eſt cauſa vtriuſque effectus non dicitur fortuna reſpectu effoſſionis; quia neque effoſſio dicitur fortuitus effectus, ſed per ſe intentus, & intentione productus; ſed fortuna dicitur reſpectu inuentionis Theſauri præter ſcientiam, & intentionem eius euenientis, quemadmodum inuentio ipſa Theſauri dicitur fortuitus effectus. Sed reſpectu Dei præcognoſcentis; & ſua prouidentia ordinantis, vt eadem inuentio Theſauri media illa cauſa per accidens eueniret, nec dicitur effectus fortuitus, nec à fortuna; ſed ex prouidentia eius per ſe intentus, & ordinatus. Et hæc doctrina Ariſtotelis de fortuna valdè conſona eſt veritatibus fidei, & ſacræ Theologiæ.

11 Quod ſi aliqui ex Sanctis Patribus fortunam deteſtantur, aut fortunæ nomine vtendum non eſſe docent, in ſenſu intelligi debent, in quo antiquiores illi Philoſophi de fortuna ſunt locuti: in ſenſu verò Ariſtot. iam expoſito, nec negari debet fortunam eſſe in rebus, nec vſus nominis debet prohiberi, ſed abſque erroris periculo, & ſecundum veritatem Philoſophicam dicere poſſumus, ac debemus, inuentionem Theſauri, aut alium ſimilem effectum à fortuna eueniſſe, hoc eſt à cauſa per accidens, terram effodiente, cuius effectui per ſe adiungitur per accidens.

QVÆSTIO II.

An fatum verè ſit in rebus.

12 DVabus de cauſis agendum eſt hac in parte de Fato; & quia ad ordinem cauſarum pertinet: de quibus nunc agimus; & quia caſui, & fortunæ opponitur, tanquam neceſſarium contingenti, aut tanquam id, quod eſt per ſe ei, quod eſt per accidens; oppoſita verò ad eandem diſputationem pertinent, quia explicatio vnius oppoſiti maximè dependet ex explicatione, & notitia alterius. Quinque autem ſunt explicanda de Fato, primum eſt ſignificatio nominis; ſecundum, an ſit, hoc eſt, an admittendum ſit, tertium, quidnam ſit fatum, & an nomine fati vtendum ſit, quartum, ad quod genus cauſæ reducatur, quintum, quænam ſub nomine, & ſignificatione fati includantur.

Fatum, vt à ſignificatione vocis incipiamus, ab omnibus accipitur pro diſpoſitione, & ordine in cauſis rerum conſtituto, à quibus incuitabili quadam neceſſitate eueniant effectus.

Sed circa rem ſignificatam an in rebus verè ſit, vel non, diuerſo modo locuti ſunt antiquiores Philoſophi; nam quidam fatum omninò negarunt; vel quia caſu cœpiſſe cauſas omnium rerum, vt de Democrito retulit Ariſtot. capite quarto, huius libri, vel, quia impoſſibile reputabant, quod aliquid certum conſtituatur in rerum euentibus ex parte cauſarum, ita vt aliquis ordo immobilis, vel aliqua ineuitabilis neceſſitas eis imponatur in ſuis operationibus vel effectibus producendis, vnde cum ex diuina ſcientia, per quam Deus infallibili notitia cognouerit ab æterno omnes effectus euenturos in tempore: putauerint libertatem hominis tolli, ſtatuerunt Deum ab æterno non præſciſſe omnia, quæ futura erant in tempore. Quod videtur ſenſiſſe Tullius in lib. de Natura Deorum, vt de eo refert D. Aug. 5. lib. de Ciuitate Dei cap. 9. cuius hæc fuit ratio: Libertas hominis non poteſt vlla ratione tolli, cum ſit ei eſſentialis, vel certè modum operandi liberè natura eius poſtulet; ergo nihil conſtitui potuit ab æterno, quod hanc libertatem tolleret, ſed ſi Deus ſciret ab æterno omnia; quæ futura erant in tempore, non poſſent non euenire: quia nec talis eius præſcientia falli poſſet, ergo non liberè, ſed neceſſariò euenirent; quare nulla eſſet in homine libertas, per quam poſſet non operari, quæ operaturus erat; quod cum impoſſibile ſit, non poteſt eſſe verum, quod præcogniti fuerint à Deo ab æterno omnes effectus futuri. Propterea de eodem Tullio ſic ſentiente dixit Auguſtinus quod vt faceret hominem liberum, fecit ſacrilegum.

Alij demùm ex Philoſophis fatum, ita in rebus poſuerunt, 13
vt omnes effectus ei tribuerent, quia conſiſtere dicebant in ordine, diſpoſitione, & connexione omnium cauſarum adeò neceſſaria, vt effectus omnes ineuitabili neceſſitate à cauſis ita diſpoſitis, & ordinatis euenirent. Vim autem & efficacitatem, ac neceſſitatem producendi effectus, ab aſtris præcipuè, ſitibus, & diſpoſitionibus eorum prouenire dicebant, ita vt ex tali eorum aſpectu, cauſarúmque inferiorum concurſu, ineuitabili neceſſitate quilibet effectus proueniret, quare ita fatum definiebant: *Fatum eſt cauſarum colligatio ex aſtrorum motibus, & vi efficaciam trahens.* Et hæc fuit ſententia Stoicorum, vt aſſerit Tullius lib. 1 de Diuinatione circa finem, & Diogenes Laërtius in vita Zenonis. Idemque de Apuleio, & aliis refert Albert. Mag. 2. lib. Phyſic. tract. 2. cap. 19 non tamen omnes comprehendebāt ſub fato omnes effectus cauſarum, ſed quidam eorum ſolùm naturales infallibili neceſſitate euenire volebant, voluntatibus hominum in ſua libertate relictis; Quod

Quod de Stoicis, & Platone ſcripſit Ludouicus Viues 5. lib. de Ciuitate Dei cap. 1. & 10. Alij verò omnes fatum extendebant ad actiones humanas, putantes cœleſtes virtutes directè influere in humanam voluntatem; ita vt iuxta earum diſpoſitionem, & motum futura eſſent diuerſa hominum ſtudia, & mores; alitérque euenire non poſſent opera eorum, quàm vt eadem cauſarum diſpoſitio permitteret. Horum philoſophorum mentionem fecit D. Auguſt. 1. lib. de Ciuitate Dei cap. 5. & 6. & in hoc errore fuiſſe Priſcillianiſtas teſtatur D.Grego. homil. 10. in Euangelia. Sed ex præfatis philoſophis nonnulli talem cauſarum diſpoſitionem, talem vim, & efficacitatem, talémque fatalem neceſſitatem non diuinæ potentiæ, ac ſapientiæ tribuebant, ſed naturæ earundem cauſarum. Alij verò à diuina voluntate ſic procedere dixerunt, vt omninò immutabilis illa eſſet, putantes fortè Deum agere ex neceſſitate naturæ, & ſine vlla libertate, & vtrúmque modum loquendi retulit D. Auguſt. 5. lib. de Ciuitate Dei. Sed aliis viſum eſt eandem neceſſitatem, nec ab aſtris, nec aliis inferioribus cauſis; ſed nec à diuina voluntate, ex neceſſitate naturæ operante prouenire; quia certum eſſe cognouerunt, Deum liberè operari. Nihilominus eandem fatalem neceſſitatem omnium effectuum tribuebant efficacitati eiuſdem voluntatis diuinæ, quæ etiamſi liberè operetur, adeò tamen efficaciter, vt quod ſemel euenturum determinauerit, non poſſit vlla ratione non euenire. Sic Seneca lib. 2. naturalium qq. cap. 35. & 36. & lib. 4. de beneficiis cap. 7. quam ſententiam (licèt non ſub nomine fati) videntur ſecuti hæretici noſtri temporis, Lutheri ſectatores, vt colligitur ex Concilio Tridentino, Seſſ. 6. Can. 6.

14

15 *Vera ſententia, euidens quidem in vera Philoſophia, & certa in fide Catholica*, non admittit fatum in his ſignificationibus, ſed illud omninò deteſtatur, vt communis conſenſus ſanctorum Patrum, & Philoſophorum, qui poſt Ariſtotelem ſecuti ſunt, expreſsè tenent. Colligitur autem euidenter, ex tribus principiis certiſſimis in fide Catholica, & in lumine naturali euidentibus, quæ ideò probanda à nobis non ſunt; ſed præſupponenda. Eſt autem primum, à Deo Opt. & Max. tanquam à primo omnium rerum principio, & cauſa dependere omnes alias; omnemque earum diſpoſitionem, & ordinem; ita vt ſua infinita prouidentia omnes diſponat, omnes ordinet, cum omnibus concurrat iuxta earum naturam, & conditionem. Secundò Deum non ex neceſſitate naturæ, ſed ex libera voluntate feciſſe omnes creaturas, eáſque ex eadem libertate diſponere, regere, & gubernare: liberè etiam præſtare eis ſuum concurſum ad

ſum ad operandum, ſine quo, ſicut non poſſunt eſſe, ſic etiam nihil poſſunt operari.

Tertium, hominem ex propria natura habere liberum arbitrium, quod eſt eius voluntas, per quam liberè etiam operatur bonum, & malum; ita vt in poteſtate eius ſit, vitam ſuam, & operationes bonas, vel malas facere. Ex his igitur tribus principiis, quæ à Theologis probantur ſuis locis, non ſolùm ex lumine fidei Catholicæ, ſed etiam naturali, præſertim à D. Aug. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 9. & à D. Thom. 1. p. q. 116. artic. 1. euidenter probatur fatum, vt ab his omnibus Philoſophis ponitur non eſſe admittendum, ſed à veris Philoſophis, & Catholicis omnibus omninò deteſtandum, & falſas eſſe eorum poſitiones, contrariaſque Catholicæ fidei, & veræ Philoſophiæ. Nam ex primo principio ſequitur euidenter falſam eſſe eorum poſitionem, qui aſſerebant fatalem neceſſitatem cauſis rerum inditam, vel quam ex propria natura habebant, mutabilem non eſſe à diuina voluntate; quia neque aliquid neceſſitatis habere poſſunt, nec aliquid omninò eius poteſt eſſe inditum, niſi à diuina voluntate, cui omninò ſubduntur: ſicut in eſſe, & conſeruatione eius, ſic in ſuis operationibus & modis omnibus producendi proprios effectus. Ex ſecundo verò euidenter refutantur alij, qui ponebant fatalem neceſſitatem à diuina voluntate operante ex neceſſitate naturæ prouenire. Et ex tertio colligitur, quàm, non ſolùm falſa, ſed abſurda ſit aliorum ſententia, qui eandem neceſſitatem fatalem reducunt ad efficacitatem diuinæ voluntatis; quaſi cogentem, ac neceſſitantem humanam voluntatem ad operandum, cum ex fide, atque ex lumine naturali conſtet, ad malum nullo modo inclinari à Deo, nec moueri vllo modo poſſe: ad bonum verò, quantumlibet efficaciter moueatur; nunquam tamen ex tali motione efficaci libertatem eius tolli, quin poſſit ſimpliciter loquendo, cuicunque motioni efficaci reſiſtere, & quodlibet diuinum auxilium reſpuere, quæ omnia expreſsè definita ſunt ab Eccleſia in Concilio Trident. Seſſ. 9. Canone præſertim 6. 16

In quo ſenſu fatum admitti poſſit, ac debeat.

QVamuis nomen fati in tali ſignificatione execrabile ſit, & res ipſa ſignificata execrabilior, tanquam contraria Catholicæ fidei, & veræ Philoſophiæ: in bono tamen ſenſu, non ſolùm admitti poteſt vtrumque, ſed admitti debet: ſenſus autem bonus erit, ſi per fatum intelligamus infallibilem ordinem 17

nem, & diſpoſitionem, quam diuina prouidentia tribuit cauſis omnibus, non ſolùm naturalibus ſed etiam liberis ad ſuos effectus producendos, ita vt ex eis ſequantur certò & infallibiliter, ſicut diſpoſitum eſt, & ordinatū à Deo ab æterno eos cognoſcente, eo modo quo euenturi ſunt in propriis differentiis temporum: Hæc enim infallibilis diſpoſitio cauſarum, atque præſcientia effectuum non tollit, quin impediri poſsint aliquando per alias cauſas; nec etiam tollit libertatem humanā, per quam poteſt homo operari hoc, vel illud, & operationem ſuam pro libito ſuſpendere: facit tamen, vt quod Deus ab æterno ordinauit faciendum per cauſas naturales impedibiles, & per cauſas omninò liberas, infallibiliter fiat, ita vt deficere non poſſit, & quod ordinauit impediendum, vel non faciendum, non minori certitudine, & infallibilitate impediatur, vel fieri deſinat. Et huius ratio eſt, quia ad ea, quæ ordinauit facienda, ita applicat cauſas impedibiles, vt impediri non permittat, ſed impedimenta per alias vias; etiam à ſe ordinatas tollat; vel ita applicat cauſas liberas, vt tales eis concurſus tribuere decernat, & ſic impedimenta ab eis tollere, vt quamuis liberè tales operationes, vel effectus facturæ ſint, ita vt poſſint non facere, infallibiliter tamen ex diuina ordinatione, & diſpoſitione eas dirigente, & gubernante ſequantur. Quæ omnia, ex efficacitate, ſuauitate, & infallibilitate diuinæ prouidētiæ certiſsimè fiunt, abſque vllo præiudicio impedibilitatis, & libertatis ſecundarum cauſarum, per quas fiunt. Specialem autem modum componendi infallibilitatem diuinæ præſciētiæ, & prouidentiæ, & certitudinem futurorū euentuum cum libertate humanæ voluntatis noſtrum non eſſe, ſed ad Theologos pertinere manifeſtum eſt; ideò eis libenter relinquimus. Fatum igitur in hac ſignificatione admittendum eſſe docet, & egregiè explicat D. Thom. 1. p. q. 116. art. 1. & 2. ex doctrina D. Aug. vbi etiā colligit, quàm falſum ſit Aegyptiorum Commentum. Qui vt teſtatur Greg. Nyſſenus libr. 6. ſuæ Philoſoph. cap. 2. fatum attribuentes diuinæ voluntati, vt principio aſſerebant quibuſdam ſacrificiis mutari poſſe, ita vt, quæ ſemel à Deo ordinata ſunt, quibuſdam ſacrificiis impediri, aut mutari poſsint, hoc eſt enim ponere mutabilitatem in diuina voluntate, & fallibilem efficere diuinam prouidentiam, quod contrarium eſt diuinæ fidei, & rationi naturali. Dicendum igitur omninò eſt, fatum, vt à nobis ſumitur pro diſpoſitione, & ordinatione cauſarū omnium ad ſuos effectus ex diuina prouidentia, infallibilem certitudinem futurorum effectuum tam naturalium, quā liberorum cōtinere, & ideò mutari nulla

ratione

ratione poſſe, ſed firmum, & ſtabile permanſurum, ſicut ab æterno conſtitutum eſt.

In quonam conſiſtat ratio eſſentialis fati, in abſoluto, an in relatiuo.

SEd an fatum hoc modo ſumptum conſiſtat in aliqua ratione abſoluta, vel in ordine, & relatione cauſarum à Deo diſpoſitarum, non eſt certum apud omnes; ſed prima opinio tenet in ſola relatione formaliter conſiſtere, ſicut album in ſola albedine. Ita ſentiunt Conimbr. capite 6. huius lib. q. vnica art. 2. & videtur expreſſa ſententia D. Tho. 1. p. q. 116. art. 2. ad 3. vbi ita ait: *Fatum dicitur diſpoſitio, non quæ eſt in genere qualitatis, ſed ſecundum, quòd diſpoſitio deſignat ordinem, qui non eſt ſubſtantia, ſed relatio.* 19

Secunda opinio aſſerit fatum non ſignificare de formali relatione, ſed applicationem accommodatam cauſarum ad producendum ſuos effectus. Et probat; quia fatum ad genus cauſæ efficientis pertinet; ſed relatio nullam vim efficientem cõtinere poteſt; ergo nec fatum poteſt in relatione formaliter conſiſtere; ſed in diſpoſitione, & accommodatione cauſarum, quæ fundamentum relationis eſt, & quam nomine relationis intellexit D. Th. potiùs, quàm relationem ipſam, vt videtur ſignificare in opuſ. de fato cap. 5. ita P. Suarius.

Noſtra autem ſententia eſt, hæc omnia includere fatum eſſentialiter, nempe multitudinẽ cauſarum; non ſolùm efficientium, ſed etiam materialium, & aliorum generum ſub certo ordine diſpoſitarum, inter ſe quidem, vt particularium cum vniuerſalibus, & omnium cum prima. Deinde ordinationem ipſam, quæ relatio eſt earundem cauſarum inter ſe. Tertiò includit accommodationem, & diſpoſitionem earundem cauſarum ad productionem ſuorum effectuum, quæ eſt fundamẽtum relationis, ſed primum horum quaſi materiale eſt, duo alia ad rationem formalem pertinent. Vnde ſequitur idem iudicandum eſſe de fato, ac de exercitu, vel prædicamento: ille enim milites ſignificat, ita diſpoſitos, & accommodatos, vt oportet ad exercitium belli: deinde ordinem omnium inter ſe ſe; & ad primum ducem, qui eſt caput totius exercitus; & primum illud quaſi materiale eſt, duo alia pertinent ad rationem formalem eius. Prædicamentum quoque multitudinem prædicatorum ſignificat quaſi de materiali; & diſpoſitionem eorum ſecundum debitam ſubiectionem & ſubordinationem, ex qua cõſurgit relatio inter illa; & cum primo omnium, quod eſt ſupremum genus, & quaſi totius prædicamenti caput. 20

Et

Et ita poſſunt ad concordiam reduci prima,& ſecunda ſententia; quia fatum ad cauſam efficientem pertinet ratione cauſarum, quas includit, & relationem includere poteſt; etiam, ſi relatio non ſit actiua, quia cauſæ ipſæ per proprias virtutes quas dicunt, efficientiam continent,ſed vt fatum conſtituunt, relationem important, atque etiam accommodationem tanquam fundamentum eius,quare verba D.Thomæ ſine vlla expoſitione accepta vera ſunt.

An fatum ſit vnum, vel plura.

21 ET ſi aliquis dubitet,an fatum ſit vnũ,vel plura, hac diſtinctione reſpondendum eſt, fatum dupliciter conſiderari poteſt: primò in ordine ad primum principium ſub quo diſponũtur, & ordinantur omnes cauſæ, & ex cuius ordinatione infallibilem ſortiuntur conſecutionem ſuorum effectuum, & etiam rationem formalem fati; & hæc eſt conſideratio formalis fati; ſecundum quam vnicum eſt fatum, ſicut vnum eſt principium;quod reſpiciunt omnes. Secundò accipitur pro ipſiſmet cauſis ordinatis,in ſe conſideratis, atque effectibus ab eis producendis,& hæc eſt conſideratio quaſi materialis eius; ſub qua multiplicantur fata; ſicut cauſarum ſeries,vel ordinationes multæ ſunt, multi etiam effectus producendi, in quo ſenſu cecinit Poeta: *Te tua fata trahunt*. Ita ſentit D.Thom.1.p. q.116.art.2.d.3.

Ex doctrina huius quæſtionis conſtat primò, quid nomen fati ſignificet,quid res ipſa nomine fati intelligenda ſit. Quod fatum in ſenſu,in quo ipſum poſuerunt Philoſophi Ariſtotele antiquiores, non ſit vllo modo recipiendum, ſed omnibus modis deteſtandum; nec nomine fati in tali ſignificatione vtẽdum. In quo etiam ſenſu fatum recipi poſſit & debeat. Quid etiam eſſentialiter importet, abſolutum, vel relationem;& tandem, an vnum ſit, vel plura. Solum reſtabat dicere, an ſicut in bono ſenſu iam explicato recipiendum eſt fatum, ita vtendum ſit nomine ipſo in eadem bona ſignificatione. Cui reſpondeo, quòd ſi ſolùm eſſet attendendum ad rem ſignificatam, vti liceret nomine fati; nihilominus non eſt eo vtendum vllo modo,ne videamur cum hæreticis, & gentilibus, vel in ſolo nomine communicare,quantum libet in re ſignificata ab eis valdè diſſentiamus.

CAP.

CAPVT VIII.

Quod natura agat propter finem.

TEXTVS ARIST.

Dicendũm igitur, primum quidem, quod natura earum cauſarum eſt, quæ ſunt propter aliquid, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis eſt, quæſtionem quandam diſputare, nempe, an natura in ſuis operationibus temerè, aut caſu operetur, vel propter finem. Diuiditur autem in tres partes. In prima adducit opinionem quorundam Philoſophorum negantem, quod natura operetur propter finem cum ſuis fundamentis. In ſecunda propriam opinionem contrariam proponit, & probat. In tertia argumenta eorum ſoluit. Fuit ergo opinio Empedoclis, Anaxagoræ, Democriti, & Epicuri; qui licet pro prima rerum productione aliquas poſuerint cauſas, vt litem, & amicitiam, Empedocles; mentem verò Anaxagoras; ſed pro particularibus generationibus futuris, per quas propagatus eſt mundus, nullã prorſus; ſed caſu fieri aſſerebant; quia materia ſic, vel alio modo diſpoſita erat & talem formam introducendam petebat, & expellendam aliam, & non propter aliquem finem. Exempli gratia, naturam nunc pluere; non ad terram fœcundam pro herbarum, aut ſegetum productione, vel animaliũ generatione, ſed quia tenuem vaporem per calorem ſolis, è terra excitatum, & ad mediam regionem aëris deductum, neceſſe ſit in nubes per denſationem tranſire, & nubes in pluuiam conuerti. Sicque de cæteris naturæ operationibus; quarum nullam efficiebant propter aliquem finem. Quod probabant primò; quia per ſolam neceſsitatem materiæ ſufficiens ratio redditur, ob quam has modo operationes; & hos effectus potius, quã illos producat; quare non eſt neceſſarium quærere particulares fines, propter quos operetur, quamuis ex cõſequenti, & per accidens tali, vel alteri vſui deſeruiant. 2. quia plures effectus producuntur præter intentionẽ naturæ, vt monſtroſi partus, quos ideò certũ eſt non fieri ab ea propter aliquem finem; ſed ſolũ, quia materia ſic fuit diſpoſita; ergo eadem erit ratio de cęteris. 3. quia agere propter finem requirit libertatem, cognitionem finis præſupponentem; quam conſtat non habere naturam in ſuis 22

ſuis operationibus, cum nec finem cognoſcat, & ideò ſemper eodem modo operetur, & non ex aliqua deliberatione.

23 In ſecunda parte capitis proponit Ariſtoteles propriam ſententiam omninò contrariam, quod natura non caſu operetur, ſed ſemper propter finem: quam probat hac potiſſimum ratione. Ea, quæ fiunt à natura, aut caſu, ſeu fortuitò fiunt, aut propter finem; primum eſt impoſſibile; ergo ſecundum erit neceſſarium, & ideò natura operabitur propter finem; minorem probat; quia quæ caſu fiunt, rarò accidunt, & non fiunt ſemper eodem modo, ſed variis, vt contingit materiam ſic, vel alio modo eſſe diſpoſitam, ſed opera naturæ ſemper fiunt, vel certè maiori ex parte, eodem modo; ergo non caſu, ſed propter finem. Ad primum argumentum eorum reſpondet negando, quod ſufficiens reddatur ratio operationum naturalium vel modi, quod ab ea fiunt per ſolā neceſsitatem materię, vel quia caſu accidit ita fieri, cum euidens experientia doceat propter finem aliquem ſemper operari naturam, ſicut ſemper operantur propter finem artes naturam ex propria ratione imitantes; nam domus non fit caſu ex hac materia, nec ſub tali forma, ſed quia finis, in quem conſtruitur, ſic petit fieri; nempe, vt ab iniuriis temporum nos defendat.

Ad ſecundum reſpondet potius monſtroſos partus probare, quod natura operetur propter finem, ſicut peccata, quæ accidunt in operibus artis oſtendunt artem operari propter finem. Nam peccata ipſa in rebus artificialibus oſtēdunt ideò accidere, quia caſu accidit, quod artifex tunc non fuit operatus ſecundum regulas artis, regulæ verò artis iuxta finem in quem opera eius ordinantur, traditæ ſunt, & propter hunc finem poſtulant artificem operari; ſic ergo monſtra, quę ſunt peccata naturæ, accidunt ex eo, quòd cauſæ particulares ob defectum, vel ſuper abundantiam materiæ, propter aliúdve accidens ſimile à recta operatione naturæ, ad quam ex naturali principio inclinantur, deficiunt; ideoque finem, ab eadē natura intentum non conſequuntur, ex eiſdem igitur defectibus probatur, quod natura in ſuis operationibus ſemper intendat aliquem finem propter quem operetur.

Ad vltimum reſpondet negando, quod neceſſaria ſit libertas, vel deliberatio ad operandum propter finem. Quod probat etiam ex artibus, de quibus certum eſt operari propter finem, & tamen ſine deliberatione, in quantum artifex non deliberat de modo quo conſtruenda ſit domus, vel cathedra; ſed quaſi naturaliter præſuppònit ſecundum regulas artis eſſe faciendam, & ita eam facit.

QVÆST.

QVÆSTIO VNICA.

An, & quomodo natura operetur propter finem.

PRima ſententia fuit veterum Philoſophorum, quos citauit Ariſtoteles cap. præſenti, Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, & Epicuri, negantium, quod natura operetur propter finem; ſed res naturales caſu generari, & multiplicari exiſtimantium ex tali, aut diuerſo atomorum cõcurſu, ex quo generantur: quia hoc, vel illo modo atomos in vnum concurriſſe accidit; vel propter diſpoſitionem materiæ, cuius partes ſic, vel aliter coniungi contingit. Argu. autem pro hac ſententia plura ſunt, ad duo alicuius momenti reducenda; Primum eſt. Finis, vt in ſuperioribus vidimus, non coniungitur agenti, niſi media cognitione, neque agit per eſſe materiale, ſicut cæteræ cauſæ, ſed per eſſe cognitum, vel intentionale, ſed cauſæ naturales nullam habent cognitionem finis, ergo nec poſſunt agere propter finem. Et ſi dixeris à primo agente dirigi in ſuis operationibus. Hoc imprimis videtur falſum; quia cum primũ agens perfectiſsimè omnia cognoſcat, perfectiſsimè etiam eas dirigeret, ita, vt à proprio fine nunquam deficerent, neque aliud efficerent, præter illud ad quod ordinatæ ſunt ab eo; ſed euidẽs experientia docet contrarium; nam multæ ſunt res naturales, & quotidie fiunt ad nullum finem ordinabiles; ſed ſatis nociuæ; vt ſunt venenoſa animalia: fiunt etiam extraordinarij effectus: quales ſunt terræmotus, Eclipſes ſolis, & lunæ: accidunt partus monſtruoſi, in quibus certum eſt cauſas naturales, vel excedere proprias inclinationes, vel ab eis deficere; ergo non diriguntur à primo agente, nec ex eo dicuntur propter finem agere. 24

Secundum, naturam agere propter finem; probauit ſæpè Ariſtoteles exemplo artium, de quibus notum eſt agere propter finem, & ſimul eſt notum in eis cõtingere aliquando monſtra quæ dicuntur peccata artis; quando effectus artificiales regulas artis excedunt, vel ab eis deficiunt. Notum eſt etiam non operari ex deliberatione; quia artifex non deliberat circa modum, quò conſtruenda eſt domus; ſed eam facit ſecundum regulas artis; ergo licèt monſtra accidant aliquando in effectibus naturæ: licèt natura ipſa non operetur ex deliberatione, imò neque ex cognitione, operabitur nihilominus propter finem. Sed hæc ſunt falſa; ergo ex eis non probatur, quod natura agat propter finem. Minorem probo, quia falſum eſt, quod artifex non operetur ex deliberatione: nam cum ſit agens intelle 25

intellectuale, neceſſe eſt operetur per cognitionem intellectiuam, & ex conſequenti ex deliberatione rationis, & ideò monſtra, quæ accidunt in effectibus artis ex cognitione eius procedere: quare non poſſunt caſu, vel per accidens contingere; in natura autem nihil horum inuenitur: cum nec vlla inueniatur cognitio, ergo malè ex arte probatur, quod operetur propter finem.

26 Sententia tamen Ariſtotelis quod natura non temerè, vel caſu agat in ſuis operationibus, ſed aliquo modo propter finem, euidens eſt in vera Philoſophia; & vt talis recepta ab omnibus Philoſophis, qui diuinam prouidentiam admiſerunt, & in fide Catholica certa vt teſtantur ſancti Patres, qui de hac re diſſerunt, & imprimis ita ſentiunt cum Ariſtotele cap. præſenti. 2. lib. de generat. & 1. de partibus animalium; cap. 1. omnes eius interpretes. Plutarchus etiam 1. lib. de placitis Philoſophorum cap. 5. Seneca in lib. de prouidentia; Triſmegiſtus in lib. de poteſtate, & ſapientia; & Plato in Timæo, Phœdone, Philebo & Politico. & probatur duplici ratione naturali. Prior deſumitur ex mundo magno: ſecunda ex mundo paruo; qui eſt homo. Ordo enim totius vniuerſi, & omnium partium, ex quibus componitur: Cœlorum videlicet, atque Elementorum, cæterorumque corporum naturalium, quæ ex elementis generantur, proportio, ac pulchritudo ex ordine ipſo, & proportione reſultans, ſtabilis & firma omnium conſenſio euidenter probat, nec eſſe caſu factum; nec etiam caſu propagari, atque conſeruari; ſed conſilio, ac deliberatione, & ex conſequenti propter determinatum finem. Probatur conſequentia, quia hæc omnia aliena ſunt ab his, quæ temerè vel caſu fiũt, vt per ſe eſt manifeſtum.

Secundò, & non minus efficaciter probatur ex hominis ſtructura, (quem mundum paruum ſolent appellare) conſtat enim tot ac tam variis membris miro quodam ordine diſpoſitis; tot ac tam diuerſis organis atque inſtrumentis ad varia officia exercenda ordinatis; tot potentiis, tot virtutibus pro determinatis operationibus exercendis, quæ euidenter probant, non caſu ſed diuino quodam conſilio eſſe factum; & eodem quotidie de nouo generari homines pro his, qui etiam quotidie corrumpuntur; vt paruus iſte mundus tandem non deficiat, ſed perpetuò conſeruetur. Nec minus euidenter probatur ex aliis rebus homine inferioribus, ad bonum vſum, ſtatum & conſeruationẽ eius ordinatis, tanquã ad propriũ finem.

27 Eandem veritatem profitetur fides Catholica in ſacris literis expreſſa, & à ſanctis Patribus cõfirmata, præſertim à Gre-

Bb gor.

gor. Nazian. orat. 2. de Theologia, D. Aug. 1. lib. de ordine, & lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 21. Chryſ. in opuſc. de prouidentia, Athanaſius in oratione aduerſus idola; D. Baſilius & D. Ambroſius in Exameron. Theod. ſermone primo de prouidentia, Lactant. in lib. de Opificio Dei, & in libro de ira Dei.

Sed vt eam explicemus, & oppoſita argumenta faciliùs ſol- 28
uamus, tria notanda ſunt: primum eſt in duplici ſenſu intelligi poſſe, quod natura operetur propter finem; in primo accipiendo naturã pro auctore eius, & operatione pro prima rerũ productione, per quam produxit hunc mundum. In ſecundo verò accipiendo naturam pro cauſis naturalibus ab eo productis; quæ propriis virtutibus, & potentiis operantur, ad nouas generationes rerum naturalium ſibi ſimilium, per quas augetur, & conſeruatur. Et in vtroque ſenſu videntur negaſſe veteres illi Philoſophi, quòd natura operetur propter finem. Sed vtrumque probatur euidenter falſum. Primum quidem; quia primæ res ex quibus conſtat mundus, vt corpora cœleſtia, & elementa, limitatum eſſe habent, non ſolùm ſecundum quantitatem, ſed etiam ſecundum eſſentiam; & vtrunque omnibus eſt manifeſtum; ergo neceſſe eſt concedere, quod hoc eſſe ſit participatum ab alio, & ideò factum, & receptum ab alio; quia nihil poteſt ſeipſum producere; ſed neceſſe eſt producens præſupponi producto ſaltem ſecundum ordinem naturæ, & eſſe diſtinctum ab eo realiter; falſum igitur eſt, quod ſemper, & à ſe res habuerint eſſe, præſertim ſublunares, de quibus conſtat paſſim corrumpi, & ideò in hoc ſenſu non propter finem. Et quomodocunque concedatur factas fuiſſe ab alio; probatur euidenter propter finem fuiſſe factas, ex ordine ac diſpoſitione earum, & aliis, quæ oſtendimus repugnare caſu habuiſſe atque etiam ex eo, quod primum, à quo productæ ſunt, non potuit minus, quàm ex conſilio, & deliberatione agere; quia cum inter creaturas ſint aliquæ intellectuales, & liberæ, non potuerunt, niſi ab agente libero produci: cum euidens ſit non potuiſſe tribuere illis libertatem, niſi eam habuerit formaliter aut eminenter; & neceſſe ſit eam formaliter habuiſſe, propter magnam perfectionem, quam importat, & nullam imperfectionem ex ſe; falſum ergo oſtenditur euidenter, quòd in hoc ſenſu natura non operetur propter finem, & non minus euidenter oſtenſum eſt eſſe falſum, ſumendo naturam pro cauſis naturalibus duobus illis argumentis à nobis factis.

Secundò notandum eſt, quod cum cauſa finalis media cogni- 29
tione vniatur agenti ad exercendam propriam cauſalitatem, ſecundum diuerſos modos cognitionis, quibus ei vnitur, eam exercet

exercet. Et primus modus cognoſcendi finem, perfectiſſimus eſt; quando non ſolùm cognoſcitur res, quæ eſt finis, ſed etiam proportio, quam habet cum mediis, atque etiam media cum ipſo, in quibus conſiſtit ratio formalis finis. quare hoc modo cognoſcitur ſub ratione formali finis. Secundo modo cognoſcitur imperfectius cognitione quadam ſenſibili, & ſecundum quandam conuenientiam ſenſibilem, quam habet reſpectu cognoſcentis; non tamen cognita proportione cum mediis, & hoc modo cognoſcitur ab animalibus præter hominem.

30 Tertio modo contingit finem cognoſcere, non cognitione propria, ſed aliena, ſibi tamen attributa, in quantum per illam dirigitur, & ordinatur in finem. Et iuxta hos tres modos cognoſcendi finem, diſtinguendi ſunt tres alij modi agendi propter finem. Nam quæ primo modo cognoſcunt finem, dicuntur propter illum agere formaliter, ſe ordinando, ac dirigendo in finem. Qui verò ſecundo modo tantum, non agit propter finem mouendo ſe, aut dirigendo ſe in finem, ſed tendendo in rem, quæ eſt finis per quemdam inſtinctum naturalem ac ſenſitiuum iuxta rationem ſenſitiuæ cognitionis, quam de eo habet. Hic autem inſtinctus naturæ non eſt aliud, quàm actus quidam æſtimatiuæ virtutis, per quem imperfecto modo iudicat brutum hoc eſſe à ſe proſequendum; fugiendum; non quidem propter ſe, vel propter aliud, ad quod ſit vtile; quia hæc non poteſt diſcernere; ſed ſolum in illud tendit, tãquam in bonum ſenſibile conueniens propriæ naturæ ſenſitiuæ. Id verò quod tendit in finem, non cognitum à ſe, ſed ab alio, non ſe mouet in finem; ſed mouetur ab alio, cum cognoſcente media inclinatione naturali ab eo tributa; eo modo, quo ſagitta mouetur à proiiciente in certum ſcopum à ſe cognitum; & non à ſagitta; & mouetur quidem per impulſum ab eo impreſſum. Et hoc modo mouentur res naturales in ſuos fines, cognitos quidem ab auctore naturæ, à quo accipiunt eſſe, vt lapis mouetur in centrum media grauitate, & hoc tantum modo dicuntur agere propter finem, imperfecto quidem, ſed ſufficiente vt non dicantur agere, vel moueri caſu, ſed ex conſilio, & deliberatione, ſaltem aliena. Et ſic intelligit hanc veritatem

31 Ariſtoteles, ſic etiam omnes eius interpretes, ſic eam ſemper in ſcholis explicarũt, præſertim D. Tho. 1. p. q. 103. art. 1. & 3. contra gentes c. 25. Alber. Mag. 2. lib. Phyſ. ca. 2. Simplicius ibidem, tex. 18. & 1. li. de Anima, tex. 3. Comm. 12. lib. Meta. tex. 18. Hippoc. in lib. Alimento. Vbi imperfectum vocat naturam, in quantum cognitione caret, doctam verò, in quantum per ſe ſapientiam primi agentis dirigitur in ſuis operatio-

nibus Galenus lib. de Vſu partium, & lib. 6. de locis affectis. Primo igitur modo agunt propter finem Deus, Angeli, & homines. Secundò, bruta animalia. Tertiò, inſenſibilia; quibus nullum principium cognitionis datum eſt.

Tertiò notandum eſt, finem cuius gratia res operantur, quadruplicem eſſe. Vnus eſt particularis, qualis eſt bonum alicujus indiuidui; aut etiam ſpeciei; & primum intendit homo per nutritionem, quæ ordinatur ad augmentum, & conſeruationem proprij corporis: ſecundùm per generationem ordinatam ad conſeruationem ſpeciei. Alter finis eſt vniuerſalis, vt propagatio, & conſeruatio totius vniuerſi; quem finem intendunt corpora cœleſtia. Et etiam homo eſt finis vniuerſalis, cuius rei gratia factæ ſunt omnes creaturæ corporeæ; ſed continentur ſub bono totius vniuerſi, cuius præcipua pars eſt, & ideò eſt minus vniuerſalis. Sed vniuerſaliſſimus eſt Deus; in quem, & propter quē ſunt, & facta ſunt omnia; & in quem tandem ordinātur omnes fines, tanquā particulares in vniuerſalē.

Ad 1. argumentum concedendæ ſunt maior, & minor, ſed 32
neganda conſequentia, quòd cauſæ naturales non operentur propter finem; nam licet finis non habeat eſſe intentionale in eis; qui carent cognitione, habet tamen in primo agente, à quo diriguntur in proprios fines, quod ſufficit, vt finis propriam cauſalitatem exerceat circa operationes earum. Et ſi dicatur hoc non eſſe eas agere propter finem, ſed potius primam cauſam. Reſpondeo, eas etiam agere propter finem, vt ab ea ordinantur per proprias inclinationes; per quas vera ſunt principia effectiua ſuarum operationum, quæ gratiæ finis eſſe dicuntur; etiam, vt ab eis procedunt, eo ipſo, quod procedunt ab eiſdem inclinationibus, tanquam à propriis principiis in ordine ad tales fines eas elicientibus. Itaque quamuis infimus modus ſit iſte operandi propter finem, & quodammodo improprius; ſufficiens tamen, vt dicatur, non temerè, vel caſu agere cauſas naturales; vel naturam pro eiſdem acceptam. Quod verò de animalibus nociuis tangit, idem argumentum difficultate caret, quia licet nonnullis noceant, aliis tamen valde prodeſſe ſolent, cum ex eis, vel eorum partibus ſaluberrima fiant medicamenta pro aliis infirmitatibus curandis, vt adnotarunt D. Ambroſius lib. 4. Exam. cap. 9. & libr. 6. cap. 6. D. Hyeron. lib. 2. contra Iouin. & D. Damaſ. lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 10. De Motibus etiam terræ, & eclipſi ſolis, & lunæ dicendum eſt naturales eſſe his corporibus, & ideò ſtatutis temporibus contingunt, quare in eundem finem, in quem corpora ipſa ordinata ſunt, qui eſt bonum totius vniuerſi, ordinantur: cui

addit

addit Damaſc.2.lib. Orthodoxæ fidei cap.7. naturam hos motus diſpoſuiſſe, vt per defectus ſolis, & lunæ aliquando accidentes, eorum confutaretur error, qui eiſdem corporibus diuinos honores tribuere ſolent.

Ad aliud tandem de monſtris concedendum eſt deuiare à regulis naturæ conſuetis, ex quo Ariſt. deducit argumentum ad probandum contra eoſdem philoſophos naturam agere propter finem, quia ſi hæc dicuntur peccata naturæ; quia per exceſſum, vel defectum, à principiis ſtatutis ab ipſa natura contingunt; & ideò finem ab eadem natura intentum non conſequūtur, nempe ſimilitudinem cum principio à quo producuntur; ſequitur naturam certum, ac determinatum habere finem ſuarum operationum, & effectuum, à quo monſtra deuiant, & ex conſequenti propter hunc finem dicetur operari.

33 Pro ſolutione 2. argumenti notandum eſt; non poſſe vlla ratione negari, quod opera artis fiant ex conſilio, & deliberatione; nam cum ars ſit habitus intellectualis exiſtens in intellectu practico, vt docet expreſsè idem Ariſt. 6.lib.Ethic.cap.4: & ideò imperio rationis ſubditus; vt conſtat ex eius definitione ibidem aſſignata ab Ariſt. quòd ſit *habitus cum ratione factiuus*, ſequitur hominem per artem eſſe agentem intellectualem, & operari ex cognitione formali finis. Sed opera artis dupliciter conſiderari poſſunt, quantum ad exercitium, vel vſum; aut quantum ad ſpecificationem vſus; vel exercitium artis vocatur, ædificare, ſcribere, aut mederi; ſpecificatio verò tali modo, & ordine, vel oppoſito hæc eadem facere. Et quidem quantum ad exercitium, vel vſum euidens eſt, conſilio, & deliberatione fieri opera artis; ſicut cæteros actus humanos; quia habitus non poteſt eſſe, niſi in potentia indifferenti; aut libera, hoc eſt apta ad operandum ex imperio rationis, & voluntatis, vt ex doctrina eiuſdem Ariſtotelis docet D. Th.1.2.q.

34 45.artic. 4. Sed quantum ad ſpecificationem, quædam artes procedunt ſine deliberatione, præſertim mechanicæ; atque etiam aliquæ ex liberalibus, vt ars canendi, aut ſcribendi, & vniuerſaliter omnes, quæ per certa, & determinata media, & non dependentia ab extrinſeco, ſuos effectus producunt; iſtæ enim quantùm ad modum operandi non deliberant, vt ars domificatoria non deliberat in conſtruenda domo ex tali materia, aut ſub tali forma, & modo, qualem petit finis, cuius gratia conſtruenda eſt, licet ſemper in operando, vel non operando conſilium, & electionem ſequatur. Aliæ vero ſunt artes, quæ non operantur, per media ita certa ac determinata; ſed variabilia ſecundum diuerſam diſpoſitionem ſubjecti

iecti, & ideò ab extrinſeco dependentia, vt medicina, quæ hoc, vel illo medicamento vti poteſt, & eodem diuerſis modis, & viis, iuxta diuerſas diſpoſitiones infirmi: dum ergo Ariſtoteles aſſerit artes non operari ex deliberatione, ſed ex determinatione ad vnum, de primis ſolùm loquitur, & quantum ad ſpecificationem ſuorum actuum, non quantum ad exercitium, nec vllo modo de ſecundis, & cum illis eo modo conſideratis opera naturæ comparat, & ſemper eodem modo fieri aſſerit, ex quo infert certum, ac determinatum habere finem, in quem à primo, ac ſupremo artifice ordinata ſunt.

CAPVT IX.

Quemadmodum in natura ſit neceſſarium.

TEX. ARISTOTELIS.

Quod autem ex neceſsitate eſt, vtrum ex conditione ſit, an, & ſimpliciter.

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis in hoc vltimo capite eſt 35 decernere, vndénam, aut ex qua cauſa proueniat rebus naturalibus neceſsitas, vel determinatio ad vnum in ſuis operationibus, & effectibus producendis, & ideò nihil aliud in eo agit, quàm dubium proponere, & quid ſentiant veteres philoſophi circa illud referre, & tandem ex propria ſententia illud ſoluere. Probauerat Ariſtoteles cap. præcedenti, quod natura operetur propter finem; quia eodem modo operatur ſemper, quod non haberet, ſi caſu ageret: quia, quæ caſu fiunt, non ſemper ſe habent eodem modo. Reſtabat autem reddere rationē huius neceſſitatis, in præſenti cap. quod vt faciat, proponit dubium, quænam ſit ratio, vel vnde proueniat, quod natura operetur ex determinatione, ad vnum, & ideò eius opera, non ex deliberatione procedant, ſed neceſsitate fiant nam eodem modo operatur ſemper ignis, & eodem modo aqua. Cui antiquiores Philoſophos reſpondiſſe ait, hanc neceſſitatem ex ſola materia prouenire; ita vt ſi inquiras cauſam, vel rationem ob quam murus hoc modo ſit conſtructus, reſpondeant quia lapides ipſi, ex quibus tanquam ex materia fit, poſtulabant, vt grauiores, & firmiores ex ipſis pro fundamento iacerētur, in infimo loco. Leuiores verò,

atque

atque infirmiores ſuper illos collocarentur vt ſuſtineri ab eis
36 poſſint. Reſpondet autem Ariſtoteles inſufficientem eſſe hanc ſolutionem; quia licèt aliqua ratio neceſſitatis deſumenda ſit ex materia, præcipua tamen ex præſuppoſito fine; cuius gratia opus ſit, imò ipſamet neceſſitas materiæ ex fine deſumitur, & propterea ad finem tandem reducenda eſt, vt ſi quæſieris, propter quid ſerram oportet eſſe ferream, ex parte materiæ, reddenda eſt proxima ratio; nempè quia dentes duros habere debet, ſed ſi cauſam huius iterum quæſieris, ex parte finis, cuius gratia fit eadem ſerra, reddenda eſt; videlicet; quia inſtrumentum artis eſt ad ligna ſcindenda ordinatum; ideò dentes duros habere debet, & hæc eſt etiam cauſa ob quam ferrea eſſe debet: quare de primo ad vltimum ad finem reducitur completa cauſa neceſſitatis; etiam ſi proximè à materia etiam deſumatur. Et rationem huius, ait eſſe; quia forma eſt finis generationis, & materia propter formam fit, & eſt; quare talem eſſe debere materiam; vel etiam talem neceſſitatem habituras eſſe res naturales eius ratione, ad finem reducitur, tanquam ad primam cauſam. Sed vtramque cauſam neceſſitatis per ſe conſiderare docet Phyſicum, ſed præcipuè neceſſitatem ex parte finis, propter duo, primum, quia potiſſimum principium rerum naturalium eſt forma, ad quam ordinatur materia, & cum forma ſit finis generationis, finalem cauſam præcipuè conſiderat; licèt etiam materialem: quia materia principium eſt etiam rerum naturalium. Secundum, quia in demonſtrationibus forma potius, quàm materia vtimur; nempè definitione rei, de qua aliquid demonſtrandum eſt, definitio verò ad formalem cauſam pertinet.

QVÆSTIO VNICA.

An monſtra quæ accidunt in rebus naturalibus, ſint per ſe intenta à natura.

37 VT quæſtio intelligatur, primò explicandum eſt, quid ſit monſtrum, deinde, quibus de cauſis ſequatur ex operibus naturæ. Et circa primum, talis definitio monſtri colligi poteſt ex doctrina Ariſtotelis 4. lib. de generatione animalium, capit. 4. & ex textu 82. huius libri: *Monſtrum eſt effectus naturalis, à recta & ſolita diſpoſitione ſecundum ſpeciem degenerans.* In qua, pro genere ponitur, *effectus naturalis*, vt excludantur

monſtra, quæ ſuo etiam modo in artificialibus ſolent accidere, & vocantur monſtra per quandam Analogiam ad naturalia, de quibus nunc agimus. Dicitur ſecundo: *Degenerare à recta diſpoſitione naturæ:* quia effectus naturalis non dicitur monſtrum, niſi in quantum deficit à perfectione, quam habiturus erat ſecundum conſuetas leges, quas natura ſeruat in ſuis operationibus, ſed additur ſolita, vt denotetur ratò debere contingere talem defectum, vt monſtroſus appelletur: vnde fit, quod ſi in aliqua prouincia propter nimiā terræ fœcunditatem generentur proceræ ſtaturæ homines, qui gigantes vocantur, vel propter ſterilitatem pigmæi, non debeant cenſeri monſtra naturæ; quia non fiunt præter naturæ leges, ſed iuxta eas cum natura; vt nunc de ea loquimur naturalia integra cum omnibus ſuis partibus comprehendat, ad quas leges etiam ea extenduntur. Rarus igitur eſſe debet effectus naturalis reſpectu totius naturæ, & cuiuſlibet partis eius, vt monſtroſus appelletur. Additur tandem, *ſecundum ſpeciem*, non vt ſignificetur alterius ſpeciei debere eſſe monſtrum ab effectibus conſuetis; quia hoc non eſt neceſſarium, vt per ſe patet; ſed vt intelligatur degenerare à naturali diſpoſitione ſpeciei debita ex vi generationis; vt ſi biceps homo, vel monoculus generetur, hoc eſt cum duplici capite, vel cum vno tantùm oculo: cum vnum ei debeatur caput, & duo oculi ex vi generationis.

Secundò enumerare oportet cauſas ob quas monſtra ſolent accidere, & cum monſtra contingant ex corruptione vel defectu alicuius principij ad generationem concurrentis, vt docet Ariſtoteles 2. lib. Phyſicorum textu 82. quot ſunt principia, quæ corrumpi, vel deficere poſſunt, tot erunt cauſæ monſtroſi effectus. Principia autem ſunt quinque vt colligitur ex eodem Ariſtotele, libr. 4. de generatione animalium cap. 4. & 8. ex Plutarcho libr. 5. de placitis Philo. cap. 8. ex Galeno, de hiſtoria Philoſophiæ capit. 113. ex Alberto Mag. 2. libr. phyſ. tract. 3. cap. 3. nam primò concurrit virtus, ſeminalis formatiua fœtus; per quam formantur, & diſtinguuntur membra. Secundò materia ipſa ſeminis, in qua recipitur forma viuentis. Tertiò, locus, in quo formatur, & recipitur idem fœtus, qui appellatur matrix fœminæ. Quartò permixtio primarum qualitatum, quibus complexio animalis conſtat debita temperatura, ſalus, & integritas. Quintum atque poſtremum extrinſecum eſt; nempè ſalubritas regionis; aut inclementia; influxus ſiderum, & aliarum cauſarum vniuerſalium. Ex defectu igitur, vel corruptione, aut incongruentia alicuius ex his contingunt monſtra in generatione naturali, quorum defectuum 38

Google

fectuum explicatio in particulari ad medicos pertinet, & ideò eis relinquenda eſt.

39 His expoſitis, *prima* opinio circa propoſitam quæſtionem aſſerit duo eſſe conſideranda in monſtro; nempè ſubſtantiam eius, & obliquitatem ſeu defectum, ratione cuius vocatur monſtrum, & quantum ad ſubſtantiam, ait eſſe per ſe intentum à natura, non quantùm ad obliquitatem, ſeu defectum. Ita Themiſtius in commentariis 8. capitis. Et probatur hac ratione, quia monſtrum vocatur tale propter defectum; ratione cuius dicitur etiam malum, aut peccatum naturæ; ſed nemo intendens ad malum operatur, vt docet B. Dionyſ. 4. cap. de diuinis nom. parte 4. ergo natura in ſuis operationibus non poteſt monſtrum intendere ratione defectus conſiderari.

40 *Secunda* opinio duobus aliis modis aſſerit eſſe conſiderandum monſtrum, primò in ordine ad cauſam intendentem generationem; qualis eſt virtus formatiua fœtus; ſecundò, in ordine ad cauſam impedientem, & ab illa cenſet non eſſe per ſe intentum; bene tamen ab iſta. Ita Toletus 2. li. phyſ. q. 13. Quod probatur etiam; quia cauſa per ſe intendens generationem: per ſe intendit producere effectum ſecundum perfectionem debitam ſuæ ſpeciei; ergo repugnat per ſe intendere, quod ab eadem perfectione deficiat; ſed monſtrum dicit defectum talis perfectionis; ergo repugnat, quod per ſe intendatur à tali cauſa; ſed à cauſa impediente intendi poteſt; quia licèt illam non efficiat per ſe, efficiat tamen illud, ad quod frequenter ſequitur talis deformitas; vt ſi producat nimium calorem, vel frigiditatem, aut quid ſimile, ad quod ſequi ſolet deformitas monſtri.

41 *Tertia* opinio tenet nec à ſola cauſa impediente, neque à ſola cauſa impedita; ſed ab vtraque ſimul concurrente cum omnibus circunſtantiis per ſe ſecundò intendi. Ita ſentiunt Conim. 2. lib. phyſ. cap. 9. quæſt. 6. art. 1. & probant, quia ſæpè contingit, quod cauſa impediens non produceret monſtrum, niſi etiam cauſa impedita ad proximum fundamentum deformitatis concurreret; vt dum ex materiæ ſuperfluitate, equus biceps generatur, non fieret tale monſtrum; niſi parentes ſuppeditarent materiam, & effectiuè concurrerent ad producendum ſuperfluum caput; ergo neceſſe eſt concedere, quod ab vtraque fiat; atque etiam, quod ab vtraque intendatur per ſe ſecundò. Probatur hoc vltimum; quia licèt cauſa impedita monſtroſum defectum refugiat ex primaria intentione; ſed prout coniungitur cum impediente, quaſi primariam intentionem, tanquam impoſſibilem relinquens, ad productionem monſtri inclinatur;

clinatur; & hoc eſt illud per ſe ſecundo intendere. Quod videtur aſſerere Ariſtoteles 4. lib. de gener. animalium cap. 4. vbi generationem monſtri vocat excurſum, aut digreſſionem naturæ, quaſi dicat naturam digredi à primo ac proprio inſtituto, dum generat monſtrum, & ideò quaſi ſecundaria intentione illud intendere.

Vltima opinio concedit monſtrum non intendi per ſe à cauſis particularibus, ſed reſpectu earum caſualem eſſe effectum; eſſe tamen per ſe intentum à cauſis vniuerſalibus, nempè à corporibus cœleſtibus, & aſtris eis adhærentibus, ſic ſentit P. Suarius Tomo 1. Meta. diſp. 19. ſect. 12. num. 4. fundamentum huius ſententiæ eſt, quia cauſæ particulares limitatæ ſunt ad particulare inſtitutum vnius, vel alterius effectus; quare non poſſunt intendere per ſe defectus circa eum contingentes; bene tamen cauſæ vniuerſales maiorem ambitum, atque extenſionem habentes; ergo quæ per ſe non poſſunt intendi à cauſis particularibus, intenduntur à cauſis vniuerſalibus, quia ſub vniuerſali earum virtute continentur. 42

Pro ſolutione huius quæſtionis valdè notandum eſt primò naturam duobus modis ſumi poſſe, pro cauſis ſecundis naturalibus inter ſe ordinatis: aut pro cauſa prima eas producente, & ordinante, & iuxta vtramque acceptionem naturæ decernere oportet, an, & quo modo monſtra ſint ab ea intenta. Secundò notandum eſt, duplicem eſſe intentionem naturæ: primariam, & ſecundariam. Primaria vocatur illa, quam præ oculis habet in ſuis operationibus; & hæc eſt rem generare ſecundum perfectionem debitam ſuæ ſpeciei. Secundaria intentio naturæ dicitur illa, quæ ſtatim poſt primariam ſequitur: dum primaria locum non habet, vel dum locum habere non poteſt, niſi medio alio, quod ideò dicitur ſecundaria intentione intendere. Gratia exempli: Natura per ſe primò intendit generationem ignis, ſed hanc non poteſt conſequi, niſi media corruptione ligni, ideò hanc dicitur ſecundaria intentione intendere, vel per ſe ſecundo. Vtrumque membrum huius diſtinctionis continetur expreſsè in doctrina Ariſtotelis 7. libro de generatione animalium capite 3. ad finem, vbi aſſerit naturam in humana generatione marem ſemper intendere primaria intentione; ſed dum non poteſt marem producere propter debilitatem virtutis formatiuæ, producit fœminam; quæ non eſt aliud, quàm læſus mas. 43

His ſuppoſitis noſtra ſententia tribus concluſionibus explicatur: Prima eſt, natura ſumpta pro ſecundis cauſis naturalibus non intendit monſtra per ſe primaria intentione: Probatur 44
hæc,

hæc,quia euidens eſt naturam, tam pro primis, quàm pro ſecundis cauſis, ex ſe intendere perfectam aſſimilationem effectus cum cauſa, à qua producitur; ergo ex ſe intendit effectum producere ſecundnm omnem perfectionem debitam ſuæ ſpeciei;ſed quod natura ex ſe intendit, dicitur intendere primaria intentione; ergo perfectam hanc aſſimilationem effectus primaria intentione intendit; ſed monſtrum vt tale deficit ab ea, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo non poteſt per ſe intendi à natura primaria intentione.

45 Secunda concluſio; monſtrum eſt per ſe intentum ſecundaria intentione, non ſolùm à cauſis vniuerſalibus, ſed etiam à particularibus per ſe concurrentibus ad generationem; & ab eis non ſolùm, vt ſimul ſumptis, ſed etiam à qualibet ſecundum ſe. Hæc concluſio ſimul cum præcedēti habetur expreſsè apud D. Thomam in 4.d.36.quæſt.1.art.1.ad 2.his verb. *Nihil prohibet eſſe aliquid contra naturam, quantum ad primam intentionem ipſius, quod non eſt contra naturam, quantum ad ſecundam eius intentionem, ſicut omnis corruptio & defectus, & ſenium eſt contra naturam, vt dicitur in ſecundo cœli, & mundi; quia natura intendit eſſe, & perfectionem: non tamen eſt contra ſecundam intentionem naturæ, qui ex quo natura non poteſt conſeruare eſſe in vno, conſeruat in altero, quod generatur corruptione alterius, & quando natura non poteſt perducere ad maiorem perfectionem,*
46 *intendit ad minorem.* Ex quibus efficax ratio deducitur ad probandam ſecūdam hoc modo, natura quantum eſt ex ſe; hoc eſt primaria intentione intendit effectum producere cum omni perfectione debita ſuæ ſpeciei; quod ſi hoc non poteſt conſequi ob defectum aliquem, vel impedientem cauſam; intendit ſaltem eum producere ſub eſſe imperfecto, & hoc quidem non primaria intentione, vt patet, ſed ſecundaria ſuccedente loco primariæ, quando hæc non poteſt ad effectum perduci naturaliter; ſed monſtrum dicit effectum naturalem cum imperfectionibus ex exceſſu, vel defectu per accidens contingentibus; ergo per ſe intentum eſt ſecundaria intentione. Et id quidem non ſolùm ab vniuerſalibus cauſis, nec ſolum à particularibus ſimul ſumptis, vel cum cauſa impediente; ſed à quacunque cauſa ſecunda per ſe ad illum concurrente; quia æquè probat ratio de omnibus, ac de ſingulis; neque opus eſt ad ſolas vniuerſales recurrere; quia æquè probat de particularibus. Sed nec opus eſt recurrere ad cauſam impediētem, à qua non poteſt eſſe vllo per ſe intentum monſtrū; quia nulla cauſa per ſe intendit impedire generationē, nec primaria, nec ſecundaria intentione, ſed ſolum producere proprium effectum,

effectum, ad quem omnino per accidens eſt, quod generatio impediatur, vel monſtrum generetur.

Sed aduerſus hanc ſecundam concluſionem poteſt eſſe argumentum difficile, quia monſtrum, vt ex definitione eius ſuperiùs deſignata conſtat, eſt effectum per accidens, & rarò cõtingens; ergo eſt effectus caſualis; ſed caſuale eſt, quod ſequitur præter intentionem cauſæ per ſe operantis, vt probat percuſsio lapidis deſcẽdẽtis; ergo pugnat cum ratione effectus caſualis; quod vllo modo ſit per ſe intentus à natura; & ex conſequenti cum ratione monſtri, quod effectus caſualis eſt. Reſpondeo, cõcedendo primum antecedens, quod monſtrum ſit effectus per accidens ſimpliciter loquendo; quia per ſe intentum ſimpliciter illud ſolum dicitur, quod intenditur primaria intentione; quod verò ſecundaria tantùm, nõ niſi ſecundũ quid; & ideò ſimpliciter dicitur euenire per accidens, & præter intentionem, & ſi rarò eueniat; dicitur etiam caſuale, ſi à cauſa naturali; fortuitũ verò, ſi à cauſa libera: & cum monſtrum non ſit per ſe intentum primaria intentione, ſed ſolùm ſecundaria, & rarò etiam eueniat, caſuale ſimpliciter vocatur. 47

48 Itaq; non pugnant ſecum duo hæc, videlicet, aliquid eſſe per ſe intentum ſecundaria intentione, & eſſe ſimpliciter præter intentiónem; cum intentio ſimpliciter de ſola primaria dicatur, de ſecundaria verò ſecundum quid. Nec etiam eſſe per ſe intentum ſecundaria intentione; & ſimpliciter euenire per accidens; & caſuale vocari, aut fortuitum, ſi rarò eueniat. Ideò dicimus. monſtrum eſſe effectum per ſe, & per accidens diuerſis conſiderationibus, & appellationibus; atque etiam eſſe per ſe intentum à natura; & eſſe effectum per accidens, atque caſuale. Eſt quidem effectum per ſe ſolum ſecundum quid, in quantum intentum à natura ſaltem ſecundaria intẽtione; ſed per accidens ſimpliciter, in quantùm non cadit ſub primaria eius intentione: & quia ſolum eſt neceſſarium, ſemper aut frequenter euenire ea, quę primaria intentione naturę intenduntur; quæ verò ſecundaria, poſſunt rarò euenire & caſualia vocari, non repugnat, quod monſtrum ſit per ſe intentum ſecundaria intentione naturæ, & rarò eueniat, & propterea cauſale dicatur: ſi enim ſumantur à natura, tanquam medium, ad illa, quæ per ſe primò intendũtur, ſemper aut frequenter euenient, vt patet de corruptione rerum, non minus ſemper aut frequenter ſaltem eueniente, quàm generatione earundem. Si verò eueniant ex aliqua cauſa impediente aut ex imbecillitate cauſæ per ſe, rarò ſolent euenire, ſed nihilominus per ſe intenta dicuntur ſecundaria intentione, & ita ſe habent

49 bent monſtra. Sed rurſus argui poteſt contra hanc doctrinã nam ex ea ſequitur nullum dari effectum purè caſualem, & omninò præter intentionem naturæ. Probatur conſequentia quia omnis effectus erit per ſe intentus ſaltem ſecundaria intentione, quod ſufficiet; ergo non omninò præter intentionẽ naturæ, nec omninò per accidens: nec ideò omninò, vel purè caſualis. Quod contradicit, doctrinæ Ariſtotelis & omnium. Huic tamen argumento neganda eſt conſequentia, quod nullus effectus purè caſualis, & omnino præter intentionem naturæ detur; quia cauſa per accidens duplex eſt, & etiam duplex effectus per accidens: vna eſt cauſa purè per accidens, quæ nec per ſe primò, nec per ſe ſecundo influit in effectum; ſed omnino per accidens, & ideò effectus ſequitur omninò præter intentionem eius, & dicitur purè per accidens, & purè caſualis, & talis eſt percuſsio à lapide deſcendente; & lapis ipſe deſcẽdens talis cauſa. Non dicitur autem talis cauſa influere vllo modo per ſe; quia effectus, qui ſequitur, non habet naturalem connexionem cum eo, quem per ſe primo intendit; nec ad illũ aliquo modo pertinet, ideò coniunctio cauſæ cum eo non poteſt eſſe vllo modo per ſe, ſed per accidens omnino eſt; & caſualis ſemper vocatur. Alia eſt cauſa nõ purè per accidens, quia licet non per ſe primò influat in effectum; ex conſequẽti tamen influit; quia effectus, qui ſequitur, naturalem habet connexionem, cum eo, quem per ſe primò intendebat; aut propter imbecillitatem eiuſdem cauſæ per ſe, aut propter aliam cauſam contrariam naturaliter ei coniunctam. Et effectus talis cauſæ non ſequitur purè per accidens, licet rarò eueniat; ſed aliquo modo per ſe, nec dicitur purè caſualis, ſicut primus, ſed aliquo modo procedens ex intentione naturæ ſaltem ſecundaria.

50 Tertia concluſio, ſi natura ſumatur pro cauſa prima producente, ordinante ac dirigente ſecundas, tam vniuerſales, quàm particulares ad productionem ſuorum effectuum, verum eſt ac neceſſarium ſimpliciter, quòd monſtrum ſit per ſe intentum à natura, & non ſit effectus per accidens, neque caſualis, ſed per ſe. Quam vt ſimul explicemus, & probemus, notandũ eſt, voluntatem diuinam, per quam concurrit ad productionẽ monſtri duplicem eſſe noſtro modo intelligendi; prima eſt quaſi conditionata (quam antecedentem, & inefficacem vocant Theologi) per quam concurrit cum cauſa impedita; tribuens ei concurſum ſuæ imbecillitati proportionatum; per quem poſſet effectum producere ſecundum perfectionem per ſe primò intentam; niſi obſtaret cauſa impediens, quam non poteſt

poteſt vincere cum tali concurſu; ſed non datur ei maior: quia prima cauſa concurrit cum ſecundis ſeſe accommodans conditioni earum; & ideò non tribuit eis omnem concurſum quem poſſet; imò neque omnem, qui neceſſarius foret ad vincendum contrarias ſuperuenientes, & efficaciter producendos effectus iuxta primariam intentionem; ſed ſolum illum, quem natura earum petit, & cum natura impedientis cauſæ, poſtulet maiorem; maior ei conceditur, & minor cauſæ intendenti generationem: quia conditio eius non poſtulat maiorem: vnde ita concurrit Deus cum vtraque vt ſimul permittat hanc ab illa ſuperari, & monſtrum ſequi; quod ideò dicimus intendere alia voluntate, quæ vocatur abſoluta, & efficax, per quã efficaciter vult cauſam per ſe intendentem generationem, vel ab impediente, vel à propria imbecillitate vinci; & ita non producere effectum in ſua perfectione; vt intendebat; ſed cum imperfectione, & defectu, cum quo generatur monſtrum. Et ecce quo pacto effectus, qui dicitur per accidens ſimpliciter reſpectu cauſarum ſecundarum: reſpectu primæ dicitur ſimpliciter per ſe; quia ex voluntate abſoluta, & efficaci eius prouenit, vt cauſæ ſecundæ ita ordinẽtur, quòd prima earum intẽtio impediatur, & ſolùm ſequatur effectus ſecundariæ intentionis qui licet reſpectu illarum præter intentionem dicatur, per accidens, & caſualis, ſed reſpectu primæ cauſæ per ſe intentus & non caſualis dicitur.

Ad argumentum primæ opinionis concedenda eſt maior, 51
quod monſtrum, vt tale, ſit malum naturæ; ſed minor diſtinguenda, quòd nemo intendens ad malum operetur; nam de primaria intentione verum eſt; non de ſecundaria, etiam in malo morali, quod eſt peccatum, & malum ſimpliciter, & nihilominus illud ſecundario intendit peccãs, quia eo ipſo, quod per ſe primò vult obiectum contra rationem & legem Dei, ex conſequẽti, & ſecundario vult malitiam peccati neceſſariò ſubſecutam. Non eſt ergo contra rationem mõſtri, etiam formalem, quòd ſit intentum à natura ſecundaria intentione, licet primaria intendi repugnet. Sed à primo agente poteſt per ſe intendi, quia malum naturæ non eſt malum ſimpliciter; ſed aliquid habet entitatis & bonitatis poſitiuæ licet imperfectæ, quam poteſt Deus per ſe intendere licet non poſſit intendere malum morale, quod eſt peccatum; quia nihil habet bonitatis in ſua ratione formali; quæ per ſe ab eo intendi poſſit, ſed omninò eſt receſſus à ſua voluntate.

Ad argumentum ſecundæ opinionis concedendum eſt an- 52
tecedens, ſed diſtinguendum conſequens; quòd repugnet cauſam

ſam per ſe generationis, p:er ſe intendere, quod effectus deficiat a perfectione debita ſuæ ſpeciei: nam de primaria intentione verum eſt, de ſecundaria falſum, vt explicatum eſt à nobis.

Argum. tertiæ opinionis concedendum eſt, quantum pertinet ad cauſam ſecundam per ſe intendentem generationem, ab hac enim per ſe ſe ſecundo intentum eſt monſtrum; ſed à cauſa impediente nullo modo, ſed omnino præter intentionem eius ſequitur; quia impedimentum non habet naturalem connexionem cum effectu; quem per ſe intendit talis cauſa; nempe cum productione caloris, ſed ex concurſu omninò per accidens cum generatione effectus per ſe intenti ab alia ſequitur: ſicut percuſsio lapidis ex concurſu omnino per accidens cum homine.

Fundamentum denique vltimæ opinionis nihil probat: quia ſicut certum eſt de cauſis ſecundis particularibus primaria intentione intendere, quòd effectus conſequatur omnem perfectionem debitam ſuæ ſpeciei, ita eſt certum hoc idem intendere cauſas ſecundas vniuerſales. Et ſicut eſt etiam intentum de illis ſecundaria intentione intendere; quòd idem effectus generetur cum tali defectu, ſuppoſito, quod non poſſunt perfectionem per ſe primò intentam ei tribuere; ita eſt certum hoc idem intendere cauſas vniuerſales, ſuppoſito, quòd non poſſunt mediis particularibus eandem perfectionem intentam ei tribuere. Itaque nullum eſt diſcrimen inter particulares, & vniuerſales cauſas comparatas ad monſtrum; ſed ſicut ab illis non poteſt eſſe per ſe intentum primaria intentione, & neceſſe eſt, per ſe illud intendere intentione ſecundaria, ita de vniuerſalibus dicendum ſit. Et hæc de ſecundo libro annotaſſe ſufficiat.

Finis ſecundi libri Phyſicorum.

IN TER-

IN TERTIVM LIBRVM ARIST. DE PHYSICO AVDITV, SEV AVSCVLTATIONE.

BREVE PROOEMIVM.

DEFINIENS Ariſto. naturam in initio ſecundi libri collocauit motum in definitione eius; cuius natura ſtatim explicari debuit; vt definitio eadem perfectè cognoſceretur; atq; etiam, vt prima paſſio entis naturalis, (quod proprium eſt obiectum totius Philoſophiæ naturalis) de illo poſſet in hoc opere demonſtrare. Et quia motus de genere continuorum eſt, quibus conuenit finita eſſe, vel infinita, ſtatim explicato motu debuit explicari infinitum, horum igitur duorum notitiam tradit Ariſt. in hoc 3. lib. quem propterea in duas partes diuidere poſſumus: nam in prima parte agit Ariſt. de his, quæ ad motum pertinent per tria capita, & in 2. de his, quæ pertinent ad infinitum per alia quinque. 1

CAPVT I.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem natura quidem eſt principium motus, & mutationis, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſt. cap. præſenti eſt, quædam nobis tradere neceſſaria ad inueniendam definitionem motus; quam cap. ſequenti aſſignat. Hæc autem ſunt duo, nempè tres diuiſiones, & propoſitio quædam vniuerſalis pertinens ad naturam, & ſpecies eiuſdem motus, & ideò in duas partes diuiditur caput. 2

Prima diuiſio eſt eorum, quæ ſunt, quædam ſunt in actu, & non in potentia: quædam in potentia, & non in actu: alia

partim

Digitized by Google

partim in actu, & partim in potentia. Illud dicitur eſſe in actu tantùm, quod habet formam in ſummo gradu perfectionis, quem talis forma poteſt habere naturaliter, vt ignis habet calorem in ſummo gradu, quem vocamus, vt octo: & ideò non eſt vllo modo in potentia calidum, ſed in actu tantùm. Aliud eſt ſolum in potentia, quod nihil caloris habet, licet habere illum poſſit, vt aqua. Aliud tandem partim in actu eſt, & partim in potentia, quia aliquid formæ habet, & aliud ei reſtat acquirendum, & ita ſe habet lignum, dum calefacit.

3 Secunda diuiſio eſt entis in actu, vel vt commune quid ad actum & potentiam in hoc aliquid; quod eſt ſubſtantia, & in quantum, quale, & ad aliquid, ac reliqua decem prædicamenta omnibus nota.

Tertia verò diuiſio ſolius relationis eſt, quæ relatiuè dicuntur (ait) Ariſto. quædam dicuntur per ſuperabundantiam, & defectum, vt duplum, & dimidium, alia ſecundum actiuum, & paſſiuum, vt motiuum, & mobile. His diuiſionibus traditis in prima parte; quandam propoſitionem vniuerſalem proponit in ſecunda pertinentem ad naturam motus, & eſt hæc: *Motus non eſt præter res ipſas, circa quas verſatur*; quaſi dicat motum non eſſe extraneum ab illis prædicamentis, circa quæ verſatur, ſed ad naturam eorum pertinere tanquam modum, & ita ſicut quatuor ſunt genera entis circa quæ verſatur, nempe ſubſtantia, quantitas, qualitas, & vbi, ita quatuor ſunt genera motuum, generatio, quæ verſatur circa ſubſtantiam, augmentatio, circa quantitatem, alteratio, circa qualitatem, & latio, aut motus localis circa prædicamentum, vbi.

CAPVT II.

TEXT. ARISTOTELIS.

Diuiſio autem ſecundum vnumquodque genus, hoc quidem eſſe actu, aliud autem potentia eius, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

4 INTENTVM Ariſtotelis in hoc ſecundo capite eſt aſſignare definitionem motus. Diuiditur autem in duas partes, in prima aſſignat definitionem motus, & ſingulas partes eius explicat; in ſecunda docet motum non eſſe actum mouentis, ſed mobilis. Definitio motus talis eſt,

motus eſt, *actus entis in potentia, ſecundum, quod in potentia.* Si enim verum eſt, quod aliquid ſolum eſt in actu, & aliud ſolùm in potentia, aliud tandem partim in actu & partim in potentia, certum eſt illud, quòd ſolum eſt in actu, vt tali, non moueri: ſed quieſcere in actu illo, nec mouetur, dum ſolam habet potentiam ad talem actum; ſed in ea etiam quieſcit, alioqui omne, quod habet potentiam ad aliquid, eo ipſo eſſet in perpetuo motu, quod patet eſſe falſum; reſtat igitur vt illud moueatur, quod partim de actu habet & partim ei reſtat habendum. Gratia exempli, lignum non mouetur ad calorem, dum ſolùm habet potentiam ad illum, nec dum iam habet quidquid habere poteſt; ſed dum aliquem gradum eius habet & alius, vel alij gradus reſtant ei acquirendi, & ideò aſſerit bene definitio, quòd motus ſit actus entis, exiſtentis quidem partim in actu, & partim in potentia, & ſecundum, quod in potentia eſt ei conueniens. Duplex namque actus eſt; vnus perfectus, qui ſolum habet conſtituere ſubjectum in actu, & non relinquit ipſum in potẽtia, vt calor ſummus: alter eſt imperfectus, qui conſtituit quidem ſubjectum in actu, non tamen omnino, ſed ex parte; atque etiam ex parte relinquit illud in potentia ad aliquid eiuſdem formæ ſuſcipiendum. Sed actus iſte imperfectus adhuc eſt duplex: vnus qui licet imperfectus ſit, ſimpliciter tamen conſtituit ſubjectum in actu, non ordinans illud ad vlteriorem perfectionem, & talis eſt calor remiſſus exiſtens in aqua, dum iam non calefit: alius eſt actus imperfectus ita actuans imperfectè ſubjectum, vt illud ſimul ordinet ad vlteriorem perfectionem recipiendam, & talis eſt motus: qui ideò dicitur actus entis in potentia, vt ſignificetur eſſe imperfectum: & ſecundum quòd in potentia, vt ſignificetur alia eius imperfectio; quia non ſolùm non plenè actuat, ſed ſic imperfectè, vt ex propria ratione ordinet idem ſubjectum ad vlteriorem perfectionem eiuſdem formæ acquirendam, quod non habet calor remiſſus, duas itaque imperfectiones motus voluit ſignificare Ariſtoteles illis duabus particularis definitionis: *Actus entis in potentia, & ſecundum, quod eſt in potentia*: vt calefactio eſt actus ligni exiſtentis in potentia; quia dum mouetur, aliquid iam caloris habet; ſed ita calefactio illud actuat, vt ordinet ſimul ad vlteriorem calorem recipiendum, & hoc eſt eſſe actum eius, & quia calor remiſſus non habet ſecundum, licet primum habeat, non eſt motus.

Probat ſingulas partes definitionis, & primam quod motus ſit *actus*, hac ratione id per quod aliquid conſtituitur formaliter in actu: cum prius eſſet in potentia, eſt actus eius; ſed 5

dum

dum aliquid mouetur, per motum ipſum conſtituitur in actu cum prius eſſet in potentia, vt ædificabile dicit potentiam; & dum ædificatur, dicimus reduci ad actum, ædificatio autem motus eſt; ergo motus eſt actus. Secundam particulam, quod ſit, *actus exiſtentis in potentia*, ſic probat, actus dicitur proprius alicuius, in quo ſemper inuenitur, & non in alio; vt lumen eſt proprius actus diaphani; quia nunquam inuenitur in alio corpore; ſed motus ſemper reperitur in eo, quod eſt in potentia, & nunquam in alio; ergo proprius actus eſt exiſtentis in potentia. Probat tandem, tertiam, nempe, *in quantum eſt in potentia*; quia id, quod mouetur, præſupponitur eſſe ens actu, alioqui non poſſet moueri; ergo motus eſt actus exiſtentis in actu; ſed quia non conuenit ei vt eſt in actu; quia pro eo acquirendo, quod aliquid iam habet actu; non mouetur; ſed pro eo ſolo, quod non habet; vt illud conſequatur; ergo non ſatis eſſet dicere in definitione, quod motus ſit actus exiſtentis in potentia; ſed neceſſe fuit addere, *ſecundum quod eſt in poten-*
6 *tia*, vt hoc exemplo fit manifeſtum; æs eſt in potentia ad formam ſtatuæ, & eſt etiam actu æs, non tamen conuenit ei motus, per quem formatur in ſtatuam, in quantum eſt actus æs, alioqui ſemper moueretur; ergo conuenit ei, in quantum eſt in potentia ad ſtatuam.

In ſecunda parte capitis docet motum eſſe actum mobilis, & non mouentis: nam cum contingat aliquid ſimul mouere aliud, & etiam moueri: vt dum ignis calefacit aquam, frigefieri ab ea, poſſet aliquis dubitare, an igni conueniat motus infrigidationis, vt mouens eſt, vel vt mobilis. Et reſpondet Ariſtoteles non conuenire ei, vt mouenti; ſed vt mobili, quòd ſic probat; mouere aliud habet aliquid per virtutem motiuam, quam actu poſsidet, vt ignis mouet aquam motu calefactionis per virtutem caloris, quem actu habet; ſed motus eſt actus entis in potentia, in quantum eſt in potentia; hoc eſt in quantum tendit ad acquirendum id, quod non habet, ergo non eſt actus mouentis, aut motiui, vt talis, ſed mobilis, vt mobile eſt, & ideò hoc etiam modo definiri poteſt motus, *eſt actus mobilis, prout mobile eſt.*

CAPVT III.

Quod actio & paſſio ſint idem motus.

TEXT. ARISTOTELIS.

Et quod dubitatur, etiam manifeſtum eſt quòd motus eſt in ipſo mobili, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt oſtendere eumdem 7
motum realẽ eſſe;qui procedit à mouẽte,& recipitur in mobili, & eſſe actum vtriuſque; ſed ratione formali diſtinctum,vt procedit à mouente,& vt recipitur in mobili, & ſub ratione illa formali eſſe actionem, ſub hac verò paſsionem. Diuiditur autem in tres partes, in prima per modum dubij, vel quæſtionis proponit, an idem ſit actus motiui,& mobilis, vel diuerſi:dubiamque reddit quæſtionem arguens in fauorem vtriuſque partis. In ſecunda reſpondet quæſtioni pro affirmatiua parte, & in tertia ſoluit argumenta negatiuæ. Motus procedit à mouente, & recipitur in mobili, meritò ergo dubitatur, an idem motns ſit actus mouentis & mobilis,& cum motus ſit actus entis, idem eſt, ac ſi dubitetur, an idem motus,qui eſt actus mouentis, ſit etiam actus mobilis,vel alius ſit actus mouẽtis,& alius ſit actus mobilis.Et rurſus cum motus,vt egreditur à mouente,vel ab agente ſit actio, & vt recipitur in mobili,vel paſſo ſit paſſio:idẽ eſt etiã,ac ſi dubitetur, an actio & paſſio ſint idem actus realis, vel diuerſi.Et probatur quod ſint diuerſi hoc argumento; actus mouentis eſt actio,actus mobilis eſt paſſio, actio & paſſio ſunt diuerſi actus; ergo actus motiui, ſeu mouentis, & mobilis non eſt idem,ſed diuerſus. Minorem ſic probat; quia ſi actio & paſſio ſint idem actus, ſequuntur quatuor inconueniẽtia:primum, quòd rerum ſpecie diuerſum,quales ſunt motiuum & mobile, ſit idẽ actus. Secundum, quòd ſimpliciter dicendum ſit idem eſſe actionem cum paſſione, vt quod idem ſit doctio, quæ eſt actus agentis, cum doctrina, quæ eſt actus addiſcentis. Tertium,quod idem ſit agere & pati,docere,& addiſcere. Quartum,quod omne docens addiſcat,& omne agens patiatur; quæ omnia falſa ſunt; ergo falſum erit, quòd idem ſit actus mouentis, & mobilis. Propoſita vero parte, quod ſint idem actus, ita arguit: Si eſſent diuerſi aut vterque eſſet in agente, aut vterque in paſſo;

ſeu

ſeu mobili, vel actio in agente,& paſſio in patiente, vel è contra in agente paſſio,& in patiente actio:ſed nullo ex his modis ſe habere poſſunt:ergo non ſunt diuerſi. Minorem ſolum probat Ariſtoteles quantùm ad ſecundum,& tertium membrum: quia euidens per ſe eſt, quòd ſi eſſent diuerſi actus, neq; vterque poſſet eſſe in mouente: cum motus ſit actus entis in potentia,& actus mobilis, prout mobile eſt ex capite præcedēte, quare non poteſt non eſſe in mobili, atque etiam eſt euidens quod non poſſit eſſe paſſio in agente, quod nō denominat paſſum.

9 Probat igitur quantum ad ſecundum, quòd non ſint diuerſi actus, ita vt actus, qui eſt actio,ſit in agente, & paſſio in paſſo;quia ſi motus,qui eſt actio,eſſet in agente, agens vt agēs moueretur,& ex cōſequenti omne agēs moueretur, & ita moueretur primum agens. Probat conſequentiam; quia ſicut repugnat non eſſe album illud, in quo eſt albedo,ita nō moueri illud,in quo eſt motus.& ſicut euidēs eſt,quod ſi homo, vt homo eſt albus,omnis homo ſit albus;ita eſt euidēs,quod ſi agēs, vt agens mouetur,omne agens moueatur. Probat deniq; quod vterque actus non ſit in mobili; quia ſequeretur aliquē actum nempè actionem, non eſſe in proprio ſubiecto,quod eſt agens, atq; etiam, quòd idem mobile ſimul moueretur duplici motu tendente in eandem formam & vtrumque eſt falſum.

In ſecunda parte reſpondet quæſtioni pro affirmatiua parte, dicens motum eſſe eundem actum realem vtriuſque, nempe mouentis,& mobilis;ab illo quidē egreſſus,& in hoc receptus; ſed diſtinctum ſecundū diuerſas rationes formales, vt eſt actus vnius & alterius, & ita poſſe vtrumque diuerſa ratione denominare;nam vt conſideratur egrediēs ab agente eſt actus eius, vt à quo egreditur, & dicitur actio denominans illud agens, ſed vt conſideratur recipi in paſſo, dicitur paſſio, & denominat ſubiectum,in quo recipitur paſſum.

10 In tertia tandem parte reſpondet argumentis negatiuæ partis,negando,quòd aliquod inconueniens ſequatur ex eo, quod idem ſit actus motiui, & mobilis; quia non eſt vtriuſque vt ſubiecti, hoc enim modo impoſsibile eſſet; ſed vnius eſt, vt principij,nempe mouentis;& alterius, vt ſubiecti, nempe mobilis, quod poſſibile eſt:cū diuerſas rationes formales habeat, egredientis,& recepti, & ſecundum eas poteſt vtrumque denominare. Nec ſequitur idem eſſe agere,& pati,aut actionem, & paſsionem, vel docere & diſcere, aut dictionem & diſciplinam;quia in his locutionibus ſumuntur formaliter,& ideò abſolutè ſunt falſæ; niſi addatur eſſe idem realiter, in quo ſenſu veræ ſunt abſque vllo incommodo.

TRACTATVS I.
De motu.

VT meliùs ea, quæ pertinent ad naturam, & rationem, motus diſcutiantur ſub vno tractatu proponenda ſunt, & per ſuas quæſtiones debito ordine examinanda ex principiis, in his capitibus traditis, & explicatis ab Ariſtot.

QVÆSTIO I.

An definitio motus aſſignata ab Ariſtotele ſit bona.

PRimum, quod circa motum præſupponi debet, in quo fundantur cætera, eſt, motum eſſe in rerum natura, quod negauit Zeno Philoſophus antiquior Ariſtotele, propter hoc argumentum; ſpatium, per quod fit motus localis, & latitudo cuiuſ unque fo mæ, quæ poſſet acquiri per motum, eſt diuiſibile in infinitum; ergo habet infinitas partes proportionales; ſed infinitum non eſt pertranſibile; ergo nullam partem ſpatij poteſt pertranſire mobile per motum; nec poterit proinde moueri, & ita nec dabitur motus, nec erit poſſibilis. Hæc tamen poſitio ſtultitiæ arguit; quia euidens experientia omnibus notiſſima, conuincit moueri corpora de vno loco in alterum, & ſpatium pertranſire; ſed ea, quæ omnibus ſunt manifeſta negare ſtultum eſt; ergo ſtultum erit negare motum: bene igitur quidam alius antiquus Philoſophus de Zenone iſto negante motum dicebat, ambulando potius, quam rationibus aduerſus illum agendo, impugnandum eſſe, vt vel ipſo motu ante oculos eius poſito conuinceretur. Argumento autem eius reſpondet facilè Ariſtoteles 6. lib. Phyſ. ſpatium quidem eſſe in infinitum diuiſibile, & infinitis partibus proportionalibus conſtare: ſed partes proportionales non facere rem maiorem; quia vna non eſt extra aliam, ſed plures immò infinitæ includuntur in qualibet; quare licet ſpatium infinitis conſtet, finitum tamen eſt, & motu etiam finito; ſed habente etiam infinitas partes proportionales pertranſiri poteſt, & motus per illud fieri.

Suppoſito, quod motus ſit, ſcientifico ordine ſequitur ex- 12
plicādum, quid ſit, & quamuis alij motū definierint; ſola definitio Ariſtotelis recepta eſt in ſchola Philoſophica, quā ideò proponimus examinandā; vt ex ea intelligamus naturā motus. Definitio autē his verbis tradita eſt ab eo, 1. cap. huius lib. motus eſt, *actus entis in potētia ſecundum quod in potentia*, quam his argu

argumentis impugnamus, vt ex eorum ſolutionibus intelligamus ſenſum eius, primò, motus ab intrinſeco reſpicit vtrũque terminum à quo; & ad quem, cum ſit via quædam, & tẽdentia inter illos; ſed in definitione motus non explicatur reſpectu eius ad eoſdem terminos, ſed ſolum ad ſubiectum, vt ex verbis eſt manifeſtum; ergo nec eſſentia motus, & ita non erit bona. Secundò, integra definitio conuenit formæ, quæ acquiritur per motum, vt calori; quæ acquiritur per calefactionem, de qua conſtat non eſſe motum; ergo aliis à definito conuenit, quod vitioſum eſt. Probatur minor, quia calor remiſſus, qui producitur in ligno, eſt actus entis, & conuenit illi, in quantum eſt in potentia: nam ſic illud actuat, vt relinquat in potentia ad ſuſcipiendum alios gradus intentionis vſque ad octauum; ergo eſt actus entis in potentia, & ſecundum quod in potentia, illiq; conuenit integra definitio. Tertio, actus & forma conuertuntur, ſed motus eſt actus; ergo eſt forma, & tunc, vel ſubſtantialis aut accidentalis; ſed quælibet harum conſtituit rem in determinata ſpecie ſui prædicamenti; ergo motus etiam habebit determinatam ſpeciem, & prædicamentum; aduerſus ſententiam eiuſdem Ariſtotelis illum à prædicamentis excludentem, & ad poſtprædicamenta relegantem inter modos rerum. Et præterea ſi forma eſt, duplex erit forma, & duplex actus ſimul in qualibet re, dum mouetur.

13 Quod verò bona ſit definitio, conſtabit ex ſingularum partium explicatione, & argumentorum ſolutione. Prima igitur particula eius loco generis poſita eſt, *actus*, qui duplex eſt, perfectus atque ſubſtantialis, vt quælibet ſubſtantialis forma, & imperfectus, atque accidentalis: ſed accidentalis, & imperfectus adhuc duplex eſt: imperfectus accidentaliter vel eſſentialiter: accidentaliter imperfectus dicitur forma accidentalis remiſſa, vt remiſſus calor, cui deficit intenſio; aut perfectio caloris quam habet calor vt octo; ſed cum intentio ſit perfectio accidentalis, accidentali modo imperfectus dicitur. Alius eſt actus, non ſolùm imperfectus; quia accidentalis: ſed in ſua ratione particulari, & eſſentialiter quidem, quia imperfectio ſibi intrinſeca eſt; ſine qua, nec eſſe, nec intelligi poteſt; & talis eſt motus; quia ex ſua & intrinſeca ratione habet ſic eſſe actum, vt ordinet ſubiectum ad terminum, quod eſſe imperfectum, atque incompletum; vnde ſtatim ceſſat acquiſito termino. Actus igitur pro genere poſitus in definitione abſtrahit à perfecto, & imperfecto, & ab imperfecto eſſentialiter, aut accidentaliter, & per cæteras particulas, quæ habent locum differentiæ, determinatur ad actum eſſentialiter imperfectum

qui eſt motus.Secunda particula eſt,*entis in potentia*; quæ non
de actiua,ſed de paſsiua intelligitur; nam cum potentia acti-
ua ſit forma ſubſtantialis,vel accidentalis,actus eſt; potentia
verò in ente reſpectu motus receptiua tantùm & paſsiua. Vl- 14
tima particula eſt,ſecundum quod in potentia,ſic explicanda,
actuare ſubiectum relinquendo illud in potentia, dupliciter
contingit, negatiuè & poſitiuè: relinquere illud in potentia
negatiuè,ſolùm eſt,non plenè actuare potentiam eius;ſed ali-
quid eius relinquere, quod per vlteriores gradus formæ per-
fectè poſsit actuari,& hoc habet omnis actus imperfectus etiã
accidentaliter, vt omnis forma in gradu remiſſo: ſed poſitiuè
relinquere ſubiectum in potentia, non tantum dicit illud non
plenè actuare, quòd in ſola negatione perfectæ actuationis
conſiſtit;ſed ex propria ratione ordinare,promouere ac ducere
illud in actum perfectum, & hoc ſolùm habet actus eſſentiali-
ter imperfectus,qui ex ſe eſt via ad perfectum, & talis eſt mo-
tus ſic actuans ſubiectum,vt illud ordinet, & quaſi via eius ſit
ad actum perfectum,qui eſt terminus,& hoc eſt cõuenire ſub-
iecto,non ſolùm in potentia exiſtenti; quod habent cæteri a-
ctus imperfecti, non omninò illud actuantes; ſed prout eſt in
potentia:quia ſic per motum actuatur,vt ſimul ab eo ordinetur
ad actum perfectũ, & quaſi via eius ſit ad illum conſequẽdum.
Ex quibus facilè ſoluuntur argumenta:nam ad primum negã-
da eſt minor,quod in definitione non explicetur reſpectus ad
terminos:nam eo ipſo,quod dicitur,motum conuenire ſubie-
cto,in quantum eſt in potentia ſignificatur eſſe viam, & quaſi
fieri termini; in quem tendit,& ab alio procedere, à quo diſ-
cedit per motum. Ad ſecundum neganda eſt maior, quod to-
ta definitio conueniat formæ, quæ per motum acquiritur:nam
licet ſit actus entis in potentia; quia non omninò actuat ſub-
iectum, ſed aliquid potentiæ relinquit actuandum, ipſum ta-
men non ordinat poſitiuè ad vlteriorem actum; vnde ſo-
lùm materialiter,& negatiuè dicitur relinquere ſubiectum in
potentia,& ideò non conuenit illi ſecundum, quod eſt in po-
tentia;quia verbum hoc poſitiuam. & formalem ordinationẽ
potentiæ ad actum denotat, quam eſſentialiter dicit motus.
Ad tertium diſtinguenda eſt minor cum conſequenti:quia ſi- 15
cut actus eſt duplex, perfectus & imperfectus; ita etiam for-
ma; & ſicut actus imperfectus;alius eſt imperfectus acciden-
taliter; & alius eſſentialiter; ita etiam forma, & motus eſt
actus,& forma eſſentialiter imperfecta; & quaſi in fieri, & ideò
incompleta; non habens ex ſe ſpeciem;ſed reductiuè reducen-
da ad ſpeciem formæ perfectæ, ad quam acquirendam quaſi
via,

via,& tendentia eſt,& modus eius,& propterea; non niſi reductiuè pertinet ad prædicamenta terminorum , & ad poſtprædicamenta relegatus eſt inter modos rerum. Quòd verò additur duplicem eſſe admittendam formam , & duplicem actum ſimul in eodem ſubiecto;nēpe formam , quæ acquiritur,& motum,concedēdum eſt in eſſe imperfecto,& ita vt vna ordinetur ad aliam,& propter illam ſit:nempè motus propter terminū; adueniente autem forma perfecta , quæ eſt terminus perfectè acquiſitus: ceſſat motus , ſicut acquiſito termino ceſſat via & tandem ex his duobus actibus ſubordinatis vnus ſolùm actuat vt modus, nempè motus, non eſt autem inconueniens ſimul eſſe formam,& modum eius in ſubiecto.

QVÆSTIO II.

An definitio motus conueniat mutationibus inſtantaneis, vel ſolùm ſucceſſiuis.

16 MOtus duobus modis ſumitur , primò , pro quacunque mutatione Phyſica ſiue ſucceſsiua ſit, vel inſtantanea. In qua acceptione generationem ſubſtantialem, & ſuo modo corruptionem,atque etiam illuminationem, & omnes mutationes ſubitò factas comprehendit. Secundò modo ſumitur propriùs pro ſolis mutationibus per ſe ſucceſsiuis ; quæ verſantur inter poſitiuos terminos oppoſitos , habentes latitudinem quādam,non ſimul,ſed ſucceſſiuè percurrendam, vel trāſ eundam. In qua acceptione ſumpſit modum Ariſtot. 5. lib. Phyſ. & illum diſtinxit à mutationibus inſtantaneis , quæ nō verſantur inter poſitiuos terminos latitudinem habentes, ſed inter eſſe,& non eſſe rei,aſſerens ad tria tantùm prædicamenta terminari per ſe,nempè ad quantitatem , qualitatem,& vbi & ideò has ſolas tres ſpecies habere : cum tamen in prima acceptionem tot ſpecies habeat , quot ſunt mutationes diuerſæ , non ſolum ſucceſsiuè ; ſed etiam inſtantaneæ. Quærit igitur titulus quæſtionis an motus definiatur ab Ariſtotele per definitionem explicatam quæſtione præcedenti , ſecundū primam acceptionem generalem, vel iuxta ſecūdam ſpecialē.

17 Et prima opinio aſſerit non ſub prima receptione , ſed ſub ſecunda definiri , & propterea definitionem illam non conuenire generationi,nec cæteris mutationibus momentaneis; ſed his tantùm , quæ per ſe ſunt ſucceſsiuè & propriiſsimè appellantur motus. Ita Sotus tertio libro, Phyſic.quæſtione prima; Pererius libro decimo tertio , cap.quinto , Conimb. lib.Phyſic.cap.1.q. 1.art. 2. Probatur hoc vnico arg. motus nō

ſolùm eſt actus entis in potentia, ſed etiam ſecundum, quod in potentia, qua voce ſignificatur ſic actuare. ſubiectum, vt partim illud conſtituat in actu, & partim relinquat in potentia ad partes; vel gradus termini, perfectiores ſuſcipiendos; itaque ex parte dicit terminum acquiſitum, & ex parte acquirendum, ſed per mutationes inſtantaneas ſimul acquiritur totius terminus; & non per partes, vel gradus, cum ſit forma indiuiſibilis carens gradibus, vel partibus ſucceſſiuè acquirendis; vt patet de forma ſubſtantiali per generationem facta, & de tota ipſa ſubſtantia hominis, vel equi adæquatè terminante generationem; ergo tales mutationes non conſtituunt ſubiectum partim in actu, & partim in potentia; ſed ſimul, & totaliter in actu nullam potentiam ei relinquentes; quia perfectam formam, qui eſt perfectus actus ſimul, & perfectè actuans materiam vel ſubiectum inducunt; quare nec poſſunt ei conuenire ſecundum, quod eſt in potentia, vt dicitur in definitione motus.

Secunda opinio tenet motum definiri ab Ariſto. ſub prima 18 acceptione comprehendente quaſcunque mutationes Phyſicas, ſucceſſiuas, vel inſtantaneas, ita D. Thom. 3. lib. Phyſic. lect. 7. his verbis: *Accipit enim hic motum Ariſtoteles communiter pro mutatione; non autem ſtrictè ſecundum, quod diuiditur contra generationem, & corruptionem.* Et lib. 5. tex. 7. vbi ita ait: *Ariſt. lib. 3. Phyſic. vbi motum definiuit, accipit nomen motus ſecundum, quod eſt commune omnibus mutationibus.* Idem etiam Simplicius, & Themiſtius cap. 2 huius libri, & nos eam, non ſolùm, vt probabiliorem, ſed vt magis ex mẽte Ariſtotelis ſequimur, quia Ariſt. cap. 2. tex. 6. huius lib ſtatim poſtquam definitionem aſſignauit, exempla eius poſuit, non ſolùm in mutationibus ſucceſſiuis, ſed etiam in inſtantaneis; vt in generatione, & corruptione. Præterea; quia eundem motum voluit hìc definire, quem in definitione naturæ poſuit, ſed ibi ſignificat com- 19 munem mutationem Phyſicam, vt in 2. lib. probauimus; ergo in eadem acceptione modo definitur. Sed probatur etiam ratione; quia mutationibus inſtantaneis conuenit, quod ſint actus entis in potentia; nempè materiæ, quæ mutatur ad formam, & etiam conueniunt eidem materiæ ſecundum, quod eſt in potentia; ergo conuenit illis integra definitio. Probatur minor; quia generatio ſic actuat materiam, vt non ſolum relinquat eam in potentia ad formam; ſed vt eam ordinet ad illam, tanquam via, ac tendentia in eandem formam, & tanquã fieri eiuſdem, ergo conuenit illi in quantum eſt in potentia ad formam. Secundò mutatio inſtantanea eſt actus eſſentialiter

imperfe

imperfectus, conſtituens materiam partim in actu, & partim in potentia, & vtrumque habet ſecundum ſe, & eſſentialiter, primum quidem; quia actus eſt: ſecundum verò; quia talis actus ordinans materiam ad vlteriorem actum, qui eſt forma, & terminus eiuſdem generationis; ergo conuenit materiæ, in quantum eſt in potentia ad formam, & ideò eſt actus entis exiſtentis in potentia, & ſecundum quod eſt in potentia.

20 Et his argumentis non ſolùm probatur noſtra ſententia, ſed oſtenditur deceptio oppoſitæ, & ſoluitur eius argumentum. Deceptio autem conſiſtit in eo, quod neceſſariam putat ſucceſſionem mutationis, vel latitudinem gradualem formæ per eam acquirendæ, vt mutatio ipſa dicatur conuenire ſubiecto ſecundum, quod eſt in potentia: cum tamen neceſſarium non ſit; quia licèt ſimul acquiratur forma, & non per partes, & propterea mutatio non ſit ſucceſſiua, ſed in momento inducat formam; ſatis eſt, quod mutatio, & forma ſint duo actus, forma quidem perfectus, mutatio verò imperfectus; & ad eam ordinatus, & eadem mutatio ſit prior ſaltem naturâ forma, ex vtroque enim habet, quod priùs natura conſtituat materiam in actu imperfecto ordinando eam ad perfectum, quod eſt eſſe actum eius non ſolùm exiſtentis in potentia, ſed ſecundum, quod eſt in potentia ad vlteriorem actum, qui eſt forma. Et ecce quo pacto integra definitio motus ſaluatur ſine ſucceſſione, & ſine eo, quod terminus acquiratur per partes, vel per gradus; & ex cõſequenti accõmodari poteſt mutationibus inſtantaneis. Et ex his etiam conſtat ſolutum eſſe argumentum, cui negandum eſt illud, quod aſſumit in antecedenti, videlicet per vltimam particulam definitionis ſignificari, quod mutatio conſtituat ſubiectum, partim in actu, & partim in potentia ſecundum diuerſas partes, vel gradus formæ, ſed ſolùm ſignificatur, quod ſit actus eſſentialiter imperfectus, ſic actuans ſubiectum, vt illud relinquat in potentia ad vlteriorem actum, qui eſt terminus cum intrinſeca ordinatione ad illum acquirendum, ſiue ſimul, ſiue per partes; hoc enim non pertinet per ſe ad rationem mutationis in communi, quæ definitur, ſed ad particulares modos, vel ſpecies eius, vt per ſe eſt manifeſtum.

QVÆSTIO III.

An motus vt definitur in eadem definitione, ſit quid vniuocum ad omnes mutationes, vel analogum.

21 QVæſtione præcedenti diximus motum definiri ab Ariſtotele ſecundum rationem communem omnibus mutationibus,

nibus, tam inſtantaneis, quàm ſucceſſiuis, nunc autem conſequenter quærimus, an motus ſic in communi definitus ſit vniuocus reſpectu omnium mutationum, vt reſpectu generationis, illuminationis, augmentationis, alterationis, & lationis; & cæteris mutationibus poſitiuis, vel analogus: nam ſi accipiatur, vt commune etiam negatiuis, quales ſunt corruptiones, certum eſt, non eſſe vniuocum, ſed analogum; cum negatiuæ non ſint mutationes ſimpliciter, vel motus, niſi per attributionem ad poſitiuas.

Circa quæſtionem ſic explicatam, eſt prima opinio, negans vniuocum eſſe motum ad mutationes particulares, ſed potius æquiuocum, vel ad ſummum analogum. Ita videntur ſentire antiquiores interpretes, Alex. Simp. Themiſt. Auerr.& Alber. Magn. in Commentariis 1. cap. & ita ſentit Pererius lib. 13. cap. 5. Probatur teſtimonio Ariſt. qui in eodem capite docet motus non eſſe præter res, ad quas terminantur, quæ ſunt ſubſtantia, qualitas, quantitas, & vbi, neque aliquid habere commune mutationes particulares, ſicut nihil commune habent prædicamenta ipſa, ſed de prædicamentis conſtat nihil habere commune vniuocum; ergo neque mutationes ipſæ aliquid commune vniuocum habent; vnde ratio motus reſpectu earum non erit vniuoca ex mente Ariſtotelis. Probatur etiam ratione; quia mutationes accipiunt vnitatem ſpecificam à terminis; ſed terminis nihil datur commune vniuocum, ſed vnus eſt ſubſtantia, & reliqua accidentia, quibus non datur ratio vniuoca; ergo nec mutationibus datur; ſed ratio communis mutationis prius conueniet generationi ſubſtantiali, quæ mutatio ſubſtantialis eſt, cæteris verò tanquam mutationibus accidentalibus, non niſi per attributionem ad illam. Secundò quia vniuocum æqualiter debet cõuenire inferioribus; ſed cõmunis ratio motus prius; & perfectius conuenit motui locali, quam cæteris, vt docet Ariſtoteles 8. lib Phyſ. textu 57. & 58. & D. Thom. 1. part. quæſt. 110. articulo tertio; ergo non vniuocè omnibus, ſed tanquam quid analogum. Tertiò, nihil poteſt dari vniuocum, quod non ſit genus, vt in tractatu noſtro de analogia oſtendimus, ſed motus non poteſt eſſe genus; ergo nec erit vniuocus. Probatur minor, quia omne genus pertinet per ſe ad aliquod prædicamentum, ſed motus in nullo prędicamento ponitur ab Ariſtotele, ſed ad poſtprædicamenta relegatur cum mutationibus ſpecialibus, ergo non poteſt habere rationem vniuocam reſpectu earum.

Secunda opinio affirmat motum, vt hìc definitum ab Ariſt. 2
vniuocũ eſſe reſpectu mutationum particularium. Ita D. Tho.
in 1.

in 1.d.15.quæſt. 4. artic. 1.ad 2. his verbis: *Omnes ſpecies motus æqualiter conueniunt in ratione communi motus, tamen ſecundum ſuum eſſe proprium, motus localis eſt prior aliis motibus.* Et in 2. d. 2. q. 1. art. 1. ad 3. vbi ita ait: *Motus vniuocatur ad minus in intentione generis, & ideò omnibus motis ordinatis ad inuicem poteſt vna menſura correſpondere.* Ita etiam ſentiunt omnes moderni interpretes, inter quos iam eſt *fere communis, & videtur nobis probabilior.* Propter hoc argumentum vniuoca ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata, hoc eſt conceptus ſignificatus per nomen eſt idem in omnibus, eis æqualiter conueniens; ſed ita ſe habet motus, ad omnia inferiora; ergo eſt vniuocus reſpectu eorum. Probatur minor; quia conceptus per motum ſignificatus explicatur per definitionem, ſed definitio conuenit æqualiter omnibus; ergo & motus erit reſpectu eorum vniuocus. Probo iterum minorem, quia eſſe actum entis in potentia, ſecundum quod in potentia, nulli conuenit primò, neque alicui per attributionem ad alterum; ergo æqualiter omnibus. Secundò ſi alicui primò conueniret, maximè generationi, quia eſt mutatio ſubſtantialis, cæteræ verò accidentales; ſed ei non conuenit primò, quia eſſe ſubſtantialem non pertinet ad rationem formalem mutationis, nec tollit, quin ipſa ſit accidens formaliter, & ideò accidentalis actus materiæ, & imperfectus, ſicut reliquæ mutationes; ergo æqualiter conuenit omnibus, & tanquam quid vniuocum.

Pro ſolutione argumentorum alterius opinionis notandum eſt, quod prædicamenta duobus modis comparari poſſunt inter ſeſe. Primò, vt ſub nomine entis, vel accidentis ſignificantur, & ſic nihil commune vniuocum habere poſſunt. Secundò, non in entitate,ſed in modo aliquo ſe habendi in ordine ad aliquid extrinſecum,vt in modo fundandi relationem,aut in modo prioritatis,aut cauſalitatis,vel alio ſimili, in quibus non repugnat vniuocè conuenire; quia hæc non pertinent ad entitatem: in qua habent attributionem, & analogiam, & talis eſt conuenientia, quam habent in modo terminandi motum, vel mutationem,in qua vniuocè conueniunt,& motus ipſe vniuocus eſt,reſpectu omnium motuum, qui terminantur ad diuerſa prædicamenta;ſed non eſt genus eorum, quia(vt quæſtione ſequenti oſtendemus) incompletum quid eſt, & modus potius, quam res, & propterea, nec genus, nec ſpeciem habet,ſed tanquam modus reducitur ad prædicamenta diuerſa terminorum.

23 Ad teſtimonium igitur Ariſto. reſpondet bene D.Tho. cap. 1.huius lib. cuius expoſitionem ſequuntur cæteri, ſenſum eius

eſſe

eſſe quod motus non ſit plures, nec plus ſe extendat, quàm res ad quas terminatur, nec vnum genus vel prædicamentum eis commune conſtituat, quod non tollit quin incompleta, & modalis ratio eius poſſit eſſe communis, & vniuoca omnibus motibus ſpecialibus, & quodammodo prædicamentis ipſis, ad quæ terminantur, non ſecundum ſe ſumptis, ſed ſecundum modum terminandi motum.

Ad primum argumentum diſtinguenda eſt minor, quod terminis motuũ nihil detur commune: nam ſecundum propriam entitatem vera eſt, ſecundum rationem modalem terminandi motum falſa, ſicut falſum eſt, quod non detur eis communis ratio vniuoca fundandi, & terminandi relationem realem vel aliam ſimilem. 24

Ad ſecundũ diſtinguenda eſt maior, quod motus localis ſit prior, & perfectior cæteris; nam ſub communi ratione motus falſa eſt, ſub ſpeciali verò talis motus, vera, & ita intelligitur à D. Tho. vt verba eius à nobis citata docent, ita etiam intelligitur ab Ariſt. Qua autem ratione, motus localis, vt talis perfectior ſit cæteris: dicetur in libris de cœlo: nam hæc maior perfectio adhuc non eſt eſſentialis, ſed accidentalis in ordine ad ſubiectum, quod minus in potentia ſupponit, quam cæteri motus.

Ad tertium etiam eſt diſtinguenda maior, quod nihil detur vniuocum, quod non ſit genus; nam ſi ratio vniuoca eius ſit naturæ, genus erit, ſi verò modalis tantùm, non eſt neceſſariũ eſſe genus; quia genus naturam dicit aliquo modo completam, & non modum, & cum ratio motus ſit incompleta eſſentialiter, & ita non ſit ratio naturæ, ſed modi, ideò non eſt generica, licèt ſit vniuoca, ſed per modum generis eam concipimus & particulares mutationes ſpecies motus vocamus, & ad prædicamenta terminorum reducimus.

QVÆSTIO IIII.

An motus diſtinguatur à termino ad quem, vel à mobili realiter, vel ſolùm ratione.

CVm duobus comparatur motus in titulo quæſtionis, nempè cum termino ad quem, & cum ſubiecto, quod vocatur mobile, & quærit, an ab vtroque diſtinguatur realiter: proprerea duplicem partem habebit quæſtio; in prima diſputabitur de diſtinctione motus à termino, in ſecunda de diſtinctione eius à mobili. Et circa diſtinctionem à termino eſt prima opinio ſolam diſtinctionem rationis ponens, ita Soncin. 5. Met. qu. 16. Burid. 3. lib. Phyſ. q. 2. Albertus Saxoniæ 3. lib. Phyſic. q. 4. & 5. 25

Ferra.

Ferra. ibidem q.2. Sotus q.1.& 2.Toletus q.3. Pererius lib.10. capit.10. & Conimb.5.lib. Phyſic. cap.2.q.3. artic.2. Probatur teſtimonio Ariſto. 3. lib. Phyſic. cap.1.vbi ait motum non eſſe præter res ad quas terminatur, quaſi dicat non eſſe aliam rem diſtinctam à terminis. Probatur etiam ratione: Primò; quia motus ex propria ratione eſt via ad terminum, & fieri eius, ſed res prout in fieri, & res iam facta ſunt eadem, & ſolo modo ſe habendi diſtinguuntur; ergo motus non eſt res diſtincta à termino, ſed eadem, & diſtincta ratione. Secundò, ſi motus eſſet res diſtincta à termino, ſequeretur quam libet rem quæ mouetur, duplici motu realiter diſtincto moueri, quod patet eſſe falſum. Probatur conſequentia; nam mobile mutatur per receptionem formæ, ad quam terminatur motus, vt corpus dum calefit, mutatur per receptionem caloris; quia mutari non eſt aliud, quàm aliter ſe habere, nunc, & priùs, ſed corpus, quod calefit, aliter ſe habet per receptionem caloris, quàm priùs ſe habebat; nam priùs non habebat calorem, & modo habet, ergo per receptionem caloris mutatur, & per mutationem conſtat etiam mutari; ergo ſi hæc eſt res diſtincta à termino, duplici mutatione realiter diſtincta mutabitur.

26 *Secunda* opinio ponit diſtinctionem realem inter motum, & terminum. Ita Venetus 3.lib. Phyſic. cap.3. quem videntur ſequi Aureol. apud Capre. in 2.d.1.q.2.art.2. & d.39.q.1.art.3. ad 1. & etiam Capr. ipſe. Hiſpalen. ibidem notab.1. Argent. d.19. q.1.& Burleus 3. libr. Phyſic. text. 11. & hanc ſequuntur iam omnes ferè Moderni, & videtur mihi probabilior, & tenenda.

Sed hoc modo explicanda eſt, antequam probetur, duplex eſt diſtinctio realis, vna qua diſtinguuntur duæ res, vt Petrus à Ioanne, alia qua diſtinguitur modus à re, vt ſubſiſtentia à natura, quam terminat, & hæc ſolet vocari diſtinctio potius ex natura rei, quam realis, quia licèt modus ſit entitas realis diſtincta à re; ſed cum non ſit res, non tam dicitur diſtingui diſtinctione reali, quàm diſtinctione ex natura rei, vel modali per diſtinctam entitatem modalem.

27 Sic autem explicata probatur primò, quia tria habet motus diuerſa à termino, quæ non poſſunt conuenire eidem entitati reali; ergo motus, & terminus ſunt diſtinctæ entitates reales. Probatur antecedens, quia motus maiori ex parte habet eſſe ſucceſſiuum, atque continuum, habet etiam eſſe viam ad terminum, & hæc habet ex natura rei, & ſine dependentia ab intellectu; ſed ante operationem eius; & nihil horum habet terminus, etiam realiter; quia potius habet entitatem permanentem, vt ſubſtantia, quantitas, vel calor; nec realiter eſt

via.

via, alioqui idem eſſet via ad ſeipſum, quod repugnat, ergo neceſſe eſt ponere, quod motus ſit entitas realis diſtincta à termino. Secundò probatur ex ſeparatione motus à termino: nam ea, quorum vnum ſeparatur ab alio, ita vt permaneat corrupto, vel deſinente alio, diſtinguuntur realiter, vt docet expreſsè Ariſtot. 7. lib. Top. cap. 1. loco. 12. his verbis: *Si alterum interimitur, alterum autem non, profectò non idem ſunt.* Et probat ratio, quia dum vnum corrumpitur permanente alio; cum corruptio ſit realis, neceſſe eſt aliquam entitatem realem corrumpi, ſed repugnat eandem entitatem realem deſinere, & permanere; ergo neceſſe eſt eſſe plures entitates reales, & non vnam, ſed deſinente motu permanet terminus, vt deſinente calefactione permanet calor productus per eam; ergo ſunt entitates reales diſtinctæ. Nec ſoluit argum. quod aliqui reſpondent, aliquid reale deſinere deſinente motu, non tamen realiter ab eo diſtinctum; ſed ſola ratione, & ideò ex tali ſeparatione non probatur diſtinctio realis. Nam contra 28
hoc eſt, quod ſeparatio ſit ſine dependentia ab intellectu, & ante operationem eius; & ſeparatur aliquid reale: cum corruptio ſit realis; ergo non diſtinctum per operationem intellectus tantùm, ſed ante illam, quod eſt ex natura rei diſtingui.

Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondeo, ſenſum eius eſſe ſecundum communem expoſitionem, quod motus non ſit præter res ad quas terminatur ſecundum extenſionem, hoc eſt, nō habeat plures ſpecies, quàm ſint prædicamenta, ad quæ terminatur, nec habeat commune genus, vel prædicamentum præter illa, de diſtinctione verò à termino non loquitur Ariſt.

Ad 1. argumentum concedenda eſt maior, quod motus ſit via ad terminum, & fieri eius, ſed minor neganda, quod via, & fieri, non ſit entitas realis diſtincta à termino, imò ex hoc eſt diſtincta; quia repugnat idem eſſe viam ad ſeipſum realiter, res autem in eſſe, & in fieri non ſunt diſtinctæ, ſed eadem cum modo reali diſtincto; qui eſt fieri eius; verum eſt ergo, quod fieri non ſit aliud, quàm res facta tali modo ſe habens, ſed modus iſte cum ſit realis, & ex natura rei ei cōueniat, entitas realis modalis debet eſſe à re ipſa diſtincta, & ſic diſtinguitur motus à termino. Ad 2. concedendum eſt antecedens, & neganda conſequentia, quod duplici motu reali moueatur, vel mutetur immobile; & cum dicitur mutari, non eſſe aliud, quam aliter ſe habere nunc, & priùs, diſtinguendum eſt; quia aliter ſe habere dupliciter contingit, in fieri, & in facto eſſe, & mutari nihil aliud eſt, quàm aliter ſe habere nunc, & priùs in fieri; ſed aliter ſe habere in facto eſſe, non eſt mutari, ſed mutatum eſſe, quod

quod eſt terminum acquiſiſſe, mobile igitur per ſolum motum aliter ſe habet nunc, & prius in fieri, & ideò per ſolum motum mouetur, aut mutatur; per receptionem verò formæ, non ſe habet aliter in fieri, ſed in facto eſſe, & ideo receptio formæ, non eſt mutatio, vel motus. Vnde ſequitur, quod licet motus & terminus ſint entitates diſtinctæ, non tamen ſint diſtinctæ mutationes, vel motus & ex conſequenti, licet vtramque entitatem mobile in ſe recipiat, non mutatur per eas duplici mutatione, ſed vnica, terminata tamen per aliam entitatem diſtinctam in quam tendit mobile per mutationem, tanquam per viam.

Secunda pars quæſt. de diſtinctione motus à mobili.

29 Circa diſtinctionem motus à mobili eſt prima opinio negans realiter vel ex natura rei diſtingui; ſed tantùm per intellectum. Ita ſentiunt ferè omnes, quos citauimus in 1. p. pro diſtinctione rationis motus à termino, quos ſequitur Valleſius controuerſia 20. ad Tyrones vbi, licet motum nobiſcum diſtinguat ex natura rei à termino, ſola ratione eum diſtinguit à mobili. Conimb. verò, qui diſtingunt illum à termino ſola ratione, aſſerunt diſtingui ex natura rei omnem motum à mobili, excepto locali, quem ratione tantùm ab eodem mobili diſtinguunt, ſicut à termino. Argumentum huius opinionis vnicum eſt; quia non ſunt multiplicandæ entitates reales, ſine vrgenti neceſsitate, ſed nulla vrget neceſsitas diſtinguendi realiter motum à mobili, nam ſufficienter intelligimus moueri corpus ex eo ſolùm, quod diuerſo modo ſe habet in diuerſis partibus ſpatij, ſeu gradibus formæ, abſque aliqua noua entitate reali, quam præter terminum de nouo in ſe recipiat; ergo non eſt ponenda diſtinctio ex natura rei inter motum & mobile. Quod præſertim verum eſt in motu locali, qui non eſt aliud, præter quantitatem mobilis aliter ſe habentem in diuerſis partibus ſpatij, hoc eſt diuerſo modo diſtantem, vel præſentem eſſe reſpectu ſpatij, vel partium vniuerſi; non ergo diſtinguitur à mobili, quod eſt corpus per quantitatem.

30 Noſtra ſententia eſt, eodem prorſus modo diſtingui motum à mobili, & à termino, nempe ex natura rei, & quicunque motus, à ſuo mobili; ſicut de quolibet motu diximus, diſtingui à ſuo termino. Quod eiſdem rationibus probatur, quibus probata eſt diſtinctio ex natura rei à termino; nam fortius probant diſtinctionem ex natura rei à mobili vt facilè poteſt quiſque intelligere, quare non eſt neceſſarium eas repetere, nec minus de motu locali, quàm de cæteris, cum clarius ſit

D d ſepa

ſeparari à mobili, quàm à termino. Sed probatur vnico argumento ſpeciali ad hominem, quia omnes ferè, qui ſola ratione diſtinguunt motum a termino, etiam ſola ratione illum diſtinguunt à mobili, contra quos ſic arguo, motus ſola ratione diſtinguitur a termino, & mobili; ergo mobile, & terminus ſunt idem realiter cum motu; ſed quæcunque ſunt idem realiter cum aliquo tertio, ſunt idem realiter inter ſe ſe; ergo mobile, & terminus erunt idem realiter inter ſe: cum ſint idem realiter cum motu; conſequens eſt falſum, ergo etiam antecedens. Probo minorem, quia falſum eſt, quod calor qui eſt terminus calefactionis, ſit idem realiter cum ligno, quod calefit, & falſum quoque quantitatem terminantem motum augmetationis eſſe idem realiter cum viuente, quod mouetur eo motu.

Ad argumentum neganda eſt minor, quòd non vrgeat neceſſitas diſtinguendi motum a mobili ex natura rei, & cum dicitur ſatis intelligi moueri corpus ex eo, quod aliter ſe habet nunc, & prius: concedendum eſt, ſed negandum hoc habere ſine noua entitate modali, quod ex eodem colligitur efficaciter; nam ſi aliter ſe habet mobile per motum in diuerſis partibus ſpatii, vel formæ; ergo habet ſe alio modo, quare non ſine nouo modo reali, qui eſt noua entitas realis, quam ideò neceſſariò eſſe multiplicandam probat argumentum eorum ſatis efficaciter.

QVÆSTIO V.

An omnis motus realiter ſit in mobili.

DE motu augmentationis & alterationis certum eſt apud omnes, quòd in mobili ſit per realem inhæſionem; nam 31
cum per hos motus acquirantur quantitas & calor, quæ ſunt formæ intrinſecæ, & formaliter inhærentes mobili, neceſſe eſt motum; qui eſt fieri earum in eodem mobili inhærere; nam repugnat formam factam eſſe in vno ſubiecto, & fieri in alio. Quæſtio ergo reducitur ad motum localem, de quo tenet prima opinio, quòd non ſit in mobili; ſed in loco ipſum circunſtante. Et fundamentum huius ſententiæ eſt; quod terminus motus localis non eſt vbi, ſed locus: vnde cum locus non ſit in locato; ſed illud extrinſecè circumſcribat, ita exiſtimat, nec motum localem eſſe in eo, ſed in loco ipſo, quem acquirere dicitur. Eo quod acquirit circumſcriptionem ab eo. Ita Soncinnas 5. Meta. q. 4. Greg. in 2. d. 1. q. 4. art. 1. Heru. quodlib. 1. q. 9. Probatur teſtimoniis Ariſt. ad D. Thom. nam Ariſtot. 8. lib. Phyſ. text. 59. aſſerit motum localem eſſe omnium perfectiſſimum

fectiſſimum: quia per illum nullam formam acquirit mobile, & ideò minus eſſe in potentia cenſetur, quàm in ordine ad cæteros motus; ſentit ergo Ariſtot. nihil intrinſecum mobili eſſe terminum motus localis, ſed ſolùm acquirere per eum mobile locum extrinſecum ambientem, & ex conſequenti talem motum non eſſe in mobili formaliter, ſed in loco extrinſeco. Et D. Tho. expreſsis verbis idem videtur aſſerere 1.p. p.110.art.3.vbi ſic loquitur: *inter omnes motus corporeos perfectior eſt motus localis, vt probatur 7.lib. Phyſ. cuius ratio eſt, quia mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi: ſed ſolum ad aliquid extrinſecum, ſcilicet ad*

32 *locum.* Probatur etiam ratione; quia motus localis, vt nomen ipſum ſonat, eſt motus ad locum, & acquiſitio loci; ergo terminus eius eſt locus, ſed locus nihil intrinſecum ponit in locato, quod mouetur; ſed ſolam denominationem extrinſecam à circunſcriptione extrinſeca loci; ergo nec motus localis eſt aliquid intrinſecum in mobili: quare nec in eo eſſe dicetur per inhæſionem, ſed in loco ipſo circumſcribente per motum acquiſito. Secundò, quia ſi aliquid intrinſecum pro termino acquireret mobile per motum localem, eſſet vbi, ſed hoc non; ergo nihil acquirit intrinſecum, & ideò, nec motus ipſe erit aliquid intrinſecum in mobili. Probatur minor, quia vbi ſolam relationem præſentiæ ad ſpatium, vel diſtantiæ ad polos importare poteſt: cum nihil aliud intrinſecum abſolutum excogitari poſſit; quod per motum localem acquiratur, ſed ad relationem non terminatur motus per ſe, vt docet expreſsè Ariſtot. 5. lib. Phyſ. cap. 2. ergo, vbi, non eſt terminus per ſe motus localis, ſed locus, in quo erit motus, & non in mobili.

33 Hæc ſententia in doctrina Ariſtot. non eſt probabilis, quia Ariſt. 3. lib. Phyſ. ca. 2. aſſerit motum eſſe actū mobilis, prout mobile eſt, & ca. 3. eundem motū eſſe actum motiui & mobilis motiui quidē, vt à quo, mobilis verò, vt in quo, ergo euidēs eſt Ariſtotelem ſentire, quod motus ſit in mobili, tanquam in ſubiecto, cui realiter inhæret. 5. etiam lib. Phyſic. cap. 2. docet expreſsè ad tria tantùm prædicamenta terminari motum per ſe, ad quantitatem, qualitatem, & vbi; ergo expreſſa mens eius eſt, quod, vbi, ſit terminus motus localis, & non locus, ſed vbi, eſt in mobili, tanquam in ſubiecto, ergo fieri eius, quod eſt motus localis, etiam erit in mobili, tanquam in ſubiecto. Sed non eſt minus improbabilis eadem ſententia ſecundū veritatem Philoſophicā; quod ſic probo: Motus eſt via inter duos terminos à quo, & ad quē, ita vt ab illo rece-

dat, & ad hunc accedat; ſed quando mobile accedit ad terminum ad quem, iam non eſt motus; ergo repugnat motum recipi in termino ad quem. Probatur minor; quia primum eſſe mobilis in termino ad quem eſt primum non eſſe motus ſecundum cõmunem ſententiam poteſt fieri per vacuũ, per diuinam potentiam, ſed in medio vacui non datur locus; ergo ſi in medio ſiſteret corpus motum per vacuum, verum eſſet, quod motum fuerit, & ex conſequenti quod acquiſierit proprium terminum, & non acquiſiuit locum; ergo locus non eſt terminus proprius motus localis, ſed aliquid aliud acquirit mobile, ad quod per ſe mouebatur, & quod in eo ſit, tanquam in ſubjecto, & cum eo motus ipſe.

Ad teſtimonia Ariſtot. & D. Thom. reſpondeo hanc eſſe differentiam inter motum localem, ex vna parte, & alterationem & augmẽtationem ex altera; quòd per hos duos motus acquirit mobile formas quaſdam, quæ ſunt entitates abſolutæ, ac permanentes in eo, quantum eſt ex natura earum; ſed per motum localem non acquirit formam, nec entitatem omnino abſolutam; ſed modum quendam ſe habendi ad ſpatium, & ad partes vniuerſi: vnde nec omninò abſolutum; ſed reſpectum ad extrinſecum includentem; quare non præſupponit ſubjectum in potentia ad formam abſolutam; ſed ſolùm ad talem modum, quod eſt minorem habere potentiam paſſiuam, & ideò perfectius eſſe, quantum ad motum pertinet, ſaltem perfectione accidentali, ex quo habetur motum localem perfectiorem eſſe cæteris ex ordine ad ſubjectum minus imperfectum. Itaque Ariſt. & D. Thom. nolunt excludere omninò intrinſecum terminum à motu locali: quem mobile ſibi inhærentem acquirat per eum, ſed formam tantum abſolutam; & ex conſequenti, nec negare, quod motus localis ſit in mobili per realem inhærentiam. 34

35 Ad primum neganda eſt prima conſequentia, quod motus localis habeat pro termino per ſe locum, ſed per ſe terminatur ad, vbi, ſed quia ſecundum ordinem naturalem non poteſt acquiri vbi ſine loco, ideò ex conſequenti dicitur terminari ad locum, & ex hoc vocatur localis: per ſe verò terminatur ad vbi, & cum 2. argumentum aſſerit non poſſe terminari ad, vbi, conſiſtens in ſola relatione, negandum eſt, quia vbi eſt modus ſe habendi corporis ad ſpatium, abſolutus quidem, ſed includens etiam reſpectum præſentiæ, atque diſtantiæ, per quem cognoſcitur & explicatur, ita vt niſi per eum cognoſci à nobis repugnat, & hoc eſt valde conſonum doctrinæ Ariſtotelis qui prædicamentum, vbi, poſuit diſtinctum à prædicamento ad aliquid

ex

ex vna parte,& ex alia illud enumerauit inter ſex vltima, quæ (vt in noſtris Commentariis dialecticis oſtendimus) modos quoſdam abſolutos importāt ſimul cum reſpectibus complentibus eſſentiam eorum, & cum eis collocatis in proprio prædicamento, & non in prædicamento ad aliquid. Modus itaque abſolutus eſt, vbi includens reſpectum ſecundum dici, & non puram relationem prædicamentalem, de qua docuit Ariſto. non terminare motum per ſe, quare bene poteſt terminare motum localem per ſe, & cum ſit in corpore, quod mouetur per realem inhæſionem; neceſſe eſt in eo etiam recipi motum localem, & non in loco.

QVÆSTIO VI.

An actio ſit in agente, tanquam in ſubiecto, vel in paſſo.

36 IN eodem motu ſunt actio, & paſſio, quia vt egreditur ab agente eſt actio, & vt recipitur in mobili, quod etiam vocatur paſſum, dicitur paſſio; ſed motum, & paſſionem certum eſt eſſe in mobili, & de motu quidem id probauimus quæſtione præcedenti; de paſſione verò euidens eſt: cum pati idem ſit, quod recipere, & receptio idem, quod paſsio, ſed mobile eſt, quod patitur à mouente; ergo paſſio, in eo debet eſſe, tanquam in ſubiecto, ſolùm ergo procedit quæſtio de actione, an ſit in agente, tanquam in ſubiecto. Eſt autem duplex actio, immanens & tranſiens: actio immanens eſt illa, per quam nihil extra agentem fit; ſed ipſa cum ſuo effectu manet in agente, vt viſio, aut operatio intellectus, tranſiens verò, per quam aliquid extra agentem ipſum procedit, vt calefactio. Et de immanente certum eſt: eſſe in agente, tanquam in ſubiecto, vt viſio in vidente; vnde idem eſt in his actionibus agens, & paſſum; ſed diuerſa ratione formali; nam in quantum per potentiam, aut virtutem actiuam elicit actionem, agens dicitur, & in quantum eam in ſe recipit per potentiam paſſiuam, dicitur paſſum, ſolum ergo dubitatur de actione tranſeunte, vt de calefactione, an ſit in igne, qui eſt agens, tanquam in ſubiecto vel in ligno, quod patitur.

37 *Et prima* opinio tenet eſſe in agente, tanquam in ſubiecto, & non in paſſo. Ita Auicen.2.lib.ſuæ ſufficientiæ cap.5. Comment.12.lib. Meta.Comm. 36.Scotus in 4.d.13.q.1. Antonius Andreas in lib.de ſex principiis cap.de actione.Caiet.1.p.q.25. art. 1. Hiſpa.in 1.d.27.q.1.notab.3. Flandr.5.lib. Meta. q. 12. art 2. Venetus in ſumma Phyſic.cap.8. Probatur teſtimonio Ariſtotelis 2.lib.de Anima tex. 24.& tex.39. vbi aſſerit actum

eſſe in eo, cuius eſt actus, ſed 3.l.Ph.text.18.& tex.20. docet
actionem eſſe actum agentis; ergo ex vtroque ſequitur eum
ſentire, quod actio ſit in agente, & 8.lib.Phyſic.textu 9.Probat
Deum feciſſe mundum ab æterno; quia ſi in tempore illum
feciſſet, mutaretur; ſed non poſſe mutari, niſi quia reciperet in
ſe actionem; ergo ex mente Ariſt.in agente eſt actio. Et D.Th.
idem videtur ſentire, 2. lib. contra gent. c. 9. vbi ſic ait: *Actio,
quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei, ſicut accidens ſubiecto, & ideò
inter nouem prædicamenta computatur.* Sed probatur ratio-
ne; primò, quia forma denominans in eo eſſe debet quod de-
nominat, tanquam in ſubiecto; ſed actio denominat agẽtem,
vt ex ſe eſt manifeſtum; ergo eſt in eo, tanquam in ſubiecto.
Et ſi dicas denominari extrinſeca denominatione ab actione,
etiam exiſtente in paſſo, vt paries denominatur dexter, à dex-
teritate hominis. Contra hoc eſt, quod agens eſt concretum
prædicamenti actionis, ſed prædicamentum actionis, non
conſtituitur per ſolam denominationem extrinſecam, ſicut nec
reliqua prædicamenta; ergo formalis denominatio eſſe debet
agentis ab actione ei inhærente, ſicut formalis eſt denomi-
natio qualis à qualitate, vt albi ab albedine. Secundò, actu
agere eſt maxima perfectio agentis, & conſtituitur in ratione
agentis actualis, vel actualis cauſæ per actionem, vt in 2. lib.
probauimus, ergo actio eſt perfectio agentis, ſed perfectio ali-
cuius debet eſſe in eo, alioqui non perficiet illud; ergo actio de-
bet eſſe in agente, tanquam in ſubiecto inhæſionis.

Secunda opinio eſt oppoſita, quod actio tranſiens non ſit in 39
agente, ſed ad paſſum tranſeat, & in eo ſit, tanquam in ſub-
iecto inhæſionis. Ita Alexand. Themiſt. Simplic. Philop. Al-
bert. Magn. 3.lib. Phyſic. cap.3. Soncin.5. Meta. quæſt. 3. Ia-
uel. 9. Meta. q.15. Pererius lib.13. cap.7. Sotus 3. lib. Phyſic.
q.1. Toletus q.2. Capr. in 2.d.1.q.2.art.3. Ferra.3.lib. Phyſic.q.
4. & 2.lib. contra gent.cap.1. Heru. quodlib.4. q.4. *& eſt vera,
& tenenda, præſertim in doctrina Ariſtotelis*, in qua non eſt pro-
babilis oppoſita. Probatur hoc ſecundum non ſolùm ex hoc 3.
lib. cap.3. ſed ex 9. Meta.textu 16. vbi ſic ait: *Ædificatio nam-
que in ædificato ſimul, & fit, & eſt cum domo*, & 2. lib. de ani-
ma text.140. *Sicut enim actio & paſſio in patiente eſt, ſed non in a-
gente, ſic & ipſius ſenſibilis actus in ipſo ſenſitiuo exiſtit*: Nec mi-
nus eſt expreſſa apud D.Tho.9.libr. Metaph. lectio. 9. his ver-
bis: *Quando per actionem potentiæ conſtituitur aliquid operatum,
illa actio perficit operatum, & non operantem: vnde eſt in operato;
ſicut actio & perfectio eius, non autem in agente.* Et probatur
duplici ratione efficaciſſima: prima eſt ipſiuſmet Ariſtote- 40
lis

lis cap. 3. ſic procedens; impoſsibile eſt motum, vel mutationem eſſe in aliquo, tanquam in ſubiecto, quin illud mutetur; ſi ergo motus, qui eſt actio, eſſet in agente, repugnaret agens non moueri, dum agit; & ita primũ agens moueretur dũ agit, quod de illo & omnibus apertè falſum eſt; quia agens actione tranſeunte non neceſſariò, nec per ſe mouetur, licet contingat moueri aliquando. Secundò probatur ex identitate reali actionis & paſsionis hoc modo; actio & paſſio ſunt idem motus realis, & idem realis actus; ergo repugnat, quod vnus iſte actus ſit in duobus ſubiectis; ſed vbi paſsio eſt, neceſſe eſt actionem eſſe, & de paſsione conſtat, quod in paſſo ſit; quia denominat ipſum formaliter; ergo neceſſe eſt etiam concedere, quod actio ſit in eodem paſſo; tanquam in ſubiecto, vel quod ſit alius actus realiter diſtinctus a paſsione, & illa ſit in agente, & hæc in paſſo, quod probatur eſſe falſum; quia paſſio non eſt aliud, quàm actio vt recepta in paſſo. ita, vt ſicut Ariſtoteles expreſsè docuit capite tertio, huius libri actio ſit actus agentis, vt à quo, & paſſi, vt in quo, vel actus agentis, vt motiui & patientis, vt mobilis.

41 Ad teſtimonia verò Ariſtotelis, & D. Thom. reſpondeo vtrumque aſſerere, quòd actio ſit actus agentis, non vt in quo, ſed vt à quo, & ſi aliquãdo videtur dicere, quod ſit in eo, vt in quo, de actione immanente intelligunt, non de tranſeunte. Quod verò Ariſtoteles probauit, Deum non produxiſſe mundum in tempore, quia mutaretur; non proceſſit ex eo, quòd putauerit actionem tranſeuntem eſſe in agente; ſed ex eo, quòd errore fortè deceptus putauit Deum nihil poſſe ex tempore agere circa creaturas; niſi per nouum, & temporaneũ actum voluntatis, quem ab æterno non habuerit, quo ſuppoſito, mutaretur abſque dubio mundum in tempore creando; quia nouum actum voluntatis haberet, quem ab æterno non habet, quod non poteſt eſſe verum, ſine mutatione eius. Sed veritas eſt potuiſſe eum creare in tempore, ſicut creauit ſine nouo, ac temporaneo actu voluntatis; ſed per eum, quem ab æterno habuit creandi mundum tempore, quo illum creauit; & eodem modo, quidquid in tempore diſponit, & efficit circa creaturas, efficit ac diſponit per actum æternum, quo decreuit ab æterno illa efficere, ac diſponere in tempore, & ideò non mutatur faciens ex tempore, quod ab æterno non fecit.

Ad primum diſtinguenda eſt maior, quia forma duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca, & ideò denominatio etiam vna eſt formalis à forma inhærente, & alia extrinſeca à forma

exiſtente in alio; ſicut paries dicitur viſus à viſione exiſtente non in ſe, ſed in oculo; & hoc modo ſe habet actio reſpectu agentis; nempe tanquam forma extrinſeca, quæ cum inhæreat paſſo, principium à quo procedit, denominat extrinſecè agẽs. Quod verò dicitur agens eſſe concretum prædicamenti a ionis, concedendum eſt; ſed negandum, quod intrinſecum; nã concretum actionis ex propria conditione habet, quòd ſit extrinſecum; ſed non ideò prædicamentum actionis conſtituitur per ſolam denominationem extrinſecam: quia abſtracta accidentium propriè pertinent ad prædicamenta; & ideò actio eſt genus ſupremum prædicamenti actionis in abſtracto, licet concretum extrinſecum habeat; quod nihil refert.

Ad ſecundum argumentum diſtinguenda eſt maior, quod actu agere ſit maxima perfectio agentis: nam agens per actionem extrinſeca tantum ratione ſe perficit, in quantum per eã ſe communicat alteri, quod maxima perfectio eſt; ſed extrinſecè ſibi, intrinſecè verò perficit aliud circa quod agit, & producit effectum, in quo propterea eſt actio tanquam in ſubiecto cum effectu ipſo, & non in agente, niſi tanquam in principio à quo egreditur, qua ratione proprius etiam actus eius eſt. Itaque actio actus eſt vtriuſque, nempe agentis, & paſſi, ſed illius tanquam principij, & huius tanquam ſubiecti.

QVÆSTIO VII.

Quonam modo diſtinguantur actio, & paſſio inter ſe ſe & à motu.

CErtum eſt apud Ariſtotelem & omnes quod motus ſit idẽ 45
actus realis qui egreditur ab agente, & recipitur in paſſo, & ideò, quod tria hæc non ſint res diſtinctæ, ſed vna, & eadẽ, quomodo autem, vel quòd diſtinguitur actio, & paſſio inter ſe ſe, & à motu, ſatis difficilè eſt explicare; & propterea hanc rationem diſtinguendi ea quærit titulus quæſtionis. Habebit autem quæſtio duplicem partem. In prima diſputabitur de diſtinctione actionis, & paſsionis inter ſe. In ſecunda de diſtinctione motus ab vtraque. Et circa primam eſt prima opinio aſſerẽtium actionem, & paſſionem eſſe duos actus realiter diſtinctos; ita vt actio ſit in agente, & paſſio in paſſo. Ita locuti ſunt plures ex his, qui tenuerunt actionem tranſeuntem eſſe in agente, quod conſtat non poſſe ſuſtineri, niſi ponantur actio, & paſsio realiter diſtinctæ: nam in ſubiectis realiter diſtinctis repugnat inhærere idem accidens reale: cum ergo agens, & paſſum diſtinguantur realiter, ſi actio eſt in agẽte & paſsio in paſſo, neceſſe eſt eſſe actus diſtinctos realiter.

Sed

44 Sed hæc opinio in doctrina Ariſtotelis non poteſt ſuſtineri. Probatur euidenter, quia c. 3. huius lib. non ſolũ docet, ſed probat actionem, & paſſionem eſſe eundem actum realem, agẽtis, vt à quo, & paſſi, vt in quo. Quod verò ſit falſa, ſic probo, quia pati non eſt aliud, quàm recipi in paſſo illud idem, quod egreditur ab agente, non eſt enim aliud, quod in paſſo recipiatur; ergo nec paſſio erit aliud, quàm receptio eius, quod ab agente egreditur. Vnde ſequitur paſsionem eſſe actum realem receptum in paſſo, & egreſſum ab agente; ſed vt egreſſus ab agente eſt actio; ergo idem met actus realis, qui eſt paſsio eſt etiam actio, & non alter ab eo diſtinctus.

Secunda opinio aſſerit actionem, & paſsionem non eſſe diſtinctos actus, ſed vnum: ſed connotare diuerſas relationes reales prædicamentales; nam actio connotat relationem agẽtis ad paſſum, paſsio verò relationem paſſi ad agentem: ideò licet non diſtinguantur realiter ex per ſe ſignificato, quod eſt idem actus egrediens ab agente, & receptus in paſſo, diſtinguuntur tamen realiter ex connotato; nempe ex parte relationum, quarum vna eſt in agente, & alia in paſſo, connotantur verò in obliquo nomine actionis, & paſſionis. Ita Conimb. 3. lib. Phyſico. Comm. 9. Capr. in 2. d. 1. quæ. 1. art. 1. & 3.

45 Soncin. 3. lib. Metaphy. q. 3. Probant, quia ex actione reſultat in agente relatio ad paſſum, & ex paſſione in paſſo relatio ad agens; ergo eas connotant. Sed hæc etiam falſa eſt; quia licet non ponat actionem, & paſſionem eſſe actus diſtinctos, vel ſecũdum proprias entitates diſtingui; ex adiuncto tamen, quod connotant, diſtingui aſſerit; quod ita probo eſſe falſum: Actio, & paſsio ſunt priores natura relationibus agentis, & paſſi cum ſint rationes eas fundandi; ergo integra ſignificatio earum non dicit neceſſariam connexionem cum eiſdem relationibus, quare non poſſunt eas connotare. Probatur conſequentia, quia ſignificatio nominis connotantis aliud neceſſariam habet connexionem cum re connotata, vt ſignificatio albi cũ corpore. Probatur etiam; quia ſi per impoſſibile actionem, & paſsionem non conſequerentur tales relationes haberent ſua integra ſignificata; ergo non poſſunt per ſe connotare tales relationes.

46 Noſtra igitur ſententia expreſſa in doctrina Ariſt. eſt, quod actio, & paſſio non diſtinguantur realiter; ſed ſint idem actus egreſſus ab agente, & receptus in paſſo, diſtingui autem non ante operationem intellectus, ſed ab eodem intellectu cum fundamento in re ipſa; quia cum ille idem actus egrediatur ab vno, & recipiatur in alio, fundamentum habet, vt intellectus

illum cognoſcat vno conceptu, vt egredientem;non conſiderando, quod recipiatur in paſſo, & alio, vt receptum in paſſo; non conſiderando, quod egrediatur ab agente: & hoc eſt per diuerſos conceptus illum concipere, & ratione formali; quaſi in duos actus eum diſtinguere. Itaque licet ante operationem intellectus,actus iſte egrediatur ab agente, & recipiatur in paſſo, & ideò ante intellectum ſint egreſsio, & receptio; non tamen diſtinctæ,ſed idem prorſus, niſi diuerſis, ac limitatis conceptibus,& quaſi partialibus concipiantur. Ad argumentum verò ſecundæ opinionis negandum eſt, actionem, & paſsionem connotare illas relationes, quia licet ſint rationes fundandi eas, priores tamen natura ſunt, & ab eis nullo modo dependent; quare,nec poſſunt eas connotare.

Secunda pars quæſtionis.

Reſtat diſtinctio motus ab actione, & paſſione, in qua maior eſt difficultas. Et prima opinio eſt commentatoris, quam Soncinnas retulit vbi ſupra, aſſerentis eodem modo diſtingui motum ab actione,& paſsione realiter; nō ex per ſe ſignificato,ſed ex connotato;quia connotat relationem realem ad terminum ad quem, à quo ſpecificatur, & diſtinctam quidem realiter ab illis relationibus,quas actionem,& paſſionem cōnotare dixit. Sed hæc ſententia apertè falſa eſt, quia etiã ſi motus nullam diceret relationem ad terminum: eandem haberet ſignificationem, ac modo habet, & tamen non connotaret talem relationem; ergo nec modo eam connotat. Secundò, quia non eſt certum, motum diſtingui à termino ex natura rei, ergo nec eſt certum dicere relationem realem ad illum, & e. conſequenti non erit certa talis connotatio, nec talis diſtinctio, & tandem,quia eandem relationem dicũt ad terminum actio & paſſio, vt probabitur; ergo per connotationem non poteſt diſtingui ab eis motus. 47

Secũda opinio eſt ex directo oppoſita,nō ſolùm nō diſtinguens motum ab actione & paſsione realiter, ſed neque ratione formali immò nullo modo, ſed vtramque includere in ſua ratione formali, & eſſentiali. Probat de actione teſtimonio Ariſt.2.lib. Phyſ.text.29.deſcribentis cauſam efficientem quòd ſit principium vnde motus, ergo ſentit motum, vt motus eſt procedere ab agente; ſed actio eſt actus procedens ab agente; ergo motus, vt motus eſt actio, quare non diſtinguentur vllo modo. Probat etiam ratione; quia mouere formaliter eſt agere;ergo motus formaliter eſt actio. Prob. conſequentia; quia ſicut ſe habet concretum inferius ad ſuperius, ſic abſtra

ſic abſtractum, ſed mouere eſt concretum inferius reſpectu agere: cum hoc de pluribus dicatur, vt patet; ergo etiam motus erit abſtractum inferius reſpectu actionis, & eam formaliter includet. De paſſione verò efficacius, probatur 1. teſtimonio Ariſt. 5. lib. Phyſ. text. 10. vbi probat ad actionem & paſſionem non dari motum per ſe, hoc argumento, ad motum non datur motus; ergo neque ad actionem & paſſionem, quod friuolum eſſet, niſi motus eſſet formaliter, actio & paſſio. Probatur deinde ratione; quia moueri non eſt aliud, quàm aliter ſe habere nunc, & priùs, ſed paſſum per paſſionem aliter ſe habet nunc, & priùs: cum recipiat in ſe id, quod priùs non habebat, nempè actionem & formam productam; ergo paſſum, vt paſſum mouetur, atque ex conſequenti paſſio, vt paſſio erit motus.

48 *Noſtra* autem ſententia, duo aſſerit contra has duas ſententias. Primum, quòd motus non diſtinguitur realiter ab actione & paſſione contra primam. Secundum, quod diſtinguitur ratione formali per intellectum ab eis, ita vt nec formaliter eas includat, neque ab eis includatur contra ſecundam. Ita ſentiunt antiquiores interpretes, Them. Simpl. Philop. Alex. Auerr. & D. Tho. quos cæteri omnes ſequuntur cap. 3. huius lib. & vtrumque docuit expreſsè Ariſtoteles 3. lib. Phyſ. cap. 3. text. 22. his verbis: *Omninò verò dicere eſt, quod nec doctio cum diſciplina, neque actio cum paſſione idem propriè eſt, ſed cui inſunt hæc, motus, nam huius in hoc, & huius ab hoc actum eſſe, ratione diuerſum eſt.* Et probatur 1. hac ratione ex eiſdem verbis Ariſtotelis deducta, motus eſt actus actiui, vt ab hoc, & paſſiui, vt in hoc; ſed idem eſt actus realis, qui egreditur à principio, & recipitur in ſubiecto; vt doctio, & diſciplina; ergo idem eſt motus egreſſus à principio, & receptus in ſubiecto; ſed vt egreditur à principio eſt actio, & vt recipitur in ſubiecto eſt paſſio; ergo actio & paſsio ſunt idem realiter cum motu. Secundò; quia ſi motus diſtingueretur realiter ab actione & paſsione: cum iſtæ recipiantur in eodem mobili cum motu, vt probauimus, ſequitur mobile, quodcunque moueri duobus, vel tribus motibus reſpectu eiuſdem termini, quod eſt falſum. Et probatur conſequentia, quia duobus, vel tribus actibus realiter diſtinctis

49 mouetur; nempè motu, actione & paſsione. Probatur 2. quod actio & paſsio diſtinguantur ratione formali, ex vtraque definitione motus; nempè *actus entis in potentia, & ſecundum quod in potentia, & actus mobilis vt mobile eſt*, in quibus nihil de actione & paſsione continetur; ergo poteſt motus definiri ſine illis atque etiã vtraque ſine motu, vt ſi dicamus actionem eſſe actum egreſſum ab agente, & paſsionem, actum receptum in paſſo,

in quibus

in quibus definitionibus nihil de ratione propria motus cõtinetur; quia propria ratio eius eſt eſſe viam mobilis ab vno in alium terminum, cuius non ſit expreſſa mentio in eis, vt verba oſtendunt. Ergo ſi motus definitur ſine actione & paſsione, & vtraque ſine motu; cum definitio explicet propriam rationem formalem definiti, propriũmque conceptum ei eſſentialem, ſequitur diſtingui ab eo ratione formali, & motum ſimiliter ab vtraq; quare falſum eſt, quod motus includat eas formaliter, vel ipſæ includant formaliter motũ, vt aſſerit ſecunda opinio. Secundò, quia ſi motus, nec realiter, nec ſecundum rationem formalem diſtinguitur ab actione & paſsione, ſed eas includit, & ab eis includitur formaliter, ſequitur motum eſſe directè, & per ſe in prædicamẽto actionis & paſsionis: imò motum conſtituere prædicamentum per ſe, in quo collocentur, & vtrumque non ſolùm eſt contra Ariſtotelem, & omnes: qui prædicamenta actionis & paſſionis diſtinguũt, ſed in eis motum non collocant, ſed ad poſtprædicamenta reijciunt; ſed contra rationem motus; quæ cum ſit incompleta, tanquam ratio viæ atque tendentiæ, & non rei, non poteſt ad prædicamentum per ſe pertinere. Sed probatur conſequentia, quia ea, quæ ſunt idem realiter, & formaliter ad idem prædicamentum pertinent, & eodem modo, & quæ in ratione formali alicuius includuntur ad prædicamentum eius debent cum eo referri.

Sed explicandum eſt, à quibuſnam accipienda ſit diſtinctio rationis motus ab actione & paſsione, pro cuius explicatione notandum eſt, quòd hæc tria, in tribus conueniant; nam omnia reſpiciunt terminum; omnia ſunt via in terminum; omnia ſunt fieri termini; ſed adhuc in eiſdem tribus oſtenditur diſtinctio eorum; quia diuerſo modo eis conueniunt; nam actio reſpicit terminum, vt via, & fieri, per quam procedit ab agente; quod eſt eum reſpicere ſub ratione formali facti, vel effectus, paſsio reſpicit eum, tanquam via, & fieri eius, vt impreſſi paſſo ab agẽte, & motus tanquam actum potentiæ receptiuæ mobilis, quod in eum tendit ex termino à quo, eſt enim motus formaliter, via inter duos terminos. Diſtinguuntur etiam ratione ex alio; quia actio intrinſecum ordinem dicit ad agentem, & paſſio ad paſſum; motus verò ad nullum ex his, ſed ſolum ad terminum, tanquam ad actum perfectum mobilis; in quem tendit, vt potentia eius perficiatur. Itaque actio reſpicit terminum & principium ſic ordinata, vt terminũ reſpiciat tanquam egredientem, & accipientem eſſe à principio. Paſsio quoque reſpicit vtrumq; ſed alio modo ordinata nempè

nempè terminum, vt aliquid impreſſum paſſo ab agente; motus verò non terminum, vt à principio, nec vt aliquid ab eo impreſſum paſſo; ſed præcisè, vt actus perfectus, in quem tendit mobile, vt potentia eius compleatur. Ex quibus intelligitur quædam differentia valdè notanda inter hæc, quòd motus non poteſt abſtrahi à ratione incompleta; hoc eſt ita actuali, vt ſubiectum ordinet ad vlteriorem actum, quo compleatur eius potentia, ſed neque actio & paſſio aliquid de hac ratione incompleta dicunt; ſed illa egreſſionem formalem effectus ab agente, hæc verò ſolam impreſſionem ab eodem, in quibus complentur rationes formales earum. Et ex hoc intelligitur rationem formalem motus, per quam ab eis diſtinguitur, eſſentialiter eſſe incompletam, & ideò non prædicamentalem; actionem verò, & paſſionem in ſuis rationibus formalibus nihil incompletum dicunt; nam licèt ſint via in terminum, & fieri eius; non tamen ſicut motus, qui eſt via & fieri mobilis ad actū completum, per quem potentia eius compleatur, & ita eſt via, & fieri eſſentialiter incompleta, actio verò via, & fieri in terminum, non tamen alicuius potentiæ paſſiuæ incompletæ, vt per eum tanquam per actum compleatur, ſed tanquam egreſſio eiuſdem termini ab agente, à quo accipit eſſe, & ideò tanquam via, & fieri, quibus mediis ſimpliciter accipit eſſe ab eo, paſſio verò tanquam impreſſio eiuſdem termini ab agente in paſſo, & in his duabus rationibus nihil incompletum dicitur, licèt reſpectu termini aliquid minus perfectum; ſed completum quidem, quantum ſufficit ad conſtituendas rationes prædicamentales; ad quod non pertingit ratio formalis motus eſſentialiter incompleta, & ideò non pertinet per ſe, & formaliter ad prædicamenta actionis & paſſionis, nec ad alia; ſed tanquam modalis reijcitur ad poſtprædicamenta, quæ ſunt quaſi congregationes quædam modorum.

52 Reſtat ſoluere argumenta ſecundæ opinionis, quibus contendebat probare motum non diſtingui vllo modo ab actione, & paſſione. Et ad teſtimonium Ariſtotelis pro actione concedimus definitionem cauſæ efficientis, quæ ſit principium vnde motus; cuius ſenſus eſt, principium eſſe, à quo procedit motus; negamus tamen, quod ratio formalis motus ſit ab eo procedere; ſed materialis prorſus eſt, vt iam vidimus, & in ſua ratione formali non dicit reſpectum ad principium; ſed eſſe viam inter duos terminos. Ad argumentum verò negandum eſt antecedens, quòd mouere ſit formaliter agere, ſed ſolùm includit materialiter agere; nam mouere ſecundum propriam & formalem rationem dicit tranſmutare mobile ab vna forma in

alteram,

alteram, vel ab vno in alterum terminum, quod quidem non fit, niſi media actione, paſsione, & motu; ſed agere formaliter ſolùm dicit eſſe actuale principium egreſsionis effectus, in quo conſtat nihil de mouere, vel tranſmutare aliud dici, ſed ab eis abſtrahit, licèt includatur in eiſdem materialiter. Ad teſtimonium de paſsione, reſpondeo non eſſe neceſſariam identitatem formalem paſsionis cum motu ad efficacitatem Ariſtotilicæ 53 rationis; ſed ſatis eſſe realem, vt euidenter concludatur, quòd ſi ad actionem & paſsionem daretur motus per ſe, etiam daretur realiter ad motum, cum quo identificantur; quod repugnat; quia in infinitum procederetur. Eodem modo reſpondetur ad argumentum conceſſa maiori, quod mutari ſit aliter ſe habere nunc, & priùs, ſed diſtinguendo minorem, quòd paſſum aliter ſe habeat nunc, & priùs, per paſsionem; nàm realiter verùm eſt, ſed formaliter falſum, quod in eo conſiſtat ratio formalis paſsionis, non enim conſiſtit, niſi in impreſsione effectus ab agente, quamuis ratio hæc coniuncta ſit realiter cum mutatione & motu.

CAPVT IIII.

Quo quæritur, an ſit infinitum.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem de natura ſcientia eſt circa magnitudines, & motum, & tempus, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

AB hoc cap. incipit ſecunda pars huius libri, in qua 54 agit Ariſtoteles de infinito; quia finitum & infinitum conueniunt continuis; inter quæ connumeratur motus, & ideò neceſſe fuit de infinito agere, vt meliùs intelligatur natura motus. In hoc autem primo capite, quod in ordine eſt quartum, intendit Ariſt. quæſtionem proponere circa exiſtentiam infiniti in rerum natura, quam in ſequenti cap. ſoluit. Diuiditur autem caput in tres partes, in prima aſſerit, & probat Ariſtoteles quòd ad Philoſophum naturalem pertineat agere de infinito. In ſecunda proponit quæſtionem de infinito, an ſit in rerum natura, eamque dubiam reddit, arguens in fauorem vtriuſque partis, & in tertia enumerat diuerſas acceptiones infiniti.

Probat igitur, quod conſideratio infiniti pertineat ad Philoſophiam naturalem duplici argumēto: primo quia Philoſophus naturalis

naturalis per ſe conſiderat magnitudines, motum, & tempus, cùm ſint accidentia corporis, vt naturale eſt, ſed his accidẽtibus conueniunt finitum, & infinitum; ergo neceſſe eſt rationem infiniti exponat, vt perfectam notitiam eorum tradere poſſit. Secundum argumentũ procedit ab auctoritate Philoſophorum omnium, qui doctrinam Philoſophicam pro eius dignitate tradiderũt, hos enim omnes de infinito egiſſe conſtat, & non quomodocunque, ſed tanquam de eo, quod exiſtimabant pertinere ad ſubſtãtiam rerum naturalium, tanquam earum principium; ergo omnes ſenſerunt Philoſophicam eſſe conſiderationem infiniti. Vt probet minorem repetit opiniones eorum de principiis rerum naturalium, quas tradidit in 1. libro & quas nos non iudicamus neceſſariò repetendas.

55 In ſecunda parte proponit quæſtionem de exiſtentia infiniti in rebus, an detur in rerum natura infinitum, & arguit pro vtraque parte, vt dubiam reddat quæſtionem primò pro affirmatiua, quod detur, quia tempus apud omnes ferè Philoſophos principio, & fine caret; non enim incepit, ſed ſemper fuit, neque finem vnquam habebit; ergo eſt infinitum, quare in ſucceſſiuis ſaltem admittendum erit infinitum, atque etiam in permanentibus; nam mathematici in ſuis diuiſionibus vtuntur infinito, diuidentes quamlibet magnitudinem in alias etiam diuiſibiles in infinitum; ergo in rebus mathematicis permanentibus datur infinitũ. Secundò, quia noſter intellectus dato quocunq; numero poteſt excogitare aliũ maiorem in infinitum, & data qualibet magnitudine aliam maiorem etiam in infinitum; ergo poſſibile ſaltem exiſtimandũ eſt infinitum. Pro negatiua verò parte arguit: quia ſi daretur in rebus infinitum, multa ſequerẽtur inconuenientia c. ſequenti probanda; ergo non datur.

56 In 3. tandem parte enumerat quinque acceptiones infiniti; nam primò accipitur negatiuè pro eo, quòd impertrãſibile eſt; quia magnitudine caret, & ideò dicitur infinitum negatiuè, ſicut vox dicitur indiuiſibilis. Secundò accipitur pro eo, quod magnitudinem habet, ſed impertranſibilem, vt ſi excogitemus ſpatium, ſeu magnitudinem infinitæ extenſionis, impertranſibilis erit, & ideò infinita. Tertiò accipitur pro magnitudine, vel ſpatio, quod difficilè pertranſiri poteſt. Quartò accipitur pro eo, quod licèt ex ſe ſit pertranſibile, propter aliquod tamen impedimentum figuræ, aut diſpoſitionis pertranſiri non poteſt; in qua acceptione profundum pelagus vocamus infinitum, atque etiam altiſſimum montem. Vltima acceptio infiniti eſt, pro eo, cuius quantitas interminabilis eſt appoſitione, aut additione, vel diuiſione, quo pacto motus,

magnitudo,

magnitudo, & tempus vocantur infinita; quia neque vltimam partem habent, neque vltimam diuiſionem habere poſſunt: ſed in infinitum procedit addito eis facta & facienda, ſicut eorum diuiſio.

CAPVT V.

Quo diſputatur, an ſit infinitum.

TEXTVS ARIST.

Separabile igitur eſt à ſenſibilibus infinitum ipſum quid exiſtens infinitum non eſt poſſibile, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

CApite præcedenti propoſuit Ariſtoteles quæſtionem an infinitum detur in rerum natura, quam vt dubiam redderet, probauit pro parte affirmatiua dari infinitum, & etiam pro negatiua cœpit diſputare ad probandum non dari infinitum, propter multa inconuenientia, quæ ſequerentur ex admiſſione eius oſtendenda à ſe in hoc ſequenti capite; in quo promiſit ſe probaturum hanc partem pluribus argumentis. Intentum igitur huius capitis eſt id probare; quod facit duobus modis; nam primò probat aduerſus Platonicos, & Pythagoricos non dari infinitum ſecundum ſubſtantiam ſeparatam à ſenſibilibus; nam hi omnes ex vna parte dicebant dari vnum principium rerum naturalium infinitum ſecundum ſubſtantiam, & non infinitum ſecundum magnitudinem, ex altera verò Platonici ponebant, quod tale principium eſſet magnum, & paruum: Pythagorici verò, quod eſſet numerus par, & ideò aſſerit Ariſtoteles omnes fuiſſe locutos de rebus naturalibus, non naturali modo, quia ſubſtantia ſeparata à magnitudine non eſt naturalis conſiderationis; & etiam duo aſſeruiſſe contraria; quia pro infinito poſuerunt magnum, & paruum, aut numerum parem, quæ non poſſunt eſſe, niſi in magnitudine; ideò eos impugnat, ac ſi dicerent dari infinitum in magnitudine; quia reipſa vera illud in magnitudine ponebant; & primò probat non dari infinitum ſecundum ſubſtantiam, & ita in duas partes diuiditur caput. 57 58

Probat igitur non dari infinitum ſecundum ſubſtantiam ſeparatam

ſeparatam à ſenſibilibus, duobus argumentis. ſecundò; non dari infinitum in eadem ſubſtantia, vt eſt corpus naturale habens magnitudinem, & reliqua accidentia ſenſibilia duobus aliis. Nullum impartibile, ſeu indiuiſibile poteſt eſſe infinitum; cum careat magnitudine, extra quam non dantur finitum, aut infinitum; ſed ſubſtantia ſeparata à ſenſibilibus eſt impartibilis; quia caret extenſione partium; ergo nec finita, nec infinita, eſſe poteſt; quare non dabitur infinitum ſecundum ſubſtantiam ſeparatam à ſenſibilibus, vt ponebant prædicti Philoſophi: Secundò ſicut non eſt ſeparabile infinitum à quantitate, ita neque quantitas ab infinito; quia hoc eſt quaſi proprietas illius, & illa quaſi ſubjectum huius; ergo ſicut non datur quantitas; quæ non ſit finita, vel infinita, ſic non dabitur finitum, aut infinitum extra quantitatem, falſum eſt ergo ponere infinitum in ſubſtantia; vt ſeparata à ſenſibilibus vel à quantitate.

In 2. parte cap. probat duobus aliis, quod non detur infinitum in ſubſtantia, vt eſt corpus naturale. Primum ſic procedit ſi daretur corpus naturale infinitum, aut eſſet ſimplex; qualia ſunt elementa; aut mixtum ex elementis compoſitum (loquitur enim de ſolis corporibus naturalibus, generabilibus, & corruptibilibus) ſed neutrum corpus poteſt eſſe infinitum, ergo impoſsibile eſt dari corpus naturale infinitum. Minorem probat, quia ſi eſſet mixtum, aut componeretur ex elementis infinitis, aut ex ſolis quatuor à nobis cognitis: primum eſt impoſſibile; quia repugnat elementa ſecundum qualitates contrarias, ex quibus componuntur infinitis modis variari: nam cum ſint quatuor, non poſſunt ex eis infinitæ combinationes fieri, quod neceſſarium eſſet, vt darentur infinita elementa; nec minus impoſsibile eſt, ſecundum, quod ex quatuor his elementis componatur mixtum corpus infinitum: nam vel omnia eſſent finita, vel omnia infinita, aut vnum tantùm, vel alterum infinitum, & cætera finita, non omnia finita, quia ex quatuor corporibus finitis non poteſt reſultare, niſi quintum etiam finitum, neque eſſe poſſent omnia infinita; quia omnem locum repleret quodlibet eorum, & ideò nullum relinqueret aliis, nec mixto ex eis compoſito. Nec tandem poſſet eſſe vnum infinitum, & reliqua finita, quia ſua infinita actiuitate illa conſumeret, & ideò non poſſet fieri ex eis compoſitio mixti. Secundò, quia omne corpus naturale habet proprium locum in mundo; ſibi in natura conceſſum, ſed repugnat corpus infinitum habere proprium locum in mundo; ergo repugnat tale corpus in rebus dari. Maiorem probat, quia omne corpus naturale aut eſt graue, aut leue; ſed graue determinat ſibi locum

 deorſum,

deorſum, & leue locum ſurſum; ergo neceſſe eſt omne corpus naturale habere proprium locum naturalem. Minorem quoq; probat, quia ex propria infinitate replebit omnem locum, tam ſurſum, quàm deorſum, nec eſſe poterit dimidium ſurſum, & dimidium deorſum: quia infinitum medietate caret.

CAPVT VI.

Quonammodo ſit infinitum.

TEX. ARISTOTELIS.

Quòd igitur actu non ſit corpus infinitum, manifeſtum eſt ex his, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis in hoc capite eſt ſoluere 60
quæſtionem propoſitam de exiſtentia infiniti in rebus. Diuiditur autem in duas partes. In prima pro eius ſolutione affert quandam diuiſionem infiniti, & quatuor ſubdiuiſiones alterius membri eius. In ſecunda parte ex propoſitis diuiſionibus, quid ſit reſpondẽdum ad quæſtionem propoſitam colligit. Infinitum ait duplex eſſe, vnum actu, aliud potentia. Infinitum actu illud eſt cuius magnitudo, vel multitudo nullis terminis clauditur. Infinitum in potentia, cuius aliquid ſemper eſt actu, finitum quidem, & aliud in potentia, ſed infinitum. Itaque quaſi mixtum eſſe ait Ariſt. infinitum hoc ex actu, & potentia tale eſt continuum, quod aliquid habet actu, ſed id quod poteſt habere, infinitum eſt; quia poteſt diuidi ſine vllo termino, talis etiam numerus; nam quilibet actu exiſtens finitus eſt; ſed poteſt ei additio fieri in infinitum; & ideò à potentia denominatur hoc infinitum tale; & non ab actu; ſed vt ratio huius infiniti in potẽtia melius intelligatur, annotat, quod dum dicitur infinitum in potentia, non debet intelligi potentia eius ſimul reducenda ad actum, ſed ſucceſſiuè; quia ſi ſimul poſſet reduci ad actum, aliquando daretur actu infinitum, & ita debet reduci ad actum, & non ſimul, vt verum ſit, quod aliquid eius ſemper ſit in actu; ſed finitum, & aliud in potentia, & hoc ſemper infinitum; ſi verò potentia ſimul reduci poſſet ad actum; nihil eius reſtaret iam in potentia, & ideò non eſſet infinitum in potentia, ſed infinitum actu. Hoc infi- 61
nitum in potentia ſubdiuiditur primò in permanens, & ſucceſſiuum:

ceſſiuum: Infinitum permanens eſſe ait, quod habet partes permanentes, vt lignum, vel lapis: Succeſſiuum, cuius partes in fluxu, & ſucceſsione conſiſtunt, vt motus & tempus. Secundò, ſubdiuiditur quodlibet horum in duo alia membra; nam tam ſucceſsiuum, quàm permanens; aut continuum eſt, aut diſcretum; continuum eſt motus, vel tempus, diſcretum verò eſt multitudo generationum, quæ in infinitum multiplicantur. Infinitum etiam continuum eſt linea, ſuperficies, vel corpus: diſcretum verò numerus aut multitudo rerum permanentium, quæ etiam poſſunt multiplicari in infinitum.

62 Tertia ſubdiuiſio eſt, infinitum in potentia, aliud eſt infinitum diuiſione, aliud infinitum appoſitione vel additione: Infinitum diuiſione eſt, quodlibet continuum; quod diuidi poteſt abſque vllo termino: Infinitum verò appoſitione vel additione eſt numerus, cui ſemper aliquid apponi, vel addi poteſt, & ex hoc dicitur infinitus, & hoc ait fieri ex illo, & quaſi infinitudinem ab eo accipere; quia quantum à continuo detrahitur per diuerſionem, tantum additur, vel apponitur numero. Sed duobus modis fieri poſſe diuiſionem continui docet. Primò per partes æquales: & tunc non procedet in infinitum, ſed citò finietur cum ipſo continuo, vt ſi lignum diuidas in medietates, vel in palmos aut vlnas, ſtatim conſumetur, ita vt in partes æquales non ſit ampliùs diuiſibilis. Secundò poteſt fieri diuiſio per partes, quarum ſequentes ſint minores præcedentibus ſecundum proportionem, & iſtæ dicuntur partes proportionales, vt ſi diuiſo ligno in duas medietates; quamlibet rurſus diuidas in duas alias medietates, deinde quamlibet harum in duas alias, & ſic ſemper procedas. Infinitum igitur diuiſione, non primo modo, ſed ſecundo intelligitur; quia ſolùm hoc modo infinita pôteſt eſſe diuiſio, non primo, vt per ſe eſt manifeſtum.

63 Ex his diuiſionibus colligit, quid ſit reſpondendum quæſtioni propoſitæ, an detur infinitum in natura rerum; nempè infinitum in potentia dari; non infinitum actu, & hoc modo poſſunt ad concordiam reduci diuerſæ opiniones Philoſophorum, ita vt qui negant infinitum dari, de infinito actu intelligantur; qui verò dari affirmant, de infinito in potentia.

CAPVT VII.

Quidnam ſit infinitum.

TEXT. ARISTOTELIS.

. Accidit autem contra eſſe infinitum quam vt dicunt, non enim cuius eſt nihil extra, ſed cuius ſemper aliquid extra eſt, hoc infinitum, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis in hoc capite eſt tradere 64 definitionem infiniti: diuiditur autem in tres partes, in prima proponit definitionem, quam antiquiores Philoſophi aſſignare conſueuerunt; & eam excludens proponit propriam. In ſecunda parte duas propoſitiones vniuerſales ad melius intelligendum naturam infiniti, & tandem quonam modo ratio infiniti conueniat magnitudini, motui, & tempori explicat.

Antiquiores Philoſophi hoc modo infinitum definiebant, infinitum eſt, *cuius nihil eſt extra*, quaſi dicere vellent omnia, quæ ad rationem propriam pertinent intra ſe claudere, & nihil horum ei deficere, vel ſic omnia intra ſe comprehendere, vt nihil extra ipſum eſſe poſſit. Hanc autem definitionem minùs bonam eſſe docet & probat; quia ſi in primo ſenſu intelligatur, ita vt infinitum ſit, cuius nihil eſt extra ex his, quæ pertinent ad rationem eius, cuilibet toti, aut perfecto conuenit; nam totum eſt, quod includit omnes partes ad ſe pertinentes; ita vt nulla ſit extra ipſum; aut perfectum, quod integrum eſt, ita, vt nihil ei deſit ex his, quæ ad rationem eius pertinent, & ideò, cuius nihil eſt extra ipſum, ſed totum, ſiue perfectum diuerſa ſunt ab infinito; nam infinitum non eſt perfectum; quia perfectum idem ſignificat, quod conſummatum; infinitum verò conſummatum non eſt: cum fine, vel termino careat; ergo diuerſum eſt à toto, vel perfecto, quare ſi bona eſſet definitio eius, non deberet his conuenire, ſi verò in alio ſenſu intelligatur, nempe infinitum eſt, quod omnia includit, ita vt nihil ſit extra ipſum, minus etiam bona eſt definitio, & quæ potius pugnat cum natura infiniti; nam ſi infinitum, quod in rebus datur, permixtum eſt ex actu, & potentia, ita vt aliquid eius ſit actu, ſed finitum, & aliud in potentia ſemper infinitum, ſequitur ſemper aliquid eſſe extra infinitum, nempe illud, quod non includit actu; quæ enim actu non habemus,

ſed

ſed ſolum habere poſſumus, non dicuntur ſimpliciter intra nos eſſe,ſed potiùs extra.

Oppoſito igitur modo definiendũ eſt infinitũ,videlicet,infinitũ eſt, *cuius partibus quibuſcunque acceptis,ſemper reſtãt alia acipiẽda in infinitũ.* Quod eſt ſemper aliquid eius extra ipſum eſſe.

65 In ſecunda parte proponit duas propoſitiones vniuerſales pertinentes ad rationem infiniti : prima eſt hanc eſſe differentiam inter infinitum diuiſione & additione,quòd illud non habet quantitatem determinatam ; ſed quamcunque deſignatam excedere poteſt ; nam diuiſio eius nullis terminis clauditur, & ideò quacunque data dari poteſt maior; continuum verò additione determinatam debet habere magnitudinem; nam ſi additio fiat per diuiſionem continui ; non poteſt magnitudinem actualem eius excedere;ſi verò aliunde;nõ poteſt ita magnum fieri , quin ſub concauo lunæ comprehendatur. Secunda propoſitio , eſt alia differentia inter infinitum magnitudine vel multitudine aut numero;quòd infinitum magnitudine nullum habet terminum verſus minimum ; ſed quæcunque minima pars aſsignata diuiſibilis adhuc eſt in infinitum : numerus verò pro termino habet vnitatem,quam non poteſt excedere; ſed verſus maximum ex oppoſito,cõtinuum habet terminum:cum non poſsit excedere concauum lunæ , ſed numerus nullum habet ; quia datis quibuſcunque vnitatibus aliæ poſſunt excogitari in infinitum.

In vltima parte capitis docet Ariſtoteles rationem infiniti ſic conuenire magnitudini,motui,& tempori,vt primò conueniat magnitudini,quià ratione ſui, motui verò, non niſi ratione magnitudinis , tempus verò infinitudinem etiam habet quodammodo cauſatam à motu, ita enim conuenire debet eis ratio infiniti, ſicut ratio continui, & extenſi , ſed hæc conuenit eodem ordine;ergo etiam illa.

CAPVT VIII.

Quo reſpondetur rationibus infiniti.

TEXT. ARISTOTELIS.

Non remouet autem ratio Mathematicas à contemplatione auferens,ſic eſſe infinitum.

Breuis expoſitio Text.

66 INTENTVM Ariſtotelis in hoc vltimo cap. eſt ſoluere argumenta in 4.cap. propoſita ad probandum dari in rebus infinitum. Diuiditur autem in tres partes

tes. In prima docet ex demonſtrationibus Mathematicorum non poſſe colligi,quòd in rebus detur infinitum. In ſecunda, ad quod genus cauſæ reduci debeat infinitum. Et in tertia reſpondet prædictis argumentis.

Poſſet aliquis dubitare, an Mathematici in ſuis demonſtrationibus præſupponāt infinitas lineas dari poſſe,ex quibus concluſiones figurarum efficiendarum in omni genere linearum demonſtrent,& ideò contra principia harum ſcientiarum eſſe ſententiam Ariſtotelis negantem, quòd poſſit dari infinitum actu in rerum natura. Et reſpondet huic obiectioni falſum eſſe, quod Mathematici præſupponant lineas actu infinitas; ſed neque quòd eis indigeant ad ſuas demonſtrationes, vel figuras efficiendas, de quibus conſtat non poſſe fieri ex lineis actu infinitis in quibus deficient potius proportiones neceſſariæ pro conſtituendis figuris; ſed quod de lineis præſupponunt, eſt, produci poſſe vel extendi, quantùm ſufficit, vt oſtendatur aliquam, ita eſſe maximam; vt ſecundum quamlibet proportionem diuidi poſſit; in quem finem conſtat non eſſe neceſſarium, quòd ſit actu infinita. Et Euclides lib.6. propoſitione 10. præſupponit, quod æqua proportione diuidi poteſt linea parua & magna. Verùm itaque eſt mathematicum maiorem lineam aliquando apud ſe fingere, quam naturaliter dari poſſit; ſed nunquam actu infinitam.

In ſecunda parte docet infinitum reduci ad genus cauſæ 67
materialis. Quod ſic probat, infinitum dicitur tale, ſolùm ratione potentiæ paſſiuæ diuiſionis vel additionis, aut alicuius ſimilis, non ratione actus; ſed potentia paſſiua eſt propria materiæ; ergo infinitum,vt tale ad cauſam materialem reducitur. Sed addit non reduci ad materiam informatam, ſed ſub priuatione exiſtentem, quia materia accipit à forma determinationem: infinitum verò indeterminatum eſt, & potius priuationem actus dicit, quàm actum, licet finitum etiam actum includat;ergo non eſt ſimile materiæ informatæ,ſed potius ſub priuatione exiſtenti.

Ad primum argumentum de ſucceſsiuis, nempè motu, & tempore nunquam incipientibus reſpondet. Admittendo, quòd ſint infinita, non quidem actu; ſed potentia; quia neq; alio modo poſſunt eſſe infinita; nam ratio ſucceſsiui conſiſtit in eo,quòd aliquid ſemper actu habeat, & aliud ſuperuenturum ſemper ei reſtet; non quidem euenturum ſimul, ſed ſucceſsiuè,quod proprium eſt infiniti in potentia; vt oſtendit continui diuiſio, atque etiam additio, per quam infinitum appoſitione fit. Et eodem modo de lineis mathematicis dicendum

cendum eſt, ſolùm præſupponi in eiſdem ſcientiis, quod data
quacunque poſsit dari maior, atque etiam minor per diuiſio-
nem, quod ſolum continet infinitudinem potentialem, non a-
62 ctualem. Ad aliud denique de noſtra cogitatione, quæ poteſt
infinitum actu excogitare, vt aliqui excogitarunt extra cœ-
lum eſſe infinitum ſpatium: Reſpōdet, Stultum eſſe credere in-
telligentiæ, hoc eſt verum ſemper reputare, quod in rebus
exiſtat, quidquid mente vel cogitatione apprehendimus, nec
enim vera debet reputari cognitio, niſi conformis ſit rei ex-
tra exiſtenti. Itaque non rem extra exiſtere ex eo quòd cogi-
tatione apprehenditur, exiſtimandum eſt; ſed potius verā
eſſe cogitationē ex rei, quæ apprehenditur, exiſtētia; quare non
ſequitur, intellectu vel imaginatione apprehendi poteſt infi-
nitum actu; ergo datur, vel dari poteſt.

TRACTATVS II.

De natura & ratione infiniti.

QVÆSTIO I.

An detur in rebus naturalibus infinitum, vel ſaltem per vires naturæ dari poſſit.

69 AD duo reduci poſſunt omnia, quæ de infinito tractari poſſunt circa hæc quinque expoſita capita, nempè ad exiſtētiam eius actualem, vel poſſibilem in natura rerum, & ad cognitionem eiuſdem, quæ eſt quaſi exiſtētia in intellectu. Et primò agendum eſt de exiſtentia eius in rebus: deinde de exiſtentia in cognitione, ſaltem diuina, & ideò primò quærimus, an datur actu infinitum in rebus naturalibus, vel ſaltem dari poſsit per virtutem cauſarum naturalium. Infinitum duplex eſt, vt Ariſtoteles docuit cap. 7. actu, vel potentia, & infinitum actu vocari ſolet infinitum categorematicè: infinitum in potentia vocatur etiam, infinitum ſincategorematicè, ea fortè ratione, quia illud ſignificatur tale ſecundum actum completum, hoc verò tanquam ſemper exiſtens in actu incompleto. Infinitum categorematicè eſt, quod in ſua ratione actuali, nullis terminis clauditur; infinitum in potentia; cuius actus determinatus ſemper eſt; ſed potentia ſemper caret terminis, quod ſic definiuit Ariſtoteles: *Infinitum eſt cuius partibus quibuſcunq; acceptis alia reſtant accipiēda in infinitum.* Rurſus diuidi poteſt infinitum actu, in infinitum ſecundum eſſentiam, & ſecundum intenſionem vel extenſionem: infinitum ſecundum eſſentiam erit illud; cuius perfectio eſſentialis terminis

caret; infinitum ſecundum intenſionem; quod habet infinitos gradus perfectionis æquales circa eãdem partem ſubiecti, & talis eſſet calor infinitæ intenſionis. Infinitum ſecundum extenſionem eſt illud quod habet magnitudinem vel quantitatem infinitè extenſam, & tale eſſet infinitum corpus. Sed adhuc infinitum extenſionis diuiditur in ſucceſſiuum, & permanens: ſucceſſiuum eſt motus vel tempus; ſi daretur ſine terminis: Permanens verò magnitudo vel numerus corporum actu infinitus.

Et vt certa ſeparemus à dubiis, de infinito in potentia certum eſt dari in natura rerũ; cum dentur corpora, quæ ratione ſuæ quantitatis poſſunt diuidi in infinitum, & ex eorũ diuiſionibus poſſit conſequenter fieri infinitũ additione, vel appoſitione. De infinito verò actu ſecundũ eſſentiam euidens eſt etiã dari in rebus: cum de primò agente, quod eſt Deus, cognoùerit Ariſtot. eſſe infinitum ſecundum virtutem, vel potentiam; & ex conſequenti ſecundum eſſentiam, à qua emanant potentia, & virtus. De infinito verò actu ſecũdum intenſionem vel extenſionem ſuccesſiuam, an detur in rebus vel dari poſſit, non diſputamus modò, quia ad octauũ lib. pertinet hæc diſputatio, vbi Ariſtot. agit de initio rerum ſecundum durationem & motum, ſolùm ergo procedit quæſtio præſens de infinito actu ſecundum intenſionem, vel extenſionem permanentem, continuam; vel diſcretam, de quo inquirimus, an detur in natura rerum, vel dari poſsit per virtutem naturalium cauſarum. 70

Et fuit prima opinio antiquiorum Philoſophorum, cum quibus in his capitibus diſputat Ariſtoteles aſſerentium non ſolùm eſſe poſsibile per virtutem naturalium cauſarum; ſed dari in natura rerum. Ita Anaximander, Anaxagoras, Xenophães, Colophonius, Seleucus, & alij, quos citauit Ariſt. in hoc 3. lib. atque etiam in primo, agens de principiis rerum naturalium. Et probari poteſt his argumentis: primò quodlibet continuum habet infinitas partes proportionales actu, & realiter diſtinctas; quæ fundant ſingulas relationes ad totum, atque inter ſe ſe; ergo datur actu infinitum diſcretione, vel numero: & idem continuum eſt diuiſibile in eaſdem partes; ergo habet potentiam naturalem ad infinitas diuiſiones; ſed omnis potentia poteſt reduci ad actum, alioqui fruſtra erit; cum ponatur propter actum; ſi eum habere non poteſt; vnde ſequitur ex tali diuiſione poſſe infinitum actu fieri naturaliter. Quòd præſertim neceſſarium eſt: cum finitum, & infinitum ſint propriæ paſsiones quantitatis, & ideò ſicut ratio finiti actu ei conuenit, ita etiam ratio infiniti. Secundò, Deus vt 71

agens

agens naturale habet potentiam infinitam, quam mediis cauſis naturalibus poteſt reducere ad actum; ergo illis mediis poterit infinitas rerum ſpecies, & indiuidua producere, & ita dari ſaltem poterit actu infinitum, virtute naturalium cauſarum. Quod probatur 3. exemplo alicuius luminoſi circa corpus opacum ſibi è regione poſitum lucem effundentis: tunc enim neceſſe erit in prima parte temporis illuminationem menſurantis aliquem gradum luminis circa ipſum producere; & in quocunque inſtanti: verum quoque erit aliquid luminis eſſe productum: & rurſus, quo propinquius tale corpus ad luminoſum accedat, magis intendetur lumen; quia agens naturale fortiùs agit in proximum, quàm in remotum, ſi ergo continuetur talis illuminatio per horam, in qua moueatur idē corpus, verſus luminoſum, neceſſe erit in quolibet inſtanti horæ perfectiùs eſſe illuminatum; ſed inſtantia horæ ſunt actu infinita; ergo producetur in eis lumen actu infinitum per infinitos gradus intenſionis.

72 * Sententia Ariſtotelis oppoſita eſt, quod infinitum actu ſecundum intenſionem, vel extenſionem permanentem, nec detur in natura rerum, nec dari poſſit per virtutem naturalium cauſarum, quam ſequuntur omnes eius interpretes in his capitibus: & ſcholaſtici omnes antiquiores in 1. d. 34. Moderni verò cum D. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. & 4. & quantum ad infinitū actu conſentanea eſt fidei noſtræ, nam Sapiētiæ 11. dicitur de diuina ſapientia per quam res omnes fiunt, & factę ſunt, quòd omnia in numero, pondere, & menſura fecerit, quaſi dicatur omnia ſecundùm has rationes actu finita, & nihil infinitum. Probatur duplici ratione, prima, quia omne corpus naturale habet intrinſecum principium motus, vt colligitur euidenter ex definitione naturæ, ergo poteſt moueri motu recto, vel circulari, ſed corpus actu infinitum non poſſet vllo ex his motibus
73 moueri, ergo nec datur, nec dari poteſt naturaliter. Probatur minor de motu recto, quo ſi moueatur corpus, neceſſe eſt vnum deſerat locum, & in alterum ſe transferat, ſed corpus infinitum nec poſſet proprium locum deſerere, ergo nec poſſet moueri motu recto. Probo minorem, quia vt corpus deſerat locum per motum, neceſſe eſt paulatim ab eo egrediatur, alioqui ſi ab eo non egreditur, non habebit exitum, vel finem motus eius, neque vllum conſequetur terminum, ſed corpus infinitum non poteſt totaliter à loco egredi: cum ſit infinitus, & ideò fine careat ſicut corpus ipſum, ergo repugnat corpus infinitum moueri motu recto. Sed probatur de circulari, nam ſi cogitemus infinitum corpus diuiſibile in duas medietates, &

lineam duci à centro eius,vſque ad vtramque circunferentiæ medietatem extenſam, intelligemus non poſſe moueri; quia vt in eodem loco voluatur, neceſſe eſt vnam ex prædictis lineis ad locum alterius peruenire,vt per ſe eſt manifeſtum:ſed hoc repugnat;quia infinita diſtantia,eſt inter vtramque; ergo non eſt pertranſibilis per motum;quare nec talis motus circularis erit poſſibilis,nec corpus naturale infinitum.

Secundò probatur de infinito ſecundum numerum, quia ſi infinita darentur corpora, non poſſent eſſe naturaliter in eodem loco: cum penetratio ſit naturaliter impoſſibilis; ergo quodlibet poſtularet locum diſtinctum ab alio; & ideò omnia locum infinitum,quod patet non dari intra cœli ambitum;nec extra cœlum poſſe fieri naturaliter talia corpora; quia ibi nihil eſt, & ex nihilo nihil poſſunt naturales cauſæ ſua virtute producere. Probatur tandem de infinito ſecundum intenſionẽ; quia qualitates,quibus intenſio conuenire poteſt, ſunt naturales virtutes,atque diſpoſitiones corporis, ſed repugnat dari corpus infinitum ſecundum eſſentiam; ergo repugnabit etiam dari infinitum ſecundum virtutem, quod eſt non poſſe dari virtutem, vel formam infinitam ſecundum intenſionem.

Ad primum argumentum concedimus maiorem, quòd in continuo dentur partes proportionales actu infinitæ; atque etiam infinitæ relationes earum;ſed negamus, quòd ex eis fiat magnitudo actu infinita; quia partes proportionales non efficiunt maius continuũ:cum vna nõ ſit extra aliam;ſed in eadem includantur plures atque infinitæ: componunt igitur magnitudinem actu finitam,nec efficiunt numerũ, vel multitudinẽ: quia non ſunt realiter diſcretæ,aut ſeparatæ; licet ſint realiter diſtinctæ;numerus enim,vel multitudo dicit actualem diſcretionem, & ſeparationem; ſolùm ergo efficiunt numerum vel multitudinem per intellectum eas ſeparantem; non eſt autem inconueniens dari infinitum rerum incompletarum efficientium rem completam actu finitam:neque hoc infinitum intendit negare Ariſtoteles:ſed ſolùm infinitũ rerum ſeparatarum, atque completarum in genere diſcreto. De relationibus verò partium negat eſſe reales Capr.in 1.d.30.q.vnica art.1. ſed rationis eſſe docet,quem ſequuntur Conimb.hoc loco:quia non ſunt inter entia actu plura, id eſt ſeparata inter ſe, & ab aliis. Hæc tamen ſolutio non placet; quia partes continui non fundant relationem,in quantùm ſeparatæ; ſed in quantum realiter diſtinctæ;cum ſint, totum quoque reale componunt,à quo realiter etiam diſtinguitur quælibet; ergo reali relatione inter ſeſe,& ad totum referuntur, & non rationis. Quod etiam 74

probant

probant materia,& forma actu componentes totum, & non ſeparatæ inter ſe,nec à toto,& fundantes nihilominus relationes reales. Ita ergo concedendum eſt de partibus,& indiuiſibilibus continui infinitas habere relationes; ſed incompletas, quemadmodum natura eorum incompleta eſt;quare ſicut non reputatur inconueniens dari infinitas partes,& puncta;quia incompleta ſunt, ita nec reputandum eſt conueniens dari relationes incompletas actu infinitas; & in eodem continuo finito clauſas, ex eiſdem partibus, & punctis infinitis compoſito. Quod verò dicitur in eodem argumēto de potentia continui ad diuiſionem infinitam,concedimus eam habere, non ſimul reducendam ad actū, ſed ſucceſſiuè,vt c.7. docuit Ariſt.& nos explicuimus textum elucidantes; quare ex tali potentia non ſequitur, quod poſſit dari actu infinitam. Quod tandem dicitur in eodem argumento,de finito,& infinito, quæ ſunt paſſiones quantitatis etiam eſt concedendum, ſed hoc modo explicandum,vt de infinito actu,vel potentia intelligatur, & licèt illud non detur,nec fortè dari poſſit; hoc verò in rebus datur,& ita naturaliter conuenit quantitati vtrumque.

75 Ad ſecundum concedenda eſt prima pars antecedentis,quòd Deus, vt primum agens habeat potentiam infinitam; ſed neganda eſt alia, quòd eam poſſit totaliter reducere ad actum per cauſas naturales; nam cum iſtæ ſint limitatæ ſecundum materiam; ſecundum locum,& alias circunſtantias, nec poteſt infinita virtus primi agentis; ſeruata earum conditione naturali, niſi finito modo ſecundum perfectionem, & numerum rerum per eas operari: quare non poteſt infinitum naturaliter produci. An verò poſsit per potentiam ſupernaturalem eiuſdem primi agentis,dicetur quæſtione ſequenti. Ad vltimum de luminoſo concedendum eſt poſſe illuminare opacum corpus per totam horam,atq;etiam, quòd in quolibet inſtanti horæ deſignato verū ſit intenſius lumen eſſe productum, ſed negandum, quòd ad infinitam actu intenſionem perueniat per totam horam; licèt inſtantia ſint actu infinita,quia non ſequitur vnum poſt aliud, ſed pars temporis ſequitur poſt inſtans, & in illa parte horæ aliquid intenſionis acquiritur ſucceſsiuè; ita quidem, vt non intendatur lumen per partes æquales, ſed proportionales ſecundum proportionem ad motum, & tempus; vnde ſicut pars proportionalis motus, & horæ actu finita eſt; licèt habeat partes proportionales actu infinitas, ita pars æqualis intenſionis luminis, per quam lumen productum fit maius ſimpliciter ſecundum intenſionem, finita eſt; licèt habeat infinitas partes proportionales terminatas infinitis inſtanti

ſtantibus, in quibus verum eſt aliquid luminis eſſe productum ſecundum proportionem; in vltimo inſtanti horæ totum lumen productum finitum erit ſimpliciter, ſed habens infinitas partes proportionales; quæ ſufficiunt ad verificandum quòd in quocunque inſtanti aliquid proportionale luminis productum ſit, nunquam tamen ſequitur produci, vel productum eſſe actu infinitum.

QVÆSTIO II.

An aliquid actu infinitum cognoſcatur à Deo extra ſe.

QVæſtio hæc præſupponitur ſequenti, de poſſibilitate infiniti per potentiam abſolutam Dei: quia cum Deus operetur omnia per intellectum, ſecundũ modum cognitionis eius, eſt modus potẽtiæ, aut virtutis productiuæ, & ideò prius agere oportet de modo, quo Deus ſe habet in cognitione infiniti, vt ex hoc intelligamus, an poſſit illud producere extra cauſas. Sed cognitio Dei duplex eſt noſtro modo intelligẽdi diſtincta. Prima appellatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quæ verſatur circa res poſſibiles & nunquam faciẽdas. Secunda; ſcientia viſionis, per quam cognoſcit Deus quæcunque ab eo facienda ſunt per ſe, & mediis creaturis in aliqua differentia temporis, & de vtraque ſciẽtia intelligitur quæſt. cuius ſenſus erit, an Deus cognoſcat per primam ſcientiam infinita actu poſſe à ſe fieri, vel ſolùm infinita in potentia; hoc eſt, non tot poſſe facere, quin plura poſſit, ſed nunquam actu infinita, hoc enim vocatur infinitum ſincategorematicè. De ſcientia etiam viſionis, an Deus cognoſcat infinita actu futura eſſe in aliqua differentia temporis; vel per totam ſuam æternitatem; vel ſolùm tot eſſe futura, vt plura etiam futura ſint in infinitum; ſed finita ſemper omnia, quæ futura ſint actu. 76

Sed adhuc diſtingui debet in Deo duplex alia cognitio, ſpeculatiua, & practica, hæc ordinatur ad opus, & propterea quaſi factiua vocatur; illa nihil de opere faciẽdo dicit, ſed ſolùm ſpeculatur res. Vnde ſequitur, quòd hæc non verſetur circa impoſſibilia; per illam verò etiam impoſſibilia cognoſcat Deus, vt chimæram, aut hircoceruum, cætera, quæ nos fabricamur. Si ergo poſſibile ſit infinitum, Deus illud cognoſcet ſcientia intelligẽtiæ practica (eo modo, quo ſcientia poſſibilium practica poteſt vocari) ſi verò ſit impoſſibile; non niſi ſcientia ſpeculatiua per negationem, ſicut cognoſcit cætera impoſsibilia. Deinde præſupponenda eſt diuiſio infiniti, in infinitum actu, & potentia: nam quæſtio de illo ſolo intelligitur,

ligitur, non de hoc; cum conſtet Deum cognoſcere continuum, quod eſt infinitum in potentia.

Circa cognitionem verò infiniti actu eſt prima opinio Dur. in 1.d.39. q. 2. & Almaini in 3. 14. q. 1. quos nonnulli ex Modernis ſequuntur, negans omninò Deum extra ſe cognoſcere actu infinita, ſed finitum actu eſſe aſſerit, quidquid cognoſcit poſſibile, vel futurum, infinitum tamen in potentia, quia non poſſunt tot deſignari à Deo cognita; quin plura ſint ea, quæ cognoſcit in infinitum; ſemper tamen actu finita, quam ſententiam videtur tenuiſſe D.Tho. 1. lib. contra gent. cap. 69. & 3.p. 10. art. 3. Probatur primò; quia non alio modo cognoſcit Deus, ea quæ facturus eſt; quàm facienda ſunt extra cauſas, ſed ea, quæ facturus eſt nunquam ſunt actu infinita in aliqua differentia temporis; ſed finita ſemper, quamuis ſemper etiam ſunt alia futura, vt patet de cogitationibus, quæ in infinitum multiplicabuntur, ſucceſſiuè tamen, ita vt, quæ actu ſint, ſemper ſint
77 finita, quæ verò futuræ, infinitæ, quòd eſt eſſe infinitas ſolùm in potentiam; nihil ergo datur actu infinitum, quod à Deo vt tale cognoſcatur; ſed ſolùm in potentia; neque id eſt neceſſarium ad oſtendendam infinitam potentiam eius; ſed ſatis euidenter oſtenditur ex eo, quòd quibuſcunque datis, alia, & alia poteſt facere in infinitum. Secundò, quia non alia ratione cognoſcit Deus omnes cogitationes futuras; quàm cognoſcit diuiſiones continui futuras in infinitum, vel circulationes cœli, ſi motus eius ſemper eſſet duraturus, ſed nunquam cognoſcit Deus diuiſiones continui actu infinitas, alioqui cognoſceret continuum diuiſum in omnem partem: ſed ſemper ſunt finitæ, quas actu cognoſcit, & ſemper reſtant aliæ faciendæ in infinitum; ergo eodem modo cognoſcit cogitationes actu finitas, ſed infinitas in potentia ſucceſſiuè, & non ſimul reducendas ad actum, quod eſt infinitum in potentia cognoſcere, & non infinitum actu. Et idem dicendum eſt de cogitatione poſsibilium, per quam infinita ſolùm à ſe factibilia cognoſcit, non quidem ſimul factibilia, ſed ſucceſsiuè, & ideò nunquam infinita actu, ſed ſolùm potentia.

78 Secunda opinio affirmat Deum cognoſcere actu infinita, non quidem ſimul exiſtentia à parte rei; ſed ſucceſsiuè, ſimul tamen exiſtentia obiectiuè in intellectu diuino, vel (vt aiunt) in eſſe cognito, quod ſufficit, vt ſimpliciter dicendum ſit cognoſci à Deo infinitum actu; non ſolùm ſcientia ſpeculatiua per negationem; ſed etiam ſcientia practica poſitiuè, atque etiam ſcientia ſpeculatiua, tanquam obiectum per ſe, & poſitiuè à ſe cognitum. Ita D.Tho. expreſsè 1. lib. contra gent. cap. 69. 1. p. q. 14. art.

14.art.12.& 13. D. Bona.in 1.d.39.artic.1.qu.3. Rich. ibidem. Vvaldenſ.tom.1. de Sacramentis lib.1.artic.1.cap. 14. Caie. & Ferra. in eiſdem locis D. Thom. *& eſt iam ferè communis inter Modernos, & videtur nobis probabilior.* Probatur primò ex infinita perfectione diuinæ cognitionis, cui omnia futura in quacunque differentia temporis præſentia ſunt in eſſe obiectiuo, & cognito, ſiue ſucceſſiuè ſint futura, ſiue permanēter, vnde ſequitur, diuinæ cognitioni præſentes eſſe omnes cogitationes hominum, & Angelorum futuras per totam æternitatem; ita vt nulla ſit futura, quæ non ſit ei præſens; ſed præſentia, vt præ- 79
ſentia, ſunt actu, ſecundum illud eſſe quo præſentia ſunt; & non in potentia; licèt in modo eſſendi extra cauſas in determinata differentia temporis, non dicantur eſſe actu; quia ſecundum hoc eſſe non ſunt omnia præſentia: ergo ſicut non ſunt actu infinita ſecundum modum eſſendi extra cauſas; quia non ſunt omnia ſimul præſentia. Ita non poſſunt eſſe in potentia ſecundum modum eſſendi obiectiuum, quod habent in diuina cognitione. Probatur conſequentia; quia præſens, vt præſens repugnat eſſe in potentia; ſed neceſſariò in actu; quia ratio præſentiæ tribuit ei eſſe actuale ſub tali modo; vnde cum infinitæ ſint ſimul præſentes in diuina cognitione, infinitæ actu erunt cognitæ, & non in potentia. Secundò probatur non minus efficaciter ex diuinis Ideis; nam Deus habet apud ſe diſtinctas Ideas omnium rerum ſpecie diſtinctarum, quas poteſt facere; ergo omnes iſtæ Ideæ continentur actu in eſſentia diuina, & nulla in potentia; neceſſe eſt ergo has Ideas eſſe actu finitas, vel actu infinitas: cum non habeat in eis locum infinitum in potentia: & ſi dixeris eſſe actu finitas, ſequitur dari vltimam, vltra quam non ſit alia: ergo dabitur etiam vltima res, vltra quam Deus non poſſit efficere aliam; quia nihil facere poteſt, niſi per Ideam: conſequens autem nullus admittit, ſed neque admitti poteſt; quia ad infinitā potentiam eius pertinet vt quibuſcunque factis poſſit plura in infinitum facere; ergo neceſſariò concedendū eſt diuinas Ideas eſſe actu infinitas, & ex conſequenti Deum cognoſcere actu infinitum. Teſtimonia autem D. Tho. de infinitis à Deo cognitis, non vt ſunt obiectiuè præſentia in diuina cognitionē, ſed vt ſunt futura in propriis differentiis temporum, intelligenda ſunt; quòd ſi aliquod verbum non poſſet hoc modo intelligi per alia teſtimonia à nobis citata magis clara & expreſſa corrigi debet.

Ad vtrumque argumentum Duran. diſtinguendum eſt, quod 80
in maiori vel minori aſſumitur de cogitationibus futuris; nam ſi ſumantur ſecundum modum eſſendi, quem habituræ ſunt in propriis

propriis differentiis temporum, verum eſt; quòd ſolùm ſint infinitæ in potentia; quia non ſunt omnes ſimul futuræ, ſed ſucceſsiuè; ſi verò ſumantur ſecundum modum obiectiuæ præſentiæ, quem habent in diuina cognitione, omnes ſunt præſentes, & nulla datur ibi futura; quare omnes ſunt actu & nulla in potentia, & cum ſint infinitæ, ſunt etiam actu, & categorematicè infinitæ, & non in potentia. Hæc tamen eſt differentia valdè notanda inter cogitationes futuras ex vna parte, & diuiſiones continui ex altera, quòd omnes, & ſingulæ cogitationes collectiuè atque diuiſiuè ſumptæ ſunt futuræ per totam æternitatē, ita vt in tota æternitate habituræ ſint eſſe extra cauſas: ſed diuiſiones continui, etiam ſi à Deo fiant, non erunt omnes faciendæ; imò neque omnes futuræ per totam æternitatem collectiuè, ita vt omnes habituræ ſint eſſe extra cauſas per totam æternitatem; ſed ſolùm ſunt omnes poſſibiles, & omnes eſſent futuræ, ſi à Deo fierent diuiſiuè. Et ratio huius eſt natura eiuſdem continui, quòd cum non componatur ex indiuiſibilibus; ſed ex ſemper diuiſibilibus, implicat contradictionem eſſe diuiſum in omnem partem; nec in determinata differentia
81 temporis, nec per totam æternitatem, & ideò non ſunt poſſibiles omnes diuiſiones eius collectiuè acceptæ; ſed diuiſiuè tantùm, ita vt de ſingulis, & omnibus diſtributiuè verum ſit eſſe poſſibiles, non de omnibus collectiuè. Vnde ſequitur, nec verum eſſe, quòd omnes diuiſiones collectiuè ſumptæ ſint præſentes diuinæ cognitioni, imò nec verum eſſe, quòd hoc modo ſumptæ cognoſcantur; quia cognoſcibiles non ſunt, ſicut non ſunt factibiles; ſed ſolùm cognoſcũtur omnes diuiſiuè, vt poſſibiles, atque etiam, vt faciendæ, & vt futuræ per totam æternitatem, ſi à Deo diuideretur continuum. Cogitationes verò cum ſint inter ſeſe diſtinctæ, & nulla dependeat ex altera non ſolùm diuiſiuè, ſed etiam collectiuè ſumptæ, futuræ ſunt per totam æternitatem; ex quo non ſequitur aliquando verũ eſſe, quòd fuerint omnes; quia nec tempus, ſi eſſet æternum, haberet vltimum diem, vel vltimum inſtans, nec etiam æternitas habet finem; ſed comparatæ omnes cum toto tempore, vel cum æternitate verè futuræ ſunt in ea.

QVÆSTIO III.

An infinitum in actu in aliquo genere rerum ſit factibile per potentiam Dei abſolutam.

82 Dvplex potentia in Deo diſtinguitur noſtro modo intelligendi, ordinata, vel ordinaria, & abſoluta. Et illa

vocatur

vocatur ordinata; quia ordinatur cum diuina ſapientia, & prouidentia; ita vt tantùm, & non plus poſsit ſe extendere, quantum ſe extendit ordo à diuina ſapientia conſtitutus in rebus, & eadẽ ferè ratione vocatur ordinaria; quia ea vtitur Deus agens ſecundum communem ordinem in rebus à ſe conſtitutum. Abſoluta verò vocatur diuina potentia, ſecundum ſe conſiderata, hoc eſt, abſtracta à quocunque ordine diuinæ ſapientiæ; & ſolùm conſiderata ex ordine ad proprium obiectum: & ſecundum potentiam ordinariam ea ſolùm fieri poſſe à Deo dicimus, quæ ordinata ſunt ab eius ſapientia, & prouidentia; ſed ſecundum potentiam abſolutam quidquid non implicat contradictionem. Et cum de hac ſola potentia procedat quæſtio; nam de alia proceſsit prima: Senſus eius eſt, an implicet contradictionem fieri infinitum in aliquo genere rerum, hoc eſt in genere rerum corporearum, vel ſpiritualium, in genere continui, vel diſcreti: ſi enim contradictionem inuoluat dari aliquod infinitum, negandum erit, quòd ſit à Deo factibile, etiam per potentiam abſolutam. Si verò non implicare contradictionem inueniatur, dicendum erit per talem potentiam fieri à Deo poſſe.

Et prima opinio tenet poſsibile eſſe omne genus infiniti, vel ſaltem vnum aut alterum. Ita Ocham, in 2. d. 13. quæſt. vnica, & ibidem Almain. Gregor. in 1. d. 43. qu. 4. Petrus Aliacen. d. 42. q. 13. artic. 3. pro qua etiam citat D. Thom. Alg. & Auic. 1. p. q. 7. artic. 4. Pererius lib. 15. cap. vlt. & ex Modernis nonnulli. Probatur primò, quia quidquid Deus cognoſcit extra ſe, præſertim per ſcientiam practicam poteſt extra ſe producere: cum ſcientia practica ſit factiua rerum, quas cognoſcit: ſed Deus cognoſcit actu infinitum per ſcientiam practicam & ſpeculatiuam: cum cognoſcat cogitationes hominum & Angelorum in infinitum multiplicandas per totam æternitatem; & ſibi repræſentatas ſimul in obiecto ſuæ cognitionis; ergo poterit infinitum actu producere; vel nullius virtutis erit illud cognoſcere. Quod præſertim verum eſt; quia ſi aliquod inconueniens ſequi dicatur ex eo, quòd producatur infinitum, idem ſequetur ex cognitione eius, ſed nullum ex hac ſequitur; cum probatum ſit dari; ergo nec ſequetur ex productione infiniti, niſi ſecundum apparentiam. Secundò quia probabile eſt potuiſſe Deum mundum ab æterno producere, quem produxit in tempore; ſed hoc admiſſo ſequitur euidenter dari poſſe infinitum; ergo poſsibile reputandum eſt. Probatur minor; quia ſi tempus eſſet ab æterno, negari non poteſt, quòd in ſingulis diebus potuerit Deus vnam animam vel vnum Angelum creare: quòd ſi factum fuiſſet, iam daretur infinitus numerus animarum vel 83

rum vel Angelorum, & dari poſſet infinita multitudo corpo-
84 rum, ſi in ſingulis diebus efficeretur vnum. Sed probatur hoc idem in tempore finito vnius horæ; quia in ſingulis inſtantibus eius poteſt Deus ſingula corpora, ſingulas animas aut Angelos efficere; & inſtantia horæ ſunt actu infinita; ergo finita hora dabuntur corpora actu infinita vel infinitæ animæ; aut Angeli, quare poſſibile eſt dari actu infinitum. Tertiò, quia potentia Dei eſt actu infinita; ergo poteſt ei correſpondere effectus adæquatus;qui etiam erit actu infinitus, alioqui nec infinita erit potentia, ſi finitum tantùm effectum producere poteſt. Quod hoc modo declarari poteſt, ſi Deus non ageret liberè,ſed ex neceſſitate naturæ, ſicut ignis, vel aqua; ageret in quantum poſſet,& produceret, quidquid poſſet, vel ergo produceret effectum actu finitum, & tunc limitata eſſet eius potentia, vel actu infinitum; quia non haberet locum infinitum in potentia; cum totum eſſet actu productum; ergo poſſibile cenſeretur infinitum; ſed quidquid poſſet tunc Deus naturaliter producere,poteſt modo liberè;cum non ſit minus infinita eius potentia; & liberum ei ſit eam totaliter applicare ad operandum;ergo nunc,etiam poſſibile reputandum eſt infinitum.

85 *Secunda* opinio negat omninò poſſibile eſſe infinitum actu in aliquo genere rerum.Ita D.Thom. quodlib. 9.artic. 1. & 1. p.q.7.artic.3.& 4.D.Bona.in 1.d.43.q.3.Rich.ibidem q.5.& 6. Durand.q.2.Scotus in 2.d.1.q.3.Marſ.in 1.d.42. Caiet.1.p.q.7. articulo 3. & 4. Sotus, Toletus, & Conimbricenſ. hoc loco:& omnes ferè moderni à quibus plura adducuntur argumenta ad id probandum, ſed, quæ facilè ſolui poſſunt, quæ propterea omitto,& vno, vel altero argumento efficaciori contendā eam probare;quia magis placet, quàm prima. Probatur ergo, quod repugnet dari infinitum corpus præſuppoſito illo principio mathematicorum; lineæ ductæ ab eodem puncto, quo magis protrahuntur verſus diuerſam partem, eò plus diſtant inter ſe, quo ſuppoſito,ſi daretur infinitum corpus, & protraherentur ab eodem puncto eius duæ lineæ verſus diuerſam partem, quo magis protraherentur, magis diſtarent inter ſe;ergo ſi protraherentur in infinitum, in infinitum diſtarent, & tota illa diſtantia clauderetur duobus extremis, nempè eiſdem lineis, vltra quas certum eſt non ſe extendere; ergo daretur infinita diſtantia clauſa duobus extremis, quod patet contradictionem implicare. Et ſi rurſus addatur, quod inter duas illas lineas fieret alia tranſuerſalis, vel aliud tranſuerſale corpus,quod vtramq; attingeret, haberet infinitam longitudinem terminatam duabus illis lineis, vltra quas non ſe extenderet,

 quod

quod eſſet dari infinitam longitudinem duobus extremis terminatam, & hoc etiam patet eſſe impoſſibile. Secũdò repugnat dari corpus quantũ ſine figura; quia figura non videtur res diſtincta à quãtitate eius,ſed ſi daretur corpus actu infinitũ,nullam poſſet habere figurã; ergo impoſsibile reputandũ eſt. Probatur minor, quia figura reſultat ex terminis vel extremis quantitatis; ſed corpus infinitũ careret terminis,vel extremis; ergo nec figuram habere poſſet. Et eiſdem argumentis probatur, quod non ſit poſsibilis multitudo infinita corporum; quia, ſi efficerentur corpora infinita ſeparata, poſſent eadem ratione fieri coniuncta,& ita fieret infinitum corpus.

Probatur 2. de infinito rerum ſpiritualium,quæ in duplici 87
differentia ſunt,nempe incompletæ,vt animæ,vel completæ, vt angeli, ſed repugnat fieri infinitas animas, & infinitos angelos;ergo impoſſibile erit infinitum in rebus ſpiritualibus. Probatur minor de animabus;quia anima dicit eſſentialem ordinem ad corpus; ergo diſtinctæ animæ dicunt ordinem ad diſtincta corpora, & animæ actu infinitæ ordinem ad infinita corpora; ſed implicat contradictionem fieri corpora actu infinita;ergo repugnabit etiam fieri animas actu infinitas. Probatur 2.de angelis,ratione D. Thom. 1. p. q. 7. art. 4. hoc modo procedente: Id quod creatur, ſub certa ac determinata intentione creantis cadere debet;nam Deus,qui operatur per intellectum, & voluntatem, aliquid determinatum intendere debet in ſua operatione; ergo quidquid creatur,determinatum atque finitum eſſe debet, alioqui non erit producibile à Deo, quare infinita multitudo angelorum non erit à Deo producibilis. Et ſi dixeris talem multitudinem infinitam eſſe vnum aliquem effectum determinatum, ſicut eſſet determinatus effectus corpus infinitum;ergo non probatur impoſsibilis.Contra hoc eſt, talem multitudinem ſub ratione multitudinis non eſſe determinatã;quia determinatio multitudinis ex his vnitatibus,quibus conſtat,deſumitur:ſed vnitates iſtæ non ſunt determinatæ in ratione multitudinis: cum termino careant; ergo nec poſſunt in ratione multitudinis habere determinationem, nec proinde produci[illegible] creationem.

Probatur tandem de infinito ſecundum intenſionem, quod 88
patet in ſolis qualitatibus reperiri, ſed implicat contradictionem dari qualitatem actu infinitam ſecundum intenſionem;ergo infinitum ſecundum intenſionem repugnat. Probatur minor in qualitatibus naturalibus, deinde in ſupernaturalibus; nam ſi daretur virtus motiua, vt grauitas actu infinita poſſet efficere motum in inſtanti,ſed motum localem in inſtanti fieri

repug

repugnat; ergo etiam repugnabit talis qualitas infinitæ intenſionis. Probatur maior; quia quò maior eſt grauitas, eò velociorem motum efficit, & in minori tempore; ergo ſi daretur infinita: efficeret motum infinitæ velocitatis, & in tempore minori in infinitum; ſed tempus minus in infinitum non eſt tempus, ſed non tempus, vel momentum vocatur; ergo efficeret motum in non tempore, vel in inſtanti. De ſupernaturalibus verò; quia ſi daretur gratia aut charitas infinitæ intenſionis, poſſet etiam dari lumen gloriæ, per quod videtur Deus à beatis, etiam infinitæ intenſionis, & per lumen infinitæ intenſionis poſſet effici actus claræ viſionis Dei infinitè perfectus per quem creatura videret Deum perfectiùs, ac perfectiùs in infinitum; ergo videret Deum, quantum viſibilis eſt per claram viſionem, quod eſſet eum comprehendere: ſed Deum comprehendi à creatura repugnat; ergo impoſsibile eſt dari talem viſionem, & tale lumen gloriæ, talémque gratiam & charitatem infinitam ſecundum intenſionem.

89 Solùm reſtat ſoluere argumenta alterius opinionis. Et ad primum diſtinguenda eſt maior, quòd Deus poſsit producere, quidquid extra ſe cognoſcit: nam ſi ſucceſsiuum ſit, diuerſum modum habet in ſe, & in diuina cognitione; vt de cogitationibus eſt manifeſtum; quæ, cum non poſsint ſimul fieri à parte rei, poſſunt tamen ſimul cognoſci, & ſimul repræſentari objectiuè diuino intellectui: & cum ſub præſentia illa objectiua omnes ſint actu, dicuntur actu infinitæ in eſſe objectiuo; ſed à parte rei ſolùm ſunt infinitæ in potentia propter eſſe ſucceſsiuum, ſub quo repugnat omnes eſſe ſimul, vel omnes eſſe actu in aliqua differentia temporis; ſed quæ actu ſunt, finitæ ſunt ſemper, & quæ futuræ ſemper infinitæ, & cum ea, quæ futura ſunt, ſolùm ſint cogitationes habentes modum eſſendi ſucceſsiuum, non bene colligitur ex eo, quod in eſſe cognito ſint actu infinitæ, poſſe fieri ad extra actu infinitas. Ad aliud verò de diuinis Ideis actu infinitis eodem modo reſpondetur infinitas eſſe in Deo; ſed non poſſe ſimul fieri ad extra, quidquid per eas ſimul repræſentatur, propter diuerſum modum eſſendi ſucceſsiuum ad extra, & ſimultaneum ad intra; vel quia productio certam intentionem producentis dicit, quam non dicit cognitio; ideò finitum debet eſſe, quod ſimul poteſt fieri ad extra, licet infinitum ſit, quod cognoſcitur, tanquam poſsibile diuiſiuè, non collectiuè.

90 Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior, quod probabile ſit potuiſſe mundũ ab ęterno fieri, nã de creaturis permanentibus ſatis probabile eſt, de ſucceſsiuis verò, non multũ probabilitatis

habet,& ideò illud non admittimus; ſed dicendum eſt vtrumque implicare contradictionem, & quod tempus,& motus ſint ab æterno, & quòd infinitum actu produci poſſit, de quo ex profeſſo erit nobis agendum in principio octaui lib. Ad aliud verò de inſtantibus horæ actu infinitis diſtinguendum eſt etiam, dum dicitur poſſe Deum in ſingulis creare ſingulos Angelos; nam in ſinguli diuiſiuè verum eſt, collectiuè verò falſum, & ratio huius deſumitur ex modo eſſendi inſtantium; quæ non ſunt immediata, ſed fluunt cum partibus proportionalibus temporis,& ad modum earum, vnde creationes Angelorum in eis faciendæ non poſſent ſimul eſſe; ſed ſucceſſiuè deberent fieri, & ſi in omnibus,& ſingulis creandis eſſent ſinguli Angeli, à primo inſtanti horæ incipiendum eſſet, vel certè ab aliquo determinato; quia determinata creatio non poteſt, niſi in determinato inſtanti fieri. Incipiendo autem à primo, vel ab aliquo determinato, impoſſibile eſſet percurrere omnia, & ideo impoſſibile eſſet in omnibus, & ſingulis creari ſingulos Angelos, quare nec probatur poſſibilem eſſe infinitum numerum eorum.

Ad tertiam diſtinguendum eſt conſequens primi enthymematis, quod effectus adæquatus infinitæ potentiæ debeat eſſe actu infinitus; nam ſecundum modum producendi verum eſt; ſed ſecundum numerum, vel extenſionem rerum producendarum falſum: & modus quidem quo Deus producit res, aut ex nihilo,aut ſi ex aliquo, cum totali dependentia omnium cauſarum ex concurſu eius, actu infinitus eſt; & ſufficienter ex eo probatur infinita potentia eius, ex parte autem rerum producendarum ſatis eſt eſſe infinitas in potentia, ita vt datis quibuſcunque & cuiuſcunque perfectionis, ſemper poſsit plures, ac perfectiores producere in infinitum, ex quo etiam ſufficienter probatur potentiam eius eſſe actu infinitam; quamuis nunquam dari poſsint actu infinitæ extra productæ. Caſus verò, qui in eodem argumento additur, de modo agendi naturali Dei,non ſolùm eſt impoſſibilis:quia repugnat potentiam eius eſſe infinitam, & non poſſe agere perfecto modo; qui eſt cum cognitione, & libertate; ſed ex tali modo agendi impoſſibili admiſſo aliud impoſſibile ſequitur, quòd poſſit infinitum actu producere. Dicimus ergo, quòd ſi verum eſt impoſſibilia eſſe admittenda in diſputatione, hoc tantum eſt pro intelligenda natura rerum; non tamen ad inferendum ex eis aliquid contra eam partem, quam quiſque defendit, quia etiam eſt verum, quod ex impoſsibili ſequitur quodlibet. Et quod tandem additum Deum liberè operantem poſſe applicare ſuam potentiam 92

infini

infinitam ad producendum quidquid poteſt, diſtinguendum eſt:nam ad totum ſimul producendum repugnat; non tamen ad producendum ſucceſsiuè,& ratio huius diſtinctionis eſt diuerſa conditio vel diuerſus modus, quem habent res in diuina cognitione, & extra cauſas:ratio etiam, quem modus producendi poſtulat, valde diuerſa à modo cognoſcendi, vt ſatis eſt à nobis expoſitum in ſolutione primi argumenti.

QVÆSTIO IIII.

An vnum infinitum ſit, vel eſſe poſſit maius altero.

NOn procedit quæſtio de infinito per eſſentiam; quia hoc tantum poteſt eſſe vnum, & ideò non poteſt cum alio eſſentialiter diſtincto comparari;quæſtio ergo procedit de aliis infinitis accidentalibus ſecundum magnitudinem, multitudinem; vel intenſionem,an vnum ſit maius altero.

Et prima opinio aſſerit vnum infinitum, nec æquale alteri, nec inæquale, nec maius,nec minus. Ita Conimb. 3.lib.Phyſ.c. 8.q.2.art.4.ad 2.quam colligunt ex Platone in Philebo,vbi ait, maius,&.minus;æquale, & inæquale non conuenire quantitati infinitæ, ſed prima diuiſione aiunt diuidi quantitatem in finitam,& infinitam,deinde finita in maiorem,minorem,& æqualem ſecundum diuerſum modum commēſurationis cum aliis, & ſecundum exceſſum, & defectum:inter infinita namque non reperitur exceſſus, aut defectus; neque vlla commenſuratio; quia hæc omnia limitatam rationem dicunt. Probatur primò: quia ſi vnum infinitum daretur maius altero, vel illud excederet exceſſu finito, vel infinito; ſi infinito ſequitur aliud non eſſe infinitum:nam id,per quod vnum excedit alterum; non eſt in eo, quod exceditur, & ideò per illud excedi dicitur; ſi ſi exceſſus eſt infinitus, ſequitur vnum excedere alterum per ipſammet rationem infinitudinis; quare eam non habebit alterum,nec erit infinitum. Secundò quilibet numerus infinitus continet omnes numeros poſſibiles, & ex conſequenti omnes vnitates poſſibiles; ergo nullus poteſt excedere alterum;quia nihil ei nouum poteſt reſtare accipiendum, ſed probatur antecedens; quia quilibet numerus infinitus continet infinitas vnitates; ergo etiam infinitos numeros, imò infinitos numeros numerorum, vt ſi excogitemus infinitum numerum Angelorum, continebit infinitos Angelos, & infinitos binarios Angelorum, atque etiam infinitos ternarios, & quaternarios, & ſic de cæteris,ergo continet omnes vnitates poſſibiles, atq;

omnes poſſibiles numeros, quare nullum exceſſum, nullam additionem admittet, nec poterit eſſe maius, vel minus altero.

Secunda opinio oppoſita eſt; nam admittit ex ſuppoſitione quòd darentur infinita, comparari poſſe, & ſe excedere, vnumque alteri eſſe æquale, maius, vel minus. Ita Greg. in 2. d. 42. quæ. 4. Gab. ibidem. d. 1. q. 3. ad 1. Ferra 2. lib. contra gentes c. 38. §. vltimo. Caiet. 3. p. q. 10. artic. 3. Soncinas 12. Met. q. 31. ad 1. Probatur primò: quia principium eſt ita euidens, vt probatione non egeat; quod in quolibet rerum genere totum ſit maius ſua parte, ſi autem vnum infinitum nō ſit maius altero, ſequitur eſſe falsū; ergo non poteſt ſuſtineri. Probatur minor, quia ſi detur infinitus numerus Angelorum, & ab eo auferantur decem, euidens eſt, quòd qui remanent ſunt infiniti, & cōſtat eſſe partem totius numeri; ergo vel æqualis eſt toti, vel minor; ſi minorem eſſe dixeris; iam admittit vnum infinitum eſſe maius altero: & ſi negaueris; negas quod totum ſit maius ſua parte; cum conſtet ex his duobus infinitis vnum eſſe partem alterius. Quod clarius patebit vi argumenti, ſi dato infinito numero, inquiramus, an binarij, quos continet, ſint infiniti, quod neceſſarium eſt concedere; alioqui non eſſet totus numerus infinitus; ſi igitur binarij infiniti ſunt, rurſus inquiritur, an numerus binariorum ſit æqualis, vel minor, toto numero; & ſi minorem eſſe dixeris, iam concedis vnum infinitum eſſe maius altero; ſi negaueris, negas totum eſſe maius ſua parte, cum numerus binariorum ſit pars totius numeri. Secundò probatur his exemplis, ſi Deus faceret infinitos homines, atque etiam infinitos equos, negari non poſſet æqualem eſſe numerum corporum, & animarum, & maiorem numerum efficere equos, & homines, ſi ſimul accipiantur, quàm ſolos homines, vel ſolos equos, cum numerus equorum ſit extra numerum hominum, atque è conuerſo; ergo datur æqualitas inter infinita, & vnum poteſt eſſe maius altero. 94

Noſtra ſententia hac diſtinctione explicanda eſt; infinitum duobus modis ſumi poteſt; materialiter pro materia, vel rebus, ex quibus componitur, vt pro quantitate, & dimenſionibus, ſi eſſet continuum, vel pro vnitatibus, ſi diſcretum; vel formaliter pro ratione formali infinitudinis, quæ conſiſtit in eo: quòd eſt non habere terminos; ſed in infinitum protendi. Hoc ſuppoſito duabus concluſionibus reſpondemus: prima eſt, inter infinita ſub ratione formali infinitudinis conſiderata, non dari æqualitatem poſitiuam; ſed negatiuam tantùm; qua vnum non excedit alterum, nec maius, vel minus eo eſſe dicitur. Probatur hæc, quia infinitudo conſiſtit in quadam 95

ratione

ratione indiuiſibili, quam explicamus per negationem terminorum; vel extremorum,quare non ſuſcipit magis,nec minus; ſed vel attingitur, vel non attingitur; & ſi attingitur, modo indiuiſibili attingitur,& ideò non ſuſcipit magis, nec minus; quare repugnat quod vnum infinitum magis, vel minus infinitum ſit,quàm aliud;ſed æqualia eſſe cenſentur negatiuè; quia vnum in ratione formali non excedit alterum.

96 Probatur hac ratione;infinitum formaliter explicamus per negationem terminorũ;quia terminis caret ſed in eo quod eſt terminis carere,nullus exceſſus eſſe poteſt,quia quodlib.infinitum eos nõ habet,quare non magis vnum,quam alterũ ad eos habendum accedere poteſt; vnde nec maius eſſe vel minus altero ſub ratione formali infiniti, & in ſenſu huius concluſionis verà eſt prima opinio, quem ſenſum probant arg. eius.

Secunda concluſio, ſub ratione materiali vnum infinitum eſt maius altero, quia plus materiæ habere poteſt, licèt non propterea maiorem, vel minorem rationem infinitudinis. Hæc eſt expreſſa apud D.Th.3.p. q. 10. art.3. & in ſenſu eius vera eſt ſecunda opinio,quam efficaciter probant argum. eius. Quibus hoc addendum eſt, illud eſt maius altero, ſaltem ſub ratione materiali,quod continet totum, quod eſt in eo, & aliquid plus;ſed vnum infinitum,ſic ſe habere poteſt ad alterum; ergo poteſt eſſe maius illo ſub ratione materiali. Probatur minor;quia infinitus numerus angelorum continet omnes binarios angelorum,ex quibus componitur,& præter illos cõtinet omnes ternarios & quaternarios; ergo continet plus materię, quare maior erit eodem infinito numero binariorum, ſub ratione materiali.

97 Reſtat breuiter ſoluere argum.primæ opinionis, quia videtur intendere in quolibet ſenſu probare. Et ad primum opinionis primæ diſtinguendum eſt antecedens; nam infinitum formaliter ſumptum non excedit alterum, & ideò nec finito, nec infinito exceſſu; materialiter verò poteſt illud vtroque modo excedere, nempe exceſſu materiali finito, vel infinito, quod contingeret, ſi vnum infinitum eiuſdem generis coniungeretur alteri, nunquam tamen eſſet magis infinitum, licet haberet plus materiæ in infinitum, quàm alterum. Ad 2.negandum eſt antecedens, quod quilibet numerus infinitus contineat omnes vnitates, & numeros poſsibiles; quia non ſequitur,continet infinitos;ergo omnes poſſibiles; nam vt bene Ariſto.cap 7.t.62.infinitũ non eſt,extra quod non eſt aliud ſed cuius partibus quibuſcunq;acceptis,ſemper reſtant aliæ in infinitum accipiendæ; aliæ igitur vnitates, & alij numeri,

eſſe poſſunt præter eas, & eos, quos habet vnum infinitum, & ideò materialem additionem ſuſcipere poteſt.

Argumenta 2. opinionis ſolùm probant, quod vnum infinitum ſit maius altero ſub ratione materiali, vt noſtra ſecũda concluſio aſſerit, & ideò non neceſſariũ eſt eis reſpondere.

QVÆSTIO V.

An infinitum in potentia ſecundum eſſentialem perfectionem fieri poſſit per potentiam Dei abſolutam.

NOn iam de infinito in actu, ſed de infinito in potentia inquirimus, an fieri poſsit per potentiam Dei abſolutam, non quidem quantum ad perfectionem accidentalem, vel indiuidualem: cum certum ſit, quod dato quocunque corpore, quantumlibet magno, poſſit Deus illud maius efficere per additionem, poſſe etiam aliud maius producere, & etiam dato quocunque numero hominum, vel aliorum indiuiduorũ cuiuslibet ſpeciei maiorem efficere in infinitum, idque non ſolùm per potentiam abſolutam; ſed naturalem medijs cauſis naturalibus. Sed quantum ad perfectionem eſſentialem & ſpecificam, ita vt data quacunque ſpecie rerum quantumlibet perfecta poſſit Deus perfectiores alias in infinitum facere, & dato quocunque ſpecierum numero, maiorem infinitum facere poſſit, vel perueniri poſsit ad aliquam ſpeciem, qua non poſsit perfectiorem facere, aut ad aliquem numerum finitum ſpecierum, vltra quem non poſsit aliam facere.

Et priuſquam diuerſas opiniones afferamus, excludi debet error Petri Abaylardi, quem retulit Vvaldenſis Tomo 1. ſuorum operum lib. 1. art. 1. cap. 10. & D. Auguſt. (quanquam ſub nomine aliorum Philoſophorum) 12. lib. de ciuit. cap. 18. aſſerentis: nihil aliud poſſe Deum efficere præter ea, quæ facit, vel facturus eſt, quod poſtea tenuit Vvicleph. ſub cuius nomine damnatur ab Eccleſia in Concilio Conſtantienſi. Et probari poteſt euidenti ratione ab experientia deducta; quia de quolibet homine verum eſt, non ſolùm in vno, ſed in multis rerum generibus plura poſſe facere, præter ea, quæ facit; ergo hoc non poteſt vllo modo denegari Deo.

Hoc igitur reiecto errore primæ opinionis, tenet non poſ- 98
ſe à Deo effici infinitum ſincategorematicè, vel in potẽtia ſecundũ perfectionẽ eſſẽtialem; ſed vſq; ad certum numerum, vel perfectionem ſpecierum procedi poſſe, vt vltra illas, nec plures, nec perfectiores ſint poſſibiles. Ita Henric. quodlib. 8. qu. 8. Duran. in 1. d. 44. qu. 2 pro eadem ſententia refert Caiet.

Scotum

Scotum 3. p. q. 25. art. 6.qui de gratia , quam Deus infundit animæ id conceſſit in 3.d.13. q.15. aſſerens ad talem gradum intenſionis peruenire poſſe , vt non poſſit ſecundum intenſionem creſcere, etiam per potentiam Dei abſolutam. Probatur teſtimonio ſanctorum Patrum , Auguſt.in Ench. cap.10. Nazianz.in hom.de Natiuitate,& Theodoreti lib. 6. Græcanicarum affectionum.Quibus locis aſſerunt mundum hunc à Deo factum pulchrum adeò eſſe, vt poſſibile non ſit pulchriorem alterum fieri ; ſed pulchritudo eius reſultat ex corporibus , ex quibus componitur;ergo repugnat alia perfectiora fieri.

Probatur etiam ratione, 1. quia ſi dato quocunque numero ſpecierum poſſet Deus perfectiores alias in infinitum producere,ſequeretur totam latitudinē perfectionis eſſentialis crea-
99 turarum eſſe actu infinitum. Probatur conſequentia ; quia non habebit vllum terminum vltra quem creſcere non poſſit; quare dabitur extra Deum infinitum actu ſecundum eſſentiam, quod patet eſſe falſum. Secundò tota latitudo , quam Deus poteſt communicare creaturis diſtat ab eo,ſicut finitum ab infinito ; quia finitum eſt, quidquid habet eſſe participatum; ergo aſcenſus ab imperfectiſſima ſpecie finitus erit ; quare certum habebit terminum perfectionis, & numeri , vltra quē non erit poſſibilis aſcenſus ad aliam ; ſed per vnam aliquam maximæ perfectionis terminabitur aſcenſus, ſicut terminatur deſcenſus ad rem imperfectiſſimam , quæ eſt materia prima, infra quam non eſt poſsibile rem aliam imperfectiorem fieri.

Secunda opinio affirmat,*fieri poſſe à Deo infinitum ſincategorematicè , ita vt data quacunque ſpecie,cuiuſcunque perfectionis, poſſit aliam , & alias perfectiores in infinitum producere abſque vlla limitatione perfectionis, vel numeri.*

Ita D.Thom.2.l.contra gentes cap.26.& 1.p.q. 25.art.6. & ibid.Caiet.D.Bonau.in 1.d.44.q.1.Rich.quodlib.2.q.4.Aegid. quodlib.3 q.5. Herueus quodlib.7.q.2. Capreol.in 1.d.45. q. vnica, art.2. Argen.in 2.d.1.q.2.artic.4. Soncin.12. lib. Meta. q.5.& plures alij , eſtque communis in ſchola , & non ſolùm
100 probabilior,ſed vera. Quam quidam probare volūt ex infinita potentia Dei, quæ niſi abſque vllo termino perfectionis , & numeri poſſet ſpecies in infinitum producere , non eſſet infinita,ſed certo termino definiretur,ſi ad aliquam ſpeciem perueniri poſſet vltra quam non poſſet producere aliam. Sed hæc ratio non videtur mihi efficaciter eam probare ;quia poſſet aliquis dicere , ſufficienter probari infinitudinem diuinæ potentiæ ex modo operandi, quo poteſt producere aliquid ex nihilo , atque etiam, quidquid non implicat contradi-

ctionem, quod repugnat fieri per potentiam limitatam, quod verò finitum ſit ſecundum perfectionem, & numerum ſpecierum, quas efficere poteſt, nihil refert.

101 Ideò alio modo probanda eſt, nempe, ex eo, quòd potentia diuina, non ſolùm infinita eſt, ſed omni modo excogitabili, hoc eſt, ſecundum intenſionem & extenſionem, nec ſolùm ſecundum perfectiones formales, quas in ſe habet, ſed etiam ſecundum eminentiam earum, per quam poteſt ſe communicare creaturis; ita vt infinito modo intenſiuo, & extenſiuo poſsit ſe communicare illis, poſſe autem aliquid ex nihilo facere, poſſe etiam, quidquid non implicat contradictionem, ad infinitudinem intenſiuam pertinet; ſed poſſe abſque vllo termino perfectionis, & numeri producere ſpecies, pertinet ad extenſiuam, quam ei tribuere neceſſarium eſt, ne admittamus, quod ſecundum aliquem modum ſe communicandi ex terminis non repugnantem vel impoſſibilem, finita ac limitata inueniatur diuina potentia; quare ex hac parte non poſſet omnipotentia vocari. Secundò, quia eſſentia diuina infinitis modis eſt imitabilis, ac participabilis à creaturis; ita vt à nulla ita perfectè participetur, quin perfectiùs poſſit ab alia participari, & imitari in infinitum; ergo nulla creabitur ita nobilis, quin nobilior, imò nobiliores aliæ in infinitum creari poſsint. Quod præſertim neceſſarium eſt, cum non repugnet ex parte diuinæ potentiæ; nec ex parte creaturarum, vt probabitur ex ſolutionibus argumẽtorum oppoſitæ ſententiæ.

102 Teſtimonium ſanctorum Patrum hac diſtinctione explicandum eſt, perfectio huius mundi à Deo conditi ex duplici parte conſiderari poteſt; nempe ex parte corporum, atq; ſpecierum, ex quibus componitur, & ex parte ordinis ac diſpoſitionis eorum: & ex parte primi, communis eſt ſententia totius ſcholæ, quòd perfectiores alios mundos in infinitum poſſit Deus efficere, id eſt perfectiora alia corpora cœleſtia, & elementa perfectiora: de ſola ſpecie humana ſub dubio hucuſq; eſt, an poſsit aliam perfectiorem ſub natura Angelorũ efficere ex corpore, & anima compoſitam; quia nihil inter hominem, & Angelum medium videtur dari poſſe; ſed ſupremum creaturæ corporeæ, quod eſt homo proximè attingere infimum ſupremi, quod eſt infima Angelorum ſpecies. Ex parte verò diſpoſitionis, & ordinis communis eſt etiam ſententia; quòd non ſit poſsibilis alter mundus perfectior, & cũ pulchritudo rei ex ordine, proportione, ac diſpoſitione partium præcipuè reſultet, ideò ſancti Patres nihil pulchrius excogitari poſſe hoc mundo dixerunt; quod patet non tollere

quin

quin perfectiores alias ſpecies in infinitum poſſit Deus efficere. Quod enim Ariſtot. 1. lib. de cœlo cap. 9. aſſeruit non eſſe poſſibilem alium mundum; quia non eſt poſſibilis alia materia, ex qua fiat, ex ignorantia creationis fortè proceſſit: quia ſicut Deus non indiguit materia, ex qua hunc mundum faceret; ſed totum ipſum ſine vlla materia præſuppoſita, ſed ab eo ex nihilo creata condidit; ita poſſet alios mundos in infinitum facere nulla materia præſuppoſita, ſed ex nihilo creanda.

Ad primum argumentum neganda eſt conſequentia, quòd latitudo perfectionis creaturarum infra Deum ſit actu infinita; ſed ſolùm eſt infinita in potentia, vt, quam habebunt actu, ſemper ſit finita, ſed quã habere poſſunt, màior & minor in infinitum, ita tamen, vt non ſit poſſibile actu infinitam habere: non ergo bene infertur, quòd ſi non eſt actu infinita, ita finita ſit actu, vt certam, ac finitam menſuram excedere non poſſit, ſed inter actu infinitam, & omninò finitam actu, media eſt infinitudo in potentia iam explicata: ita vt ſimpliciter finita ſit, & ſecundum quid infinita, quod non repugnat creaturis.

103 Ad ſecundum concedendum eſt antecedens, quod tota latitudo perfectionis poſſibilis creaturarum diſtet à Deo, tanquam finitum ab infinito, ſed intra latitudinem infiniti non habet terminum poſsibilem, nec excogitabilem, ita vt detur aliqua ſpecies, vel dari poſsit, vltra quam non ſit poſsibilis alia perfectior, & hoc eſſe actu, & ſimpliciter finitam; ſed in potentia, & ſecundum quid infinitam; ſicut continuum, quantum ad diuiſionem ſic natam procedere, vt quamuis omnes diuiſiones factæ ſemper ſint finitæ, & nunquam poſsint eſſe infinitæ, faciendæ verò, vel poſsibiles nullum terminum habent, nec enim cognoſcitur à Deo vltima diuiſio continui; quia non eſt dabilis, nec poſsibilis; pari ratione non eſt dabilis, nec poſsibilis vltima ſpecies, vltra quam non ſit factibilis à Deo perfectior, nec à Deo cognoſcitur; quia quod poſsibile non eſt, nec eſt cognoſcibile, quare non mirum eſt, quòd à Deo non cognoſcatur, & hæc de tertio libro.

IN

IN QVARTVM LIBRVM ARIST. DE PHYSICO AVDITV, SEV AVSCVLTATIONE.

BREVE PROOEMIVM.

EXPLICATIS principiis intrinſecis rerum naturalium, ac generationis eius iam incipit Ariſtoteles extrinſeca quædam tradere, neceſſaria tamen, ad motum & conſeruationem earum, ex quibus tria explicat in hoc lib. 4. locum, vacuum, & tempus: & locum quidem neceſſe eſt cognoſcere, ad cognitionem earundem rerum naturalium, & motus eius; quia in eo conſeruantur, atque mouentur. Vacuum verò, quia locus eſt priuatus corpore, imò apud plures ex veteribus Philoſophis locus ipſe. Et tandem tempus, quod in priori & poſteriori eiuſdem motus conſiſtit, & duratio propria eius eſt, ac naturalium rerum, quæ mouentur, & in tempore dicuntur eſſe. In tria igitur membra diuidi poteſt materia huius 4. libri; quia horum trium naturam, & rationem explicat in eo Ariſtoteles, loci, vacui, & temporis.

CAPVT I.
In quo diſputatur, quid ſit locus.

TEXT. ARISTOTELIS.

Similiter autem neceſſe eſt naturalem, & de loco, vt & de infinito cognoſcere, ſi eſt, an non: & quomodo eſt, & quid eſt.

Breuis expoſitio Text.

TRIA contendit Ariſtoteles explicare de loco, An ſit, Quid ſit, & Qualis ſit: & in hoc primo cap. proponit quæſtionem, an ſit locus, quam & dubiam reddit diſputans in contrarium, vt eam ſoluat in ſeqq. cap. 1

Diuiditur

Diuiditur autem præſens in tres partes. In prima probat locum pertinere ad conſiderationem Phyſicam. In ſecunda, propoſita quæſtione an locus ſit, probat locum eſſe. Ac tandem in tertia, vt dubiam efficiat quæſtionem, probat ex oppoſito, quod locus non ſit.

Probat igitur primò, locum pertinere ad Phyſicam conſiderationem duplici ratione. Prima, naturalis ſcientia debet conſiderare ea; quæ communia ſunt rebus naturalibus per ſe ad eam pertinentibus, ſed locus conuenit omnibus rebus naturalibus; ergo conſideratio eius pertinet ad naturalem ſcientiam. Minorem probat authoritate omnium Philoſophorum aſſerentium, quod res omnes naturales ſint in loco. Secundò probat, quia per ſe pertinet ad naturalem Philoſophum agere de motu, ſed motus omnium communiſſimus, & notiſſimus eſt localis, qui non poteſt fieri naturaliter, niſi in loco; ergo conſideratio loci naturalis erit. Quo ſuppoſito, tria ait eſſe à naturali Philoſopho conſideranda de loco; An ſit, Quomodo ſit, hoc eſt, qualis ſit, & Quid ſit. Quæſtio autem qualis ſit, ad quæſtionem Quid ſit reducitur; quia non eſt aliud quàm quærere, an locus ſit ſubſtantia, vel accidens, vt Auerroes & & Themiſtius docent.

2 Quæſtio igitur propoſita capite præſenti eſt, an locus ſit. Arguit in ſecunda parte capitis, ad probandum locum eſſe, duplici argumento. Primò; quia ſicut mutatio ſecundum formas duxit homines in cognitionem materiæ; quia in eadem materia ſibi ſuccedunt diuerſæ formæ; ita ex ſucceſſione corporum in eodem loco deueniendum eſt in notitiam eiuſdem loci. Sed euidens experientia docet in eodem loco; in quo nunc eſt aqua, tanquam in quodam vaſe, poſtmodum ſubintrare aërem; ergo neceſſe eſt concedere locum eſſe in rerum natura, & eſſe diſtinctum à corporibus ſucceſſiuè in eo exiſtentibus. Secundò; quia eadem experientia cognoſcimus grauia corpora, vt lapides, & ligna, quaſi naturali impetu tendere deorſum, vt ibidem conſeruentur, & leuia ſurſum, vt ignis & aër; ergo euidens eſt locum eſſe, & quaſi quandam virtutem attractiuam habere, per quam quodammodo attrahit ad ſe corpora.

Sed in tertia parte arguit pro oppoſita, probare contendens locum non eſſe, vt ſic dubiam efficiat quæſtionem. Argumentum autem ſic procedit: Si locus eſt in rerum natura, erit res ſenſibilis habens trinam dimenſionem, longitudinis, latitudinis, & profunditatis: quia talis debet eſſe ad recipiendum intra ſe corpora ſenſibilia trinæ dimenſionis: erit igitur corpus; quia trinam dimenſionem non habent, niſi corpora, ſed repugnat

repugnat eſſe corpus; ergo non erit aliquid in rerum natura. Minorem ſic probat, locus,& corpus in eo exiſtens ſimul ſunt; ergo ſi locus eſt corpus, erunt ſimul duo corpora,& ſe penetrabunt, quod patet eſſe impoſsibile cum penetratio corporum naturaliter ſit impoſsibilis.

CAPVT II.

Quo diſputatur, quid ſit locus.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem aliud quidem ſecundum ſe, aliud verò ſecundum aliud dicitur, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

POSTQVAM quæſtionem primā propoſuit Ariſt. An locus ſit in rerum natura;eamque dubiam fecit, diſputans in fauorē vtriuſque partis,proponit iam ſecundam, nempè, Quid ſit locus,& eodem modo dubiam reddit quæſtionem:pro vna parte probans,quòd locus ſit materia, vel forma; & pro alia, quòd nec in forma ſit,& hoc eſt intentum capitis, & hæc diuiſio eius materia, nec duas partes. Quæſtio igitur propoſita eſt, quidnam locus ſit, materia,vel forma, aut quid aliud. Vt autem intelligatur,annotat locum eſſe duplicem, communem, & proprium, vel particularem. Locus communis eſt, ſub quo multa continentur corpora, vt concauum lunæ dicitur locus communis omnium corporum ſublunarium,quæ ſub eo continentur. Locus verò proprius,aut particularis, qui vnum, vel alterum corpus continet, vt aqua circundans arborem, dicitur locus proprius eius. Hoc igitur ſuppoſito,probat Ariſtoteles locum eſſe formam; & deinde probat eſſe materiam;& quòd ſit forma, ita probat: Locus continet locatum; ergo eſt terminus eius,quo circunſcribitur, ita vt nihil eius extra locum ſit, ſed totum ſit intra eum: ſed forma ſe habet reſpectu materiæ tanquam terminus; quia cum ſit actus, quaſi determinat potentiam eius ex ſe indifferentem ad omnes actus; ita, vt ad alium actum non ſe extendat; locus igitur terminans locatum, quaſi forma eius dicetur. Secundò probat, quod ſit materia; quia locus non videtur aliud eſſe quàm interuallum illud inter latera corporis continentis intercc

terceptum, vt locus aquæ videtur eſſe ſpatium illud inter latera vaſis exiſtens, quòd aqua ipſa replet: ſed interuallum hoc eſt quaſi receptaculum corporum in eo ſuccedentium; ergo eſt quaſi materia eorum. Probatur conſequentia; quia materia eſt quaſi receptaculum formarum in ea ſuccedentium.

4 In ſecunda parte probat oppoſitum, quod locus, nec ſit materia, nec forma. Primò; quia materia & forma non ſeparantur à corpore; cum ſint partes illud componentes; ſed locus ſeparatur à corporibus in eo receptis: cum in eodem loco permanente vnum ſuccedat alteri, vt in vaſe aqua ſuccedit aeri, ergo locus non poteſt eſſe materia, neque forma corporum. Secundò probat ex motu locali; nam ea, quæ mouentur ad aliquid acquirendum, quod non habent, moueri conſtat, ſed corpora mouentur localiter; ergo ad acquirendum locum, quem non habent: ſed notum eſt habere materiam, & formam, cum ex eis, tanquam ex partibus componantur; ergo locus non poteſt eſſe materia, & forma. Quod etiam probat locutio ipſa; qua dicimus aliquid eſſe in loco; per quam ſignificamus eſſe in alio à ſe diſtincto, & extra ſe exiſtente, quod nec materiæ, nec formæ conuenire poteſt; nam vtraque intra corpus ipſum eſt, illud intrinſecè componens.

CAPVT III.

Quo determinare incipit quid ſit locus.

TEXTVS ARIST.

Vno igitur modo, vt digitus in manu, & omnino pars in toto, alio verò, vt totum in partibus, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

5 INTENTVM Ariſtotelis in hoc tertio capite eſt, quædam notare ad ſoluendam primam quæſtionem de exiſtentia loci in rerum natura. Diuiditur autem in tres partes. In prima proponit omnes modos, quibus vnum dicitur eſſe in alio. In ſecunda dubium quoddam, an aliquid dicatur eſſe in ſeipſo. In tertia incipit ſoluere argumenta à ſe propoſita circa primam, & ſecundam quæſtionem.

Octo modis, inquit, contingere, quòd vnum dicatur eſſe in alio. Primus eſt, quo partes ſunt in toto, ſiue eſſentiales, ſiue integran

integrantes, vt materia, & forma dicuntur eſſe in corpore, & digitus in manu. Secundus eſt, quo totum dicitur eſſe in partibus, vt homo in corpore, & anima. Tertius, quo ſpecies dicitur eſſe in genere, & vniuerſaliter pars ſubiectiua in ſuo toto potentiali, vt equus, & leo in animali. Quartus, quo è conuerſo, genus eſt in ſpecie, & vniuerſaliter totum poteſtatiuum dicitur eſſe in ſuis partibus, vt animal in homine, & leone. Quintus, quo forma ſubſtantialis eſt in materia, aut accidentalis in ſubiecto, vt anima in corpore, aut albedo in pariete. Sextus, quo res ſunt in ſua cauſa efficiente Phyſica, aut morali, vt calor producendus in igne. Septimus, quo aliquid dicitur eſſe in fine, quem amat, quo pacto amans dicitur eſſe in amante per affectum, & voluntatem, qua eum diligit. Octauus, quo aliquid dicitur eſſe in alio tanquam in loco ſicut aqua eſt in vaſe. Et hunc modũ eſſendi in alio aſſerit eſſe propriiſſimum: cæteros verò ſolùm dici per ſimilitudinem ad ipſum, quia ſicut corpus recipitur in loco, & in eo conſeruatur, ſic ea, quæ aliis modis dicuntur eſſe in alio, aliquo etiam modo recipiuntur, & conſeruantur in eo.

In ſecunda parte proponit hoc dubium, an dicatur aliquid eſſe in ſemetipſo, vel neceſſe ſit, quòd quidquid eſt in alio, ſit tanquam in aliquo à ſe diſtincto. Pro cuius ſolutione annotat tribus modis intelligi poſſe, quod aliquid ſit tale nempè per ſe primò, per aliud, & per accidens. Per ſe primò tale dicitur, ſi ſecundum ſe tale ſit, & non ſecundum aliquam partem, aut ſecundum aliquod accidens, vt homo dicitur ſubſtantia. Per aliud verò tale dicitur illud, quod ratione alicuius partis tale eſt, quo pacto dicitur homo ſciens, vel ſapiens; quia ſcientia, vel ſapientia in anima ſunt, quæ eſt pars hominis. Per accidens tandem dicitur aliquid tale, quia ratione alicuius accidentis ſibi id conuenit, vt Socrates dicitur candidus, quia candor recipitur per ſe primo in ſuperficie ſibi inhærente, & ratione ſuperficiei eum denominat. His ſuppoſitis, dubio propoſito reſpondet tribus concluſionibus. Prima eſt, aliquid dicitur eſſe in ſeipſo per aliud, hoc eſt per partem, vt totum hoc, nempè, amphora vini dicitur eſſe in ſeipſa per vinum, quod eſt quaſi pars eiuſdem totius, & eſt in amphora, à qua continetur vinum. Secunda concluſio, nihil poteſt eſſe per ſe primò in ſeipſo tanquam in continente, aut tanquam in loco. Probat, quia nullo modo ex enumeratis, quibus aliquid dicitur eſſe in alio, conuenit per ſe primò, vt conſtabit eos omnes conſideranti; ergo non poteſt eſſe verum, quod aliquid ſit in ſeipſo primò. Tertia concluſio, repugnat, quod aliquid dicatur 6

per

per accidens eſſe in ſeipſo tanquam in loco. Probat, quia ſi hoc eſſet verum, ſequitur duo corpora ſimul eſſe in eodem loco. quod conſtat non poſſe fieri, niſi per penetrationem naturaliter impoſſibilem. Probatur conſequentia exemplo amphoræ; nam ſi dicatur, quòd totum hoc, nempe amphora vini eſt in ſeipſo tanquam in loco, ratione vini, quod eſt quaſi accidens eius, ſequitur in eadem amphora duo eſſe, videlicet vinum, & amphoram ipſam, quæ cum ſint duo corpora, erunt in eodem loco, quod non poteſt fieri niſi per penetrationem.

7 In tertia parte capitis colligit ex dictis, ſoluta eſſe duo illa argumenta, quibus probabatur locum eſſe materiam, vel formam; nam cum nihil poſſit eſſe in ſeipſo tanquam in loco, primò, & per ſe, ſed eſſe in loco, ſit eſſe in aliquo à ſe diſtincto, & quaſi extrinſeco, ſequitur locum non eſſe materiam aut formam corporis, quia vtraque eſt ei intrinſeca.

CAPVT IIII.

Quo definitur quid ſit locus.

TEXT. ARISTOTELIS.

Hæc igitur ſunt dubitata, quid autem ſit locus hîc vtique fiet manifeſtum, &c.

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt aſſignare definitionem loci. Diuiditur autem in tres partes. In prima enumerat Ariſtoteles quinque proprietates loci, vt ex eis meliùs poſſit natura loci cognoſci, & eius definitio aſsignari. In ſecunda quatuor annotat neceſſaria ad inueniendam definitionem loci. Et in tertia tandem ex eis, quid pro genere, quid etiam pro differentia in definitione ponendum ſit, colligit; integramque definitionem conſtituit, probans talem debuiſſe aſsignari, vt exacta foret.

Notum eſt eſſentiam rerum per proprietates nobis notiores cognoſcendam eſſe à poſteriori, propterea Ariſtotel. ad inueſtigandam naturam, atq; definitionem loci præſupponit quinque proprietates eis omnibus manifeſtas. Quarum prima eſt, locum ſic locatum circunſcribere, vt nihil eius ſit, hoc eſt, nec materia nec forma; nec aliquo modo eius pars, neque accidens ei inhærens; ſed aliud extrinſecum ipſum continens. Secunda proprietas eius eſt, æqualem eſſe locato, quòd locis particula-

ribus tantum conuenire docet, non communi, de quo conſtat plura continere, & ideò non eſſe alicui eorum æqualem; vt concauum lunæ non eſt æquale aëri, vel aquæ. Tertia proprietas eſt, quod licet corpus quodcunque in eo exiſtens poſſit ab eo ſeparari; ſed locus ipſe non poteſt eſſe ſine aliquo corpore, quod circunſcribat, alioqui poſſet naturaliter dari vacuum in natura rerum. Quarta eſt, omnem locum habere ſurſum aut deorſum, hoc eſt talem habere poſitionem, aut ſitum in vniuerſo, vt ſurſum aut deorſum eſſe dicatur, vt ignis ſurſum eſt, terra deorſum, in quibus multa alia continentur corpora tanquam in locis. Vltima proprietas ſequitur ex hac, quia ſi locus, ſurſum, aut deorſum eſſe debet, ſequitur aptum eſſe ad terminandum motum localem ſurſum aut deorſum, quibus corpora naturalia mouentur.

His præſuppoſitis aſſerit, talem deſignandam eſſe definitionem loci, vt per eam facilè ſolui poſſint argumenta propoſita contra eius naturam cap. 2. & cætera dubia, quæ proponi poſſunt. nec ſit contraria proprietatibus eiuſdem loci deſignatis, ſed eis conformis. Vt autem talis definitio inueniatur quatuor ait annotanda eſſe. Primum, quòd ex motu locali permoti fuerint omnes Philoſophi ad inquirendam naturam loci; nam ſi corpora mouentur ad locum, vt euidens experientia docet, cum nihil moueatur ad acquirendum illud, quod iam habet, ſed quod non habet, & habere poteſt, meritò ex motu locali permoti ſunt ad inueſtigandum naturam loci. Secundum, quod præſupponit, eſt, duobus modis aliquid moueri localiter, per ſe, & per accidens, per ſe mouetur totum corpus, & per accidens alia, quæ mouentur ad motum eius: & hæc in duplici differentia ſunt: nam quædam ſic mouentur per accidens, vt eis non repugnet naturaliter moueri per ſe, & tales ſunt partes eiuſdem corporis integrantes: quæ cum poſſint ab eo ſeparari per diuiſionem, & ſeparatè conſiſtere, etiam poſſunt moueri per ſe. Alia verò ſic mouentur per accidens, vt naturaliter non poſſint per ſe moueri, & talia ſunt accidentia: quæ cum non poſſint eſſe ſine ſubiecto, nec moueri poſſunt per ſe, ſed ad motum eius. Tertium eſt, quod non inquirit definitionem loci communis, ſed particularis: quia in loco communi non eſt corpus per ſe primò, nec proximè, ſed tantùm remotè, & quaſi ſecundario. Locus autem proximus, atque proprius cuiuſcunque corporis eſt ille, à quo proximè circumſcribitur. & iſte eſt extremum corporis continentis, quod eſt vltima ſuperficies eius tangens locatum, vt locus arboris exiſtentis in fluuio non eſt tota aqua, ſed ea tantum, quæ ipſum

ipſum tangit, & circunſcribit, & hæc eſt vltima ſuperficies eiuſdem aquæ eam circunſcribens; quæ ſola eſt proprius locus cuiuſlibet corporis; quia locus debet eſſe æqualis locato, ſed ſola hæc ſuperficies proximè continens corpus, poteſt eſſe ei æqualis; ergo hæc ſola poteſt eſſe locus. Vltimum; quod præſupponit eſt, duobus modis vnum continere aliud; primò ita vt non ſit ab eo diuiſum, ſed continuatum cum eo, vt totùm dicitur continere partem; Secundò, ita vt diuiſum ab eo ſit, & illud tangens quaſi extrinſecè circunſcribat, & locus non debet continere locatum primo modo, cùm non ſit pars eius, ſed ſecundo: cum ſit aliquid ei extrinſecum.

10 His ſuppoſitis procedit ad inueſtigandum illud, quod pro genere debet poni in definitione loci, hac diuiſione: Secundum ea, quæ de natura loci admittuntur ab omnibus, non poteſt locus eſſe, niſi vnum ex his quatuor, nempè forma, aut materia corporis, aut ſpatium inter latera continentis incluſum; vel vltima ſuperficies eiuſdem corporis continentis tangens locatum, illudque circumſcribens, ſed non eſt aliquod ex tribus; ergo erit quartum. Minorem probat, quantum pertinet ad formam, nam forma eſt quaſi terminus corporis intrinſecus, & hoc modo dicitur illud continere: quia non eſt diuiſa ab eo, ſed locus debet continere, tanquam aliquid diuiſum à corpore, & illud extrinſecè tãgere, & circumſcribere; ergo forma non eſt locus, ſed nec materia propter eandem rationem, & quia materia non propriè continet formam, vel compoſitum, ſed ab eis potius continetur. Probat tandem, quod locus non ſit interuallum illud vel ſpatiũ, quod eſt inter latera continentis, in quo recipitur corpus, vt interuallum inter latera vaſis in quo recipitur aqua. Nam licèt plures ex antiquioribus Philoſophis poſuerint locum eſſe hoc interuallum, vel ſpatium, ſed falſum hoc eſt: quia inter latera vaſis nihil aliud reperitur præter dimenſiones locati, quas ſi omninò ſeparaueris, vacuum remanebit ſpatium illud, vel interuallum; confictæ ergo ſunt tales dimenſiones, ſine aliquo fundamento. Vnde ſequitur, quod ſi locus non poteſt eſſe aliquod illorum trium, quartum eſſe debeat, nempe vltima ſupeficies corporis continentis, & hæc erit ponenda pro genere in definitione loci.

11 Differentia autem colligenda eſt ex eodem motiuo, quo adducti ſunt illi Philoſophi ad ponendas dimenſiones illas inter latera corporis continentis, tanquam locum omnium corporum ſibi ſuccedentium intra illas, illis verò ſemper manentibus, & nunquam motis, motiuum autem eorum fuit, quod locus debet eſſe immobilis: nam ſi immobilis non ſit, nec pote-

rit terminare motum localem; quia terminus debet habere eſſe fixū & immobile. Et ex hoc colligit Ariſtoteles propriam differentiam loci eſſe immobilitatem, & ideò integram eius definitionem talem eſſe debere: *Locus eſt terminus primus corporis continentis immobilis.* Primum terminum corporis continentis vocat ſuperficiem eius vltimam tangentem locatum, eumque circunſcribentem, & continentem, ac primò, id eſt, proximè terminantem; nam vltima ſuperficies eius eſt, quæ primò ponit terminum eidem locato, vt ſic eam attingat, quod extra eam non egrediatur; ſed intra eam contineatur totum, quare ſic ſolet iam in ſchola definiri; *Locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis.* Per ſuperficiem corporis continentis cenſetur excluſum interuallum illud, ſeu ſpatium aut dimenſiones inter latera corporis continentis, quas pro loco poſuerunt antiqui. Et per immobilitatem excluditur vas à ratione loci; quia licet per vltimam ſuperficiem propriam circunſcribit aquam vel aerem intra ſe receptum, transferri tamen poteſt de vno ad alterum locum, vt per ſe eſt manifeſtum, & ideò non eſt immobilis, nec ei conuenit definito loci; locoque ſic definito optimè conueniunt omnes proprietates loci aſſignatę.

CAPVT V.

Quo oſtenditur, quo modo res quæcunq; ſit in loco.

TEX. ARISTOTELIS.

Cui igitur corpori eſt aliquod corpus extra, &c.

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis cap. præſenti eſt, oſtendere, quòd omnibus corporibus ſublunaribus conueniat eſſe in loco, & quo etiam modo ſingulis ſit concedendus locus. Diuiditur autem in duas partes. In prima hæc duo explicat, & in ſecunda argumentis in primo & ſecundo capite propoſitis contra exiſtentiam loci, & naturam eius, reſpondet. 11

Vt autem explicet, quonam modo ſingula corpora ſint in loco, præſupponit duo. Primum eſt, ei ſolùm conuenire eſſe ſimpliciter in loco, quod circunſcribitur ab alio corpore; quare ſi aliquod corpus detur non circunſcriptum alio, non diceretur eſſe ſimpliciter in loco. Vt ſi imaginemur aquam non circunſcribi aëre, non diceretur eſſe ſimpliciter in loco, nec

nec moueretur ſecundum ſe totam, ita, vt vnum locum deſereret, & acquireret alium; ſed ſolùm ſecundum partes intra eundem locum. Præſupponit ſecundò duobus modis contingere, quòd aliquid ſit in loco, potentia & actu. Actu dicitur eſſe in loco illud, quod actu diuiſum eſt ab alio corpore, à quo circunſcribitur: vt lapis dicitur eſſe actu in loco; quia ab aëre, à quo actu circumſcribitur per vltimam eius ſuperficiem, actu quoque diuiſus eſt. In potentia verò dicitur aliquid eſſe in loco, quod non eſt actu diuiſum ab alio à quo per continuationem cum eo dicitur contineri, ſed diuidi poteſt, & ſic diuiſum poteſt ab eodem circunſcribi. Et hoc modo aſſerit quamlibet partem aquæ, vel alterius corporis eſſe in alia tanquam in loco; quia continetur ab illa per continuationem, & ab ea diuidi poteſt, & circunſcribi, quod eſt poſſe eſſe in loco, ſed actu non eſſe.

13 Sed adhuc eſſe in loco dupliciter contingere ait, per ſe, & per accidens. Illud eſt per ſe in loco, quod per ſe poteſt moueri motu locali, vel motu augmentationis, cui cõſtat coniunctum eſſe motum localem; quia, quod augetur ad maiorem locum occupandum ſe extendit, quod nõ poteſt fieri, niſi per motum localem, motus autem localis per ſe terminatur ad locum; & ideò per ſe dicitur eſſe in loco illud, quod his motibus mouetur: per accidens verò in loco dicitur eſſe illud, quod eſt in alio exiſtente per ſe in loco actu, vel potentia: Vt anima dicitur eſſe per accidens in loco actu; quia eſt in corpore exiſtente actu in loco per ſe, & vltima ſphæra ſiue vltimum cœlum ſupra quod non eſt aliud, dicitur eſſe in loco per accidens, non actu, ſed potentia, ratione ſuarum partium, quarum quælibet eſt per ſe in potentia in loco; & ſi diuidatur à cæteris, erit in loco per ſe actu. Sed ita vltimam ſphæram eſſe in loco ait per accidens, vt ipſa ſit locus omnium aliorum corporum inferiorum; quia omnia continet, omnia circunſcribit. Hoc tamen de loco communi remoto intelligendum eſt, non de proprio, aut particulari, vel proximo, cum notum ſit vltimum cœlum non proximè circunſcribere omnia corpora ſub ſe contenta; nec in particulari, ſed remotè tantùm, vt locus omnibus communis, ſub quo continentur.

14 His ſuppoſitis aſſerit, omnibus corporibus vno, aut alio modo deberi locum, omniáque vno, aut alio modo in loco eſſe. Sic tamen eſſe loca naturalia diſtributa, ordinata, & diſpoſita à natura inter præcipua corpora, ex quibus mundus cõponitur, qualia ſunt corpora cœleſtia, & elementa, vt vltima ſuperficies ſuperioris ſit locus inferioris proximè ſub ſe

contenti, vt vltima ſuperficies aquæ circundans terram locus naturalis eius ſit. Vltima ſuperficies aëris locus naturalis aquæ. Vltima ſuperficies ignis locus naturalis aëris. Concauũ lunæ locus naturalis ignis: & cœlum lunæ à ſuperiori alio cœlo circumſcribi tanquam à proprio loco, ſicque de cæteris vſque ad vltimum, quod cum à nullo alio corpore circumſcribatur, non dicitur eſſe actu in loco, ſed ſolùm in potentia, vt explicatum eſt, cætera verò corpora particularia in eiſdem elementis, aut eorum partibus continentur tanquam in propriis locis.

In ſecunda parte capitis oſtendit ſoluta eſſe argumenta omnia à ſe poſita in 1. & 2. capite contra exiſtentiam loci, & naturã eius. Nam cum locus non ſit corpus, ſed vltima ſuperficies continentis corporis, non ſequitur ex eo, quòd locus ſit duo corpora ſe penetrare, & cum ſit terminus extrinſecus locati, non ſequitur, quòd ſit forma eius. Et tandem cum non ſit interuallum, vel ſpatium inter latera continentis exiſtens, in quo recipiuntur corpora, non ſequitur, quòd ſit materia, ſicque ad alia argumenta, reſponſum eſt.

TRACTATVS DE NATVRA LOCI.

QVÆSTIO I.

An locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis, vel interuallum, quod eſt inter latera eius.

QVÆSTIO hæc ad primam particulam Ariſtot. definitionis pro genere poſitam pertinet, qua dicitur locum eſſe, *Vltimam ſuperficiem corporis continentis.* Quærit autem titulus, an ita ſit, quòd locus ſit ſuperficies vel interuallum, quod eſt inter latera eiuſdem corporis continentis. Vt autem eum explicemus, vnum eſt notandum, videlicèt in vno ex quatuor neceſſariò ponendam eſſe rationem loci, vt Ariſtoteles docuit 4. capit. huius libri. Nam vel eſt materia, vt videtur poſuiſſe Plato, vel forma, vt alij ex antiquioribus Philoſophis, aut interuallum, quod eſt inter latera corporis continentis, vel denique extremum eiuſdem corporis continentis, per quod tangit locatum, quod eſt vltima ſuperficies eius: nemo enim quicquam aliud excogitauit, in quo ponenda 15

nenda eſſet ratio loci. De duobus autem primis non loquitur titulus quæſtionis: quia cum materia, & forma ſint partes eſſentiales, tam corporis continentis, quàm contenti, meritò excluduntur à ratione loci, qui ex communi modo ſentiendi & loquendi omnium Philoſophorum quid extrinſecum eſſe debet reſpectu locati, paſſim ab eo recedentis per motum; ſolùm ergo de duobus aliis inquiritur, nempè de interuallo, quod eſt inter latera continentis, & de vltima ſuperficie eiuſdem continentis, in quonam horum duorum ponenda ſit ratio loci.

16 Et prima opinio fuit multorum Philoſophorum aſſerentium, *locum eſſe interuallum illud, ſeu ſpatium, quod videmus inter latera corporis continentis; vt ſi aquam, & aerem excludamus à vaſe, & quodcunque aliud corpus ab eo contentum, remanet inter latera eius ſpatium illud aut interuallum, quod aqua, vel aer occupabat*, hoc igitur aſſerunt eſſe locum, ſed non conuenit inter ſic opinantes, quidnam ſit interuallum hoc, tribus autem modis fuiſſe explicatum à diuerſis aſſerit. Simplicius in digreſſione de loco, quam fecit ſuper 4. lib. Phyſic. Ariſtotelis. Primo modo illud explicuit Proclus dicens, quatuor conditiones habere: eſt enim corpus inanime, indiuiſibile, immobile, & immateriale, Corpus quidem, quia locus æqualis eſſe debet locato; æqualitas verò non eſt, niſi inter corpora: Indiuiſibile verò vocatur, non quod partibus careat, ſed quia partes eius non poſſũt inter ſe ſeparari, alioqui ſi ſepararentur, daretur vacuum inter vnam, & alteram, & eadem ferè de cauſa vocatur Immateriale; quia cum ex materia procedat diuiſio, ſi indiuiſibile eſt, ita ſe habebit, ac ſi careret materia. Inanime etiam dicitur, quia dimenſiones iſtæ, quæ vocantur interuallum, non habent eſſe naturale, & ideò, nec ſunt vitæ capaces. Et tandem vocatur immobile, quia immobilitas intrinſeca debet eſſe loco, ſiue in his dimenſionibus ponatur, ſiue in quocunque alio, vt euidenter probat hæc ratio.

Si locus moueretur, cum motus localis terminetur ad locum, ſequeretur locum moueri ad locum, eumque acquirere per motum; & ita loci daretur locus, & eſſet procedendum in infinitum, quod eſt abſurdum. Itaque Philoſophus iſte interuallum hoc putat eſſe dimenſiones quaſdam, hoc eſt, corpus habens trinam dimenſionem, non in ſola quantitate conſiſtentem; ſed etiam in ſubſtantia verè materiali fundatam, non tamen habentem modum materialem.

17 Alij verò, vt Chryſippus, & Epicurus, quos citauit Themiſtius in Cõmentariis huius loci, atq; etiam Academici quos

citauit Albertus Magnus ibidem, ſpatium hoc, vel interuallũ ſolas dimenſiones quantitatiuas habere dixerunt: in quo ſenſu locum eſſe interuallum ex profeſſo defendit Galenus, vt teſtantur Simplicius, atque Themiſtius textu trigeſimo ſexto huius libri, & poſt Galenum Philopon. ibidem acerrimus defenſor eiuſdem interualli aduerſus doctrinam Ariſtot.

Alij denique, vt teſtatur Auicenna 2. lib. ſuæ Sufficientiæ, capite ſexto, dixerunt interuallum hoc nihil poſitiuum eſſe, ſed purè priuatiuum; nempe vacuum quoddam, in quo recipiuntur corpora, vel quod corpora illud ingreſſa replent, & poſtmodum dimittunt per motum, & ab aliis corporibus ſuccedentibus repletur: vnde iſti locum non poſuerunt eſſe aliquid poſitiuum, ſed purè priuatiuum idem eſſe dicentes cum vacuo: nihilominus nunquam dari vacuum, quia interuallum illud ſemper repletum eſt vno, aut alio corpore.

Conueniunt igitur hi omnes Philoſophi in eo, quod non 18
admittunt locum Ariſtot. pro vltima ſuperficie, ſed dicunt eſſe illud interuallum diuerſis modis ab eis explicatum, ideò argumenta, quibus hanc ſententiam de interuallo probant, duplicia ſunt: nam quædam contendunt probare, quod locus non ſit vltima ſuperficies, vt tenet Ariſtot. alia verò, quòd ſit interuallum, ex quibus vnum, aut alterum proponemus: & ſit primum contra ſententiam Ariſtotelis. Corpus naturale per ſe eſt in loco, in quantum habet trinam dimenſionem; ergo locus debet habere trinam dimenſionem, ſed ſuperficies duas tantum habet, longitudinis, & latitudinis; ergo non poteſt eſſe locus, ſed interuallum potius erit locus trinam habens dimenſionem. Probatur prima conſequentia; nam cætera per ſe patent. Locus debet eſſe æqualis locato, ſed æqualitas ſolùm reperitur in corporibus eiuſdem menſuræ; ergo neceſſe eſt locum eſſe corpus trinæ dimenſionis, & non poteſt eſſe ſuperficies. Quod etiam poteſt probari ſecundò, quia locus immobilis ponitur ab omnibus, ſed vltima ſuperficies corporis continentis mouetur ad motum eiuſdem continentis corporis, vt patet de ſuperficie aëris circumſcribente turrim; ergo non poteſt eſſe locus, ſed interuallum potius erit locus, quod immobile perſeuerat inter latera continentis, etiamſi à corporibus contentis paſſim abeuntibus deſeratur.

Tertiò, locus eſt id, *ad quod tendunt corpora per motum localem, vt in eo conſeruentur*: ſed corpora non mouentur ad vltimam ſuperficiem, nec in ea conſeruantur, ſed potius ad interuallum vel ſpatium, quod eſt inter latera corporis conti- 19
nentis,

nentis, in quo conſeruantur; ergo interuallum potius eſt locus, quàm vltima ſuperficies. Probatur minor, quia ligna, & lapides non mouentur ad vltimã ſuperficiem aquæ, quæ ſecundum Ariſtotelem eſt locus terræ, ſed ad centrum eiuſdem terræ, in quo reperitur interuallum recipiens, & conſeruans eà, neque vltima ſuperficies aquæ, vel alterius corporis habet vllam virtutem, conſeruatiuam, aut vllam virtutem, per quã corpori ab eo contento imprimat qualitatem aliquam conſeruatiuam, ſed virtus hæc in ſolis corporibus reperitur, & ideò in interuallo, quod verum corpus eſt, & proinde verus erit locus potius, quàm ſuperficies.

Sententia Ariſtot. eſt *locum non eſſe interuallum, vel dimenſiones inter latera continentis, ſed vltimam ſuperficiem corporis continentis, ita vt locus corporis, quod ab aere circumdatur, ſit ſuperficies concaua aeris, per quam tangit, & circundat conuexam eius.* Et hãc receperunt antiqui, & Moderni interpretes eius, & tota ipſa ſchola Peripatetica, & nobis videtur omninò tenenda: ita vt ſententia antiquorum de interuallo aut dimenſionibus quomodocunque explicata omni prorſus careat probabilitate. Probatur tribus argumentis aduerſus tres explicationes eiuſdem ſententiæ. Et primò probat locum non eſſe dimenſiones illas, prout dicunt ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma cum dimenſionibus quantitatis; quia licet talis ſubſtantia ſit corpus inanime & indiuiſibile in eo ſenſu, quòd partes eius integrantes ſeparari non poſſunt inter ſeſe; & in hoc etiam ſenſu immateriale; euidens tamen eſt, quòd cum habeat trinã dimenſionem, habeat etiam extenſionem partium inter ſeſe,
20 ita vt quælibet ſit occupatiua ſpatij. Probatur euidenter conſequentia, quia extenſio hæc eſſentialis eſt quãtitati, & quantitatiuis dimenſionibus; ergo repugnat eſſe ſine illa: & ſi illam habent, occupabunt aliquod ſpatium, vel ergo idem, quod occupat corpus ſuperueniens in eis receptum, vel aliud diſtinctũ: hoc ſecundum repugnat; quia cùm intra ſe recipiant locatum, non poſſunt ad aliud ſpatium ſe extendere; ergo occupant idem ſpatium, ſed duo corpora non poſſunt occupare idem ſpatium, niſi per penetrationem naturaliter impoſſibilem; quare impoſſibiles erunt tales dimenſiones hoc modo explicatæ.

Sccũdò, locus debet eſſe immobilis apud hos omnes Philoſophos, ſed repugnat tales dimenſiones ſic intellectas eſſe immobiles; ergo repugnat eſſe locũ. Probatur minor, quia dimenſiones hoc modo explicatæ, non dicunt ſolam quantitatem, ſed etiam ſubſtantiam & corpoream quidem, cum ca-

pax ſit trinæ dimenſionis, ſed ſubſtantia corporea componitur ex materia & forma, & eſt ens naturale; ergo habet principium intrinſecum motus; non ergo poteſt eſſe immobilis, nec proinde locus.

21 Probatur deinde, quod interuallum illud pro ſolis dimenſionibus quantitatiuis non ſit locus, quia magnitudo hæc trinæ dimenſionis eſt entitas realis poſitiua, ergo vel eſt ſubſtātia, vel accidens; non ſubſtātia; quia iuxta hanc explicationē nullam dicunt ſubſtantiam dimenſiones illæ; ergo erit accidens ſine ſubſtantia, ſed accidens non poteſt realiter ſeparari à ſubſtantia per vires naturæ; quia cum non ſubſiſtat per ſe, ſed ſit aliquid ſubſtantiæ, non poteſt eſſe in rerum natura, niſi ei inhærens, quare magnum miraculum reputatur ſeparatio quantitatis à ſubſtantia in ſacra Euchariſtia, falſum igitur eſt, quòd dentur tales dimenſiones quantitatiuæ ſine ſubſtātia, & ideò etiam falſum, quòd ſint locus. Sed iam poſito quod darētur, probatur ſecūdò locū eſſe non poſſe, quia locus etiam apud auctores ſic explicantes dimenſiones debet eſſe immobilis, ſed interuallum illud non poteſt eſſe immobile; ergo nec locus. Probatur minor; nam vas plenum aqua dum mouetur, transferuntur etiam dimenſiones cum eo, vel nō: ſi transferri negaueris; ergo transfertur aqua ſine loco, & ex conſequenti in tranſitu ipſo erit in vacuo, ſi verò dicas transferri, ſtatim ſequitur nō eſſe immobiles: quia quod de vno in alium locum transfertur, neceſſariò moueri debet, & ideò immobile eſſe nō poteſt.

22 Probatur tandem interuallum illud non eſſe puram priuationem, quia ſi ſit pura priuatio; aut eſt aliquid, aut nihil: ſi nihil eſt, ergo locus etiam nihil erit: ſi verò dicas eſſe aliquid, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, & vtrumque probatum eſt falſum ſuperioribus argumentis. Secundò, quia pugnat cum natura loci eſſe puram priuationem; ergo falſa eſt hæc explicatio interualli. Probatur antecedens. Primò, quia proprietates loci poſitiuæ ſunt, vt continere locatum, & eſſe ei æqualem, atque cōſeruatiuum; ergo impoſsibile eſt, quod eſſentia loci conſiſtat in pura priuatione. Probatur conſequentia, quia nihil poſitiuum poteſt à priuatione procedere. Secundò, locus, vt ait Ariſtoteles, aliquo modo eſt terminus motus localis, ad quem acquirendum mouentur naturaliter corpora; ſed priuatio non poteſt eſſe terminus motus localis, qui eſt aliquid poſitiuum ſumens ſpeciem à termino, nec ad priuationem acquirendam poſſunt corpora moueri per naturalem inclinationem, quæ eſt entitas poſitiua; ergo omni ex parte repugnat interuallum hoc modo explicatum eſſe locum.

Suppoſito

23 Suppoſito autem, quòd locus non ſit interuallū illud, aliquo ex his modis explicatum, nec poſſit eſſe materia, aut forma corporis continentis, aut contenti; quia non poteſt eſſe pars intrinſeca eorum, ſed extrinſecum eſſe debet locato; ſequitur eſſe vltimā ſuperficiem corporis continentis, vt aſſerit Ariſt. cuius ſententia maximam abſque dubio probabilitatem habet. Sed vt meliùs intelligatur, & argumenta contra eam propoſita faciliùs ſolui poſſint, duo notanda ſunt. Primum eſt, ſuperficiem duo habere. Primum, quod ſit diuiſibilis ſecundum longitudinem, & latitudinem. Secundum, quòd ſit indiuiſibilis ſecundum profunditatem, ex quibus vnum officium exercere poteſt circa proprium corpus, & duo alia circa alienum, vel extrinſecum; nam terminus eſt profunditatis totius corporis, quaſi eam intra ſe includens, & ideò per eam poteſt proprium corpus tangere aliud, quia corpora non ſe tangunt ſecundum profunditatem immediatè, ſed per eius terminum, qui eſt ſuperficies, aut etiam per puncta indiuiſibilia, vt ſi ſint perfectè ſphærica, comparata ad perfectè plana. Habet præterea corpus ratione ſuperficiei, quod poſſit aliud circumſcribere, quia circumſcriptio non fit ſecundum profunditatem, ſed ſecundum latitudinem, per quam habet vnum corpus, quod poſſit totam profunditatem alterius ambire, & circumſcribere; nam per ſuperficiem concauam vnius corporis, & conuexam alterius ita ſe tangunt duo corpora, vt illud intra ſuam concauitatem includat totam profunditatem alterius ipſum ambiendo. Cuius ratio eſt, quia cum per ſuperficiem concauam tangat totam ſuperficiem connexam alterius, tangit quoque illa media totam profunditatem eius per eandem ſuperficiem connexam terminatam, & quaſi in ea incluſam, & ita fiunt contactus, circumſcriptio actiua, & paſſiua continentia duorum corporum per ſuperficies vltimas, aut extremas vtriuſque.

24 Secundò notandum eſt, æqualitatem duplicem eſſe, vt annotarunt Comm. & Alber. Mag. 4. lib. Phyſ. tex. 77. vna eſt dimenſionis, altera continentiæ. Æqualitas dimenſionis eſt illa, per quam vnum corpus adæquatur alteri ſecundùm omnem dimenſionem, quam habet, vt ſi corpus ſit, ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem: Æqualitas verò continentiæ eſt illa, per quam vnum corpus poteſt circumſcribere aliud, & illud intra ſe continere. & hæc ſolùm conſideratur ſecundùm longitudinem, & latitudinem, per quas tota profunditas corporis circumſcribitur, & continetur: vnde fit, æqualitatem non eſſe proprietatem loci primo modo ſumptam,

ſumptam, cum conſtet reperiri poſſe inter corpora, etiam ſi in loco non ſint, ſed ſolùm eſt proprietas eius accepta ſecundo modo. Et ex his habemus vltimam ſuperficiem vnius corporis tangere aliam, circumſcribere aliam, continere aliam,& eſſe æqualem ei, vel, vt propriùs loquamur, vnum corpus hæc habere in ordine ad aliud per ſuam ſuperficiem vltimam, quæ cum ſint proprietates loci, per illam verè, & propriè erit locus, & hoc ſibi voluit Ariſtot. locum definiens, quod ſit vltima ſuperficies corporis continentis.

Ex his ad primum argum. negãda eſt conſequẽtia, quòd locus debeat habere trinam dimenſionem, quia non eſt æqualis locato æqualitate dimenſionis, ſed ſolius continentiæ, quam non habent corpora per profunditatem, ſed per longitudinem & latitudinem, ſecundum quam poſſunt ſe tangere, circumſcribere, & continere: vnde per ſuperficiem vltimam vnũ eſt alteri æquale,& locus eius eſſe poteſt. Ad aliud, de immobilitate ſuperficiei dicemus, quæſt. 3. nunc autem ſatis eſt, minorem argum. diſtinguere, nam ſuperficies mouetur, vt eſt accidens corporis continentis, non vt eſt locus formaliter, vt ibidem explicabitur, & ideò poteſt eſſe locus. 25

Ad ſecundum conceſſa maiori, diſtinguẽda eſt minor, quòd corpora non moueantur ad vltimam ſuperficiem, nam duobus modis conſiderari hæc poteſt. Primò, vt condiſtincta à corpore, in quo eſt, quo pacto non eſt locus. Secundò, vt eſt terminus profunditatis eius eam in ſe continens, & ſic conſiderata, eſt locus, quare non mouentur corpora ad illam primo modo conſideratam, ſed vt terminus corporis eſt, per quem tangit aliud, circumſcribit,& continet aliud, & medio contactu, circumſcriptione,& continentia communicat ei virtutem, per quam conſeruatur,& ideò Ariſtot. nõn dixit locum eſſe ſuperficiem tantùm, ſed ſuperficiem corporis continentis, vt intelligeretur hoc modo ſumere ſuperficiem, & hoc modo eſſe locum, in quo dicuntur conſeruari corpora; quia medio contactu, & continentia loci; conſeruantur à corpore continente, cuius extremum eſt locus ipſe.

QVÆSTIO II.

An vltima ſuperficies corporis continentis ſit locus formaliter, vel ſolùm ratione materiali.

SEnſus quæſtionis eſt, an dum locus definitur ab Ariſtot. per ſuperficiem corporis cõtinentis, definiatur per eam tãquam per verum genus; nam ſi ita eſt, cum genus prædicetur 26

formali

formaliter de ſpecie, verum erit, quòd ſuperficies formaliter ſit locus, vel non niſi tanquam per ſubiectum eo modo, quo definitur album per corpus, & tunc non erit ſuperficies formaliter locus, ſed ſolùm materialiter.

Et prima opinio tenet duo eſſe in loco, nempè ſuperficiem continentem, & qualitatem, ſeu virtutem conſeruatiuam locati. Et primum eſſe materiale, & quaſi ſubiectum; Qualitatem verò quaſi formalem, & ideò per ſuperficiem definitur locus, tanquam per ſubiectum, ſicut ſolent cætera accidentia definiri. Ita ſentiunt Iandunus q. 4. ſuper 4. lib. Phyſ. Hæc tamen ſententia quãtum ad id, quod aſſerit rationem formalem loci conſiſtere in qualitate conſeruatiua locati, non poteſt eſſe vera. Nam cũ primis ex ea ſequitur, quòd locus formaliter & eſſentialiter ſit qualitas, & in prædicamento qualitatis collocetur; quòd nullus vnquam dixit, ſed neque aliquod genus deſignari poteſt in illo prædicamento, ſub quo ponatur locus: non enim ſub habitu, aut diſpoſitione; quia ſpecies iſtæ proprium ſubiectum eſſentialiter reſpiciunt, non extrinſecum corpus contentum, in quo videtur conſiſtere formalis ratio loci, ſed neque in genere naturalis potentiæ; nam hoc ſolùm dicit virtutem agendi abſtrahendo à continentia, vel circumſcriptione; de cæteris verò ſatis eſt manifeſtum; ergo non poteſt locus
27 pertinere ad prædicamentum qualitatis. Secundò, quia virtus conſeruatiua non pertinet ad eſſentiam loci, vt locus eſt; ergo non poteſt eſſe de eſſentia loci in communi definiti. Probatur antecedens, quia quod eſt de eſſentia loci, vt locus eſt, omnibus locis debet eſſentialiter conuenire, ſed virtus conſeruatiua non conuenit omnibus locis; ergo non eſt loco in communi conſiderato eſſentialis. Probatur minor; quia bene poteſt corpus eſſe in loco, in quo non conſeruetur, ſed potius deſtruatur, & etiam ſi virtus conſeruatiua loci, in quo eſt, deſinat in eo eſſe, permanere poterit in eo, tanquam in loco: cum poſſit permanere circumſcriptum ſuperficie eius, ſicut circumſcriptum erat priuſquam virtus corrumperetur; ergo virtus non pertinet vllo modo ad eſſentiam loci.

Propterea Scotus quodli. 11. art. 4. alio modo defendit eandem ſententiam, quod ſuperficies non ſit genus loci, aut ratio formalis eius, ſed ſolùm materialis, & quaſi ſubiectum; formale verò loci ponit in relatione continentiæ ad locatũ, quam vocat extrinſecus aduenientem, atque etiam in relatione diſtantiæ ad Polos. Probat hoc argumento: Locus ex propria differentia debet eſſe immobilis, ſed non habet immobilitatem à ſuperficie, quæ paſſim mouetur cum corpore continente, cuius eſt acci

eſt accidens; ſed ſolùm eam habet ab his relationibus continentiæ, ac diſtantiæ; ergo in his conſiſtit ratio formalis loci, ſuperficies verò materiale quid eſt.

Sed hæc etiam ſententia falſa probatur ex eo, quod locum formaliter, & eſſentialiter in ſola, & nuda relatione vna, aut pluribus collocat, nihil ei abſolutum tribuens: vnde ſequitur in prædicamento ad aliquid per ſe collocari: quod nullus vnquam dixit, nec verum eſſe poteſt, quia proprietates loci non poſſunt conuenire relationi, ſed alicui abſoluto conuenire debent, vt per ſe eſt manifeſtum. 28

Secunda opinio aſſerit, ſuperficiē pertinere ad rationem formalem loci, tanquam genus, & ideò non definiri locum ab Ariſtotele per eam, tanquā per ſubiectum, ſed tanquam per genus; modum verò, quo genus eſſe poſſit, ſic explicans, quia tribus modis conſiderari poteſt. Primò, vt eſt extenſa ſecundū dimenſiones longitudinis, & latitudinis, per quas terminat profunditatem corporis continentis, & hoc modo eſt ſecunda ſpecies quantitatis. Secundò, pro eiſdem dimenſionibus, in quantum per eas circumſcribit locatum, & hoc modo eſt alia ſpecies quantitatis continuæ diſtincta à ſuperficie in eodem prædicamento quantitatis. Tertiò, vt abſtrahit ab ordine ad corpus continens; & etiam ad corpus contentum, & ſolùm dicit quantitatem continuam extenſam ſecundum longitudinem, & latitudinem, & hoc modo eſt proximum genus ſui ipſius ſecundum duas conſiderationes priores, ſumptas, nempè ad ſuperficiem, prout eſt ſecunda ſpecies quantitatis continuæ, & prout eſt quarta, nempè locus continens locatum. In definitione igitur poſita eſt ab Ariſtotele ſub tertia conſideratione, & ideò tanquam verum genus, quod per reliquas particulas definitionis contrahitur ad ſpeciem loci. Ita Tolet. 4. lib. Phyſ. quæſt. 4. Quod etiā videntur ſentire Soncinnas 5. Meta. quæſt. 40. concl. 2. & Sotus quæſtione prima ſuper 4. lib. Phyſ. concl. 4. & Conimbric. ibidem quæſt. 1. artic. 2. in quantùm tenent ſuperficiem pertinere ad rationem formalem loci. Imò &, D. Tho. in 2. d. 12. qu. 1. art. 5. ad 2. vbi ita ait: *Locus eſt idem per eſſentiam, quod ſuperficies corporis locantis.* Et nos in primis noſtris Commentariis eandem ſecuti ſumus.

Sed re meliùs conſiderata, non videtur nobis defendenda hæc ſententia. Sed duo dicimus. Primum, non diſtingui ſpecie ſuperficiem, & locum ſub genere quantitatis continuæ, vt capite de quantitate in prædicamentis probauimus, ſed rationem loci ſolùm addere ſupra ſuperficiem continentiam locati includentem præſentiam ad locatum, & diſtantiam ad partes 29

vniuerſi

vniuerſi fixas. Præſentia autem modus quidam eſt ſe habendi ad illud includens reſpectum quendam ſecundum dici, & accidentaliter conueniens ſuperficiei, & ideò locus ad ſpeciem eius reducitur.

Secundò dicimus, locum duo includere eſſentialiter, ſicut quodlibet aliud concretum accidentale, ſed vnum pro materiali, nempè ſuperficiem, & aliud pro formali, videlicet continentiam & circumſcriptionem locati; quæ eſt modus iam explicatus, ſicut album dicit corpus ſub albedine, & vtrumque eſſentialiter in ſuo gradu, hoc eſt corpus tanquam materiale & albedinem tanquam formale: & ita definitur locus per ſuperficiem, tanquam per ſubiectum, & per continentiam immobilem tanquam per formam; ſed per vtrunque, tanquam per quid intrinſecum in ſuo ordine & gradu, vt in omnibus definitionibus concretorum accidentalium ſæpè declarauimus. Itaque ratio loci ponenda eſt in ſuperficie, tanquam in eo, quod continet, & circumſcribit locatum, & cui conueniunt omnes proprietates loci; non quidem ab intrinſeco, & ratione ſui, ſed modo accidentali: ſed quia locus concretum quoddam eſt accidentale, eam intrinſecè includit, & per eam tanquam per intrinſecum materiale definitur, ſicut cætera concreta accidentalia definiuntur per ſubiectum, & potius quàm per verum genus. Et ita intelligo D. Thomam & alios auctores citatos pro ſecunda opinione, qui ſolùm dicunt ſuperficiem intrinſecè pertinere ad locum, & per eam, tanquam per aliquid intrinſecum definiri ab Ariſtotele: an verò definiatur per illam tanquam per genus, vel tanquam per ſubiectum, non videntur explicare, ſed Toletus ſolus id explicat.

30 Quod duplici argumento probatur. Primò quia quantitas continua ſolùm dicit eſſentialiter proprias dimenſiones cum ordine aptitudinali ad ſubſtantiam, quam nata eſt ſecundùm eas extendere, ad alia verò extrinſeca ſolùm accidentaliter ordinari poteſt; ergo cum ſuperficies ſit quædam ſpecies quantitatis continuæ, ſolùm dicit eſſentialiter proprias dimenſiones cum ordine ad ſubſtantiam, quam poteſt ſecundùm eas extendere: vnde ſequitur accidentale ei eſſe quemcunque modum, vel ordinem ad aliud corpus, præter proprium, cuius extremum eſt: ſed eſſe locum habet per ordinem ad aliud corpus quod circumſcribit; ergo non poteſt ſe habere ad rationem formalem eius, tanquam genus ad ſpeciem, ſed tanquam ſubiectum ad formam accidentalem. Secundò, quia vnum corpus ſpecie, aut numero diſtinctum ab alio non poteſt eſſentialiter ordinari ad illud: ſed corpus continens diſtinguitur ſpecie, vel

numero

numero ab alio;ergo non poteſt eſſentialiter ordinari ad illud, ſed accidentaliter tantùm: rationem autem continentis habet per ordinem ad aliud corpus, quod continet per propriam ſuperficiem;ergo ratio loci conuenit ei accidentaliter,& ex conſequenti ſuperficiei eius, per quam continet, & locus alterius dicitur, quod adeò verum eſt,ac neceſſarium, vt multis corporibus repugnet continere, aut circumſcribere alia, & ex conſequenti ſuperficiei vltimæ eorum, vt patet in corporibus ſolidis, quibus repugnat continere alia, aut eſſe loca aliorum, & eodem modo repugnat ſuperficiei eorum: vnde ſequitur non conuenire rationem loci ſuperficiei, tanquam differentiam proprio generi, ſed ſolùm accidentaliter.

QVÆSTIO III.

An locus ſit per ſe, & eſſentialiter immobilis.

Circa hanc quæſtionem ſupponendum eſt tanquam certum apud omnes Philoſophos, locum eſſe immobilem, quia ſiue locum poſuerint eſſe materiam, vel formam corporum, ſiue interuallum, vel vltimam ſuperficiem corporis continentis, immobilem illum poſuerunt. Itaque de immobilitate loci nemo vnquam dubitauit; quia euidenti ratione probatur in motu locali, per quem certum eſt moueri corpora ad conſequendum locum: ſi autem locus quomodocunque moueretur, hoc eſt, ſiue per ſe, ſiue ad motum alterius, non poſſet eum conſequi corpus; ergo inclinatio ad locum ex qua mouetur, & motus ipſe,per quē eum aſſequi intendit,fruſtra eſſent.Secūdò, ſi locus moueretur, euidenter etiam ſequitur moueri corpus, & non mutare locum ſed in eodem loco permanere, & ex oppoſito non moueri,& mutare locum,& vtrumque patet eſſe abſurdum.Probatur conſequentia;nam ſi locus moueretur,vel ad motum corporis, in quo eſt, vel ad motum locati, quod continet,aut ſimul cum eo, ſecum deferret corpus proprium locum, quem ideò non mutaret, licèt verè moueretur localiter. Et ſi locus per motum tranſeat, & locatum permaneat, vt patet in arbore exiſtente in fluuio, mutabit locum, & non mouebitur. 31

Solùm ergo poteſt eſſe quæſtio de modo, quo immobilitas conueniat loco: & ratio efficax, quæ dubitare fecit omnes, eſt hæc: Etiam ſi ponamus locum eſſe ſuperficiem vltimam corporis continentis cum Ariſtot. & tota ſchola Peripatetica non videtur eſſe immobilis; nam bene ſequitur, ſuperficies vltima circumſcribens corpus eſt locus eius, ſed hæc mouetur; ergo

mouetur locus; quare non erit immobilis. Probatur minor exemplo turris: cuius proprius locus eſt ſuperficies aëris eam circundantis, ſed hæc tranſit, & ſuccedit alia, & huic alia in infinitum, ergo mutantur hæc omnia loca, & nullus eorum erit immobilis. Et ſi dicas ſuperficiem moueri, vt ſuperficies eſt, quo pacto materialiter ſolùm pertinet ad locum, non tamen moueri, vt continentem locatum, ex qua continentia habet eſſe locum formaliter. Probatur, etiam, vt continentem moueri, & ideò, vt locum formaliter. Primò quia continentia eſt in eadem ſuperficie, & hæc mouetur ad motum aëris, in quo eſt, ergo mouetur etiam cum ea continentia: & conſequenter mouetur ipſa, vt continens formaliter, & vt locus formaliter. Secundò, quia aliquando non contingit corpus moueri, & cum eo aërem vel aquam, à quibus circunſcribitur, & eadem velocitate moueri vtrumque; ergo tunc mouetur vltima ſuperficies aëris, quæ eſt locus permanens in ſua continentia, & circunſcriptione, quia eadem ſemper eſt, quæ circunſcribit corpus motum, & in eodem motu ipſum circunſcribit, manétque idem locus eodem modo motus ad locatum, quare vt locus mouebitur formaliter, & non ſolùm materialiter, vt ſuperficies.

32 Hoc argumentum adeò eſt difficile, vt propter difficultatem eius diuiſi fuerint auctores quantum ad motum tribuendi loco immobilitatem. Et prima opinio aſſerit, *locum quidem non moueri per ſe: ſed ſolum per accidens, ad motum corporis, cuius accidens eſt*, vt ſuperficies aëris circunſcribentis turrim mouetur ad motum aëris, in quo eſt tanquam accidens in proprio ſubjecto, quia motu ſubjecto, neceſſe eſt moueri omnia eius accidentia, nec ſolum mouetur locus accidentaliter; ſed adhuc hoc modo, non neceſſariò, ſed contingenter, quia fieri poteſt, vt non moueatur moto corpore, ſed immotus permaneat, vt patet dum aer exiſtens in aula immobilis permanet, exeuntibus corporibus in eo exiſtentibus, tanquam in loco, & ingredientibus aliis, & quia iſti duo modi immobilitatis videntur conuenire omnibus accidentibus: tertium excogitarunt loco proprium; quia locus non mouetur eodem motu, quo corpus mouetur ad ipſum, vt locus aulæ non mouetur eodem motu, quo mouentur corpora ingredientia ad illum occupandum, nec talem motum vllo modo participat; cætera verò accidentia aliquo modo participant eundem motum quo corpus mouetur ad ea acquirenda: vt albedo extenditur in eodum corpore per eundem motum, quo corpus mouetur ad ipſam, & quantitas fit maior per eundem motum argumentationis, quo corpus

mouetur ad eam acquirēdam: vnde ſequitur locū ſolū per accidēs moueri, & multò magis per accidēs quàm cætera accidētia. Ita ſentiunt Comm. ſuper 4. lib. Phyſ. Comm. 41. Iandun. q. 6. eiuſdem libri.

Hæc tamen ſententia non poteſt ſuſtineri in doctrina Ariſtotelis, qui pro vltima differētia loci poſuit immobilitatem; ergo ex mente illius eſſentialis eſt loco immobilitas, ſed cui eſſentialiter conuenit aliquid: repugnat oppoſitum, non ſolùm per ſe, ſed etiam per accidens, vt homini, nec per ſe, nec per accidens poteſt conuenire aliqua differentia irrationalis; ergo ex mente Ariſtotelis non ſolùm per ſe repugnat moueri locum, ſed etiam per accidens. Sed probatur eſſe falſam, quia eadem inconuenientia illata in principio quæſtionis ſequuntur, ſi locus moueatur per accidens, ac ſi moueatur per ſe, ergo non minus illud eſt falſum, quàm hoc. Probatur antecedens; nam etiamſi locus moueatur per accidens, ſequitur corpus immotum permanens locum mutare, & etiam moueri non mutando locum, & tandem nunquam poſſe conſequi locum, ad quem mouetur, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo apertè falſa eſt hæc ſententia. 33

Ideò ſecunda opinio aſſerit *locum eſſe immobilem, non ſimpliciter, vel non per identitatem, quo pacto homo eſt rationalis aut riſibilis, ſed per æquiualentiam, ita vt licet mutetur hæc, & illa ſuperficies; alia, quæ ſuccedit ei, æquiualeat, & ideò reputatur pro eodem loco.* Gratia exempli, hæc ſuperficies quæ circundat modo turrim, poſtmodum mouetur, ſed ſuccedit ei alia circundans eandem turrim in eodem ſitu, & ideò eadem officia exercet circa locatum, quod eſt ei eſſe æquiualens, idémq; cenſetur locus per æquiualentiam; & hinc eſt, quod nemo aſſerit turrim mutare locum, ſed in eodem permanere, quia eodem modo, in eodem ſitu & cum eiſdem circunſtantiis circunſcribitur ab hac, & illa, quæ ei ſuccedit, & eundem locum eius vtramque reputamus per æquiualentiam. Ita Scotus in 2. d. 2. q. 6. artic. 1. §. *Ad quæſtionem igitur iſtam.* Et videtur idem tenuiſſe D. Thomas in Comment. huius li. lect. 6. Hęc tamen ſententia probatur falſa teſtimonio Ariſtotelis & ratione. 34 Ariſt. enim pro differentia eſſentiali loci poſuit immobilitatem in definitione, ſed differentia eſſentialis conuenit indiuiduis eiuſdem ſpeciei per identitatem, & non per æquiualentiam; ergo falſum eſt, & contra Ariſtotelem, quòd hoc modo, & non illo conueniat loco immobilitas. Probatur minor; quia eſſentia ſpecifica conuenit neceſſariò cuicunque indiuiduo per identitatem, cum ſit idem cum eo, & conuenit etiam ei abſolutè

lutè, ſimpliciter, & per ſe, & nullo modo per æquiualentiã, hoc eſt, nõ vt alteri æquiualet, ſed quia tale eſt in ſe & per ſe: vt patet in hominib⁹ & quibuſcũq; aliis indiuiduis alterius ſpeciei.

Sed probatur eſſe falſam. Primò, quia loca, quæ variantur mutatis ſuperficiebus, ſunt diſtincta numero, cum non ſolùm diuerſæ ſint ſuperficies, ſed diuerſæ relationes continentiæ, quas ponit Scotus pro ratione formali loci: quas relationes certum eſt eſſe in ſuperficiebus, & cum eis mutari: cum non poſſint tranſire de ſubiecto in ſubiectum; & verum eſt de quolibet loco, non permanere, ſed tranſire; ergo verum eſt quemlibet mutari, & mobilem eſſe. Quod enim vnus æquiualeat alteri ratione officij, non facit eſſe idem numero cum eo, ſed ſolum eiuſdem ſpeciei; ergo dicere, quod locus ſit immobilis per æquiualentiam, & non per identitatem, ſolùm eſt dicere, immobilẽ eſſe in ſpecie; & nõ in indiuiduo, quod repugnat; quia repugnat immobilitatem conuenire loco per ſe in ſpecie, & non conuenire particularibus in indiuiduo acceptis.

35 Secundò, quia hæc ſuperficies circunſcribens turrim cum ſuis reſpectibus continentiæ, & ſitus in ordine ad Polos conſtituit hunc numero locum diſtinctum à quibuſcunque aliis ſibi ſuccedentibus, vel non ſuccedentibus, & euidens eſt mutari; ergo hic locus numero non erit immobilis. Nec tollit diſtinctionem numericam huius loci ab aliis, quod ei ſuccedat altera ſuperficies continens eũdem locatum ſub eodem reſpectu; atque in eodem ſitu, quia continentia, & reſpectus ſuperficiei ſuccedentis numero diſtincti ſunt; ſicut & ſuperficies ipſæ numero diſtinguuntur; ergo ſunt loci numero diuerſi, etiamſi vnus æquiualeat alteri, & quilibet mouetur; ergo euidens eſt locum in indiniduo mobilem eſſe, etiam ſi ſit immobilis per æquiualentiam. Et etiam ſi alius locus non ſuccederet ei, vt per diuinam potentiam fieri poteſt; erit hic numero locus & mutabitur, ſine æquiualentia; quod præſertim neceſſarium eſt; quia æquiualentia accidens eſt ſicut ſimilitudo; ergo non tollit diſtinctionem numericam eorum, inter quæ reperitur. Gratia exempli, æquiualentia eſt, quòd vnus homo ſuccedat in eodem officio Prætoris, quod exercebat alter, & ſolum ponit ſimilitudinem accidentalem inter eos, non tollens diſtinctionem indiuidualem; nemo enim dicit, hunc & alium ſibi ſuccedentem eſſe eundem Prætorem numero, ſed numero diſtinctos; nec dicit Prætorem non fuiſſe mutatum, quamuis ratione quadam accidentali ſimilitudinis & æquiualentiæ cenſeantur idem; ergo & loci ſibi ſuccedentes numero diſtincti ſunt. & cum quilibet mutetur, nemo negare poteſt loca in in-

diuiduo mutari; nec dicere, quod idem numero locus permaneat, licet ſuccedat alter eis ſimilis, & ratione ſolius accidentalis ſimilitudinis, quam facit æquiualentia, cenſeatur eundem locum permanere; cum ergo immobilitas ſit eſſentialis loco repugnat conuenire ei in ſpecie, & non in indiuiduo, ideò hæc ſententia, quæ ita conuenire ponit, falſa reputanda eſt.

Tertia opinio aſſerit *immobilitatem ſolum conuenire locis naturalibus elementorum, ad quæ mouentur naturaliter corpora, de quibus conſtat non poſſe moueri, quia nec mutari poteſt ordo conſtitutus inter præcipua corpora uniuerſi, ex quibus componitur.* Ita P. Perer. 36
11. lib. de loco, cap 3. cuius potiſsimum fundamentum eſt, quia corpora ſunt in triplici differentia, artificialia, naturalia, & Mathematica, & primis non debetur locus, vt artificialia ſunt, ſed propter naturalia corpora, ex quibus efficiuntur: nec etiam Mathematicis: cum a ſenſibilibus & ideò à loco abſtrahant. Solùm reſtant naturalia corpora, quæ duplicia ſunt, nempe cœleſtia, & ſublunaria, & de loco illorum non agit nunc Ariſtoteles: ſed in lib. de cœlo: ſolum ergo definit hic locum *ſurſum & deorſum*, ad quæ mouentur ſublunaria corpora. Quæ adhuc ſunt in duplici differentia: nam quædam habent determinatum locum & determinatum motum, per quem in illum tendunt, vt elementa, quæ ſic ſunt à natura diſpoſita in determinatis locis, vt ſuperius contineat inferius, & ſit locus naturalis eius. Alia ſunt corpora naturalia, quæ non habent determinatum motum, nec locum in indiuiduo ſed ſolùm in ſpecie, vt mixta, tam viuentia, quàm non viuentia, de quibus notum eſt ſurſum, & deorſum moueri, non quidem ad locum determinatum in indiuiduo; ſed ſolùm in ſpecie; vt piſces, qui per totam ſphæram aquæ diſcurrentes ad varia loca intra illam mouentur, & aues per totam ſphæram aëris, lapides quoque mouentur ad locum infimum, non tamen in indiuiduo determinatum: cum ad varias partes terræ moueri contingat; de locis ergo naturalibus vniuerſalium corporum, nempe elementorum ſolùm loquitur Ariſt. & in his ſolis immobilitatem requirit; quia ab eis tanquam à propriis ſedibus non poſſunt recedere; locos verò particulares aliorum corporum: cum determinati non ſint, nec oportet eſſe immobiles, imò nec poſſibile eſt immobilitatem eis tribuere, vt conuincit argumentum in principio quæſtionis propoſitum, quo probatur paſſim moueri: vnde vanum eſſe ait, & ſine fructu immobilitatem in eis quærere.

Hæc tamen ſententia non eſt ad mentem Ariſtotelis nec vera. Probatur primò quia Ariſt. de loco naturali in vniuerſali diſ- 37
putat;

putat; omnem locum naturalem definit per ſuperficiẽ vltimam corporis continentis, vt ſentiunt omnes eius interpretes, tam antiqui, quàm Moderni; ergo ſicut vltima ſuperficies corporis continentis non coarctatur ad loca elementorum, ſed omnibus locis particularibus conuenit, ſic etiã immobilitas omnibus debet conuenire. Et Philoſophi omnes antiqui pro certo tenendum eſſe docuerunt, omnem locum debere eſſe immobilẽ: quod euidenter probant rationes ſuperiùs adductæ. Nam ſi loca particularia mouentur, euidenter ſequitur corpus immotum, locum mutare, & etiam moueri localiter ſine mutatione loci; neque vnquam poſſe per motum conſequi locum, ad quem ex naturali inclinatione mouetur. Inueſtiganda igitur omninò eſt immobilitas, tam pro locis particularibus quàm pro communibus quæ illis conueniat per ſe & eſſentialiter, atq; etiam per identitatem, ſicut cætera prædicata eſſentialia, & non per æquiualentiam, vt differentia eſſentialis poſita ab Ariſtotele in definitione omnibus conueniat.

Sed priuſquam duas alias opiniones aliorum referamus, refutanda eſt quædam diuiſio loci à quibuſdã Modernis inuenta, in locum intrinſecum & extrinſecum: & locum intrinſecum appellant, præſentiam localem, per quam corpus dicitur eſſe præſens ſpatio diuiſibili; quæ ideò intrinſecus locus vocatur; quia corpori locato inhæret, locum verò extrinſecum vocant vltimam ſuperficiem corporis continentis, aut circunſcribentis; quia non inhæret locato, ſed extrinſeco continenti, & ideò non denominatur ab eo formaliter, ſed extrinſeca tantum denominatione. Et locus quidem intrinſecus immobilis eſt; extrinſeco verò difficile eſt immobilitatem tribuere; quia præſentia localis corporis ad ſpatium non variatur, ſed deſinit moto corpore; ſuperficies verò etiam eo immoto variatur. Hæc tamen diuiſio imprimis eſt expreſsè contra Ariſtotelem, qui cap. 4. huius lib. docet ad eſſentiam loci pertinere, quòd ſit diuiſus à locato, & extrinſecè eum circunſcribens, & ideò docuit non eſſe materiam & formam, quæ inſunt corpori, ſed vltimam ſuperficiem illud extrinſecè circunſcribentem; ergo doctrinæ Ariſt. repugnat ponere locum intrinſecum. Et ratione probatur falſa; quia locus & Vbi valdè diuerſa ſunt apud omnes, cum hoc præſentiã locati quaſi paſſiuam importet, & terminus per ſe ſit motus localis, qui per ſe terminatur non ad locum, ſed ad prædicamentum Vbi, vt docet Ariſt. 5. lib. Phyſ. locus verò extrinſecam, & quaſi actiuam circũſcriptionem importet, ſed præſentia corporis ad tale ſpatium eſt Vbi, per ſe acquiſita per motum localem, ergo falſum eſt, quod

ſit locus intrinſecus; vel ſi de nomine tantùm ſit quæſtio: impropriiſſima locutio eſt, locum intrinſecum eam appellare.

Hac igitur refutata ſententia, duo ſunt modi diſcendi circa immobilitatem loci, prior aſſerit, *locum non eſſe ſolam ſuperficiem vltimam corporis continentis, ſed præter illam talem diſtantiam ad partes fixas mundi etiam importare; nempe ad Polos, & ad centrum terræ, & hanc diſtantiam eſſe reſpectum ſecundum dici, quo completur ratio loci.* Et ita loca diuerſa, non ſolùm, diſtingui per diuerſas ſuperficies, ſed per diuerſas diſtantias, ſub quibus continent, & circumſcribunt locata, quod adeò verum eſt, vt contingat eandem ſuperficiem numero, diuerſum numero locum eſſe propter diuerſam diſtantiam, ſub qua continet idẽ, vel diuerſum corpus, vt ſuperficies aëris, quæ circumſcribit turrim, eſt hic locus numero, erit autem diſtinctus, ſi turrim pertranſiens aliud circunſcribat corpus in alia diſtantia, imò eadem ſupetficies circunſcribens hominem, ſi cum eo moueatur, erit etiam diſtinctus locus; quia licèt contineat idem locatum, in diuerſa diſtantia illud continet. Itaque locus dicit ſuperficiem continentem cum tali diſtantia ad centrum, & Polos, & ex vtroque ſumit ſuam vnitatem, & ex diuerſitate cuiuſcunque corũ diſtinctus eſt, hoc eſt variata ſuperficie, vel variata diſtantia, & locus ita ſumptus cum omnibus, quæ ad rationem eius pertinent, omninò immobilis eſt, quia nec per ſe nec per accidens transferri poteſt, vel moueri, ſed mutata ſuperficie deſinit eſſe idem locus, & eſt alius, & variata etiam diſtantia. Ita videtur ſentire D. Thom. 4. libr. Phyſ. textu 41. idem etiam tenet Sotus, quæſt. 1. huius lib. Toletus quæſt. 5. 38

Sed hæc ſententia impugnatur à Modernis; quia diſtantia ad Polos, & centrum non pertinet ad eſſentiam loci, nec vllam mentionem eius fecit Ariſtoteles agẽs de loco, & eum definiens; ergo ex ea non poteſt ſumi immobilitas eius. Secundò quia reſpectus diſtantiæ, aut eſt relatio ſecundum dici, aut ſecundum eſſe; non primum quia relatio ſecundum dici eſt de eſſentia alicuius abſoluti; hic verò reſpectus accidit loco, ſicut accidit ſuperficiei. Et tertiò, quia etiam ſi auferantur Poli, & centrum, remanebunt cætera corpora in eiſdem locis; ergo non pertinet ad rationem eorum. 39

Iidem verò Moderni aſſerunt duo tantùm eſſe de ratione loci, nempè vltimam ſuperficiem continentem, & præſentiam ad ſpatium; verum quidem vel imaginatium, & ab vtroque ſumi vnitatem numericam loci, ab hac ſuperficie continente, & ab hac præſentia ad ſpatium, & quolibet variato deſinere eſſe

eſſe hunc locum, & mutari in alterum numero diuerſum. Locum denique cum ſua præſentia ſumptum, immobilē eſſe; ita vt nec per ſe, nec per accidens variari poſſit, ſed variata ſuperficie deſinere eſſe hunc locum, & etiam variata hac præſentia.

40 *Noſtra* autem ſententia eſt, præter ſuperficiem vtrumque reſpectum includere locum, præſentiæ quidem ad ſpatium verum vel imaginarium, & diſtantiæ ad partes mundi fixas, quæ ſunt centrum, & Poli, veri quidem, aut imaginarij, & indiuiduationem huius, aut illius loci, ex his tribus ſumi, nempè ex hac numero ſuperficie, ex hac numero præſentia ad ſpatium & ex hac numero diſtantia ad Polos, & vtrumque eſſe reſpectum ſecundum dici, incluſum in ratione loci. Hanc ſententiam ſic explico, & probo ſimul, quia impoſſibile eſt in ſola ſuperficie conſiſtere rationem loci, & locum eſſe immobilem: cum euidens ſit ſuperficiem paſſim variari, ergo aliquid aliud debet habere locus, ratione cuius ſimul cum ſuperficie ſumpti immobilis eſſe poteſt; ſed non poteſt excogitari aliud præter hos reſpectus, & eos includere eſt neceſſarium, quorum ratione

41 immobilem eſſe conſtat; ergo ponendi ſunt. Minorem, quod eos debeat includere, ſic probo: nam communis locus omnium corporum ſublunarium eſt cœlum, ſub quo continentur omnia, & locus iſte immobilis eſt; quia immobilem, atque inuariabilem diſpoſitionem continent præcipua corpora ſub eo contenta: loca autem particularia, quaſi partes ſunt huius loci totalis, & ſpatia imaginaria partialia, partes etiam totius ſpatij imaginarij ſub eodem concauo cæli comprehenſi; ſed partes dicunt ordinem inter ſeſe, & ad totum; ergo loca partialia ſumi debent, atque diſtingui in ordine ad totum locum, ad totúmque ſpatium, & ad partes eius præcipuas, ex quibus variatur diſpoſitio eius: & quia immobilitas totius præcipuè oſtenditur in partibus fixis, quales ſunt centrum & Poli; propterea primus modus dicendi aſſeruit includere locum reſpectum diſtantiæ ad illas; ſed verè totum ipſum locum, & cæteras partes ſecũdum proprias diſpoſitiones reſpicit totum etiam ſpatium imaginarium, & illam quidem partem, circa quam continet reſpectu præſentiæ; cæteras verò reſpectu diſtãtiæ; ſic ergo ſumptus locus pro ſuperficie cum his reſpectibus, immobilis eſt, quia nullo modo variari poteſt, ſed quocunque variato, variatur locus.

42 Et argumenta contra primũ modum dicendi propoſita hoc verbo ſoluuntur, quia cum loca particularia ſint partes loci cõmunis intrinſecum reſpectum præſentiæ atque diſtantiæ ad illum includunt, atque adeò ad partes, nõ ſolum veras, ſed imaginarias,

ginarias,& tales reſpectus includit Ariſt.ſub verbo continentiæ, atque etiam ſub verbo immobilitatis, quia continentia immobilis non poteſt ſine illis intelligi. Sunt autem reſpectus ſecundum dici incluſi in ratione intrinſeca loci, tanquam complementum eius, & reſpectu centri imaginarij, & Polorum ſumerentur, ſi veri deficerent.

Ad argum.verò in principio poſitum reſpondeo, quod mutata ſuperficie,non mutatur locus turris, ſed deſinit eſſe, & ei ſuccedit alter: vnde non ſequitur locum eſſe mobilem. Et ſi dicas;ergo turris mutat diuerſa loca immota perſeuerans, reſpondeo aliud eſſe mutare loca, aliud habere diuerſa loca circa illam ſuccedentia, non per mutationem aliorum; ſed per deſitionem,& primum repugnat ſine motu, nõ ſecundum. Turris ergo habet diuerſa loca, non quæ mutet ipſa; ſed quæ circa eam ſuccedant ex eo, quod per tranſitum aëris ſucceſſiuum, quædam deſinunt eſſe per tranſitum ſuperficierũ,& alia de nouo ſuccedunt per fluxum aëris continuum, hoc autem non repugnat fieri ſine motu eiuſdem turris, vt conſideranti patet.

QVÆSTIO IIII.

An omnibus rebus conueniat eſſe in loco.

DVobus modis aliquid eſt in loco, definitiuè, & circumſcriptiuè.Eſſe in loco definitiuè eſt determinari ad vnum aliquem locum,vt per eum definiatur, hoc eſt: ita ſit in eo, quod non vbique, ſine commenſuratione tamen cum eo,ita vt partes loci non correſpondeant partibus locati; ſed quaſi modo indiuiſibili in eo ſit,totum in toto loco, & totum etiam in ſingulis partibus: quo pacto Angelus dicitur eſſe in loco definitiuè.Eſſe autem circumſcriptiuè in loco eſt non quomodocunque determinari ad vnum locum, ita vt non ſit vbique, ſed in eo eſſe per circumſcriptionem ab vltima ſuperficie corporis, in quo continetur, ita vt partes ſuperficiei continentis correſpondeant partibus corporis, & puncta punctis, & hoc modo ſunt corpora in loco.Hoc ſuppoſito res quædam ſunt ſpirituales, vt Deus, Angeli, anima rationalis ſeparata à corpore; aliæ ſunt corporeæ,vt corpora cœleſtia, & ſublunaria.Et de Deo certum eſt non eſſe in loco definitiuè, nec circumſcriptiuè propter eius immenſitatem, quæ à nullo definiri, aut contineri poteſt: de quo ideò dixit D. Aug. eſſe vbique ſine loco. Corpus etiam Chriſti, ſecundum illud eſſe ſacramentale, quod habet in Euchariſtia, nullo modo eſt in 43

loco;

loco; quia nec circumſcribitur aliqua ſuperficie, neque definitur his, aut illis ſpeciebus ſacramentalibus; ſed ita ſub his, vel illis continetur, vt ſub aliis, & aliis ſit in diuerſis locis cõſecratis, & ſub infinitis eſſe poſsit, ſi infinitæ conſecrarentur. Angeli verò, & anima ſeparata in loco ſunt definitiuè; quia vbique eſſe non poſſunt, & ad certum locum determinantur, ita vt in eo ſint, & non alibi: per quid autem ſint in loco, & quonam modo in eo ſe habeant, non pertinet ad nos, qui de loco naturalium corporum tantùm agimus; ſicut de eo ſolũ egit Ariſtot. Theologis ergo relinquenda ſunt loca rerum ſpiritualium, & modus in eo exiſtendi.

44 Solùm ergo reſtant corpora, quæ in triplici differentia ſunt, quædam ſunt Mathematica, quæ dicunt trinam dimenſionem, conſideratam tamen ſine ordine ad motum, vel accidentia ſenſibilia, hoc eſt enim Mathematicas abſtrahere à materia ſenſibili, & his non debetur locus per ſe, & formaliter loquendo, vt docet expreſsè Ariſt. cap. 1. huius lib. tex. 4. quia locus ſenſibilibus tantùm corporibus conuenit; Mathematica verò, vt talis abſtrahunt à ſenſibilibus & ex conſequenti à loco. Sed quia realiter coniũcta ſunt ſenſibilibus & ſolum per abſtractionem intellectus ab eis ſeparantur, realiter & materialiter debetur eis locus, quod eſt dicere ſenſibilibus deberi, & Mathematicis, non vt talibus, ſed vt reipſa ſenſibilibus, cõiunctis deberi, quo pacto eis tribuit locũ Ariſt. 1. lib. de gent. tex. 44. Et eodem modo loquẽdum eſt de artificialibus, quibus vt artificialia ſunt, non debetur locus, ſed ſolùm materialiter, ratione materiæ naturali, cui imprimitur artificialis forma, vt ſtatuæ debetur locus ratione ligni, cui materialiter coniungitur, non ratione artificij. Alia dènique ſunt corpora naturalia quibus per ſe debetur locus propter naturales eorum dimenſiones, ſed accidentibus eorum omninò per accidens excepta quantitate, cui per ſe primò debetur locus, & eius ratione cæteris.

45 Corpora autem naturalia quædã ſublunaria ſũt vt elementa, quæ ſic ſunt à natura diſpoſita, vt grauia ſint ſub leuioribus, & ab eis circumſcribantur; & ideò propria eorum loca ſint: vt ignis eſt locus naturalis aëris, & aër locus naturalis aquæ. Hæc verò totam terram circũſcriberet, & ſub ſe cõtineret, foretque proprius eius locus, ſi diſpoſitio, quam natura eius poſtulabat, ſeruanda eſſet; ſed propter viuentium generationem & conſeruationem, quæ in terra generãtur, vt homines, & animalia, & ſub aquis, nec multiplicari nec conſeruari poſſent, factum eſt à primo agente, à quo diſponuntur, & conſeruantur omnia; ſicut & facta ſunt, vt aquæ in vnum

congregarentur aquæ quæ in terra, vt Regius vates cecinit, & terra diſcooperta maneret, & ita poſſint in ea cõſeruari, & multiplicari animalia. Et ſecundum hanc diſpoſitionem terra partim cooperta eſt aquis; partim vero ab aere proxime circumſcribitur & ideo quaſi diuiſus eſt locus eius, & ex duplici, quaſi partiali loco compoſitus; ignis vero ſi elementaris datur, proxime continetur ſub concauo Lunæ, à quo tanquam à proprio circumſcribitur loco, & primum cœlum a ſecundo, & hoc a tertio, ſicque vſque ad vltimum, quod apud Ariſt. eſt firmamentum vel cœlum ſtellatum, & ideo appellatur ab eo primum mobile, quod ſuo motu ab Oriente in Occidens tempore viginti quatuor horarum conſumato rapit cæteros orbes, & cogit eos motum in eadem menſura temporis perficere: cum tamen proprij motus ſingulorum tardiores ſint. Sed ſupra hũc cœlum (quod vltimum reputauit Ariſt.) alterum dari immobilem, a quo circumſcribatur, & qui proprius locus eius ſit, tenet communis cõſenſus SS. Patrum, & Scholaſticorum, cum Magiſtro in 2. d. 15. qui omnes hunc orbem ſupremum & vltimum, ſub quo nullus eſt alius, empyreum, hoc eſt, igneum appellarunt, non quidem ab ardore, ſed à luce, & omninò immobilem, miraque claritate præditũ, quod fecit Deus Opt. & Max. vt eſſet ſedes & domicilium beatorum, & quaſi Regia eius curia, in qua reſidet, & facie ad faciem eis ſe oſtendit, & ſua clara viſione beatos facit. De quo dubium eſſe poteſt, an ſit in loco vel non; ſed quia Ariſtoteles de firmamento locutus eſt, tanquam de vltimo cœlo, ſupra quod non eſt aliud & illud mouetur, maior erit ratio dubitandi de illo (ex ſuppoſitione, quòd eſſet vltimum,) an ſit in loco, vel non.

Et eſt prima opinio Auicennæ 2. lib. ſuæ ſufficientiæ, cap. 8. & Alex. vt refert Suplic. digreſſione de loco, omninò negantium, *quod vltima ſphæra ſit in loco, hoc eſt, nec ſecundum ſe totam, nec ſecundum partes.* Et probant ex definitione Ariſtotelis; nam ſi locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis, cum vltima ſphæra nulla circumſcribatur ſuperficie alterius corporis, nullo modo erit in loco. Et ſi eis obiicias moueri localiter, & motum localem eſſe tẽdentiam ad locum, & ideò aliquo modo debere eſſe in loco, negat Alex. motum vltimæ ſphæræ eſſe localem; Auicenna verò concedens localẽ eſſe, dicit non terminari ad locum, ſed ad ſitum. 46

Secunda opinio eſt Themiſt. 4. lib. Phyſ. tex. 45. qui aſſerit, eſſe quidem in loco, non tamen ſicut alia corpora per vltimã ſuperficiem alterius, a qua circumſcribatur, ſed ratione ſuperficiei cõuexæ inferioris orbis, quam tangit, & ambit ipſe

per

per concauam propriam. Itaque eo ipſo quòd ambit aliud, & & eſt locus eius, cenſetur in loco eſſe

Gilbertus Porretan. (quem vocant auctorem ſex principiorum) alio modo tribuit ei locum, non quidem per ſuperficiem alienam, qua circumſcribatur, nec per propriam, vt circumſcribentem aliud: ſed per propriam, in quantum totam profunditatem etiam propriam continet.

47 Auerroes verò, Alphar. & Auenpa. 4. lib. Phyſ. text. 43. dicunt eſſe in loco, vt poſtulat motus eius circularis, qui cum non ſit ad locum, ſed circa locum, non petit corpus proprium eſſe in loco, à quo circunſcribatur, ſed in loco, circa quod moueatur. Et propterea aiunt centrum eſſe proprium eius locum. Hoc ſequitur Perer. lib. 11. cap. 9. & probat; quia motus localis per locum determinatur, ſpecificatur, & diſtinguitur ab aliis motibus ſui ordinis, ſed motus circularis ſpecificatur per centrum, & diſtinguitur a motu recto, qui fit in loco, & ad locum; ergo centrum erit proprius locus vltimæ ſphæræ.

Noſtra ſententia eſt, *quod vltima ſphara non ſit in loco actuali vllo modo, hoc eſt, nec ſecundum ſe totam, nec ſecundum partes; ſed ſolùm ſit in loco in potentia ſecundum partes, in quantum pars quælibet diuidi poteſt à toto, & tali modo diuidi, quod contineat, & circunſcribat aliam.* Ita expreſsè Ariſtot. cap. 5. huius libri: D. Thom. in Comment. eius, & quodlib. 6. artic. 3. Ferrar. quæſtione 5. huius 4. libr. Herueus quodlib. 10. quæſtiones 7. & Conimbric. hoc loco. Probatur prima pars noſtræ ſententiæ hoc argumento, quo refutantur aliæ. Locus eſt *vltima ſuperficies corporis continentis*, vt definit Ariſtoteles & recipit tota ſchola; ergo repugnat aliquid eſſe in loco, niſi per vltimam ſuperficiem alterius corporis circumſcribatur: ſed vltima ſphæra non circunſcriberetur ſuperficie alterius corporis, ſuppoſito quod nullum haberet ſupra ſe; ergo nullo modo eſſet actu in loco.

48 Ex quo infertur primò, falſam eſſe ſecundam opinionem aſſerentem, quòd eſſet in loco per ſuperficiem inferioris orbis ab eo circumſcripti. Probatur conſequentia, quia ex eo, quòd vnum corpus circunſcribat alterum, non ſequitur, quòd circunſcribatur ab eo; ergo nec ſequitur, quòd contineatur ab eo, nec etiam, quòd ſit in eo tanquam in loco, quia eſſe in loco non eſt circunſcribere alterum, ſed circunſcribi ab eo. Secundò ſequitur falſam eſſe tertiam opinionem, quòd ſit in loco per propriam ſuperficiem continentem totam profunditatem eius. Probatur conſequentia; nam vltima ſuperficies corporis continentis diuiſa eſſe debet à corpore contento, & illud

& illud extrinſecè circumſcribere; nam propterea Ariſtoteles probauit locum non eſſe materiam neque formam; quia non ſunt diuiſæ à corpore, cuius partes ſunt, ſed ei inſunt; ergo nec propria ſuperficies corporis locus eius eſſe poteſt, præterquam, quòd propria ſuperficies corporis neceſſariò mouetur cum eo; ergo repugnat eſſe eius locum, cui intrinſeca eſt immobilitas. Tertiò infertur falſam eſſe vltimam opinionem, quòd vltima ſphæra ſit in centro terræ, tanquam in loco. Probatur conſequentia; quia non circunſcribitur ab eo. Nec ſufficit, quod circa eum moueatur; quia nullus vnquam poſuit rationem loci, in eo, quòd eſt circa illum moueri; ſed in aliquo alio, quod poſſit actu habere corpus, etiam ſi non moueatur. Prima autem opinio ſolum differt à noſtra in eo, quòd negat vltimam ſphæram eſſe in loco ſecundum partes, non in actu, ſed in potentia, quod negari nō poteſt: cum expreſsè id docuerit Ariſtoteles, & ratio ſit manifeſta: nam ex eo vna pars integralis corporis non eſt in altera tanquam in loco; quia cum non ſit diuiſa ab ea, ſed continuata, non poteſt eam circunſcribere, ſi autem diuiſa circunſcribatur ab ea, erit (abſque dubio) in ea tanquam in loco actuali: ſed non implicat contradictionem; quòd diuidatur, & diuiſa circunſcribatur; ergo poſſibile eſt, quòd ſit in ea tanquam in loco actuali; ex quo euidenter deducitur eſſe in ea tanquam in loco potentiali, & ideò; quòd omnes partes cœli ſint in aliis tanquam in loco potentiali, vel, & quod totum cœlum ſecundum partes ſit ſecundum potentiam in loco. Quid autem referat, quod modo iſto communiſſimo, & impropriſſimo dicatur vltima ſphæra eſſe in loco. Reſpondeo, parum, vel nihil referre; ſed propter congruentiam quandam aſſertum eſt ab Ariſtotele; nam congruens eſt quod corpus, quod localiter monetur, aliquo ſaltem modo dicatur eſſe in loco.

Sed non videtur ſatis eſſe, quòd vltima ſphæra hoc modo ſit in loco, vt moueatur localiter: nam eo modo requiritur corpus eſſe in loco, quo mouetur localiter; ſed vltima ſphæra actu, & ſimpliciter mouetur localiter, ergo actu, & ſimpliciter debet eſſe in loco. Reſpondeo duplicem eſſe motum localem, rectum, qui fit de vno loco in alterum ad eum acquirendum; & circularem, qui non fit de vno loco in alterum, nec ad acquirendum locum, ſed ſolùm eſt circumuolutio circa eundem locum, vel punctum loci; & primus motus poſtulat corpus in loco eſſe, cum moueatur ad illum acquirendum: ad ſecundum autem motum impertinens eſt; quia cum non ſit motus ad locum, nec petit quòd mobile locum deſerat, 49

deſerat, vel eum acquirat, ſed ſolùm, quòd in eodem ſpatio euoluatur: & ideò actu poteſt moueri vltima ſphæra, etiam ſi actu non ſit in loco, imò etiam, ſi per impoſſibile non eſſet in loco ſecundum potentiam. Et ex hoc ſoluitur argumentum vltimæ opinionis, cui concedenda eſt vtraque pars antecedentis; ſed neganda cõſequentia, quòd vltima ſphæra ſit in centro tanquam in loco, ex eo, quod à centro ipſo determinetur, & ſpecificetur motus eius: non enim determinatur, vel ſpecificatur ab eo, tanquam à loco, in quo, ſed tanquam à loco circa quod: vel quod verius puto, non ſpecificatur ab eo tanquam à loco vllo modo, ſed tanquam à puncto, circa quod ſit, & id quidem, non tanquã à termino intrinſeco, ſed omninò extrinſeco, nam proprius terminus circularis motus eſt modus quidam intrinſecus præſentiæ, vel vbicationis, quem acquirit mobile, diuerſo modo ſe habens ſemper in ordine ad centrum.

An vltima ſphæra, ſi daretur mobilis, moueretur ſecundum ſe totam, vel ſolùm ſecundum partes.

50 DVbium hoc tetigit Ariſtoteles cap. 5. huius libri, an videlicet ſuppoſito, quod firmamentum eſſet vltima ſphæra, ſupra quam non eſſet alia, & ideò eſſet primum mobile, moueretur ſecundum ſe totam, vel ſolùm ſecundum partes, eo modo, quo corpus ſolet moueri ſecundum aliquas partes quieſcens totum in eodem loco. Itaque ſenſus dubij eſt, an motus circularis conueniret toti corpori cœleſti, & ideò totum moueri diceretur; vel ſolùm partibus, & ideò non ſecundum ſe totum diceretur moueri, ſed ſolùm ſecundum partes.

Et videtur hoc vltimum neceſſarium propter hoc argumentum. Vt corpus moueatur localiter, neceſſe eſt mutare locum, vel diuerſo modo ſe habere in eodem loco, vel circa eundem locum, ſed vltima ſphæra, nec mutat locum ſecundum ſe totam, nec diuerſo modo ſe habet in eodem loco, ſed ſolùm poteſt id habere ſecundum partes; ergo non niſi ſecundum partes mouetur.

Noſtra tamen ſententia eſt, quod eodem prorſus modo moueretur vltima ſphæra ſecundum ſe totam; & ſecundum partes, ſicut nunc mouetur quælibet alia ſphæra inferior.

Probatur teſtimonio Ariſtotelis cap. 5. huius libri, vbi loquens de motu primi mobilis ſub figura, aut exemplo elementi aquæ circulariter moti, ita ait: *Vnde, & ſi aqua fuerit huiuſmodi, partes quidem mouebuntur ipſius, omnis enim eſt tanquam quod mouebitur: & tanquam non, ſic quidem enim tota ſimul locum non*

non mutat, circulariter autem monebitur, (partium enim hic locus eſt) & ſurſum quidem, & deorſum non. In his autem verbis tria continentur expreſsè. Primum, ita ſe habere vltimam ſphæram in ſuo motu, ſicut aqua, ſi circulariter moueretur: ergo cenſet ita ſe habere in ſuo motu, ſicut ſe habent alia corpora inferiora, quæ ſe continent circulariter mota, ſed de his conſtat, non ſolùm ſecundum partes moueri, ſed etiam ſecundum ſe tota, ergo idem ſentit de vltima ſphæra. Secundum, totam ſphæram non mutare locum, ſed ſolùm partes. Tertium nihilominus totam ſphæram moueri, ita, vt non ſolis partibus conueniat motus circularis, ſed etiam toti, quod eſt ſecundum ſe totam moueri. Sed ratione probatur, quia vt totum corpus moueatur circulariter, non requiritur mutatio loci, vel vbi, quia motus circularis non eſt de vno loco, vel de vno vbi in alterum, ſed ſolùm eſt circumuolutio quædam in eodem loco, vel in eadem præſentia ad ſpatium, aut in eadem diſtantia ad centrum; ergo nec aliud requiritur, vt moueatur circulariter ſecundum ſe totum, ſed primum cælum ita ſe habere, vt per ſe patet; ergo ſecundum ſe totum moueretur. Secundò, quia certum eſt inferiores ſphæras in loco exiſtentes moueri ſecundum ſe totas, & non ſolùm ſecundum partes, alioqui repugnaret, quod corpus moueretur ſecundum ſe totam: ſed ita ſe haberet vltima ſphæra in ſuo motu, ſicut ſe habent inferiores; ergo etiam ſecundum ſe totum moueretur. Probatur minor, quia cum motus circularis non ſit de loco ad locum, nec ad acquirendum locum, impertinens eſt, quod corpus ſit in loco, vel non, vt circulariter moueatur, ſed ſolùm differt vltima ſphæra ab inferioribus in eo, quod illæ ſunt in loco, & hæc non; ergo nulla eſt differentia quantùm ad motum circularem, ſed eodem prorſus modo ſe habebunt ad illum, & ita ſicut inferiores mouentur ſecundum ſe totas, & non ſolùm ſecundum partes, ita vltima ſe haberet, ſi moueretur.

Pro ſolutione autem argumenti notandum, diuerſo modo ſe habere totum corpus, & partes eius in motu circulari, nam iſtæ mutantur de vno loco in alterum, vel certè de vno ſitu, vel præſentia in alteram, cum pars, quæ nunc eſt in Oriente, poſtmodum ſit in Occidenti, ſed totum, nec locum, nec ſitum, nec præſentiam, immò nec vbi mutat, niſi ſolùm ſecundum modum ſe habendi; quia ſemper eſt præſens eidem ſpatio; & ſemper eſt in eadem diſtantia ab aliis corporibus, ſed diuerſo modo ſe habet; quia diuerſam habet diſpoſitionem diuerſo modo ſe habentibus omnibus eius partibus. 51

Itaque

Itaque ex motu partium reſultat diuerſa diſpoſitio totius, vt totum eſt, quia totum, vt totum ex omnibus partibus ſimul ſumptis reſultat. Totum igitur, vt totum mouetur, & partes, vt partes, & ideò totum ſecundum ſe totum, & totnm ſecundum partes: diuerla tamen ratione: nam ſecundum partes mouetur mutando ſitum, præſentiam, & vbi partiale, ſed ſecundum ſe totum non mutando hæc, ſed mutando diſpoſitionem circa hæc, quod eſt non acquirere nouum vbi, ſed nouum modum vbicationis, vel præſentiæ, qui eſt proprius terminus motus circularis totius corporis. Et ex hoc intelligitur alia differentia inter motum totius, & partium, quòd iſte quaſi mixtus eſt ex recto, & circulari; nam de recto habet mutationem præſentiarum, de circulari verò eas mutare per circumuolutionem, quod eſt quaſi mutationes earum repetere: idem verò motus circularis, vt eſt motus totius corporis; nihil habet de recto, ſed purè circularis eſt. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles aſſeruit dicens, totum non mutare locum, ſed partes; moueri tamen; quia motus non conuenit toti corpori, vt eſt mutatio loci, vel vbi, ſed partibus, toti verò, vt eſt diuerſo modo ſe habere in eodem vbi.

Ad argumentum ergo neganda eſt minor, quod tota ſphæra non ſe habeat diuerſo modo in eadem præſentia, vel diſtantia, aut vbi, nam cum omnes eius partes ſint in diuerſa diſpoſitione, neceſſe eſt totum ipſum corpus ſecundum ſe totum diuerſam ſemper habere.

QVÆSTIO V.

An diuerſa corpora poſſint ſimul eſſe in eodem loco.

52 VT intelligatur quæſtio, duplex potentia diſtinguenda eſt, naturalis, & ſupernaturalis; & ſecundum primam procedit quæſtio præſens; in ſequenti verò diſputabitur de ſecunda. Quærimus ergo, an ſecundum potentiam naturalem repugnet duo corpora ſimul eſſe in eodem loco.

Et prima opinio tenet *eſſe poſſibile*: quam tenuerunt quidam ab Alexandro in opuſculo de mixtione, & Aſernelio ſecundo libro ſuæ Philoſophiæ citati. Probantque multis experientiis, ex quibus vnam, vel alteram afferre ſufficiet, cum eadem ſit ratio de cæteris. Amphora enim aquæ plena numeros intra ſe recipit abſque aliqua expulſione aquæ, vt teſtatur Plinius libro ſecundo, hiſtoriæ naturalis capite ſexageſimo ſecundo, quod non poteſt fieri, niſi per ſimultaneam

exiſten

exiſtentiam eorum cum aqua in eodem loco. In vaſe etiam
cineribus pleno tanta recipitur aqua, quanta reciperetur, ſi va-
cuum eſſet; ergo idem interuallum, quod eſt inter latera eius,
occupant ſimul cineres, & aqua. Sed ratione probatur, quia ſi
hoc repugnaret, maximè, quia quantitas cuiuſlibet corporis
eſt occupatiua loci, & diuerſa quantitas occupatiua diuerſi lo-
ci: ſed non repugnat plures quantitates occupare eundem lo-
cum; ergo nec duo corpora ſimul in eo eſſe. Probatur minor.
Primò, quia non poteſt vna quantitas expellere aliam ab eo-
dem loco in aliquo genere cauſæ; ergo non repugnat plures
occupare eundem locum. Antecedens probatur, quia quantitas
non eſt forma actiua; ergo non poteſt expellere aliam in ge-
nere cauſæ efficientis, & cum exiſtentia in loco non fiat per in-
formationem, aut receptionem vnius quantitatis in alia, non
poſſunt ſe expellere in genere cauſæ formalis, aut materialis;
quare expulſio erit naturaliter impoſſibilis, & ſimultanea exi-
ſtentia poſſibilis naturaliter. Secundò, quia quodlibet accidens
corporeum eſt occupatiuum loci, & tamen omnia accidentia
eiuſdem corporis recipiuntur in eodem loco cum ipſomet cor-
pore; ergo poterunt etiam recipi diuerſæ quantitates diuerſo-
rum corporum.

Secunda opinio eſt communis, *& vera quòd non ſit naturaliter*
poſſibile, duo corpora eſſe in eodem loco. Probatur teſtimonio Ari-
ſtotelis in hoc 4. lib. textu 27. vbi probans, quod nihil poſſit
eſſe in ſeipſo tanquam in loco, adhuc per accidens, pro magno
inconuenienti colligit, ex eo ſequi, quod duo corpora eſſent
ſimul in eodem loco his verbis: *At verò neque ſecundum acci-* 53
dens contingere, ſimul enim duo corpora in eodem inerunt. Et ita
etiam ſentiunt omnes eius interpretes in commentariis huius
loci. Sed probatur ratione, quia non poſſunt duo corpora oc-
cupare eundem locum, niſi per penetrationem dimenſionum,
ſed penetratio reputatur naturaliter impoſſibilis in ſchola Phi-
loſophica; ergo impoſſibile eſt etiam naturaliter, quod duo
corpora ſimul ſint in eodem loco. Maior manifeſta eſt, quia ſe
penetrare duo corpora, non eſt aliud, quàm ſimul occupare
eundem locum. Minor verò pro certa recipitur ab omnibus,
propter naturam quantitatis, quæ eſt extenſio partium, & eſſe
occupatiuam loci, ita, vt diuerſis partibus eius debeatur diſtin-
cta pars loci, & hoc eſt eſſe radicem impenetrabilitatis, quia eo
ipſo, quòd quantitas eſt occupatiua loci, nata eſt etiam impe-
dire aliam ab occupatione eiuſdem loci: naturale eſt igitur
vnam quantitatem expellere aliam ab eodem loco, vt vidimus
in aqua, & aëre, & in omnibus aliis corporibus ſic ſe habenti-
bus

bus circa locum, vt illud quod faciliùs cedit, ſtatim relinquat alteri locum ab eo exiens, quod non eſſet neceſſarium, ſi poſſent duo ſimul occupare eundem locum, quare impoſſibile hoc reputandum eſt ex natura quantitatis. Vnde pro magno miraculo habetur in ſacris literis, à ſanctis Patribus, quotieſcunque in eis legitur, quod duo corpora ſimul in eodem loco extiterint, vel ſe penetrauerint, vt in natiuitate Chriſti, & reſurrectione eius, aſcenſuque in cœlum.

54 Ad experientias verò in contrarium adductas, ſic reſpondendum eſt, vt amphora plena ſolùm poſſit recipere nummos, aut retinere ſine effuſione aquæ, quandiu ſicca fuerint labra eiuſdem amphoræ, quibus iā madefactis impoſſibile eſt quidquid Plinius dixerit. Vas autem cineribus plenum aquam in poris recipit, & per receptionem aquæ conſtipantur cineres, atque exhalatur aqua, & ex vtroque fit, vt ad minorem locum vtrumque corpus reducatur: ſicque in eodem interuallo vaſis ſimul recipiantur, non quidem ita, vt eaſdem partes occupent, ſed diuerſas. Quod verò tantùm aqua infundi poſsit in vaſe cineribus pleno, ac vacuo, non facilè crediderim; ſed in hac re experientiæ potius, quàm authoritati ſtandum eſt.

Ad argumentum verò neganda eſt minor, quod non repugnet naturaliter duo corpora, vel duas quantitates occupare eundem locum. Et cum additur neutrum poſſe aliam expellere in aliquo genere cauſæ, etiam eſt negādum, quia licet in genere cauſæ efficientis non ſe expellant, propterea, quod nemo dixit quantitatem eſſe actiuam formam, ſed vna expellit alteram per naturalem incompoſsibilitatem formalem: nam licet occupatio loci non fiat per informationem, ſed valdè ſimilis eſt informationi, & ad genus cauſæ formalis reducitur.

55 De cæteris verò accidentibus dicendum eſt, non eſſe occupatiua diſtincti loci, ſed eiuſdem cum corpore ipſo, & quantitate eius. Et ratio huius eſt; quia nec ſubſtantia, nec accidentia corporea, excepta quantitate, habent ex ſe vllam extenſionem molis occupatiuam loci; ſed ſicut à quantitate extenduntur, ſic ab eadem habent eſſe occupatiua loci. Itaque ſoli quantitati debetur per ſe locus; ſubſtantiæ verò, & reliquis accidentibus ſolùm ratione quantitatis: & cum vna tantum ſit quantitas in vno corpore, tantùm eſt vna ratio occupandi locum, & omnia nata ſunt occupare eundem locum ratione eiuſdem quantitatis. Negandum igitur eſt, quod eadem ſit ratio de multis accidentibus eiuſdem corporis, & de multis quantitatibus, nam cùm quantitati ex ſe debeatur locus, multis quantitatibus plura debentur, ac diſtincta loca, & propterea licèt non

repugnet omnia accidentia eiuſdem corporis occupare eũdem locum,repugnat tamen diuerſis quantitatibus.

DVBIVM INCIDENS.

An ſingulis accidentibus eiuſdem corporis diſtincta præſentia locales,ſeu diſtincta vbi,correſpondeant.

DE locis iam diximus non correſpondere diſtinctos diſtinctis accidentibus eiuſdem corporis. In quo omnes conueniunt, ſed de vbi,vel præſentia ad ſpatium, dubitatum eſt à Modernis, an tot habeat vbi, totque præſentias res quælibet, quòd accidentia habet realiter diſtincta, ita vt vnum vbi, vel vna præſentia correſpondeat ſubſtantiæ hominis,alia quantitati,& qualitati alia,ſicque cæteris accidentibus, vel ſicut vnus eis locus correſpondet, quod ſine penetratione omnia occupant,pari ratione correſpondeat eis vnum vbi. 56

Et prima opinio diſtinguit duplicem præſentiam,vel duplex vbi: vna eſt quantitatiua, quæ vocari poteſt vbi circumſcriptiuum, aut circumſcriptibile; quam habet corpus per commenſurationem cum loco, quæ ideò diuiſibilis eſt, ita vt toti corpori tota correſpondeat, ſicut toti loco præſens eſt,& partes partibus:cum & iſtæ partibus etiam loci ſint præſentes per veram occupationem earum. Aliud eſt vbi definitiuum, nempè præſentia non commenſurata loco, ita vt toti correſpondeat integra per commenſurationem ad totum locum, & pars præſentiæ, partibus rei per commenſurationem ad partes loci, quas occupant,ſed definita loco, vel ſpatio, per quam res quælibet dicitur habere vbi, & hoc vbi commune eſt corporeis, atque ſpiritualibus; ita vt illud habitura ſit ſubſtantia, etiam ſi ſpolietur quantitate. Et primum quidem vbi dicunt habere ſubſtantiam, & corporea accidentia à quantitate, ſicut ab ea habent. Secundum verò non niſi à propria entitate, vt actu exiſtenti. Et ideò primum vbi non multiplicari pro quantitate, & ſubſtantia, cæteriſque eius accidentibus, ſed vnum correſpondere omnibus,ſicut vnus locus,ita,vt quantitati correſpondeat per ſe primò, & cæteris eius ratione. Vbi verò ſecundum multiplicari, & ideò tot habere præſentias rem quamlibet, quot habet accidentia diſtincta realiter præter ipſummet vbi; vel præſentiam, quæ præſens eſt per ſe ipſam, & non per aliam præſentiam, alioqui procederetur in infinitum. Nec ſolùm hoc verum eſſe in ſubſtantia corporea, ſed etiam in ſpirituali

rituali: cum iſte modus præſentiæ vtrique ſit communis. Et ideò vnam habebit præſentiam Angelus, aliam intellectus eius,& voluntas aliam,ſicque de cæteris accidentibus.

57 Probant primò, quia cuilibet rei exiſtenti extra cauſas debetur præſentia realis: ergo diſtinctis rebus actu exiſtentibus per diſtinctas exiſtentias debetur diſtincta præſentia; alioqui, ſi eam non haberet, eſſet in rerum natura extra ſuas cauſas actu exiſtens, & nullibi,vel nuſquam eſſet, quod patet eſſe impoſſibile. Secundò, quia ſubſtantia, & quantitas habent diſtinctas præſentias,ergo eodẽ modo habebũt diſtinctas cætera accidentia. Probatur conſequentia; quia ſubſtantia, & quantitas habent diſtinctas præſentias, vel diſtincta vbi; quia habent diſtinctas entitates reales actu exiſtentes, quarum ratione eis debentur, ſed cætera accidentia habent etiam diſtinctas entitates actuales à ſubſtantia, & quantitate, & inter ſeſe; ergo habebunt diſtinctas præſentias. Probatur deinde antecedens, quia ſi Deus ſeparet quantitatem à ſubſtantia, remaneret ſubſtantia præſens, & cum ſuo vbi, ſicut cum ſua entitate: ergo habet præſentiam diſtinctam à præſentia quantitatis, & tandem, quia dum aliquod accidens ſeparatur à ſubſtantia, habet præſentiam per ſe diſtinctam à præſentia ſubſtãtiæ;ergo eandem habebat, dum erat in ſubſtantia, cum eſſet eadem entitas realis extra cauſas.

58 Hæc tamen ſententia ſingularis eſt, & nunquam audita in ſchola, atque etiam contraria doctrinæ Ariſtotelis, & rationi. Probo primum, quia ſi tot vbi multiplicantur, quot ſunt accidentia realiter diſtincta, ſequitur tot etiam motus locales multiplicari. Probatur conſequentia, quia vbi eſt terminus proprius motu localis; ergo ſi pro quolibet accidenti ponitur proprium, vbi, diſtinctum, tot vbi acquiret corpus, dum mouetur, quot accidentia habet, ſed acquiſitio,vbi; eſt motus localis; ergo per tot motus locales acquirentur: & ita tot motibus mouebitur homo; quot habet accidentia, quot habet potẽtias ſenſitiuas, quot habet ſpecies ſenſibiles in memoria ſenſitiua,& intellectiua,quod eſt contra Ariſtot. 5. lib. Phyſ. cap. 1. & 2. lib. Topic. cap. 3. loco 24. expreſsè aſſerentem, accidentia non moueri per ſe,ſed per accidens motu ſubjecti; quia motis nobis mouentur eodem motu,quæ in nobis ſunt. Et etiam contra rationem;quia cum accidentia non ſint entia naturalia,non habent principium motus,quare non poſſunt propriis motibus moueri, ſed eodem motu,quo mouetur ſubſtantia,& id quidem per accidens.

59 Quod verò ſit contra rationem probatur; quia præſentia

fundatur in eſſe rei; ergo ſecundum modum eſſendi debetur ſingulis rebus præſentia: ſed accidentia non habent eſſe per ſe, ſed ſunt aliquid ſubſtantiæ; ergo nec debetur eis præſentia per ſe, ſed ſoli ſubſtantiæ, ſicut certum eſt, non deberi eis motum per ſe, per quem acquiritur, ſed ſicut mouentur per accidens motu ſubſtantiæ, ſic etiam ſunt præſentia per accidens, præſentia ſubſtantiæ quæ eis communicatur.

Noſtra igitur ſententia eſt, in quacunque ſubſtantia non eſſe, niſi vnicam præſentiam, vnicumque vbi, ei per ſe primò debitum; in ſubſtantiis verò corporeis hanc vnicam præſentiam ſubſtantiæ extendi per quantitatem, & fieri circunſcriptibilem; & ita extenſam communicari cæteris accidentibus corporeis. Itaque non habent diſtinctas præſentias ſubſtantia, & quantitas; ſed eandem, in qua mutuam habent communicationem; nam in quantum præſentia definitiua eſt, conuenit per ſe ſubſtantiæ, & communicatur quantitati, tanquam accidenti eiuſdem ſubſtantiæ; ſed in quantum eſt localis, vel circumſcriptibilis, conuenit primò quantitati & communicatur ſubſtantiæ, cæteris verò accidentibus communicatur à ſubſtantia ſecundum priorem conſiderationem ejuſdem præſentiæ: ſecundum poſteriorem verò communicatur eis à quantitate; & eodem modo in rebus ſpiritualibus dicendum eſt, vnicam eſſe præſentiam & vnicum vbi; per ſe conueniens ſubſtantiæ, & per communicationem accidentibus: & ſicut vnica eſt præſentia, & vbi vnicum in re quacunque corporea, & ſpirituali, ita vnico motu locali mouetur per ſe conueniens ſubſtantiæ, & per ſe accidens accidentibus.

Ad primum argumentum alterius ſententiæ diſtinguendum 60
eſt antecedens; quia non debetur præſentia, vel vbi cuicunque entitati reali extra cauſas exiſtenti, niſi ſecundum modum eſſendi eius; ſicut nec debetur motus localis, per quem acquiritur, vel producitur: & cum accidentia non habeant modum eſſendi per ſe, licet ſint entitates reales extra cauſas, non debetur eis præſentia per ſe, ſed per accidens ratione ſubſtantiæ habentis modum eſſendi per ſe; non ſunt ergo per ſe præſentia, ſed per accidens, ſicut non habent eſſe per ſe, ſed in alio. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quòd ſubſtantia, & quantitas habeant diſtinctas præſentias, ſed vnam tantùm habent, quæ per ſe conuenit ſubſtantiæ, vt præſentia definitiua eſt, & per accidens quantitati, vt autem eſt circunſcriptibilis, vel localis, ex oppoſito, primò, & per ſe conuenit quantitati, & per accidens ſubſtantiæ. aliis verò accidentibus communicatur vtroque modo per accidens. Ad tertium concedendum

dum eſt antecedens: quia dum ſeparantur accidentia à ſubſtantia, habent modum eſſendi per ſe, & ideò debetur eis præſentia, vel vbi per ſe, & diſtinctum ab vbi ſubſtantiæ, quod prius eis communicabatur, ſicut habent modum eſſendi ſeparatum ab ea, neganda tamen eſt conſequentia, quod etiam dum ſunt in ſubſtantia, habeat propriam præſentiam diſtinctam à præſentia ſubſtantiæ. Quia ſicut non ſunt per ſe, ſed in alio, tanquam accidentia eius, ita nec debetur eis præſentia per ſe, ſed ſolùm communicatur eis præſentia ſubſtantiæ accidentaliter.

QVÆSTIO VI.

An per potentiam Dei abſolutam poſſint duo corpora eſſe in eadem loco.

61 PRima opinio aſſerit; implicare contradictionem, & ideò non poſſe fieri etiam per potentiam Dei abſolutam. Quam vt probabilem defendit Duran. in 4. diſtin. 44. quæſt. 6. probat tribus argumentis, quæ ad vnum reduci poſſunt hoc modo: Si duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco; ergo etiam duæ partes eiuſdem corporis. Probatur conſequentia: quia ſicut diſtinctis partibus eiuſdem corporis debentur diſtinctæ partes loci, ſic diſtinctis corporibus debentur loca diſtincta; ergo non eſt maior repugnantia in vno, quàm in alio, ſed repugnat ſecundum; ergo etiam primum. Probatur minor, quia partes eiuſdem corporis ab intrinſeco habent, hoc eſt, ex propria extenſione, qua vna eſt extra aliam, diſtingui, ſitu, & poſitione; ergo repugnat, quòd in eodem loco vnius includantur plures, vt in loco digiti, caput, & pedes, nam ſi hoc poſſet fieri, poſſibile etiam eſſet, vt omnes reducerentur ad locum digiti, & ex conſequenti totum corpus in eo includeretur, & tunc pars eſſet æqualis toti: & in loco minori includeretur maior, fieretque montem poſſe tranſire per foramen paruum. Et tandem ſi duæ partes quantitatis permanentis ſimul eſſe poſſunt in eodem loco, partes quantitatis ſucceſsiuæ ſimul eſſe poterunt duratione. Probatur conſequentia, quia ſicut permanentes habent intrinſecum ordinem extenſionis, & nihilominus poſſunt habere eandem extenſionem localem, eodem modo licèt partes ſucceſsiuæ habeant ordinem ſucceſionis, poterunt eſſe ſimul, quod manifeſtè repugnat: quia eo ipſo tolleretur ordo prioris, & poſterioris, atq; adeò ordo ſucceſsionis eis intrinſecus; ergo non minus repugnabit, quòd partes quantitatis permanentis ſimul ſint in eodem loco.

Propterea ſecunda opinio Scoti in 4. d. 49. quæſtione 16. ad ſecundum *negat etiam poſſe vllo modo fieri, quòd duo corpora ſimul ſint in eodem loco, ſi vtrumque occupet locum, ſed neceſſarium eſſe, quòd alterum abſoluatur ab occu p atione loci, & ita poterit eſſe ſimul cum alio.* In duobus itaque conueniũt duæ iſtæ opiniones; nam vtraque aſſerit corpora actualiter extenſa in ordine ad locum, non poſſe vllo modo eſſe ſimul in eodem. Secundò aſſerunt, penetrationẽ corporum, vel dimenſionem implicare cõtradictionem, & ideò non eſſe vllo modo poſsibilem. 62

Sed tertia opinio affirmat *per potentiam Dei abſolutam fieri poſſe, quod duo corpora ſint in eodem loco, contra primam, & hoc eſſe poſſibile, etiam ſi vtrumque occupet locum*, contra ſecundam, atque etiam contra vtrámque, quod in eodem loco ſe penetrent; quia penetratio dimenſionum non implicat contradictionem, licèt ſit naturaliter impoſſibilis. Ita D. Thom. multis ſuæ doctrinæ locis, præſertim in 4. d. 43. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 3. ad 1. & 4. & ſuper Boëtium de Trinitate quæſt. de cauſarum pluralitate art. 3. D. Bona. in 4. d. 40. parte 2. artic. 2. quæſt. 1. Richard. ibidem art. 2. quæſt. 5. Pater Suarius 3. part. quæſt. 54. art. 4. diſp. 46. ſectio 5. *& eſt iam communis in ſchola, & vera.*

Probatur ex myſteriis noſtræ fidei, imprimis contra Durandum ex myſterio Euchariſtiæ, in qua corpus Chriſti, licèt non ſit in loco, nec localiter extẽſus, nec ſe penetret cum ſpeciebus, ſimul tamen eſt cum eis; ergo duo corpora vtcunque eſſe ſimul non repugnat. Quod verò reſpondet huic argumento Duran. in 4. d. 10. quæſt. 2. num. 14. & 15. Difficile ſibi viſum eſſe defendere, quod quantitas corporis Chriſti ſimul cum ſubſtantia corporis eius ſit ſub ſpeciebus, & ideò probabiliter defendi poſſe, quòd ſolum ſit corpus Chriſti in Euchariſtia ſecundam ſubſtantiam, & non ſecundum quantitatem, ad euacuandas difficultates, quæ ex admiſsione duarum quantitatum ſimul exiſtentium oriuntur, non ſolum eſt periculoſum in fide Catholica, ſed errori proximum, quia Eccleſia ſemper intellexit totum Chriſtum, ita integrum, ac eſt in cœlo contineri in Euchariſtia, & ita habere ſua membra ſanctiſſima, vt caput, brachia, & pedes formata, ac figurata, ſicut habebat, dum in hoc mũdo nobiſcum viuebat, & habet modo in cœlo, quod ſine ſua quantitate habere non poſſet. Non eſt ergo audienda hæc ſolutio Durandi, nec vllo modo probabilis reputanda. 63

Probatur etiam aduerſus vtramque ſententiam ex natiuitate Chriſti, & ex reſurrectione eius; nam in natiuitate egreſ-

ſus

ſus eſt ex vtero virginali clauſo, atque integro permanente, & clauſo ſepulchro egreſſus eſt etiam in reſurrectione, & ingreſſus ad diſcipulos ianuis clauſis. Quæ per penetrationem ſacri corporis cum corpore puriſſimo Virginis, cum lapide ſepulchri, & cum ianuis facta ſunt; ergo nec impoſſibilis eſt penetratio corporum; nec etiam, quòd plura ſimul occupent eundem locum, vt probat efficaciùs teſtimonium D. Pauli ad Hebræos 4. vbi de aſcenſu Chriſti in cœlum ait: *Habentes ergo pontificem, qui penetrauit cœlos Ieſum filium Dei.* Vnde ſequitur admittenda non eſſe, quæ Durandus eiſdem locis reſpondet ad priora teſtimonia; quia pugnant cum communi ſenſu SS. Patrum vt communi conſenſu Theologi oſtendunt, quibus relinquenda ſunt.

64 Vt autem explicemus, ac probemus ſimul hoc non implicare contradictionem, notandum eſt, quòd ab eſſentia quantitatis, quæ eſt extenſio partium ſecundum magnitudinem, & molem, procedunt duæ iſtæ proprietates, nempe aptitudo occupandi locum, & ineptitudo ſimul exiſtendi cum alia quantitate in eodem loco, aut ſe penetrandi cum ea, quæ ineptitudo vocatur impenetrabilitas formalis; iſtæ autem proprietates non ſunt entitates diſtinctæ ab eadem quantitate, ſed ſola ratione ſicut proprietates entis ſola ratione ab eo diſtinguuntur, non enim intelligitur, quòd ſint potentiæ, vel aptitudines de prædicamento qualitatis ſuperadditæ eſſentiæ quantitatis, ſicut intellectus eſt qualitas ſuperaddita animæ, & riſibilitas homini; quia neque occupare locum eſt agere, vt ad id requiratur ſuperaddita potentia, ſed ſolùm ſunt rationes poſteriores conſequentes eſſentiam quantitatis, ſicut verum bonum, & vnum conſequuntur entitatem. Actus autem vtriuſque aptitudinis eſt occupare locum, aut actu extendi in eo, & actualis expulſio alterius quantitatis ab eodem loco, & ab his actibus abſolui poſſunt; non tamen ab aptitudine occupandi locum, & expellendi aliam: quia non poteſt intelligi eſſentia quantitatis, quin eam ſequantur aptitudines iſtæ, quæ ſunt proprietates eius, ſicut nec entitas,

65 quin eam conſequantur veritas, & bonitas. Ex quo infero, quod licet à pluribus dicatur, & à nobis aliquando dictum ſit (vulgarem modum loquendi ſequentibus) quod extenſio partium in ordine ad locum eſt proprietas quantitatis, & hæc proprietas ſeparatur per diuinam potentiam à quantitate corporis Chriſti in Euchariſtia exiſtentis; propriùs tamen, & veriùs dicitur, actualem extenſionem in ordine ad locum non eſſe proprietatem quantitatis, ſed aptitudinem habendi

partes actu extenſas in loco: habere autem actu extẽſas actum potius eſſe eiuſdem aptitudinis, quæ eſt proprietas, & ideò accidens eiuſdem quantitatis, & alia entitas modalis diſtincta ab ea ex natura rei, & ab hac actuali occupatione, vel actuali extenſione in loco abſoluitur quantitas corporis Chriſti in Euchariſtia, & non ab aptitudine occupandi locum, quam in eadem Euchariſtia exiſtens habet, & facilius eſt eandem quantitatem abſolui ab expulſione alterius quantitatis ab eodem loco; quæ expulſio non eſt proprietas quantitatis, ſed actus impenetrabilitatis formalis, quæ eſt proprietas conſequens formalem aptitudinem occupandi locum. Nam ſi ab actu prioris proprietatis, quæ eſt aptitudo occupandi locum abſoluta eſt quantitas corporis Chriſti in Euchariſtia, facilius abſolui poteſt ab actu proprietatis poſterioris: nempe impenetrabilitatis formalis, cuius actus eſt expulſio alterius quantitatis ab eodem loco. Quo autem modo actus iſte expulſionis ſuſpendendus ſit, facilè explicatur: quia per ſolam ſuſpenſionem diuini concurſus ſuſpendi poteſt, & per eam ſuſpenditur, & fit, vt vna quantitas non expellat aliam ab eodem loco; ſed ab vtraque occupetur ſimul, quod eſt ſe penetrare. Quod autem talis ſuſpenſio diuini concurſus fieri poſſit, & per eam ſuſpendatur expulſio actualis, euidens eſt: quia licet occupatio loci, & expulſio alterius quantitatis ab eodem non procedant effectiuè à quantitate, neque ſint actiones eius; ſed quaſi in genere cauſæ formalis, hoc eſt, per incompoſſibilitatem formalem duarum quantitatum in eodem loco vna expellat alteram, talis expulſio formalis, cum ſit aliquid reale, non poteſt fieri ſine concurſu efficienti primæ cauſæ, ſicut nec formam informare materiam, vel materiam recipere formã, fieri poteſt ſine concurſu eiuſdem primæ cauſæ: quare ſicut poteſt Deus ſuũ concurſum ſuſpendere, & ſi eum ſuſpendat, nec forma informabit materiam, neque hæc recipiet formam, eodem modo ſuſpendente Deo ſuum concurſum efficientem, neceſſariò requiſitum ad formalem expulſionem alterius quantitatis ab eodem loco, non fiet talis expulſio, ſed remanebit vtraque quantitas in eodem loco, cum occupans ſine expulſione alterius, & ſe penetrabunt. Et ecce explicatum, & probatum poſſibile eſſe, quòd duo corpora ſint in eodem loco contra Durand. & occupando illum, & ex conſequenti ſe penetrando ſine eo, quod aliquod eorum abſoluatur ab actuali occupatione loci, licet non ſine eo, quòd abſoluatur ab effectu expellendi aliud ab eodem loco. 66

67 Ad argumentum Durandi concedenda eſt prima conſequentia,

quentia, quod vna pars corporis poſſit eſſe ſimul cum alia eiuſdem corporis in loco eius, & conſequenter omnes in loco vnius, quantumlibet minimæ, immò, & totum corpus, & mōs magnus per foramen acus tranſire; quod fiet ex eo ſolum, quod quantitas abſoluatur ab actuali expulſione alterius quātitatis ab eodem loco; & ex eo ſolùm, quòd abſoluta eſt quantitas corporis Chriſti ab actuali occupatione loci ſuſpendente Deo ſuum concurſum ad talem effectum omninò neceſſarium, factum eſt, quod tota eius ſubſtantia, & tota eius quantitas ſit ſub qualibet minima parte hoſtiæ. Neganda tandē eſt minor eiuſdem argumenti, quod hoc ſit impoſsibile, vel aliquam inuoluat contradictionem: quia non pertinet ad eſſentiam quantitatis, quòd partes eius habeāt diſtinctū ſitum, & diſpoſitionem in loco, neque eſt propria paſſio eius, ſed ad eſſentiā ſolùm pertinet, habere vnam partem extra aliam inter ſeſe, hoc eſt diſtinctæ magnitudinis, & molis, & aptitudo formalis occupandi locum, ita vt quælibet pars ſit apta occupare diſtinctam partem loci, & expellendi aliam ab ea, proprietates ſunt conſequentes eſſentiam quantitatis, actu verò occupare diſtinctam partem loci, vel actu habere diſtinctum ſitum ab alia, atque etiam actu expellere alium ab eodem loco, vel ſitu partialis ſolum eſt actus eiuſdem proprietatis, à quo abſolui poſſunt partes quantitatis, & tota ipſa quantitas, cum talis actus ſit entitas modalis diſtincta ab eadem eſſentia quātitatis, ſine qua eſſe per diuinam potentiam non repugnat.

QVÆSTIO VII.

An idem numero corpus poſſit eſſe ſimul in diuerſis locis per potentiam Dei abſolutam.

68 PRæſupponit titulus quæſtionis tanquam certum, & in quo omnes conueniunt, quòd non poſsit per virtutem naturalem idem numero corpus ſimul eſſe in diſtinctis locis. Cuius ratio eſt manifeſta; quia quantitas eſt ratio formalis occupandi locum; ſed quantitas cuiuslibet corporis eſt finita, & limitata ad vnum effectum adæquatum ſicut cæteræ formæ; ergo ſolùm ſe extendit ad occupandum vnum locum: intra cuius terminos clauditur: quare non poteſt plures ſimul occupare. Solùm ergo quæritur, an id poſsit fieri per potentiam Dei abſolutam. Sed duplicem partem habebit quæſtio. Prima circa exiſtentiam eiuſdem corporis in pluribus locis ſimul poſsibilem, vel impoſſibilem verſabitur.

Secunda verò circa modum, quo ei conuenirent proprietates, accidentia, actiones, & paſsiones, ac res aliæ, ſi per poſsibile vel impoſsibile in diuerſis locis poneretur.

Et circa primam partem eſt prima opinio negans vllo modo fieri poſſe, quod idem numero corpus ſimul ſit in diuerſis locis. Quam ſequuntur D. Thomas in 4. d. 10. quęſtione prima, articulo primo, & diſt. 4. quæſtione ſecunda, articulo ſecũdo, quæſtiunc. 3. & ad 4. & 3. part. quęſtione 75. artic. 1 ad 3. D. Bona. in 4. d. 44. artic. de dote ſubtilitatis quæſt. 1. ad 5. Duran. d. 10. quæſtione 1. num. 30. & 31. & quæſt. 4. num. 8. & d. 44 q. 6. ad primum, Henric. quodlib. 9. qu. 32. Ægid. quodlib. 1. quæſtione prima, & quoblib. 2. quæſt. 17. & Theorem. 3. de Euchar. Heru. quodlib. 11. quæſtione 13. Dionyſ. Carthu. in 4. d. 13. quæſtione tertia, dub. 1. Capreol. in 4. d. 10. quęſt. 1. art. 3. Palud. q. 1. Ferrar. 4. contra gentes cap. 68. Probatur duplici argumento. Primo, quia duobus modis aliquid eſt in loco, circumſcriptiuè, & definitiuè, ſed vtroque modo repugnat; ergo nullo modo fieri poteſt. Probatur minor, quia eſſe in loco circumſcriptiuè, eſt circundari ſuperficie vltima continentis, & intra terminos eius claudi, ab eaque comprehendi: ita vt totum corpus intra illam ſit, & nihil extra; ergo repugnat corpus eſſe in vno loco, & extra illum contineri ab alio. Quod præſertim verum eſt, ac neceſſarium; quia cum quantitas ſit limitata forma, ſolùm poteſt habere vnum effectum formalem occupandi vnum locum, ſicut albedo ſolùm poteſt conſtituere vnum album. Eſſe autem in loco definitiuè eſt habere realem præſentiam ad certum ſpatium definitam, ita vt res dicatur ibi eſſe, & non alibi, ergo eo ipſo, quòd in duobus locis exiſteret ſimul corpus, neutro definiretur; repugnat igitur eſſe ſimul in duobus definitiuè.

Secundò, quia ſi in duobus locis ſimul ponatur idem corpus, ſequitur contraria prædicata ſimul ei conuenire, priuatiuè etiam oppoſita, & quod ſummum eſt contradictoria, ſed eidem ſimul conuenire hæc continet manifeſtam repugnãtiam, ergo non minorem continebit, quòd ſimul ſit in diuerſis locis. Minorem probo, quia in vno loco poſſet calefieri, & in alio infrigidari, idque in ſummo gradu; in eodem poſſet cæcus fieri, & in alio integrum habere viſum. In vno eſſe ſanum, & in alio ſanitate priuari, in vno demum annihilari à Deo, & non in alio, & ita in vno eſſe, & in alio non eſſe.

Secunda opinio eſt oppoſita, affirmans poſſe idem numero corpus ſimul eſſe in duobus locis diſtinctis per diuinam potentiam. Quam tenent Alexand. Alenſis 4. part. quæſtione vndecima, 69

decima, artic.1.§.vltimo, & quæſt. 41. memb.7. Scotus in 4.d. 10.qu.2. Richar. ibidem art.2.q.2. Gab.quæſt.1.artic.2.& lect. 46. ſuper can. miſſæ. Ochamus quæſt. 4. Maior. quæſtione 2. Petrus Aliacenſis quæſt.5.artic.2. Adam.qu.5.art.3, Alanus de Sacram. Euchar. cap. 38. Claudius de Saintes repetitione 4. de Euchar.cap.4. Argent.in 4.d.10.quæſt.1. art.2. Turrianus noſter lib.3.de canonib.app.illuſ. Card. Bellarm.ex noſtra Societate, lib.3.de Euchar.ca.3.& 4. Pater Suarius Tomo 2.diſp.48. ſectio.4.& ex Modernis multi.

Probatur primò ex myſterio Euchariſtiæ, ex quo conſtat corpus Chriſti non ſolùm in multis hoſtiis in diuerſis locis ſimul conſecratis eſſe præſens, ſed ſimul etiam in cœlo; ergo non repugnat idem corpus præſens eſſe in diuerſis locis. Et ſi dicas poſſibile hoc eſſe per ſimplicem præſentiam, ſed per localem repugnare; quia præſentia localis dicit commenſurationem cum ſuperficie ambiente, atque etiam formalem occupationem loci, quam repugnat multiplicari. Contra hoc eſt, quòd extenſio in ordine ad locum non pertinet ad eſſentiam quantitatis; ſed accidentalis eſt ei; ſi ergo eadem quantitas poteſt habere duplicem præſentiam ſimplicem, poterit etiam habere duplicem præſentiam localem, quod eſt eſſe circumſcriptiuè in duobus locis ſimul. Et ideò hanc opinionem aſſerunt omninò tenendam eſſe, quia veritati noſtræ fidei multum fauet, & per eam facilè poſſumus ſatisfacere argumentis hæreticorum aduerſus eam oppoſitis. Nam ſi teneamus non repugnare, quòd idem corpus circumſcriptiuè ſit in duobus locis ſimul, faciliùs intelligemus verum eſſe, quòd ſit in pluribus hoſtiis per ſimplicem præſentiam.

70 Sed probatur ſecundò ratione, quia ſi id repugnaret, maximè propter circumſcriptionem localem, quæ videtur eſſe comprehenſio quædam corporis intra terminos ſuperficiei ambientis, & ita extra illos eſſe non poſſe. Sed hoc eſt falſum; ergo non dabitur vlla repugnantia. Probatur minor, quia corpus Chriſti eſt in cœlo circumſcriptiuè, & nihilominus non ita coarctatur ad illam ſuperficiem, à qua circumſcribitur, neque ſic ab ea comprehenditur, vt extra illam eſſe non poſſit: cum conſtet extra illam eſſe in hoſtia conſecrata; ergo circumſcriptio vnius loci non tollit, quin circumſcriptum corpus extra terminos eiuſdem ſuperficiei circumſcribentis ſit; poterit ergo extra illam eſſe ab alia ſuperficie circumſcriptum, & ita erit ſimul in diuerſis locis circumſcriptiuè.

Vtraque

Vtraque opinio probabilis iudicatur, & argumentis vtriuſque reſpondetur.

71 NOſtra ſententia eſt, vtramque opinionem eſſe probabilem, tutoque defendi poſſe, neque priorem conuincere repugnantiam, nec poſteriorem conuincere poſsibilitatem, quòd ſatis eſt, vt liberè quiſque poſsit quamlibet partem defendere, nec enim requiritur euidentem oſtendere repugnantiam, vt defendatur aliquid non poſſe fieri per potentiam Dei abſolutam; nam ſi talis eſſet, defendi non poſſet, cum ſit certum, effici poſſe à Deo per potentiam abſolutam, quidquid non implicat contradictionem, ſed ſufficiunt argumenta probabilia, per quæ probetur contradictio, vt probabiliter defendi poſſit non poſſe fieri; quia ſicut probabile eſt implicare contradictionem, ita eſt probabile, quòd non ſit vllo modo factibile, ſolùm reſtat argumentis vtriuſque partis ſatisfacere.

Et primò reſpondendum eſt argumentis ſecundæ opinionis: & ad primum neganda eſt conſequentia; quia ex ſimplici præſentia, & indiuiſibili eiuſdem corporis in diuerſis locis, non bene infertur duplicem localem eſſe poſsibilem; quia ſpecialem continet repugnantiam, quod præſentia localis multiplicetur propter commenſurationem corporis cum loco quam dicit eſſentialiter, commenſuratio verò comprehenſionem intra terminos loci, ita vt extra illos non poſsit extendi idem corpus, extenditur autem extra illos, ſi ſit ſimul in alio loco extenſiuè, & ideò repugnat ſimul eſſe in duobus. Itaque extenſio in loco, & commenſuratio cum eo, non dicit cõprehenſionem corporis locati intra terminos loci, ita vt extra illos eſſe repugnet quocunque modo, ſed ſolùm dicit comprehenſionem localem, & ideò ſolum ei repugnat, quòd extra locum, in quo eſt, ſit per localem extenſionem, non verò per ſimplicem præſentiam.

72 Et quod rurſus additur, extenſionem localem, vel occupationem loci non pertinere ad eſſentiam quantitatis, concedendum eſt, ſed nec eſſe proprietatem eius. effectum tamen formalem huius proprietatis, quæ eſt aptitudo occupandi locum, & ideò non poteſt multiplicari. Et ſi fortè dicatur, multiplicari poſſe effectum formalem albedinis, ſi eadem ponatur in duobus ſubiectis numero diuerſis: Reſpondetur primò, non eſſe certum, quod in duobus ſubiectis ſimul poſſit inhærere, etiam per potentiam Dei abſolutam, ſed negari poſſe, & etiam ſi id concedatur; diuerſa eſt ratio de effectu

exten

extenſionis in loco; nam effectus formalis albedinis: cum ſit per inhærentiam in ſubiecto, à quo indiuiduatur aliquo modo albedo; ab eodem ſubiecto poteſt multiplicationem accipere; actualis tamen extenſio in loco non eſt circa locum per inhæſionem, ſed ſolùm per commenſurationem extrinſecam, & limitatam ad terminos eius, quos egredi repugnat: quare non poteſt à loco ipſo multiplicationem accipere; ſed à ſola quantitate, quæ cum ſit ex ſe limitata, ad vnum tantum poteſt ſe extendere.

73 Et quod tandem dicitur, oppoſitam ſententiam fauere veritati fidei, negandum eſt, quia faciliùs longè eſt corpus habere ſimul duplicem præſentiã ſimplicem, quam duplicem localem, & ideò non eſt confirmanda hæc veritas ex alio longè difficiliori: quia ſi ex eo cõfirmaretur, potius videretur difficiliorem eam efficere ad credendum. Nec etiam videtur vtendum eſſe hac opinione, ad reſpondendũ argumentis hæreticorum; quia ſignificaretur veritatem noſtræ fidei aliquo modo ei inniti, & argumentis facilioribus non bene reſpondetur, per aliud magis difficile, ex quo augetur potiùs difficultas eorum (ſi quam habent ſaltem apparentem) quàm minuatur, vel tollatur.

Ad ſecundum conſtat iam ſolutio ex primo, & ad formam eius diſtinguenda eſt maior, quia extenſioni locali corporis in vno loco non repugnat extra illum eſſe quomodocunque, ſed ſolùm per extenſionem localem, quia comprehenſio extenſiua eſt, & limitata: quare non poteſt eſſe, niſi vna vnius corporis, nec maior, quàm ſit locus, vt probatum eſt, eſſet autem maior ſi ad alium locum ſimul extenderetur.

74 Difficultas primi argumenti ſolùm conſiſtit in explicanda ratione exiſtendi in loco circunſcriptiuè, ac definitiuè, nam ſi ita explicari debent, ac in argumento explicantur, conuincit abſque dubio manifeſtam continere repugnantiam, quod idem numero corpus ſimul ſit in diuerſis locis vtroque modo. Si verò explicentur alio modo ſatis probabili, nullam probabit repugnantiam. Itaque eſſe in loco circunſcriptiuè, non eſt ſic in eo extendi, & ab eo comprehendi, quod extra terminos loci non extendatur, ſed circunſcribi loco ſolùm eſt, quod totum corpus ſit in toto loco, & pars in parte, & ita à loco comprehendi, quod nihil locati ſit, quod non contineatur intra terminos loci, neque aliquid loci ſit, quod non contineat corpus; vel partem eius. Quod verò non egrediatur terminos loci, non pertinet ad circumſcriptionem, ſed gratis videtur additum. Eſſe etiam in loco definitiuè ſolùm dicit corpus eſſe præſens alicui determinato ſpatio, ita vt non ſit vbique, nec

eſſe

eſſe poſſit ex proprio modo præſentiæ, quem habet, & ideò,
nec Deus eſt in loco definitiuè, nec Chriſtus in Euchariſtia.
Quod verò alibi etiam ſit, vel non, impertinens eſt ad modum
eſſendi in loco definitiuè. Ad formā igitur argumenti neganda
eſt minor, quòd vtroque modo repugnet idem numero corpus
ſimul eſſe in diuerſis locis; quia nec eſſe circumſcriptiuè in
vno prohibet, quod extra illum non extendatur, ſed ſolùm
dicit intra terminos eius contineri totum corpus, & ſingulas 75
eius partes intra terminos ſingularum partium eiuſdem loci.
Nec etiam eſſe in loco definitiuè dicit ita eſſe ei præſens, vt
non ſit præſens alibi; ſed ſolùm, quòd præſentiam determina-
tam habeat, vt explicatum eſt; quare nec repugnat circumſcri-
ptioni vnius loci ab altero ſimul circumſcribi, nec etiam præ-
ſentiæ definitiuæ, alibi eſſe præſens.

Secunda pars quæſtionis.

SEcundum argumentum eiuſdem opinionis petit, quonam
modo ſe haberet corpus in duobus locis exiſtens circa ea,
quæ poſſent ei accidere; An videlicet accidentia, aut proprie-
tates, ſeu mutationes, quas haberet in vno loco, haberet etiam
in alio. Circa quod ſunt tres opiniones. Prima aſſerit corpus
poſitum in diuerſis locis eaſdem proprietates, eadem acciden-
tia, eaſdem mutationes habiturum naturaliter. Sed per poten-
tiam Dei abſolutam poſſe habere diuerſas, atque etiam oppo-
ſitas: itaque naturaliter vtrobique calefieret, vel infrigidare-
tur, ex eo, quòd in vno loco pateretur has mutationes, ſicque
de cæteris. Sed ſupernaturaliter fieri poſſet, vt calefieret in
vno loco, & non in alio, & ſimul in diuerſis calefieret, & in-
frigidaretur. Ita Gabr. in 4. d. 10. quæſtione 1. arti. 2. & lectio.
46. ſuper can. miſſæ. Sotus eadem d. & quæſt. arti. 5. Marſil. in
4. quæſt. 7. arti. 3.

Secunda opinio diſtinguit proprietates, ſeu accidentia per- 76
manentia, & mutationes tranſeuntes, & immanentes hoc mo-
do: Si proprietates non diſtinguantur ex natura rei à corpore,
diuidi non poſſunt in diuerſis locis, ſed neceſſe eſt vtrobique
eaſdem habere; & etiam ſi diſtinguentur, habebit eaſdem na-
turaliter: quia non dependent à loco extrinſeco. De mutatio-
nibus verò immanentibus, quales ſunt actiones intellectus, &
volūtatis, quæ non dependent à loco extrinſeco, & conſequen-
ter de qualitatibus per eas acquiſitis probabile eſſe, quod in
vtroque loco habebit eaſdem: de eiſdem verò mutationibus,

quæ

quæ etiam ſi immanentes ſint, à loco extrinſeco dependent; & aliquid videntur habere de tranſeuntibus, diuerſas habere, etiam naturaliter, quia à loco extrinſeco dependent, vt videre, & audire. De tranſeuntibus verò, & terminis per eas productis, naturaliter loquendo, diuerſas eſſe habiturum in diuerſis locis aſſerit; ita, vt ſi in vno loco augeatur, & maius fiat corpus, non eſſe neceſſarium augeri in alio, vel maius fieri; & ſi in vno loco infirmum ſit, ſanum poſſit eſſe in alio, atque etiam ſi moriatur in vno, poſſe in altero viuum permanere: ſed propter naturalem confuſionem formarum, & mutationem, quæ ex hoc ſequeretur in rebus, facturum eſſe Deum per nouum miraculum, vt vtrobique eaſdem mutationes pateretur, & eoſdem effectus omninò ſuſciperet. Hoc ſolùm reputant impoſſibile omnibus modis, quod in vno loco annihilaretur, & non in alio.

77 Ita ſentit pater Suarius 3. part. quæſtione 85. diſput. 47. ſectio. 5. & Conimb. hoc loco, & eandem ſententiam prius videntur ſecuti Hugo Victorius 2. lib. de Sacram. p. 8. capit. 3. Alenſis 4. par. quæſt. 44. memb. 7. Ocham, & Maior in 4. d. 10. quæſt. 4. & Innocentius lib. 4. de miſte. miſſæ cap. 12. Et præcipua ratio eiuſdem ſententiæ eſt; quia mutationes iſtæ dependent à loco extrinſeco, & conſequenter effectus per eas producti; ergo iuxta loca diuerſa, in quibus conſtitutum eſt corpus, variari deberent naturaliter, quòd verò contrarios effectus, vel formas ſimul ſuſcipiat idem corpus, non eſt impoſſibile; ſuppoſito, quod ponatur in diuerſis locis per miraculum, licèt ſit impoſſibile ſine illo.

78 Noſtra ſententia, duo aſſerit. Primum eſt, *quod res omnes, vel actiones, & mutationes, quæ dependent neceſſariò à loco extrinſeco, vel in quantum ab eo dependent, variarentur circa idem corpus in diuerſis locis ſimul poſitum.* Secundum, *ea, quæ non dependent ab extrinſeco loco aut ſpatio, vel in quantum ab eo non dependent, non ſolùm non variarentur, ſed implicaret contradictionem variari, & omninò neceſſarium foret vtrobique ei conuenire.* Ita D. Tho. 3. part. quæſtione 81. artic. quarto, Scotus in 4. d. 10. quæſtione quarta, Bellarminus Tomo ſecundo controuerſiarum libro tertio, capite quarto, & maior Modernorum pars, ſed prius declaranda eſt, deinde probanda. Declaratur autem hoc modo: Res ſunt in duplici differentia, quædam abſolutæ, quæ conueniunt ſubiectis, ſine dependentia neceſſariò à loco vel ſpatio extrinſeco, vt calor, albedo; aliæ verò non conueniunt ei, niſi cum neceſſaria dependentia ab eis, vt locus ipſe, & localis præſentia, vel vbi, atque etiam omnes actiones dependentes ex approximatione agentis ad paſſum, vel obiecti

extrin

extrinſeci ad potentiam. Hoc ſuppoſito, aſſerit noſtra ſententia, illa non variari circa corpus poſitum in diuerſis locis, nec vllo modo variari poſſe, ſed in vtroque loco neceſſariò ei conuenire; hæc verò non conuenire ei vtrobique. 79

Probatur primum, quia corpus in duobus locis exiſtens eſt idem numero; ergo illa, quæ ei conueniunt abſolutè, & ſine dependentia à loco, vel ſpatio, neceſſariò debent ei conuenire, vbicunque ſit. Probatur conſequentia, quia vbicunque ſit, eſt idem numero, & independens à loco, quantum ad hæc; ergo vbicunque ſit, debet habere illa, & oppoſitum implicat contradictionem.

Secundò probatur, quia ſi hæc diuidi poſſent, ſequitur contradictoria ſimul eidem conuenire; conſequens autem falſum eſt; ergo falſum eſt etiam antecedens, quod diuidi poſſint. Probatur conſequentia; nam ſi diuidi poſſent, in diuerſis locis, poſſet corpus habere viſum, & eſſe cæcum, & idem numero homo poſſet ſimul mori, & viuere: ſed mortuus homo non eſt homo: cum mors fiat per ſeparationem animæ à corpore; ergo ſimul eſt homo, & non eſt homo in diuerſis locis: & ita duæ iſtæ propoſitiones erunt contradictoriæ, Petrus eſt homo; Petrus non eſt homo, quod eſt falſum.

Sed reſpondent non eſſe contradictorias, quia contradictoriæ debent eſſe eiuſdem de eodem, pro eodem loco, ſicut pro eodem tempore, & cum non conueniat vtraque eidem Petro in eodem loco, ſed in diuerſis, non erunt contradictoriæ, ſicut non eſſent contradictoriæ, ſi pro diuerſis temporibus conuenirent, vt Petrum currere, & Petrum non currere, poſſunt eidem cõuenire pro diuerſis temporibus, & ideò non ſunt cõtradictoriæ. Sed contra hoc ſic arguo: Eſſe hominem, vel non eſſe hominem, conueniunt Petro abſolutè, & ſine dependentia à loco; nam licèt mors poſſit prouenire ab aliqua cauſa, vel actione extrinſeca dependente à tali loco, & ideò talem actionem non verſari circa Petrum vtrobique exiſtentem; ſed in tali loco determinato, in quo eſt approximatus agenti, eſſe tamen hominem, vel non eſſe hominem, tribuitur ei ab anima rationali per informationem independentem per ſe à loco; ergo idem eſſe non dependet à loco; dependet tamen à tempore: quia in tempore informat, & in diuerſis partibus temporis poteſt informare, & non informare: vnde ſequitur non eſſe neceſſarium, quòd pro eodem loco verificentur de eodem ſubiecto propoſitio affirmatiua, & negatiua, vt ſint contradictoriæ, cum ſit neceſſarium verificari pro eodem tempore. 80

Quod ſecundò probatur efficaciter argumento ad hominem, 81
nam

nam idem Moderni concedunt hoc ſolum repugnare corpori in diuerſis locis poſito, quod in vno annihiletur à Deo, & non in alio; quia ex eo ſequeretur duo contradictoria de eo ſimul verificari; nempe *eſſe, & non eſſe*: ſed non minus ſunt contradictoria *eſſe hominem, & non eſſe hominem*, quàm eſſe & non eſſe ſimpliciter; ergo ſi repugnat verificari ſimul hæc de corpore; ita etiam repugnabit ſimul verificari illa, nec locum habet ſolutio eiuſdem, vel diuerſi loci in contradictoriis enunciantibus, quod ſit, & non ſit; non certè alia de cauſa, niſi quia *eſſe, aut non eſſe*, non dependet à loco; *ſed eſſe* hominem, vel non eſſe hominem depēdet à loco, vt probauimus; ergo, nec in his contradictoriis, ennunciantibus *eſſe hominem, vel non eſſe hominem*, habebit locum eadem ſolutio eiuſdem loci, vel diuerſi, aut ſi in his locum habet, & propterea non ſunt contradictoriæ, habebit etiam locum in aliis, & non erunt contradictoriæ: & ita ſicut poteſt in vno loco eſſe homo, & non eſſe homo ille, qui in duobus locis poneretur ſimul à Deo, pari ratione poterit eſſe, & non eſſe ſimul, ſi in vno annihiletur à Deo, & in alio non, quod negant, ſicut verè negandum eſt.

Probatur tandem falſum eſſe, quòd poſsint diuidi tales formæ, vel talia prædicata circa corpus in duobus locis poſitum: quia oppoſitio priuatiua, ita eſt immediata circa tale ſubjectum capax formæ, ſicut contradictoria eſt immediata abſolutè, ſed implicat contradictionem, quòd vtrumque extremum immediatæ oppoſitionis conueniat ſimul eidem rei; ergo non minus repugnabit vtrumque extremum priuatiuæ oppoſitionis conuenire eidem ſubjecto capacitatis formæ ſimul, quàm vtrumque extremum oppoſitionis contradictoriæ conuenire eidem rei ſimpliciter. Probatur euidenter conſequentia, quia extrema contradictoriæ ſolum repugnat ſimul conuenire, quia immediata oppoſitio eſt, & hæc ratio æquè concurrit in vtraque oppoſitione, cùm vtraque ſit immediata; tunc vltra, mors, & vita, cæcitas, & viſus opponuntur priuatiuè circa hominem; ergo non minus repugnat vtrumque ei conuenire ſimul in diuerſis locis, quàm vtrumque extremum contradictoriæ oppoſitionis, nempe eſſe, & non eſſe. Probatur conſequentia, quia ſicut extrema oppoſitionis contradictoriæ, vel oppoſitio ipſa non dependet à loco, ita nec extrema oppoſitionis priuatiuæ, vel oppoſitio ipſa dependet.

82 Secundum quod aſſerit noſtra ſententia eſt, ea quæ dependent à loco, vel ſpatio extrinſeco, non conuenire eidem corpori in duobus locis poſito, ſed diuidi poſſe naturaliter ſecundum diſpoſitionem locorum, & eorum, quæ in eis ſunt, vt con-

ceditur ab aliis opinionibus, quia per ſe eſt euidens; nam quod per ſe dependet à loco, ex diuerſa diſpoſitione eiuſdem loci variabile eſt.

Ad argumentum verò ſecundæ opinionis diſtinguendum eſt de dependentia illarum rerum à loco; nam in *fieri* à loco dependent, non tamen in *eſſe*, quod eſt dicere, *fieri* earum, quæ ſunt diuerſæ actiones, paſſiones, & mutationes, dependere à loco, quia exercentur per contactum, & approximationẽ agentis ad paſſum; *eſſe* verò, cum abſolutum ſit, vel abſolutè conueniat rebus, & ſine dependentia ab extrinſeco, non dependet à loco: vnde ſequitur actiones, & paſsiones per quas fiunt, non conuenire corpori exiſtenti in duobus locis vtrobique, ſed in vno tantùm; res verò per eaſdem actiones productæ tanquam independentes à loco neceſſariò conueniunt ei vtrobique.

Et iuxta hanc diſtinctionem aſſeruit D. Thomas vbi ſupra, de corpore Chriſti in ſacramento exiſtenti, & in propria ſpecie ſimul antequam moreretur. Primùm, quod flagellari, conſpui, & crucifigi, ſolùm ei conueniebant in propria ſpecie, & non in Sacramento; viuere verò, mori, dolere, animatum, vel exanimatum eſſe corpus eius non potuiſſe ei conuenire in propria ſpecie, quin ei etiam conuenirent in Sacramento; quia actiones illæ, & paſſiones dependebant à loco, & agente extrinſeco; iſti verò effectus earum, licet dependerent in *fieri*, non in *eſſe*, & ideò illæ ſolum conueniebant ei in propria ſpecie, ſecundum quam erat in loco, & agere, ac pati poterat, effectus verò ab his non dependentibus in *eſſe*, neceſse fuit vtrobique conuenire propter identitatem numericam eius. Ex quo infert, quod ſi eſſet Chriſtus in Hoſtia conſecrata in triduo mortis, mortuus etiam eſſet in Hoſtia: & ſi in triduo mortis conſecrarentur panis, & vinum, diuiſus eſſet Chriſtus ſub vtraque ſpecie; ita vt in Hoſtia ſolùm eſſet corpus vnitum diuinæ perſonæ, & in calice ſolus ſanguis etiam vnitus; ſed in neutra ſpecie eſſet anima; quia verè tunc erat ſeparata à corpore, licet vnita etiam diuinæ perſonæ.

Noſtra itaque ſententia aſſerit, quòd ſi vnum corpus poneretur à Deo in diuerſis locis, poſſet calefieri in vno, & non in alio; ſed calor productus vtrobique inhæreret corpori; poſſet etiam calefieri in vno, & infrigidari in alio, ſed vtrobique ei ineſſet calor, & frigus poſſet in vno amittere viſum, per actionem alicuius agentis contrarij circa ipſum & non in alio, ſed vtrobique foret priuatus viſu, vtrobique cæcus; poſſet in vno loco ſumere cibum, & eum maſticare, & non in alio, ſed conuerſio ſubſtantialis alimenti in ſanguinem, & ſubſtãtiam aliti, 83

&

& nutritio, atque augmentatio per eandem conuerſionem facta vtrobique ei conueniret, & vtrobique fieret maius. Poſſet tandem in vno loco vulnerari, & occidi, vel morbum contrahere, quo moueretur, & non in alio; ſed vtrobique moreretur, ſicque de cæteris actionibus, & paſſionibus, mutationibus, & effectibus iudicandum eſt, iuxta traditam diſtinctionem circa quos videtur decipi oppoſita ſententia in eo, quod putat, non ſolum actiones, paſſiones, & mutationes diuidi, ſed etiam res per eos productas: quia actiones, inquit, per quas producuntur, dependent à loco; ergo etiam res productæ: ſed ex dependentia à loco, & diuiſione actionum, & paſſionum, ſolum ſequitur, quod effectus, prout in fieri dependeant etiam à loco & prout in fieri ſolùm diuidantur, non tamen ſecundum eſſe: in quo conſtat non dependere à loco; ſolum ergo inferre licet in vno loco calorem fieri, & non in alio, non tamen, quod in vno, & non in alio loco inhæreat corpori; aut quòd in vno loco vulneretur homo, aut mors ei infligatur; non tamen, quòd non moriatur vtrobique, ſicque de cæteris.

84 Et ſi dixeris, non poſſe calorem productum Compluti in corpore ab igne ei approximato, eſſe in eodem corpore Romæ ſimul exiſtenti, quia calor non eſt vllo modo in eo, niſi impreſſum ab igne, ſed ignis exiſtens Compluti, non poteſt imprimere calorem Romæ, vbi non eſt; ergo nec poterit eum recipere corpus, nec proinde habere. Reſpondeo impreſſionem & receptionem, quia dicunt actionem & paſſionem, ſolùm fieri Compluti; ſed quia idem numero corpus eſt, quod exiſtit Romæ, eadem numero accidentia, vel formæ debent ei ineſſe, quia licet impreſſio eorum dependeat à loco, non tamen inhærentia, quæ abſolutam informationem corporis dicit abſque reſpectu ad locum extrinſecum, in quo imprimuntur eadem accidentia: vnde non ſequitur ignem agere, vbi non eſt, vel ad magnam diſtantiam: qui non agit Romæ, nec conueniunt corpori accidentia ab eo producta ratione productionis, ſed præcisè ratione identitatis numericæ.

CAP.

CAPVT VI.

De Vacuo.

TEXT. ARISTOTELIS.

Eodem autem modo exiſtimandum eſt eſſe Phyſici conſiderare de vacuo, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

VACVVM magnam habet affinitatem cum loco, vt ex definitione eius patebit, & ideò poſt diſputationem de loco, ſtatim de vacuo agit Ariſtot. de quo vnam quæſtionem diſputat per quatuor capita: nempe, an detur vacuum in natura rerum; & tria ad ſolutionem eius præſtat: nam primò proponit varias Philoſophorum ſententias cum eorum fundamentis. Secũdò diuerſas acceptiones vacui enumerat, & tandem argumenta eorum qui vacuum ponebant, ſoluit. 85

Cap. autem 1. intendit dubiam reddere quæſtionem, proponens opiniones Philoſophorum, qui negabant dari vacuum, & qui eum ponebant, atque etiam argumenta eorum. Diuiditur autem in duas partes. In prima probat conſiderationem vacui pertinere ad Philoſophiam naturalem. In ſecunda adducit opiniones Philoſophorum circa exiſtentiam eius in rerum natura.

Conſiderationem vacui ad naturalem Philoſophiã pertinere probat: primò, quia maximam habet affinitatem cum loco; ſed conſideratio loci pertinet ad naturalem Philoſophiam; ergo etiam conſideratio vacui. Secundò, quia eædem quæſtiones, eadem diuerſitas opinandi, eædem etiam rationes dubitandi ſe offerunt circa vnum, ac circa aliud.

Sed diuerſæ opiniones fuerunt de vacuo inter Philoſophos. 86
Et prima fuit Anaxagoræ, qui negabat dari vacuum. Quam ſolùm probabat oſtendens non dari vacuum vbi ſolus aër reperitur, vt vulgares homines decepti putant: exiſtimantes vbi nullum eſt corpus ſenſu perceptibile, dari vacuum. & cum non percipiatur ſenſu, vacuum dari, vbi ſolus aër reperitur. Sed hoc eſſe falſum, probabat Anaxagoras, quia vacuum eſt locus nihil continens, ſed potens continere, aer autem eſt aliquid; ergo vbi eſt, non datur vacuum. Minorem probabat exemplo vtrium, qui ſi inflati ſint, difficilè comprimuntur, difficultas autem nulla eſſet, ſi nihil intus contineretur.

Sed hunc modum impugnandi vacuum nullius momenti

eſſe probat Ariſtoteles;quia licet vulgare vacuum reiiciat,non tamen aliud,quod à Philoſophis ponitur;quod præcipuè deberet impugnari.

Alij igitur Philoſophi propter diuerſa motiua vacuum ponebant in rebus, vt Leucippus propter diſtinctionem corporum;nam ſi inter corpora non daretur ſpatium,ſine corpore eſſent continua,& conſequenter eſſent vnum, atq; idem corpus, quia continuum, & vnum idem ſunt:illud autem ſpatium nullum corpus continens eſſe vacuum. Democritus verò ponebat vacuum intra idem corpus exiſtimans corpora eſſe compoſita ex atomis indiuiſibilibus,inter quos neceſſe erat ponere quoſdam poros,quos vacuitates appellabant, vt ita omnia corpora ex vacuo,& pleno eſſent compoſita. Sed vacuum eſſe omninò ponendum probabant alij Philoſophi propter neceſsitatem omnium motuum, quia nullus eſſet poſſibilis, ſi non daretur vacuum. Et de locali probabant, quia cùm corpus moueatur ad locum,ſi locus, quem acquirit per motum,plenus eſſet alio corpore, duo corpora ſe penetrarent; ergo neceſſe eſt ponere eum vacuum, vel admittere penetrationem. Nec poſſet fieri motus augmentationis, niſi daretur vacuum intra corpus viuentis; quod augeri debet, quia cum intra ſe debeat recipere alimentum, quod eſt corpus, cum eo ſe penetrabat, niſi in vacuo illud recipiat. Quod poteſt etiam probari ſimilitudine vaſi cineribus pleni, in quo non poſſet recipi aqua, niſi intra cineres ipſos darentur vacuitates, quas repleret aqua. Nec tandem poſſet fieri motus alterationis,quo condenſantur corpora,nam per condenſationem neceſſe eſt ſe recipere ad minorem locum, quod patet non eſſe poſsibile, niſi aliquid eiuſdem loci quod occupabant,remaneat vacuum.

CAPVT VII.

Quid nomine vacui ſignificetur.

TEXTVS ARIST.

Ex quibus igitur alij dicunt eſſe;alij verò non dicunt,*&c.*

Breuis expoſitio Textus.

1 INTENTVM Ariſtotelis cap.præſenti eſt,quæſtionem propoſitam de exiſtentia vacui in rerum natura ſoluere. Diuiditur autem in tres partes. In prima docet; quid vacuum ſignificet apud antiquos Philoſophos. In ſecunda tradit ſignificationem eius ex propria ſententia

tentia, ex qua aſſerit vacuum non eſſe admittendum. In tertia reſpondet argumentis eorum, qui ponebant vacuum.

Prima acceptio vacui apud antiquos Philoſophos fuit, pro loco, in quo nihil graue, aut leue continetur. Putabant enim in primis vacuum eſſe locum nihil continentem: deinde nihil eſſe in mundo præter corpora, præterea nullum eſſe corpus quod non poſsit per ſenſum tactus percipi: & tandem nullum corpus eſſe tangibile, quod non ſit graue, aut leue, & ideò de primo ad vltimum vacuum eſſe dicebant locum, in quo nihil graue, aut leue continetur.

Secunda acceptio, vacui circunferebatur in ſchola Platonis. Pro loco, in quo non eſt hoc aliquid, hoc eſt, nulla ſubſtantia ſingularis, quam videtur impugnare: quia ex ea ſequeretur, quod materia prima eſſet vacuum; in qua nulla eſt ſubſtantia ſingularis, niſi ſola forma, quam conſtat non eſſe ſubſtantiam ſingularem, ſed principium eius.

Vacuum denique ex propria ſententia ait, *Significare locum non repletum corpore, ſed aptum repleri.* Ex qua, ſuppoſita opinione antiquorum in ſuperioribus refutata de loco, quod eſſet interuallum inter latera continentis exiſtens: probat non dari vacuum; nam vacuum eſt locus non replertus corpore, ſed locus apud antiquos Philoſophos eſt interuallum iam probatum impoſſibile; ergo impoſſibile etiam erit vacuum. 2

In tertia parte reſpondet argumentis Philoſophorum, oſtendens non eſſe ponendum vacuum propter neceſſitatem alicuius motus, hoc eſt, nec motus localis, nec augmentationis, aut alterationis, & quod non propter neceſſitatem motus localis; quia licèt corpus moueatur ad locum alio corpore repletum, vt aëre, vel aqua, ſed ingrediente corpore quod ad talem locum mouetur; per ingreſſum eius cedit aliud, quod illum replebat, quaſi locum ei relinquens, quem occupare poſſit abſque vlla penetratione. Quod verò non ſit admittendũ, vacuum propter augmentationem oſtendit; quia nutritio & augmentatio fiunt per corruptionem alimenti ingredientis, & conuerſionem eius in ſubſtantiam aliti, cum qua fit vnum, atque idem corpus, & ideò ſine penetratione poteſt augmentum fieri. Ad exemplum verò de cineribus non reſpondet, quia iam ſuperius docuit aquam recipere intra poros, non quidem vacuos, ſed aere plenos, qui aquæ ingredienti cedit, locumque ei relinquit. De alteratione verò reſpondet condenſari corpora, & ad minorem locum reduci, pars autem loci relicta ab eis repletur aëre in poris eorum exiſtenti, vel ingredienti.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quod vacuum à corporibus ſeparatum non ſit poſſibile.

TEXTVS ARIST.

Quòd igitur ea, ex quibus demonſtrant vacuum eſſe, ſoluere facilè ſit, manifeſtum eſt.

Breuis expoſitio Text.

3 INTENTVM Ariſtotelis in hoc capite eſt probare propriam ſententiam, quòd non detur vacuum ex refutatione aliarum, & præcipuè refutare vacuum extra corpora poſitum ab antiquis Philoſophis: diuiditur in duas partes. In prima probat tale vacuum non eſſe poſſibile ex natura motus. In ſecunda, ex velocitate motus. Vt autem rationes eius intelligantur, notandum eſt tribus modis diuerſis poſitum fuiſſe vacuum ab antiquis; nam quidam poſuerunt illud omninò ſeparatum à corporibus, hoc eſt non ſolùm extra corpora ipſa, ſed vt ipſum non eſſet corpus, neque omninò aliquid poſitiuum, ſed pura priuatio corporis, apta tamen continere corpus, & ideò vocabatur à quibuſdam inane. Alij verò illud ponebant, ſeparatum quidẽ à corporibus; ita tamen, vt eſſet corpus trinæ dimenſionis nullã habens qualitatẽ ſenſibilem. Alij denique priuationẽ eſſe dicebant corporibus incluſam, & quidam eorum illud neceſſariò eſſe admittendum dicebant propter motum localem. Alij verò quia putabãt eſſe interuallum, in quo recipiebantur corpora, & ab aliis tandem ponebatur propter augmentum corporũ viuentium, & propter rarefactionem & condenſationem aliorũ. Hoc ſuppoſito Ariſtoteles cap. præſenti probat nõ dari vacuum à primis poſitum, & capite ſequenti non dari aliud, quod ponebatur à cæteris.

4 Probat igitur primò, quod non detur vacuum ſeparatum à corporibus, quòd ſit pura priuatio, quia illud ponebant Philoſophi propter motum localem, quem non poſſe fieri dicebant, niſi admiſſo tali vacuo, ſed non eſt propter eum ponendum; ergo nullo modo. Minorem probat, quia ſi propter motum localem ponendum eſſet, aliqua cauſa eius foret, ſed tale vacuum non poſſet eſſe cauſa motus localis; ergo non eſt admittendum. Probat iterum minorem; quia non poſſet eſſe cauſa intrinſeca, cum ſit extra corpora; ergo nec formalis, nec materialis, quæ intrinſecæ ſunt, ſed nec poſſet eſſe cauſa

extrinſeca; nempe efficiens, aut finalis nam cauſa efficiens, motus eſt mobile ipſum per propriam formam & virtutem: & vacuum cum ſit pura priuatio, non poteſt cauſalitatẽ finalẽ exercere, quia finis bonũ eſſe debet, & ideò aliquid poſitiuũ.

Probat 2. vacuum eſſe impoſsibile ex velocitate eiuſdem motus localis, quia ſi tale vacuum daretur, fieret motus per eũ in inſtanti, ſed hoc eſt impoſſibile, quia repugnat ſucceſſioni motus; ergo repugnat dari tale vacuum. Probat minorem, quia velocitas motus magna ex parte prouenit ex reſiſtentia medij; quod debet à mobili diuidi: vnde quo medium eſt ſubtilius & minus reſiſtit, velocior fit per eũ motus; ſed vacuũ cum ſit pura priuatio, nullam poteſt habere reſiſtentiam; ergo nulla dabitur proportio inter velocitatem motus facti per ipſum; ac per quodcunque plenum, quantumlibet ſubtile. Probatur conſequentia; quia inter nullam reſiſtentiam, & aliquam, non datur proportio, ſed vbi nulla eſt proportio, diſtantia eſt infinita; ergo per tale vacuum fiet motus velocior in infinitum ac per plenum, ſed motus infinitæ velocitatis fit in non tempore; ergo ita fiet per vacuum. Probat iterum minorem, quia eadem eſt proportio velocitatis & temporis conſumpti in motu: ita vt quo velocior eſt motus, eò fiat in minori tempore, motus igitur infinitæ velocitatis fiet in minori tempore in infinitum, quod eſt fieri in non tempore.

CAPVT IX.

Quod neque intra corpora ſit vacuum.

TEXT. ARISTOTELIS.

At verò per ſe conſiderantibus videbitur vtique dictum vacuum, per quam verè vacuum, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſt. eſt impugnare duos alios modos, 5
quibus alij Philoſophi ponebant vacuum in natura rerum, nẽpe extra corpora ipſa, ſed trinã habens dimenſionem, & intra corpora puram priuationem importans. Diuiditur autem in duas partes. In prima refutat primum vacuum. Et in ſecunda poſtremum.

Iidem Philoſophi, qui poſuerunt in ſuperioribus locũ eſſe interuallum trinæ dimenſionis intra latera continentis exiſtens, in quo recipiebantur corpora, nec materiam habens, nec ſenſibiles qualitates: conſequenter poſuerunt vacuum eſſe

Digitized by Google

eſſe idem interuallum, in quantum nullum locatum habens, ſed habere aptum eſt quodcunque. Hoc igitur vacuum impugnat primò hac ratione, ſi corpus cubicum, vel alterius figuræ immittatur in aquam, neceſſe eſt tantum ei aquæ cedere, locúmque ei dimittere, quantum poteſt occupare ſecundum propriam figuram: quod præter euidentem experientiam probat, quia ſi ei non cedit aqua; ergo ſe penetrabit cum ea. Probatur conſequentia: quia licet interuallum, nec materiam habeat, nec ſenſibiles qualitates: habet tamen dimenſiones quantitatiuas longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quarum ratione conuenire poteſt corporibus penetratio, & non ratione materiæ, vel quantitatũ; ergo ſi ei non cedit aqua, erunt ſimul duæ quantitates trinæ dimenſionis, quod non poteſt eſſe, niſi per penetrationem, quod ſi tantum aqua ei cedit, ſequitur cedere etiam ei interuallum intra latera eiuſdem aquæ cedentis exiſtens; ergo bene ſequitur non eſſe vacuum. Probatur conſequentia, quia vacuum non eſt, quod cedit corpori, ſed quod ipſum intra ſe recipit.

In ſecunda parte capitis impugnat vacuum internum; quod alij ponebant propter augmentationem viuentium, & propter raritatem, & dẽſitatem aliorum corporum. Et primò proponit rationem; qua probabant ponendum eſſe: deinde illud reiicit, & tandem argumentum eorũ ſoluit. Argumentum eorũ hoc erat: Videmus condenſari, & comprimi corpora, ita vt ad minorem locum reducantur, quod non poteſt fieri niſi quibuſdam partibus alias ſubintrantibus, fortiúſque eis ſe coniungentibus, ſed talis ſubintratio, fortiorque coniunctio ſupponit vacuum intra eaſdem partes ab ingredientibus repletum, vel admittendam eſſe penetrationem partium ingredientium cum eis; ergo cùm penetratio ſit impoſſibilis, neceſſariò erit admittendum vacuum.

Sed admittendum non eſſe, ita probat Ariſtoteles, quia vel intra corpus ponitur vacuum: ita vt ſit quaſi vacuitatibus, vel foraminibus plenum ad modum ſpongiæ; vel ita vt intra corpus ipſum dentur parua quædam interualla trinæ dimenſionis ſed hoc ſecundum nõ eſſe poſſibile eiuſdem rationibus probatur; quibus probatum eſt aduerſus alios Philoſophos non dari ſimile vacuum extra corpora, primum verò eſt falſum; ergo falſum eſt etiam dari vacuum intra corpora. Probat minorem, quia vacuum primo modo ponitur ab his Philoſophis, vt poſſibilis ſit motus localis, atque etiam, vt ſit poſſibilis rarefactio, ſed eo admiſſo, adhuc non probatur ſufficienter motum localem eſſe poſſibilem; quia etiam, ſi ſit poſſibi-

li; rarefactio, per quam fiat raritas, hac tamen ſolùm eſt cauſa leuitatis corporum, & leuitas ſolum eſt cauſa motus ſurſum non motus deorſum; ergo non probabitur omnem motum localem eſſe poſsibilem, quare inſufficiens erit talis poſitio vacui. Ad argumentum verò eorum reſpondet non eſſe neceſſarium vacuum ad rarefactionem, vel condenſationem, quia iſtæ alterationes quædam ſunt, quæ fiunt ſicut aliæ, ex eo ſolùm, quòd raritas, & denſitas, quæ prius erant in potentia, fiũt in actu, & per eas ſegregantur partes corporis, vel magis coniunguntur, abſque ſubintratione, vel penetratione.

TRACTATVS DE NATVRA VACVI.

TRIA ſunt ſcitu digna de vacuo. Primum, an detur in rerum natura. Secundum, an virtute Diuina, aut etiam Angelica dari poſſit. Tertium, an ſi daretur per Diuinam potentiam; moueretur corpus per ipſum in tempore, vel in inſtanti.

QVÆSTIO I.

An diſpoſitio rerum naturalium permittat dari vacuum inter vnum, & alterum corpus naturale.

VT melius intelligatur quæſtio, notandum eſt, vacuum duobus modis accipi, vt docet Ariſt. in his cap. & D. Th. in 2. d. 1. q. 1. art. 5. ad 4. & 1. p. q. 44. artic. 1. ad 4. Primò, purè negatiuè atque impropriè, ita vt nec pro formali, nec pro materiali dicat aliquid poſitiuum: in qua ſignificatione inane potius quàm vacuum vocari ſolet; quia neque corpus cõtentum, neq; continens includit, & de hoc vacuo certum eſt dari; quia extra cœlum dicimus immenſum quoddam eſſe vacuum, vel inane, quia nullum eſt ibi corpus continens, neque contentum, ſed pura negatio eorum, quare non procedit de eo quæſtio. Alio modo ſumitur vacuum priuatiuè, & propriè, & vocatur interuallum illud inter latera corporis continentis aliud; ſi ab eodem corpore contento non occupetur, vt ſi excogitemus in vaſe nullum contineri corpus, hoc eſt, nec aquam neque aërem, neq; quicquam aliud, interuallum illud, quod modo occupat aqua, vel aer, erit vacuum, quia dicit priuationem corporis contenti, & quia priuatio non eſt ſola, vel pura negatio, ſed in tali ſubiecto, in quo eſt aptitudo habendi illud, 8

illud, quod non habet, ideò vacuum hoc modo ſumptum pro materiali dicit locum non continentem locatum, ſed aptum ad illud continendum, & pro formali negationem continentiæ in eodem loco, qui reſpectu talis negationis modum ſubiecti habet, ſicut reſpectu continentiæ. Et ſecundum hanc acceptionem talem definitionem vacui colligere poſſumus: *Vacuum eſt*
9 *locus non repletus corpore, ſed aptus repleri*. Quam tota ſchola Peripatetica recipit, & in qua loco generis ponitur *locus*, vt per eum excluſum cenſeatur vacuum purè negatiuum vel inane; per alias verò particulas ſignificatur negatio corporis contenti in eodem loco ad continendum apto, quæ verè & propriè priuatio eſt, & in qua conſiſtit ratio formalis vacui, quaſi per ſubiectum loco generis definiti, & per priuationem, per modum differentiæ, ſicut definiuntur priuationes in concreto, & cætera accidentia. Et ecce explicatum quid ſignificet *vacuum*, & in quo conſiſtat ratio formalis & eſſentia eius: de quo inquirimus, an diſpoſitio rerum naturalium permittat dari in corporibus.

De quo diuerſæ fuerunt opiniones Philoſophorum aſſerentium, non ſolùm dari in rerum natura, ſed omninò neceſſarium eſſe propter motum localem, vel propter augmentationem aut alterationem, quos motus exiſtimabant non eſſe poſſibiles, niſi admiſſo *vacuo*. Sed nec opiniones ipſas, nec rationes earum putamus hac in parte repetendas, cum ex profeſſo adductæ fuerint, & refutatæ ab Ariſtotele in textu. Solum proponemus vnum, vel alterum argumentum ex diuerſis experientiis deductum ad probandum naturaliter poſſe dari *vacuum*, vt occaſione eius ſententia Ariſtotelis & fundamentum eius melius explicetur, & intelligatur. Prima experientia eſt de follibus, qui ſi vndique complicentur, & orificium eorum immittatur vaſi perfectè clauſo, ita vt nullo modo poſſit aër illuc ingredi, & tandem latera follium eleuentur, dabitur intra folles ipſos *vacuum*: cum ſpatium illud intra folles ex eleuatione relictum nullo repleatur corpore. Secundò, ſi vas fortiſſimum aqua calida repleatur, & perfectè occludatur, ita vt aër ingredi non poſſit, ſic autem occluſum in loco nimis frigido collocetur, condenſabitur aqua, & in minorem locum ſe recipiet; reliquum verò interuallum intra latera vaſis contentum re-
10 manebit vacuum; cum nullum ſit corpus, quo repleatur. Tertiò, ſi coniungamus duos lapides perfectè planos, ita vt nullus aër inter vtrumque permaneat, poterit rurſus vnus ab alio ſeparari, ita vt æqualiter ſecundum omnes partes eleuetur, & tunc non poterit tam citò ingredi aër ad occupandum ſpatium

ſpatium intermedium, vel certè non poterit tam citò occupare totum, quia ſucceſſiuè, & per motum ingreditur; neceſſè ergo erit partem eius permanere vacuam.

His tamen non obſtantibus negatiua ſententia Ariſtot. quod diſpoſitio rerum naturalium nullum vacuum dari permittit, recepta eſt in tota ſchola, & tanquam vera à nobis tenenda: cuius potiſsimum fundamentum eſt naturalis, & conuenientiſsima totius vniuerſi diſpoſitio; & quaſi compoſitio ab auctore naturæ conſtituta in prima eius conditione. Eſt enim mundus; quaſi quoddam totum vniuerſale, ex diuerſis corporibus tanquam ex partibus conſtitutum, ad ſimilitudinem corporis viuentis, (quod heterogeneum vocamus) vt humani. Exempli gratia; nam ita ſe habent in mundo hoc corpora cœleſtia & elementa; ſicut in corpore noſtro caput, brachia & pedes: vnde quemadmodum in his partibus duo ſunt, primum naturalis vnio earum omninò neceſſaria ad conſiſtentiam & conſeruationem totius, ita vt nec partes ipſæ inter ſe ſeparatæ conſeruari poſsint, nec etiam eis ſic ſeparatis conſeruari totum; cuius ratio eſt, quia nec ſeparatæ poterunt recipere influxum ab anima, nec vna influere in alteram ſecundum modum ſuæ virtutis, nec eam fouere ac iuuare.

Secundum, naturalis inclinatio cuiuslibet partis ad eandem 11
vnionem cum aliis, vt in proprio eſſe conſeruetur, & ſimul cum aliis conſeruet totum ad cuius conſtitutionem & conſeruationem tanquam ad finem ordinantur omnes; & quia conſeruatio proprij eſſe dependet ex conſeruatione totius, cuius eſſe tanquã commune omnibus, & ab eis participatum nobilius eſt, ideò pars quælibet fortius inclinatur in bonum: & conſeruationem totius, quàm in proprium. Quod euidenter oſtendit brachium, dum ſe exponit periculo pro conſeruatione capitis, à quo tanquam à nobiliori parte proximiùs dependet conſeruatio totius. Ita in hoc vniuerſali corpore, nempe in mundo ſe habent corpora, ex quibus tanquam ex partibus cõponitur. In primis enim non niſi inter ſeſe vnita per contactum conſeruari poſſunt, nec eis inter ſe ſeparatis poterit conſeruari totum, inferiora namq; conſeruari non poſſunt, niſi per influxum ſuperiorum, quem cõſtat non poſſe recipere, niſi eis coniungãtur, vt ſapienter docuit Ariſt. 1. lib. Meteor. dicens oportere mundum hunc contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde regatur & gubernetur, & ſicut elementa non poſſunt, niſi inter ſe vnita, & cum corporibus cœleſtibus influxum eorum recipere, & mutuò ſeſe fouere, ita vt in vnum medio altero deriuetur, eodem modo, nec mixta poſſunt eundem influxum recipere, niſi vnita ſint eiſdem elementis,

12 mentis, & intra illa conſiſtant. Et propterea ſic omnia diſpoſuit autor naturæ, vt vnita per immediatum contactum ea in mundo collocauerit, ſicque vnita, & non aliter totum hoc vniuerſale corpus componere oſtenderit, omnibúſque & ſingulis tribuit inclinationem partibus propriam, fortiorem quidem ad bonum, & conſeruationem totius, quàm ad proprium; nam hoc ex illo dependet. Et hinc ſequitur, quod ſicut pars quælibet humani corporis periculo ſe exponit pro bono totius, eodem modo pars quælibet huius vniuerſalis corporis ſe exponit periculo pro bono & conſeruatione totius; ne ſcilicet aliquem defectum, vel deformitatem patiatur: & cum vacuum ſit maxima quædam deformitas cedens in diſpendium totius, & ſingularum partium, & ideò maximum malum earum, quia per illud impeditur, ne inferiora recipiant influxum à ſuperioribus & ne inter ſeſe foueantur, atque iuuentur, ideò illud deteſtatur natura, hoc eſt totum hoc vniuerſum ex inferioribus & ſuperioribus corporibus compoſitum; atque etiam ſingulæ eius partes, & nullo modo illud permittit.

13 Ad ſuccurrendum autem *vacuo*, vel certè ad impediendum, ne aliquando detur, diuerſis mediis vtitur natura; aliis quidem facilioribus, difficilioribus verò aliis, ſemper tamen facilioribus vtitur ſi poſſit, vt maiori cum ſuauitate id fiat. Primum medium eſt, atque facilius obſiſtentia negatiua, in eo conſiſtens, quod vnum corpus non remoueatur à proprio loco, vel non ſeparetur ab altero. Secundum, motus localis vnius corporis à proprio loco, vt repleat alterum locum, ne ſine corpore relinquatur, quo vtitur natura, dum per ſolam retentionem corporis in proprio loco impedire non poteſt vacuum. Tertium eſt rarefactio, aut condenſatio corporis, quo vtitur, dum non poteſt *vacuum* impedire per duo priora.

14 Sed dubium eſt, à quanam cauſa procedant tales motus corporum, vel talis obſiſtentia, quibus natura vtitur ad impediendum *vacuum*. Cui reſpondent quidam ab aliqua virtute ſeu inclinatione particularium corporum data à natura, & non à cauſa vniuerſali, aut prima, ne videamur ad vniuerſales cauſas recurrere in effectibus frequenter contingentibus. Alij verò à ſolo agente extrinſeco, nempè à corpore immediato impellente illud, quod moueri debet. Noſtra tamen ſententia eſt, ex inclinatione cuiuſlibet corporis in bonum totius vniuerſi imprimis procedere; quia partes naturalem inclinationem habent ad bonum & conſeruationem totius: (vt expoſitum eſt) vnde corpus illud, quod faciliùs poteſt *vacuum* impedire, mouetur ad illud impediendum, vel firmum in proprio lo o

loco permanet ex naturali inclinatione,hæc tamẽ non ſufficit, ſed requiritur cõcurſus cauſarum vniuerſalium,præſertim primę,cui ſicut propriiſſimè incumbit cõſeruatio totius:ita etiam ſuccurrere defectibus eidem conſeruationi contrariis.Hæc igitur,dum neceſſe eſt impedire vacuum,medio aliquo corpore ad id apto,vtitur ad mouendum aliud, vel rarefaciendum illud,& ſi tale corpus non adſit,per Angelos talem motũ efficit,quibus demandata eſt cura cœleſtium corporum aliorúmve locorum, in quibus talis neceſſitas impediendi *vacuũ* occurrit. Et ex his intelligitur atque efficaciter probatur ſententia Ariſt. & communis, quod ſecundum communem ordinem & diſpoſitionem rerum naturalium non eſt poſſibile dari vacuum.

Ad 1. igitur experientiam de follibus dicimus non poſſe in illo caſu eleuari, vel ſi magna vis adhibeatur ad eos eleuandos. rumpentur, vt locus detur aëri ingredienti ad impediendum *vacuum*. Ad 2. verò de congelatione aquæ dicendum eſt, non poſſe naturaliter cõdenſari ſine aliqua euaporatione,& ita pars loci, quam aqua relinqueret, vaporibus repleretur,& ſi euaporatio omninò deeſſet, per confractionem vaſis impediret natura *vacuum*. Ad vltimam dicendum eſt,quod ſi æqualiter omninò coniungi poſſint tabulæ(quod videtur negare Ariſt.2.lib. de Anima tex.113.) non poterunt æqualiter à ſe ſeparari: & ſi magna vis adhibeatur ad ſeparationem,confringetur altera. 15

QVÆSTIO II.

An virtute diuina vel angelica dari poſſit vacuum in rebus naturalibus.

VIrtus diuina,vel potentia duplex eſt,Ordinaria,& Abſoluta: Ordinaria vel Ordinata eſt, quæ ſolùm ſe extendit ad effectus producendos, vel conſeruandos ſecundum ordinem in rebus poſitum à Diuina ſapientia; Abſoluta verò non limitatur ad talem ordinem,ſed conſideratur ſecundum ſe,hoc eſt ſecundum ea, quæ abſolutè, & ſine vlla limitatione poteſt, & propterea vocatur Abſoluta. Et per virtutem quidem aut potentiam diuinam Ordinariam vel Ordinatam, certum eſt non poſſe fieri, aut dari *vacuum* in natura rerum;quia vt quæſtione præcedenti probauimus,pugnat cum ordine in corporibus naturalibus conſtituto à diuina ſapientia in prima rerum conditione. De virtute autem, ſeu potentia diuina Abſoluta, non eſt minus certum: cum poſſit vnum integrum elementum, vel aliquam eius partem annihilare, & ſimul impedire, ne aliud corpus in eius loco ſuccederet,duo aliqua corpora tantiſper ſeparare,

parare,& ſimul impedire ingreſſum alterius inter vtrumque.

16 Solum ergo procedit quæſtio de virtute Angelica, naturali quidem; nam ſi à ſupernaturali diuina adiuuetur, etiam eſt certum poſſe efficere *vacuum*.

Et prima opinio aliquorum aſſerit *vacuum* dupliciter conſiderari poſſe. Primò ex parte virtutis naturalis corporum ad impediendum *vacuum*. 2. ex parte ordinis à Deo conſtituti in mundo inter naturalia corpora, & ex parte primi poſſe Angelum *vacuum* inducere, quia poteſt impedire corpora, quæ mouentur ad impediendum *vacuum*, & his impeditis *vacuum* daretur,& ab Angelo cenſeretur factum. Sed ex parte ſecundi ait non poſſe; quia cum non poſſit immutare ordinem totius vniuerſi à Deo conſtituti: nec poteſt *vacuum* efficere, per quod mutaretur idem ordo. Et primum, in quo poteſt eſſe difficultas probat duplici argumentò. Primò, quia licèt corpora non obediunt Angelis ad quemlibet motum: obediunt tamen eis ad motum localem,vt docet expreſsè D.Thom 1.p.q.110.artic.5. & cum eo Schol.omnes;ergo poſſunt Angeli pro libito mouere corpora,& motum eorum impedire,quare dum aërem attrahimus per fiſtulam, & aſcendit aqua ſurſum ad replendum locum ab eo dimiſſum, poterit Angelus motum eiuſdem aquæ impedire, quo impedito, remanebit vacuus locus relictus ab aëre. Ex quo intelligitur poſſe Angelũ virtute naturali efficere *vacuum*; quantum eſt ex parte corporum illud impedientium. Secũdò, quia virtus cuiuſlibet corporis ad mouendum, & pondus eius, finita ſunt, & minora comparatione virtutis Angelicæ,atque etiam ordinis inferioris; ergo poterit Angelus reſiſtere inclinationi eorum ad motum, eúmque impedire & eleuare totam terram,vel extrahere à ſuo loco naturali,impediréque cætera corpora ne in locum eius ſuccedant:& licèt dicatur hoc non poſſe vnum vel alterum Angelum, ſaltem non videtur negandum,quod id poſſint multi ſimul concurrentes;poterunt ergo ex hac parte *vacuum* in natura rerum inducere.

17 *Noſtra* tamen ſententia eſt ex vtraque parte repugnare, hoc eſt tam ex parte virtutis naturalis corporum ad impediendum *vacuum*, quam ex ordine totius vniuerſi, quem non poſſunt immutare, & ideò ſimpliciter negandum eſſe, quod per virtutem naturalem vnius vel omnium Angelorum poſſit *vacuum* in rebus naturalibus induci, quam in primis efficaciter colligo ex doctrina D.Th.q.16.de malo,art.10.ad vltimum:vbi de dæmonibus ſic loquitur: *Licet dæmones poſſint mouere aliquam partem terræ, non ſequitur, quod poſſint mouere totam terram, quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum, vt mutent ordinem elementorum mundi.*

mundi. Præſupponens eandem rationem eſſe de illis, ac de Angelis; quia per peccatum nihil amiſerunt naturalis virtutis, vt tenet communis conſenſus ſcholæ. Aſſerit autem non poſſe mouere totam terram, non propter magnitudinem, vel pondus eius; ſed quia nõ poſſunt mutare ordinem elementorum mundi, quaſi dicat mutare ordinem mundi, eſſe effectum altioris, ac ſuperioris ordinis comparatum cum natura Angelica. Ex quo tale argumentum colligo: Quilibet effectus, ex quo mutatur naturalis ordo conſtitutus à Deo inter partes mundi, eſt vniuerſalis; quia tangit ordinem naturalem totius vniuerſi; ſed virtus naturalis vnius, vel plurium Angelorum, aut etiam omnium eſt particularis, quantumlibet magna ſit; ergo non poteſt illum attingere. Probatur euidenter conſequentia, quia ſicut fuit effectus vniuerſalis corpora naturalia ordinare, ac diſponere in ſuis locis ad conſtitutionem mundi; quem nulla creatura, neque omnes ſimul attingere potuerunt; ita ea, vel aliquod eorum à tali ordine extrahere vniuerſalis eſt effectus, quem non poſſunt attingere creaturæ: tunc vltra, ſed corpora naturalia diſiungere, aut ſeparare, ita vt deſinant eſſe contigua, vel vnum ſub altero collocatum, aut quomodocunque amittant diſpoſitionem ſibi debitam ex ordinatione mundi, eſt effectus vniuerſalis, & ex conſequenti efficere *vacuum*, quod non poteſt, niſi ex aliquo horum ſequi; ergo impoſſibile eſt effici per virturem naturalem creaturarum, aut Angelorum. Quod hoc exemplo declarare poſſumus: ſi lapis vnus moueatur deorſum ex inclinatione naturali grauitatis, & moueatur alter ſurſum ad impediendum *vacuum*, poterit Angelis detinere primum, etiam ſi velociùs moueatur, & non ſecundum, quia detinere illum eſt effectus particularis, non tangens ordinem vniuerſi; detinere verò alterum vniuerſalis effectus eſt pertinens ad ordinem vniuerſi, quem non poteſt attingere.

Ad primum argumentum diſtinguendum eſt antecedens; nam ad particulares motus locales obediunt corpora Angelis, non tamen ad eos, qui ordinem vniuerſi attingunt: vt expoſitum eſt. Ad ſecundum eodem modo reſpondendum eſt, maiorem eſſe virtutem Angelorum, & ſuperiorem magnitudine elementorum, & virtute motiua eorum: nihil tamen poſſe circa mutationem eorum à diſpoſitione naturali eis collata à Deo in ordine ad compoſitionem & conſeruationem totius vniuerſi, & ideò non poſſe ab ea extrahi à propriis locis, vel inter ſe ſeparare, vt efficiatur *vacuum*, quia quodlibet horum eſt vniuerſalis effectus tangens bonum totius vniuerſi, & ideò excedens particularem virtutem omnium Angelorum.

QVÆ

QVÆSTIO III.

An ſi daretur vacuum, *mouerentur corpora per illud in tempore, vel in inſtanti.*

19 CONditionalis eſt quæſtio præſens, & quaſi ex ſuppoſitio-
ne *vacui* in natura rerum exiſtenti, quod ſuperius vidimus
dari poſſe per potentiam Dei abſolutam; ſuppoſito ergo, quod
daretur; quærimus, quonã modo moueretur per illud corpus.
Et prima opinio negat vllo modo fieri poſſe motum in *va-
cuo*, etiam per potentiam Dei abſolutam, ſed implicare contra-
dictionem, & ideò nec in inſtanti, nec in tempore. Ita ſen-
tiunt Commentator, Themiſt. atque Simpl. Ægidius, Burle.
Iandun. & Saxonia, text. 7. 75. & 76. huius lib. Albert. Mag.
tract. 2. cap. 6. & 7. ſuorum Commentariorum ſuper 4. lib.
Phyſ. & Greg. in 2. d. 6. q. 3. art. 2. & videtur expreſſa ſententia
Ariſtot. cap. 8. & 9. huius libri; quibus locis, non ſolùm aſſe-
ruit, ſed probauit tribus argumentis aduerſus antiquos Philoſo-
phos, quod admittentes *vacuum* propter motum localem, eun-
dem motum admiſſo *vacum* abſtulerint, quia repugnat per *va-
cuum* fieri. Primò, quia *in vacuo* non eſſent differentiæ poſitio-
nis ſurſum & deorſum, quibus ſignificantur determinata loca,
ad quæ tendunt motus, & à quibus ſpeciem capiunt, imo ne-
que poſſet eſſe quies, per quam corpus abſoluto motu in deter-
minato loco quieſcit; ergo impoſſibilis omninò eſſet motus
20 per *vacuum*. Secundò, quia ſi daretur motus in *vacuo*, fieret in
inſtanti, quod eſt impoſſibile: ergo erit etiã impoſſibilis mo-
tus. Antecedẽs probat, quia ſicut ſucceſſio alterationis proue-
nit ex reſiſtentia cõtrariæ qualitatis in eodẽ ſubiecto exiſten-
tis, quam non poteſt virtus agentis in momento ſuperare, ſed
ſucceſſiuè, alioqui in inſtanti efficeret motum alterationis; &
ideò per ſucceſſiuum motum debet propriam formam intro-
ducere. vt ignis calorem in aqua: quia per ſucceſſiuam expul-
ſionẽ frigiditatis, ita ſucceſſio motus localis procedit, ex reſi-
ſtentia medij, quod mobile diuidere debet per motum, & non
poteſt ſimul, aut in inſtanti, ſed paulatim, & ſucceſſiuè; & ideò
ſucceſſiuè moueri debet, ſed in *vacuo* nulla eſſet reſiſtentia:
cum nullum ſit corpus in eo diuidendum per motum, ergò nec
ſucceſſiuè fieret motus. Tertiò, quia ſi per *vacuum* fieret mo-
tus, eodem tempore, & æqua velocitate poſſet moueri corpus
per *plenũ*, & per *vacuum*, imò corpus minoris grauitatis, ac ma-
ioris, vt vtrumque patet eſſe falſum. Antecedens probat, quia

ſi motus per *vacuum* fit in tempore, ergo aliqua datur reſiſtentia ex parte medij, quæ aliquam etiam proportionem habebit cum reſiſtentia *pleni*, & ſi detur aliud plenum tanto minus reſiſtens, quanto minor eſt reſiſtentia *vacui*, quàm primi *pleni*, æqualis erit reſiſtentia ex parte vacui, & ſecundi *pleni*, ſed medio æqualiter reſiſtenti fiet motus æqualis velocitatis, & æqualis etiam durationis; ergo talis fiet per *vacuum* & per *plenum*, & ex conſequenti, in tempore etiam æquali mouebuntur corpus magis, & minus graue per *vacuum*, & *plenum*, vt probari facilè poteſt eodem modo.

Probant præterea: quia non poſſunt moueri corpora ſublunaria, niſi per influxum cœleſtium corporum, & ad determinatum, vbi tanquam ad terminum, à quo ſpecificatur eorum motus, ſed per *vacuum* non poteſt communicari eis influxus, nec in *vacuo* datur determinatum *vbi*; ergo nec erit poſſibile dari motum. Probatur minor, quod non detur, *vbi*, quia *vbi* includit certam diſtantiam ad partes fixas vniuerſi, ſed in *vacuo* nulla eſt diſtantia: cum diſtantia ſit inter extrema poſitiua; ergo nec datur in eo, *vbi* nec poteſt dari motus.

Secunda opinio duo aſſerit. Primum, *quod dato vacuo poſſent* 21 *corpora naturalia per illud moueri, non ſolum per potentaim Dei, ſed etiam naturaliter*: ſecundum, *quod talis motus non fieret in inſtanti, ſed ſucceſſiuè, & in tempore.* Ita Philop.4.l. Phyſ.text.75. & in digreſsione de loco, D.Thom.lect.2.& in 4.d.44. quæſt.2.art.3.Scot.in 2.d. 2. quæſt.9. Sotus 4.li. Phyſ.q. 3. art.3. Tolet. q. 9. Conimb. cap. 9. q. 4. & 5. & cæteri omnes Moderni, *quam nos, non ſolum vt probabilem, ſed vt veram ſequimur.*

Probatur autem primum, quia ſi motus eſſet impoſsibilis per *vacuum*, aut propter defectum reſiſtentiæ ex parte medij, aut propter defectum, *vbi*, quod per motum acquiri poſsit, ſed neutrum deficit; ergo poſſibilis erit motus per *vacuum*. Probatur minor quia dari poſſet *vacuum*, ita vt annihilarentur inter media elementa, & remanerent extrema, vel ſaltem terra; & tunc euidens eſt lapidem poſitum in concauo Lunæ, poſſe acquirere per motum centrum terræ tanquam proprium locum, & naturale vbi deorſum, reſiſtentia verò ex parte medij, non requiritur neceſſariò ad motum, vt ſtatim probabimus, & in motu cœlorum euidens eſt, quem abſque vlla reſiſtentia ex parte medij fieri videmus; ergo iam eſſet poſsibilis motus per *vacuum*. Secundò, ſi Deus foramen aliquod efficeret à ſuperficie terræ vſque ad centrum eius, nec permitteret partes terræ coniungi ad replendum illud, euidens eſt moueri aquam ex duplici inclinatione naturali, quam nullum aliud corpus

corpus impedire poteſt naturaliter, particulari quidem ad motum deorſum, & vniuerſali ad replendum *vacuum* acquireretque verum locum, & *vbi* in eodem centro terrę; ergo nulla poſſet dari repugnantia ad motum per *vacuum* per virtutem naturalem corporum efficiendum ſi daretur.

32 Probatur ſecundum, quod talis motus non fieret in inſtanti, ſed neceſſariò in tempore, quia ſi daretur *vacuum* inter cœlum & terram, & apprehenderetur columna quædam per totum *vacuum*, poneretur q; lapis in concauo Lunæ, qui iuxta eandem columnam moueretur, tunc ſi talis motus fieret in inſtanti, ſimul correſponderet lapis toti columnæ, quod manifeſtam continet repugnantiam. Probatur conſequentia, quia ſimul eſſet in toto illo ſpatio vacuo, per quod appēditur columna: falſitas autem conſequentis euidens eſt; quia repugnat vnum corpus correſpondere alteri ſecundum totam longitudinem eius, niſi ſit æqualis. Secundò, quia ſucceſſio motus localis non prouenit ex ſola reſiſtentia medij, ſed præcipuè ex extenſione, ac diuiſibilitate quantitatiua corporis: quod mouetur, cuius partes ſimul pertranſire medium, vel partes eius repugnat, ſiue reſiſtat medium, vel non; ergo ratione huius extenſionis, & latitudinis repugnat moueri corpus per *vacuum* in inſtanti. Probatur antecedens, quia ſi in illa columna appenſa per *vacuum* deſignetur aliquod punctum in aliqua eius parte, & moueatur corpus longitudinis cubitalis iuxta illam: implicat contradictionem, quod totus lapis ſimul correſpōdeat puncto deſignato in columna, alioqui erit æqualis, quod repugnat, neceſſe eſt ergo priùs ei correſpondere primum palmum lapidis, quam ſecundum; ſed prius, & poſterius non poſſunt eſſe in inſtanti, ſed neceſſariò in tempore; ergo extenſio partium corporis, & latitudo diuiſibilis eius ſufficit, vt non poſſit moueri per *vacuum* in inſtanti, etiam ſi ex parte eiuſdem *vacui* nulla detur reſiſtentia.

23 Ad rationes verò Ariſtotelis reſpondeo naturaliter tantum procedere primam, & de *vacuo* purè negatiuo, in quo nullus daretur locus, nullúmve corpus, & per talè *vacuum* bene probat non poſſe mouere corpus naturaliter, quia non eſſet determinatus locus, nec determinatum *vbi*, ad quod tenderet, vel in quo quieſceret, potius quàm in alio; quare nec poſſet vnquam abſoluere motum, & nihilominus adhuc per tale *vacuum* poſſet Deus corpus mouere, illudque detinere in quacunque diſtantia, ſed per *vacuum* inter corpora admiſſum moueri poſſet corpus virtute naturali, vt probatum eſt: quia nec eſt neceſſaria reſiſtentia medij ad motum, nec etiam, quod per locum

fiat; cum neque ad locum per ſe terminetur, ſed ad *vbi*, vt
docet expreſſè idem Ariſt. 5. li. Phyſ.

Duo antem alia argumenta Ariſt. procedunt aduerſus illos
Philoſophos ponentes ſucceſſionem motus ex ſola reſiſtentia
medij prouenire, quod tamen probatum eſt falſum, ideò nihil
concludunt.

Ad vltimum verò ab aliis auctoribus additum reſpondetur
primò; motum corporum ſublunarium, non ita dependere ex
cauſis vniuerſalibus quæ ſunt corpora cœleſtia, vt ſine con-
curſu illorũ nullo modo fieri poſſit; ſed ita tantum dependet,
vt nec poſſit ordinatè fieri nec multũ durare, quare aliquo mo-
do fieri poſſet per *vacuum* ſine eorum cõcurſu. Secundò reſpon-
deo, per ſolum concurſum primæ cauſæ fieri poſſe motum per
vacuum, quem concurſum poteſt Deus corporibus tribuere,
etiam per *vacuum*, per potentiam eius abſolutam, quamuis ſe-
cundum potentiam ordinatam fieri non poſſit.

Aliud verò, quod in eodem argumento additur de *vbi*, hac 24
diſtinctinctione explicandum eſt: dupliciter ſumi poteſt *vbi*.
Primò, pro præſentia locali corporis; alio modo pro præſen-
tia ſimplici, hoc eſt, non locali, quia non commenſurata loco, &
hæc non ſolùm reſpectu veri ſpatij, ſed imaginarij ſumitur, &
modo quidem naturaliter minatur motus localis ad primum
vbi, & ideò Ariſtot. naturaliter loquens de motu, dixit termi-
nari ad locum: quod conſequenter tantum intelligendum eſt;
quia terminatur per ſe ad præſentiam localem, quæ non repe-
ritur, niſi in loco; ſimpliciter tamen loquendo ſufficit aliud *vbi*
ad terminandum motum, quia prædicamẽtum *vbi*, ad quod per
ſe terminatur motus localis, abſtrahit ab vtroque & vtrumq;
ſub ſe includit. In *vacuo* igitur daretur ſecundum *vbi*, includens
diſtantiam ad partes fixas; non quidem veras, ſed imaginarias.
& nec diſtantia iſta neceſſaria eſt ad *vbi*, niſi ſuppoſito ordine
vniuerſi; abſolutè verò ſola præſentia corporis ad ſpatium ima-
ginarium efficit *vbi*, potens per ſe terminare motum, & ita in
vacuo poteſt corpus acquirere verum vbi.

Notandum denique eſt ſucceſſionem motus aliqua tantum
ex parte prouenire ex reſiſtentia medij, præcipuè tamen pro- 25
uenit ex latitudine diſtantiæ in eodem medio repertæ, quam
non poteſt mobile in momento pertranſire; quia repugnat ſi-
mul eſſe præſens diuerſis partibus ſpatij imaginarij, ſicut
patet eſſe impoſſibile ſimul habere diuerſa, *vbi*, inter ſeſe di-
ſtantia. Alia eſt etiam ratio ſucceſſionis intrinſeca in corpo-
ribus; nempe latitudo extenſionis eorum; quia repugnat ſi-
mul eſſe præſentes partes poſteriores corporis eidem puncto,

vel

vel parti ſpatij imaginarij; atque etiam partes priores, ſed ſicut has neceſſe eſt priùs pertranſire eandem partem *ſpatij pleni*, ita eandem partem *ſpatij vacui*, & imaginarj: & ideo repugnat moueri per *vacuum* in inſtanti, etiam per potentiam Dei abſolutam, & hæc duplex ratio ſucceſsionis poſſet vocari reſiſtentia intrinſeca; reſiſtentia verò ex parte medij extrinſeca eſt: & qua non exiſtente *in vacuo*, adhuc eſſet neceſſarium motum fieri ſucceſsiuè per illud propter reſiſtentiam intrinſecam: ratione cuius implicat contradictionem motum localem, ſiue per *vacuum*, ſiue per *plenum* in inſtanti fieri.

CAPVT X.

De tempore.

TEXTVS ARIST.

Conſequens autem eſt ad ea, quæ dicta ſunt, aggredi de tempore, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

1 INTENTVM huius capitis eſt oſtendere, quàm ſit difficilis exiſtentia temporis in rerum natura, atque etiam quidditatem, & eſſentiam eius inuenire. Et primum oſtendit in prima parte capitis, poſtremum in ſecunda: & hæc eſt diuiſio eius. Probatur igitur difficile eſſe, quod tempus ſit in rerum natura duplici argumento. Primò, quia ſi tempus ſit, compoſitum erit ex partibus; ſed non poteſt habere aliquam partem realiter exiſtentem; ergo nec tempus ipſum habebit exiſtentiam. Minorem probat, quia partes temporis erunt præteritum, & futurum: & illud nondum eſt, hoc verò iam non eſt: ergo non ſunt partes reales, nec realiter exiſtentes: quare nec tempus erit aliquid realiter exiſtens. Secundò, quia tempus præter futurum, & præteritum ſolum habet inſtans præſens, ſed præteritum, & futurum non exiſtunt, vt probatum eſt, & inſtans præſens non eſt pars temporis, immò neque exiſtit in rerum natura; ergo tempus nullam habet partem exiſtentem, quare nec ipſum erit exiſtens. Probat minorem, quia de ratione partis eſt, vt ſæpius repetita poſſit adæquare toti: vt de palmo, vel vlna conſtat; ſed inſtans etiam millies repetitum non efficiet tempus, cum ſit indiuiſibile, ergo non eſt pars temporis. Quòd verò exiſtant, probat, quia ſi

daretur inſtans, vel eſſet vnicum in toto tempore, vel plura: non plura, quia vel ſimul eſſent, quòd patet eſſe impoſsibile; quia nec duæ partes temporis ſimul eſſe poſſunt, niſi vna cōtineat alteram, vt hora, minutum, vnum verò inſtans: cum ſit indiuiſibile, non poteſt continere alterum: vel eſſet vnum poſt alterum, & tunc neceſſe foret vnum corrumpi adueniēte altero, & hoc eſt impoſsibile, quia cum corruptio fiat inſtanti, vel corrumperetur in ſe, vel in alio inſtanti, in ſe corrumpi repugnat, quia dum in ſe eſt, actu potius exiſtere dicitur, quam corrumpi, ſed nec poteſt corrumpi in alio inſtanti: quia duo inſtantia non ſunt immediata; ſed inter illa mediat tempus, quod etiam habet infinita inſtantia, quibus præſens erit illud, quod corrūpitur, & ſimul cum omnibus exiſtet, quod patet eſſe impoſsibile. Quod verò non ſit vnicum inſtans in toto tempore probat primò; quia omne diuiſibile clauditur duobus extremis; vt linea duobus punctis; ſed tempus eſt diuiſibile; ergo repugnat vnicum tantùm inſtans habere. Secundò, quia ſi vnicum eſſet inſtans in toto tempore, ſequeretur, omnia, quæ ſunt in toto tempore, ſimul eſſe; quod eſt abſurdum. Probatur conſequentia; quia omnia eſſent in eodem inſtanti, quæ autem in eodem inſtanti ſunt, ſimul exiſtunt.

In ſecunda parte capitis oſtendit non minus eſſe difficilem eſſentiam temporis propter varias opiniones Philoſophorum, quæ verſantur circa illam. Nam quidam, vt Plato videtur ſentire; quod tempus ſit circulatio cœli; hoc eſt, motus, quo ab Oriente in Occidens mouetur, quod videtur falſum; quia quælibet pars temporis eſt tempus, vt præteritū, & futurum: ſed pars circulationis, non eſt circulatio; ergo circulatio non eſt tempus. Pythagorei verò dixerunt, non circulationem cœli, ſed ſubſtantiam eius eſſe tempus, quod magis abſurdum eſt; cum tempus non ſit totum ſimul, & ſubſtantia cœli ſimul ſit tota. Et tandem poſſet aliquis exiſtimare, inquit Ariſtoteles, quòd tempus eſſet motus cuiuſque corporis particularis, quod patet eſſe falſum, cum motus quiſque habeat determinatum ſubjectum, & in determinato loco fiat, tempus verò apud omnia verſetur, & vbique ſit.

CAPVT

CAPVT XI.

TEXT. ARISTOTELIS.

At verò neque ſine mutatione, cum enim ipſi nihil mutamur *&c.*

Breuis expoſitio Text.

4 INTENTVM Ariſtotelis cap. præſenti eſt aſſignare definitionem temporis: diuiditur autem in duas partes: in prima, definitionem temporis aſſignat: in ſecunda verò agit de inſtanti explicans, quo modo ſe habeat in tempore. Ad conſtituendam definitionem temporis præſupponit tempus non eſſe ſine motu, idque probat à ſigno; quia dum non percipimus motum in nobis, vel in aliis, nec percipimus tempus, & ſtatim ac motum aliquo modo percipimus, etiam percipimus tempus; ergò tempus non eſt ſine motu; ſed neceſſariam habet coniunctionem cum eo. Primum probat exemplo dormientium; qui cum nullum motum percipiant, nec percipiunt tempus; ſed cum à ſomno excitantur: videntur ſibi permanere in eodem nũc, in quo erant, dum dormire cœperunt, quaſi coniungentes illud cum hoc, & efficientes vnum, in quo ſibi videtur permanere. Secundum verò ex internis operationibus ſenſuum; vel intellectus, ex quarum ſucceſsione colligimus pertranſiſſe tempus; etiam ſi externum motum non percipiamus; ergo tempus neceſſariam habet coniunctionem cum motu. Vnde ſequitur aliquid motus eſſe, ex quo colligendam eſſe ait definitionem temporis.

5 Vt autem eam colligat, quatuor annotat. Primum, duo eſſe conſideranda in motu. Primum, quod continuum ſit; ſecundum, quod partes priores, & poſteriores habeat; & vtrumque ait habere à magnitudine; vel ſpatio, per quod ſit (loquitur enim de motu locali tanquam de notiori) primum quidem; quia ſi ſpatium ſit continuum; poteſt per illud effici motus continuus, ſi verò ſit diuiſum, etiam diſcontinuabitur motus, ergo motus accipit continuationem à ſpatio. Partes etiam priores, & poſteriores ab eo habere oſtendit: quia prior pars motus cenſetur illa, quæ fit per priorem partem magnitudinis, poſterior verò, quæ fit per poſteriorem. Annotat ſecundò, duobus modis conſiderari motũ. Primò, vt eſt actus entis in potẽtia, ſecundum quòd in potentia, in quo conſiſtit eſſentia eius.

Secundò, vt ſucceſſiuè fit per partes priores, & poſteriores magnitudinis, & ſub prima conſideratione non habet partes priores, & poſteriores, ſed ſolùm dicit fluxum, & tendentiam inter duos terminos, *à quo*, & *ad quem*: ſub ſecunda verò conſideratione habet partes priores, & poſteriores, & ideò hoc non eſt ei eſſentiale, ſed quaſi proprietas vel modus conſequẽs eſſentiam, & ex conſequenti ratione ſaltem formali à motu diſtinctum.

6 Tertiò annotat, quod tempus non conſequitur motum ſub prima conſideratione ſumptum; ſed ſub ſecunda, nempè, vt habet partes priores, & poſteriores; quia non percipimus tempus, dum motum illo modo conſideramus; ſed ſolùm, dum ſucceſſionem partium eius experimur: ergo cum hòc tantum modo conſideratum, & non illo ſequitur tempus. Vltimo annotat, partem priorem, & poſteriorem motus duobus modis conſiderari: primò, vt copulantur vno, & eodem mutato eſſe quod eſt indiuiſibile proprium motus, & eſt finis partis prioris & initium poſterioris, & ita copulatæ efficiunt vnum motum continuum, & adhuc non conſequitur tempus motum hoc modo conſideratum: quia dum ſic motum percipimus, non iudicamus præteriiſſe tempus. Secundò, conſiderantur eædem partes, tanquam diſtinctæ, & copulatæ diuerſis mutatis eſſe; quorum vnum eſt prius copulans partem priorem, & aliud poſterius, copulans partem poſteriorem, & partes motus priores, & poſteriores hoc modo conſideratas conſequitur tempus, quia dum ſic eas percipimus, iudicamus tempus præteriiſſe, & hoc modo videntur habere quandam diſcretionem, & quodam modo numerari ab intellectu, hoc eſt tanquam plures, ac diuerſas concipi ab eo, ſecundum rationem prioris, & poſterioris: nam ea, quorum vnum eſt prius vel poſterius altero, eo ipſo plura ſunt, ac diuerſa per diuerſas rationes, & quaſi diuerſas qualitates priores & poſteriores.

7 Ex quibus colligit Ariſtoteles quod ſi tempus non eſt ſine motu, ſed aliquid eius eſt, non quidem conſiderati, vt vnum in ſe eſt, & continuum, ſed in quantum habet prius, & poſterius ſic diuerſa, & ſic conſiderata, diſtincta, & quaſi numerata ab intellectu, propria definitio temporis talis erit, *tempus eſt, numerus motus ſecundum prius, & poſterius.* Dum autem numerũ eſſe aſſerit; non pro numero numerante realiter diſcreto accipit numerum; quia tempus non eſt realiter diſcretum; ſed pro re numerata ab intellectu; & verè continua, ſicut pannum cõtinuum dicimus eſſe decem vlnas, vel decem vlnis menſurari.

In vltima parte capitis explicat, quonam modo ſe habeat

nunc

nunc, vel inſtans ad tempus,& aſſerit ita ſe habere, vt tribuat ei vnitatem,& diſtinctionem. Vnitatem quidem, in quantum copulat partes eius, nempe præteritum cum futuro, ſicut punctum partes lineæ, & eas copulans facit vnum tempus, quia vnum & continuum idem ſunt, diſtinctionem verò, in quantum eas copulans tanquam finis prioris, & initium poſterioris eas diſtinguit, & vt diſtinctas copulat,& ideò ex eis vt diſtinctis vnum tempus efficit.

CAPVT XII.

TEX. ARISTOTELIS.

Minimus autem numerus quidam ſimpliciter quidem eſt,&c.

Breuis expoſitio Text.

8 INTENTVM huius capitis eſt enumerare proprietates temporis. Diuiditur autem in duas partes. In prima enumerat,& explicat quinque proprietates temporis. In ſecunda comparat tempus ad extrinſeca, nempe ad res, quæ dicuntur eſſe in tempore, docétq; quonam modo ad illas ſe habeat. Prima proprietas temporis eſt, quod cum continuum ſit, & quodammodo diſcretum, ratione primi non habet minimum, ſed quælibet pars eius eſt diuiſibilis in infinitum, ſicut quælibet pars aliorum continuorum; ſed in quantum eſt numerus, & aliquo modo diſcretum, habet minimam partem, non amplius diuiſibilem, vt horam, vel minutum, quod tanquam indiuiſibile in hoc genere accipimus. Secunda proprietas eſt, quod tempus ſuſcipit denominationes rei continuæ; atque diſcretæ; nam vt continuum eſt, dicitur longum, aut breue; ſed vt diſcretum dicitur multum, vel paucum, nam paucos dies, & paucas horas pertranſiſſe dicimus. Tertia eſt, quod idem ſemper eſſe dicatur tempus atque etiam diuerſum; nam comparatum ad res alias dicitur idem eſſe in omnibus, atque etiam eſſe vbique. Sed in ordine ad ſe conſideratum, vt habet partes priores,& poſteriores: diuerſum dicitur, nam tempus futurum diuerſum eſſe dicimus à præterito,& hoc etiam à præſenti. Quarta, dicitur tempus idē redire, ſicut redit eadem circulatio cœli; ſed non redit idem numero, ſed idem ſpecie, vel vt propriùs loquamur, redit idem tempus totale, non partiale; quia partes diuerſæ ſunt; ſed per continuationem efficiunt vnum tempus, & ideò dicitur idem

tempus totale redire, ſed ſecundum diuerſas partes. Vltima proprietas temporis eſt; quod ſit menſura motus, & ab eodem motu menſuretur diuerſa ratione. Nam vt eſt numerus numeratus partium motus menſurat motum: quia tantum fuiſſe motum dicimus, quanta eſt duratio temporis in eo cõſumpti. Sed menſuratur à motu, ſicut res menſuratæ quodammodo ſunt menſura eiuſdem numeri, vt dum dicimus quaternarium numerum maiorem eſſe ternario, quia plures ſunt res numeratæ per eum; ſed illa ratio menſuræ eſt à priori, & formalis, hæc verò à poſteriori, & materialis. Et ideò tempus quaſi à priori eſt menſura motus, à poſteriori verò motus eſt menſura temporis.

In ſecunda parte capitis comparat tempus ad res extrinſe- 10
cas, quæ in eo eſſe dicuntur, aſſeritque duplices eſſe; nam quædam ſunt, quæ mouentur, quales ſunt generabiles, & corruptibiles; aliæ verò non ſubiiciuntur motui; quia ingenerabiles, & incorruptibiles ſunt, & ad omnes quidem, quæ ſubiiciuntur motui, ſic ſe habere ait, vt omnes eſſe dicantur in tempore ſubiici tempori, comprehendi à tempore, vel ſub tẽpore; non ratione ſui, ſed ratione motus: & ideò motus ipſe per ſe, & ratione ſui; nam in tantum res habent illa, in quantum tempore menſurantur, ſed non menſurantur tempore, niſi ratione motus; cui ſubiiciuntur, motus verò ratione ſui; ergo illa omnia habent ratione motus, iſtæ verò ratione ſui. Sed non dicuntur pati à tempore, nec ab eo conſumi, vel alterationem pati, quia tempus hæc operatur circa illa; ſed quia à cauſis per ſe hæc patiuntur in tempore ipſo menſurante actiones, paſſiones, & mutationes, per quas hæc fiunt. Deus verò, & Angeli non dicuntur eſſe in tempore, nec ei ſubiici, quia non ſubiiciuntur motui. Sed tempus tandem inquit Ariſtoteles, non ſolùm menſurat motum, ſed etiam quietem, & eius ratione cætera, quæ propriè dicuntur quieſcere.

CAPVT XIII.

TEXT. ARISTOTELIS.

Ipſum autem, nunc, eſt continuatio temporis ſicut dictum eſt, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt explicare quaſdam 11
voces, per quas ſolemus ſignificare tempus ipſum & hoc præſtat in prima parte, in ſecunda verò proponit

ponit quoddam dubium, & illud ſoluit. Sex ſunt voces, quibus vti ſolemus ad ſignificandum tempus, nunc aliquando, iam, nuper, olim, ſubitò. Et nunc quidem duobus modis accipitur. Primò, pro inſtanti copulante præteritam partem temporis cum futura. Secundò, pro tempore proximo eidem inſtanti, ſiue præterito, ſiue futuro, in qua ſignificatione accipimus, nunc, dum dicimus, Petrum nunc veniſſe, quia paulò ante venit, vel etiam nunc venturum, quia paulò
12 poſt veniet. Et ratio huius acceptionis videtur eſſe, quia quod parum diſtat à præſenti, nunc, in eo videtur eſſe. Vnde de tempore longè diſtanti, vel de actionibus in eo factis, inquit Ariſtoteles, non dicitur, nunc, quia non dicimus Bellum Troianum nunc eſſe peractum, vel nunc contigiſſe diluuium. Secunda vox eſt, aliquando, vel tunc, quæ ſignificat determinatum tempus quaſi vaga quadam ratione, non tamen propinquum præſenti, nunc, ſed ab eo ſeparatum, dicimus namque Troianum Bellum, aliquando, vel tunc fuiſſe peractum. Tertia vox eſt, iam, ſignificans tempus futurum, vel præteritum parum diſtans à præſenti, nunc: vt dum dicimus iam nos diſputaſſe, vel iam nos diſputaturos, ſignificamus actionem diſputandi, vt tempore parum diſtante à præſenti nunc menſuratam. Quarta vox eſt, nuper, quæ tempus proximum inſtanti præſenti etiam denotat, non tamen futurum, ſed præteritum. Quinta vox eſt, olim, aut quondam, ſignificans tempus præteritum multum diſtans, à, nunc, præſenti, & tandem, ſubitò, denotat breuiſſimum tempus, ſiue ſit præteritum, ſiue præſens, vel futurum.

13 In ſecunda parte capitis proponit dubium Ariſtoteles. An tempori potius tribuenda ſit generatio rerum, quam corruptio: nam cum vtraque fiat in tempore, non videtur vna potius, quàm altera ei tribuenda. Nihilominus corruptionem potius ei tribuendam eſſe aſſerit; quàm generationem, potiúſque dicendum eſſe tempore res conſumi, quàm renouari. Quòd ſic probat: Res generabiles & corruptibiles ita procedunt, vt nunquam conſiſtant, nec in eodem ſtatu permaneant; ergo id potius eis debet attribui, quòd ex perpetuo decurſu, & inſtabilitate eis aduenit; quam quod ex primaria intentione agentium naturalium: ſed tandem eis aduenit corruptio & interitus, ad quem omnia properare experimur; ergo tempore potius corrumpi & interire dicendum eſt; quàm generari aut conſeruari; licèt vtrumque in tempore habeant. Quod non eſt ſic intelligendum, vt tempus ſit cauſa corruptionis earum, aut generationis; nam vtrumque habent à cauſis naturalibus, generari quidem

quidem per ſe, corrumpi verò per accidens, ſed in quantum tempore menſuratur, & ſubiicitur corruptio earum, & quaſi eam affert tempus ſua duratione continua.& ſemper decurrẽte, à qua vincitur ac ſuperatur particularis duratio cuiuſcunque rei corruptibilis.

CAPVT XIIII.

TEXT. ARISTOTELIS.

His autem à nobis ſic determinatis,manifeſtum eſt,&c.

Breuis expoſitio Text.

INtentvm huius capitis eſt agere de vnitate 13
temporis:& in eo tria dubia proponit, ac ſoluit Ariſtot.ad rationem, & vnitatem temporis pertinentia: nec eget alia diuiſione. Vt dubia proponat, & ſoluat, præſupponit illud,quod in ſuperioribus docuit; nempe mutationem,& motum in tempore eſſe; ab eoque menſurari.Quod hoc argumento probat:Tardiùs & velociùs ſunt in motu, atque etiam prius & poſterius; nam velocior motus eſt,per quem mobile in minori tempore pertranſit maius; vel æquale ſpatium, & prius, ac poſterius in motu accipiuntur reſpectu;nunc,præſentis,ſed tardiùs,& velocius, atque etiam, nunc,ſunt in tempore, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo & motus in tempore erit,temporeque menſurabitur.

Hoc ſuppoſito,primum dubium eſt, quare tempus dicatur eſſe vbique, hoc eſt in terra, in mari, & in omni loco. Et reſpondet:quia vbique reperitur motus; ſed tempus eſt aliquid eius; ergo etiam reperitur vbique.

Secundum dubium eſt, an tempus dicatur eſſe extra animã vel intellectum, aut ſolum in intellectu ipſo. Et reſpondet, quod cum tempus ſit numerus numeratus partium motus, & anima, vel intellectus ſit numerans; non poteſt eſſe omninò extra animam; vel intellectum, ſed ita ſaltem ad illum ſe habet,vt ſi impoſsibilis eſſet intellectus etiam eſſet tempus impoſsibile: quia licet daretur ſecundum quandam rationem materialem motus,non tamen, vt numerus motus ſecundum prius & poſterius; in quo conſiſtit formalis ratio temporis, quia ſi impoſsibile eſt numerantem eſſe, impoſsibile quoque erit numerum eſſe, ita ergo cenſebitur eſſe tempus extra animam,

mam vel intellectum ab eo tanquam à numerante dependeat.

14 Dubium tertium eſt, an tempus ſit vnum, vel plura: & ratio dubitandi ex parte vnitatis eſt; quia tẽpus eſt numerus motus; ſed conſtat plures eſſe motus, cum poſſint plura corpora ſimul moueri; diuerſis motibus ſecũdum ſpeciem, nempè motu alterationis, augmentationis, & locali; ergo plura erunt tempora, & non vnum. Ex oppoſita verò parte probat tempus eſſe vnum; quia licèt plura moueantur ſimul, atque etiam in tempore præterito & futuro; ſed idem eſt totum tempus ſecundum ſpeciem, propter eandem rationem formalem in his partibus repertam: idem eſt etiam tempus ſecundum numerum; quia licèt partes iſtæ diſtinguantur, ſed quia copulantur eodem inſtanti præſenti efficiunt vnum, atque idem numero tempus; quia vnum continuum, & vnum numero idem ſunt. Reſpondet, tempus eſſe vnum, quia licèt plures ſint inferiores motus, ſed vnus datur ſuperior, & primus, nempè circularis primi orbis, à quo omnes menſurantur, tam cœleſtes, quàm ſublunares; quia primum, & perfectiſſimum in quolibet genere eſt menſura cæterorum: quare erit etiam numerus eorum, & conſequenter tempus vnicum, quo menſurantur. Probat ſecundò, quod motus iſte primus ſolùm ſit tempus, à quo menſurentur cæteri motus; & ideò tempus ſit vnicum ex conditionibus menſuræ; quæ debet eſſe vna, vniformis, & regulariſſima, hoc eſt, eodem modo ſe habens ſemper, alioqui non poterit certos nos reddere de quantitate menſuratorum; ſed conditiones iſtæ ſolùm concurrunt in motu primi mobilis: nam ex cæteris quidam ſunt velociores, & tardiores alij; ergo ſolus iſte erit menſura omnium, & ex conſequenti ſolus iſte erit tempus, & ideò vnicum tempus.

15 Ad argumentum verò pro oppoſita parte reſpondet, plures eſſe motus, ſed cum motus ſint quaſi res numeratæ reſpectu temporis, non variatur, nec multiplicatur ex diuerſitate eorum tempus, ſicut nec variatur numerus ex diuerſitate rerum numeratarum; ſed idem numerus ternarius eſt hominum, & equorum formaliter. Ita tempus eſt idem formaliter, licèt varientur motus, quia eſt numerus formalis eorum.

TRA

TRACTATVS PRIOR
DE TEMPORE.

SEx durationes inuenio apud antiquos, & Modernos interpretes Ariſtotelis in Commentariis horum capitum; & apud Scholaſt. Doctores in 2.d.2. & 1. part. quæſt. 10. *æternitatem*, quam attribuunt Deo; *æuum* Angelis, rebuſque incorruptibilibus; *durationem* quandam indiuiſibilem innominatam, quam multi concedunt ſubſtantiis corruptibilibus, *æternitatem participatam* beatitudini creaturarum, *tempus continuum*, quod eſt propria duratio motus: & tandem *tempus diſcretum*, quod componitur ex multis operationibus momentaneis Angelorum. Ex his autem durationibus ſolùm pertinet *tempus per ſe* ad noſtrum inſtitutum. Sed quia plura diſputant Moderni interpretes Ariſtotelis de cæteris durationibus, ideò aliquid etiam nos de eis dicemus. Propterea in duos tractatus diuidimus materiam hanc de durationibus rerum, prior erit de his, quæ ad tempus pertinent, poſterior verò (admodum breuis) de cæteris durationibus.

QVÆSTIO I.

An tempus ſit verum ens reale in natura rerum exiſtens.

DIfficile admodum eſt intelligere entitatem, & rationem 16
temporis; ita vt dicere poſſimus, non minus eſſe incertam rationem & entitatem eius, quàm certa eſt eius exiſtentia, vt his verbis docuit D. Auguſt. vndecimo libro, de Ciuitate Dei cap. 26. *Tempus metior, ſcio, ſed non metior futurum, quia nondum eſt, non metior præſens, quia nullo ſpatio tenditur, non metior præteritum, quia iam non eſt, quid ergo metior, an prætereuntia tempora, non præterita, &c.*

Propterea prima ſententia negat *tempus eſſe ens reale, in natura rerum exiſtens, ſed exiſtere in ſola imaginatione vel apprehenſione intellectus concipientis tranſitum mobilis per vnam partem ſpatij; prius quàm per aliam, & ex illo priori & poſteriori tanquam ex præterito, & futuro componere apud ſe vnum tempus; ſed nihil eius reale eſſe, vel in rebus exiſtere.* Ita ſentiunt quidam ex antiquio-

ribus

ribus Philoſophis; quos citauit Albertus Magnus 4. libro Phyſ. tract. 3. capite tertio. Probatur primò ratione Ariſtotelis capite decimo, tradita, nam tria conſiderantur in tempore, præteritum, futurum & inſtans præſens; illa quidem tanquam partes, hoc verò tanquam indiuiſibile eas coniungens; ſed nullum horum eſt aliquid reale; ergo neque tempus ex eis conſtans reale erit.
17 Probatur minor, quia præteritum, & futurum non exiſtunt actu; ergo non ſunt entia realia, & ex conſequenti neque inſtans; quia ſi entitas eius eſt indiuiſibilis, qua copulantur hæc; non erit realis; cum copulata non ſint realia. Præterea, ſi inſtans eſſet aliquid reale: aut vnum eſſet in toto tempore, aut plura; ſi vnum, ergo non poſſet copulare omnes partes temporis; ſed ſolùm eas, quas proximè tangit; ſi verò ſint plura inſtantia; ergo vnum ſuccedet alteri; & proximè quidem; quia nihil eſt aliud in tempore actu exiſtens, quod poſſit ſuccedere inſtanti; tunc ergo multa erunt inſtantia immediata; quod repugnat, cum ſint indiuiſibilia, & tempus non erit aliud quàm multitudo inſtantium ſibi ſuccedentium: quare nec erit continuum: nec diuiſibile; quia continuum non componitur ex indiuiſibilibus, ex quibus euidens eſt nihil diuiſibile reſultare poſſe.

Secundò, quia tempus componitur ex præterito, & futuro: ſed hæc non ſunt realia; ergo neque tempus. Probatur minor, nam vel ſunt realia, in quantum præteritum & futurum, vel vt præſentia: primum patet eſſe falſum; quia vt præteritum, & futurum non exiſtunt actu; ergo non ſunt entia realia in natura rerum; ſecundum verò eſt impoſſibile; nam de eo, quod præſens eſt, verum eſt enunciare, quod nunc ſit; ſed de nulla parte temporis verum eſt vnquam dicere; nunc eſt præteritum, vel nunc eſt futurum; ergo neque vnquam ſunt realiter præſentia, & ex conſequenti, neque vt præſentia ſunt entia realia.
18 Et ſi dixeris non eſſe per ſe præſentia, ſed per inſtans copulans vtrumque; ex hoc ſequitur non eſſe entia realia per ſe, ſed per inſtans, quod eſt inſtans ſolùm eſſe aliquid reale, non tempus. Probatur conſequentia; quia quod non eſt per ſe præſens, ſed per aliud, non eſt per ſe, ſed per aliud exiſtens; nec ens actu. Imò ſequitur non eſſe verè præteritum, nec verè futurum. Probatur conſequentia; quia non eſt verè præteritum, niſi quod verè pertranſiuit; neque verè futurum, niſi quod verè pertranſiet; ſed non pertranſit, niſi quod aliquando eſt præſens; ergo cum nunquam ſint per ſe præſentia; neque erunt per ſe præteritum; nec futurum; ſed ad ſummum ratione inſtantis, quod patet eſſe falſum.

Secunda

ſurari poſſunt; atque etiam à poſteriori per motum, vt docuit Ariſtoteles: menſura verò actiua ſimpliciter ſumpta proprietas indiuidualis eſt primi motus, non ſpecifica: & ideò licèt ſoli huic motui conueniat, non ſequitur eſſentiam temporis ei ſoli conuenire ſimpliciter. Et hæc doctrina ſoluit argumenta primæ opinionis.

De vnitate ſpecifica temporis.

45 EX dictis circa vnitatem numericam temporis difficilis efficitur vnitas ſpecifica eius; nam ſi tempora multiplicantur ſecundum diuerſitatem motuum, cum conſtet motus ſpecie diſtingui, nempè alterationem, augmentationem, & motum localem; diſtinguentur etiam ſpecie tempora, imò etiam inter motus locales cœleſtium corporum, & ſublunarium probabile eſt dari differentiam ſpecificam, vt inter eos, qui fiunt ab Occidente in Orientem, & eum qui fit ab Oriente in Occidentem: atque etiam inter motus ſurſum, & deorſum; ergo durationes horum motuum diſtinguentur ſpecie. Præterea in Angelis dantur operationes ſucceſſiuè, per quas ſucceſſiuè applicant ſuam virtutem ad mouendum corpora, & in nobis, per quam ſucceſſiuè intendimus virtutes: & operationes iſtæ ſunt ſpirituales, cum pertineant ad intellectum, & voluntatem; ergo correſpondent eis durationes ſucceſſiuæ ſpirituales ſecundum partes priores, & poſteriores; quas licèt non habeant ſecundum ſubſtantiam, vel quantitatem; quia ſpiritualia conſiſtunt in indiuiſibi; habent tamen ſecundum gradus intenſionis in ordine ad effectum, vel ſecundum modum applicationis ad corpora; ſed ſpirituales iſtæ operationes diſtinguuntur ſpecie à motibus corporum; ergo durationes eis correſpondentes (quę ſunt tempora) ſpecie diſtinguentur.

Secundò, quia ſi durationes diuerſorum motuum non diſtinguuntur ſpecie, ſed ſolo numero, dabuntur multa accidentia ſolo numero diſtincta ſimul in eodem ſubiecto; cum contingat idem corpus ſimul moueri diuerſis motibus ſecũdum ſpeciem, vt alteratione, augmentatione, & motu locali, ſed conſequens eſt falſum; ergo falſum eſt etiam, quod tempora non diſtinguantur ſpecie.

46 Ex oppoſita verò parte videtur eiuſdem eſſe ſpeciei omnia tempora. Primò: quia Ariſtoteles materialiter tantùm diſtinguit tempora per diuerſos motus, ſicut materialiter diſtinguuntur numeri, per diuerſas res materiales, quæ numerantur;

vt vici

Prima concluſio, *Tempus non ſolum in imaginatione, vel apprehenſione datur, ſed verè exiſtens in natura rerum.* Hæc eſt contrà primam ſententiam, non ſolùm repugnantem lumini naturali, ſed etiam lumini diuinæ fidei. Probatur primùm; quia non ſolùm Philoſophi omnes Platone, & Ariſtotele antiquiores; ſed hi etiam cum omnibus, qui poſt ipſos ſecuti ſunt, nec ſolum ſapientes; ſed rudes homines de tempore loquuntur tanquam de re aliqua in natura rerum exiſtente. Atque etiam ſcholaſtici omnes in 2.d.2.& 1.par.quæſtione 10. Et ratio naturalis efficaciter probat; quia duratio realis non eſt aliud, quàm permanentia rerum in eſſe reali actuali, & ideò non ſolum creaturis; ſed Deo tribuitur; quem Philoſophi æternum eſſe cognouerunt; ſed euidens eſt motum ſucceſſiuum dari in rerum natura, verumque habere eſſe reale, & realiter durare in eo; ergo habet realem durationem; ſed duratio motus eſt tempus; ergo datur in rerum natura & non ſolùm in apprehenſione intellectus. Nec ſolum datur motus realis, ſed vnus; qui realiter ſit altero velocior, vel tardior, magiſque aut minus duret; ergo datur vera, & realis duratio motus, quæ eſt tempus. Quod verò oppoſita ſententia repugnet etiam lumini diuinæ fidei, probatur ex principio Geneſis, vbi dicitur, *Deum feciſſe luminaria magna in firmamento cæli, vt diuiderent dies & noctes, & eſſent in ſigna & tempora.* Et actuum primo: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Meritò ergo Pariſ. ſchola art. 119. erroris eam damnauit.

21 Secunda concluſio, *Tempus nullum complementum accipit ab intellectu ſed à parte rei datur ante operationem eius, tanquam verum ens reale, non ſolùm vt continua duratio eſt, ſed etiam, vt numerus motus.* Hæc eſt contra ſecundam ſententiam, cuius veritatem vt intelligamus, duo explicanda ſunt de tempore. Primum, quæ ſit eſſentia eius. Secundum, quonam modo ei conueniat eſſe menſuram motus. Et eſſentia quidem temporis in eo poſita eſt ab Ariſtotele, quod ſit duratio ſucceſſiua motus, eſſe autem durationem ſucceſſiuam motus, habere ex priori, ac poſteriori motus: quia niſi percipiamus, ait, prius, & poſterius in motu, non percipimus durationem, vel tempus tranſiſſe, vt dormientibus accidit. Ex quo infert, durationem ex priori, & poſteriori motus inſurgere, putat igitur non ſolam continuationem motus inferre durationem; ſed in quantum habet partes priores, & poſteriores, ita vt vna eius pars priùs quàm altera fluat, & niſi hoc haberet motus, nullam haberet durationem, etiamſi eſſet fluxus continuus inter duos terminos, *à quo*, & *ad quem.* Itaque diſtinctio partium motus

ſecundum *prius*, & *poſterius* infert durationem: & hæc diſtinctio quædam diſcretio earum eſt, licet non ſit realis diuiſio, quia vbi vnum eſt prius, & aliud poſterius, ibi eſt aliqua ratio multitudinis, & ex conſequenti diſcretionis, quia multitudo diſcretionem dicit, talis autem diſcretio partium non eſt ſecundum quantitatem: cum non ſit realis ſeparatio, ſed ſecundum qualitatem; quia ratio prioris, & poſterioris modus eſt diuerſus earundẽ partium qualitati ſimilis, & cum ſecundum hos modos ſint diſtinctæ partes motus, cenſentur eſſe diſcretæ, hoc eſt, diſtinctæ ſecundũ diuerſos modos; vel qualitates, reales quidem: quia realiter, & ante operationem intellectus verum eſt, vnam partem motus prius fluere, quàm alteram; & propter hanc diſcretionem vocauit Ariſtoteles durationem temporis ex ea inſurgentem numerum motus ſecundum *prius* & *poſterius*, non quidem numerum abſtractum à rebus numeratis, qualis eſſe cenſentur, duo, tria, aut quatuor; quod ad res diuerſas numerandas applicamus, ſed numerum numeratum per illum, ſicut tres homines, vel tres lapides: quaſi dixerit tempus eſſe numerum partium motus. Nec tamẽ intelligi debet eſſe numerum actu numeratum; ſed aptitudine, 22
quod eſt eſſe numerum numerabilem, in quantum partes motus aptitudinem habent, vt diſtinguantur, & numerentur ab intellectu, ſecundum diſtinctionem, ac diſcretionem *prioris*, & *poſterioris*, & hæc numerabilitas conſtituit rationem realem, atque eſſentialem numeri, vt vidimus in prædicamento quantitatis, non actualis numeratio, quæ nihil ponit in rebus numeratis præter extrinſecam denominationem numeratarum ab actu intellectus numerante, aptitudo verò, vt numerentur, quæ vocatur numerabilitas realis eſt, & intrinſeca in rebus numeratis, nec dependet ab intellectu operante, ſed ante operationem eius eſt, & ita partes motus, vt numerabiles ab intellectu ſecundum *prius*, & *poſterius*; inferunt durationem habentem quoque partes priores, & poſteriores numerabiles ab intellectu, qua ratione vocatur tempus. Vnde ſequitur tempus quantum ad eſſentiam non habere actualem dependentiam ab intellectu vel operatione eius, ſed eſſe numerum realem numerabilem ab eo, & ideò nullum complementum ab eo accipere.

Et ex his intelligitur in duobus decipi ſecundam opinionem, 23
In primo quidam quia durationem temporis putat non includere rationem *prioris*, & *poſterioris*, & ideò nec rationem numeri, quod eſt expreſsè contrarium verbis Ariſtotelis aſſerentis, nullam durationem inferre motum, niſi in quantum

habet

habet partes priores, & poſteriores, nec proinde tempus eſſe durationem ſucceſſiuam niſi ratione *prioris*, & *poſterioris*, & cum ex ratione *prioris*, & *poſterioris* ſit numerus, nec habet rationem durationis ſucceſſiuæ, niſi in quantum eſt numerus motus ſecundum *prius*, & *poſterius*, & hæc eſt ratio eſſentialis eius. Vnde ſequitur in alio etiam decipi, quia putat rationem numeri in tempore conſiſtere, in eo, quod actu vtatur eo intellectus ad numerandum cæteros motus; cum hoc ſolum ſit extrinſeca denominatio in eo, & purè accidentalis, vt ſtatim oſtendemus.

4 Secundò explicandum eſt, quonam modo conueniat tempori ratio menſuræ. Duplex eſt menſura, Actiua, & Paſſiua: Actiua eſt, per quam menſuramus alia, vt vlna dicitur menſura actiua panni; Paſſiua verò conſiſtit in eo, quod eſt in alio menſurari. Et vtraque diuiditur in Actualem, & Aptitudinalem. Menſura actiua actualis eſt, per quam actu menſuramus aliud, vt eadem vlna, in quantum ea vtimur ad menſurandum pannum, quæ aptitudinalis vocatur, in quantum aſſumptibilis eſt ad menſurandum alia. Menſura verò paſſiua actualis, eſt actu menſurari ab alio: Aptitudinalis eſſe menſurabile ab alio, & hæc ſolet vocari menſurabilitas, & vtraque menſura actualis nihil reale ponit in rebus; ſed ſolùm denominationem extrinſecam. Vtraque verò aptitudinalis realis eſt, & reale aliquid in rebus ponit; nam eſſe aliquid tale, vt aptum ſit aſſumi ab alio ad menſurandum, aliquid reale eſt in eo; atque etiam eſſe aptum; vt ab alio menſuretur. Præterea, menſura actiua, tam actualis, quàm aptitudinalis omnium motuum, ſolum conuenit durationi motus primi mobilis; quia ille ſolus eſt regulariſſimus, vniformis, inuariabilis, & ſemper eodem modo ſe habens; quæ ſunt proprietates menſuræ, vt per eam poſſimus certi effici de quantitate rei menſuratæ; alij verò motus non habent tales conditiones; ſed varij ſunt ſecundum velocitatem, vel tarditatem, & ideò non conuenit eis ratio menſuræ, & propterea Ariſtoteles ſolùm vocauit tempus

5 pus durationem primi mobilis; quia hæc ſola eſt menſura omnium motuum, propterea etiam dixit tempus eſſe vnum, & non plura. Sed ratio menſuræ actualis actiuæ, aut paſſiuæ nihil reale eſt in hac duratione cœli, ſed extrinſeca ſolum denominatio, vel ens rationis: menſura verò actiua aptitudinalis realis eſt, & ei conuenit ante operationem intellectus; & eſt propria eius paſſio; quia realem habet aptitudinem, vt aſſumatur ad menſurandum alios motus; & etiam proprium, quem ſequitur, ſi diſtinguatur

ab eo ex natura rei. Si verò ſit eadem entitas cum eo, non poterit eſſe realis menſura eius, ſed ſolum per intellectum vtrumque diſtinguentem. Menſura verò paſſiua aptitudinalis non conuenit durationi cœleſti, quia non eſt menſurabilis ab alio, ſed ſolùm à ſe inadæquatè per repetitionem alicuius partis propriæ.

Pro ſolutione argumenti primæ opinionis notandum eſt, quòd ſicut ens reale diuiditur in permanens, & ſucceſſiuum, ita exiſtentia realis, & actualis vtrique communis eſt, & vtrique enti conuenit iuxta propriam naturam. Vnde ſicut ens reale permanens habet totum ſuum eſſe ſimul; ſic etiam habet ſimultaneam exiſtentiam: & ſicut ens ſucceſſiuum non habet totum ſuum eſſe, aut totam ſuam entitatem realem ſimul, ſed in fluxu, ac ſucceſſione conſiſtentem; eodem modo non habet ſimultaneam exiſtentiam, ſed in fluxu, ac ſucceſſione poſitam: & quod de totali ente permanente, & ſucceſſiuo, eorumque exiſtentiis dicimus, eodem modo intelligendum eſt de partibus eorum: quia cum totum componatur ex partibus, eundem modum eſſendi, eundemque modum exiſtentiæ habere debent, & cum motus, & tempus entia ſucceſſiua ſint, & partes etiam in ſucceſſione conſiſtentes habeant; ſicut entitas realis eorum non eſt permanens, nec tota ſimul, ſed in fluxu, & ſucceſſione conſiſtit, eodem modo eorum exiſtentia nec permanens eſt, nec ſimultanea, ſed in fluxu, & ſucceſſione conſiſtit, & eadem ratione entitas, & exiſtentia partium, & ſicut habent entitatem, & exiſtentiam fluentem, & ſucceſſiuam, ſic etiam præſentiam: ita vt nunquam ſit verum dicere de motu, & tempore, vel partibus eius nunc eſſe, ſed de præſenti fluere, neque nunc tranſire, ſed tranſire in fluxu, & ſucceſſione. Ex quibus intelligitur partes temporis per ſe eſſe præſentes præſentia ſucceſſiua, per ſe eſſe præſentes præteritas, & per ſe futuras, & non ſolùm ratione inſtantis hæc habere, quamuis inſtans neceſſarium ſit, vt per illud copulentur, & fiant, vnum tempus continuum, continuumque, atque ſucceſſiuum fluxum habeant.

Sed de inſtanti notandum eſt ſecundò, quod ſicut eius entitas realis conſiſtit in indiuiſibili, & ideò tota ſimul eſt: ita etiam actualis eius exiſtentia eſt tota ſimul & quaſi permanens vtraque vocari poteſt: non quòd permaneat, ſicut res aliæ, quæ dicuntur permanentes, quia inſtans mox deſinit, ſed quia non habet partes fluentes, permanens vocari poteſt entitas eius, atque exiſtentia: & ita intelligitur; quòd ſicut entitas temporis ex diuiſibili, & indiuiſibili conſtat ſuo modo concurren- 26

tibus

tibus ad compoſitionem eius, & ex ſucceſſiuo, & quodammodo permanenti: ita exiſtentia totius temporis communicatur partibus per modum fluentis, ac ſucceſſiui, inſtantibus verò quaſi per modum permanentis explicatum, & eodem modo habent inſtantia præſentiam, præteritionem, & futuritionem ſimultaneam, atque etiam ſimultaneum tranſitum.

Ad primum argumentum primæ opinionis neganda eſt minor, *quòd partes temporis, & inſtantia non ſint entia realia*. Et cum dicitur non exiſtere actu præteritum, & futurum, nec eſſe actu præſentia per ſe, diſtinguendum eſt, nam præſentia, & exiſtentia permanenti, aut tota ſimul, verum eſt, ſucceſſiua verò, & fluente falſum. Hanc enim non minus actualem habent, quam permanentia, licèt non permanentem, ſed in fluxu, & ſucceſſione conſiſtentem; & per ſe quidem exiſtentia, atque præſentia ſunt, & non tantùm per inſtans, quia per ſe fluunt, licèt non ſine inſtanti ea copulante, & vnum tempus efficiente fluant. An verò inſtans vnum ſit, vel plura, dicetur quæſtione ſequenti, vbi etiam explicabitur, quomodo vnum non ſuccedat alteri proximè, ſed media parte temporis.

27 Ad ſecundum neganda eſt minor, & cum dicitur *præteritum, & futurum, vt talia non eſſe entia realia*, verum eſt ſub tali reduplicatione, ex quo non ſequitur, non eſſe realia ſimpliciter, quia realem entitatem, & exiſtentiam habent, dum realiter ſunt præſentia, non quidem præſentia permanenti, vel ſimultanea, ſed ſucceſſiua, & fluente, qualis eſt eorum entitas. Et dum ruſus additur de eo, quod præſens eſt, verum eſſe enunciare, quòd nunc ſit, etiam eſt diſtinguendum, nam ſi ſit præſens præſentia ſimultanea, aut tota ſimul, verum eſt, ſic enunciari poſſe, ſi verò ſucceſſiua, & fluente, falſum, quia non eſt verum, quod ſint, niſi quia verum eſt; quod realiter fluunt, & eodem modo eſt verum, quòd pertranſeant per realem fluxum, & ratione realis tranſitus ſucceſſiui, atque fluentis, atque etiam realis præſentiæ eiuſdem conditionis, dicuntur verè, & realiter præſens, atque futurum.

28 Ad teſtimonium Ariſtotelis pro ſecunda opinione, & ad primum eius argumentum ex eo deſumptum reſpondeo, Ariſtotelem dixiſſe tempus eſſe numerum, non numerantem, ſed numeratum, non quidem ſecundum actualem numerationem, ſed ſecundum aptitudinalem, quam habet ante operationem intellectus. In quantum partes eius numerabiles ſunt ab intellectu ſecundum *prius*, & *poſterius*, quare non dependet ab actuali operatione eius, & propterea ſolùm dixit Ariſtoteles,

les, ite ſe habere ad animam, quòd ſi illa foret impoſſibilis, etiam eſſet impoſſibile tempus; quod patet nullam dependentiam actualem ſignificare.

Ad ſecundum diſtinguendum eſt antecedens, quod tempus non ſit diſcretum realiter; nam diſcretione quantitatiua verum eſt; ſed eſt diſcretum diſcretione qualitatiua; in quantum partes eius diſtinguuntur à parte rei per modos prioris & poſterioris, & ratione huius diſcretionis efficiunt numerum, quia hoc modo ſunt numerabiles ab intellectu; & quia hæc diſcretio pertinet ad eſſentiam, ideò per numerum definitum eſt ab Ariſtotele: ſed non dependet ab intellectu, actu numerante, vt expoſitum eſt, & ideò non eſt tempus ens rationis, in quantum numerus motus, nec accipit complementum ab intellectu; ſed eſt ens reale ante operationem eius exiſtens in natura rerum.

QVÆSTIO II.

An definitio temporis tradita ad Ariſtotele bona ſit.

MVlti ex Philoſophis deſcripſerunt tempus, vt Ariſtoteles cap. 10. huius libri ſignificauit, & teſtantur Plutarchus lib. 1. de placitis Philoſophorum cap. 21. Galenus in libro de hiſtoria Philoſophica cap. 34. Simplicius in ſua digreſſione de tempore, & in ſuis deſcriptionibus aliquid attigerunt de his, quæ pertinent ad rationem temporis, ſed nullus integram rationem temporis conſecutus eſt: & ideò eorum deſcriptiones non refero. Solus Ariſtoteles viſus eſt propriam, & integram rationem eius cognouiſſe; quam hac definitione explicauit: Tempus eſt, *numerus motus ſecundum prius & poſterius*. Satis quidem difficilis; quia tempus adeò difficile cognitu eſt, vt D. Auguſt. 11. lib. confeſſ. cap. 14. de ſe fateatur, quòd quamuis ſibi cognoſcat temporis quidditatem, aliis verò eam explicare neſciat, his verbis: *Quid eſt tempus, ſi nemo ex me quærat, ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Ideò neceſſe eſt eam examinare, vt ab omnibus intelligatur.

Notandum igitur eſt pro explicatione eius tria eſſe in tempore. Primum, *quod ſit duratio ſucceſſiua, & continua motus*, quòd habet ex priori & poſteriori eiuſdem motus; nam licet conſideremus in motu, quod ſit via quædam continua, & ſucceſſiua à termino, *à quo* in terminum *ad quem*, non percipiemus durationem aliquam eius, quouſque percipiamus habere partes priores, & poſteriores; vt idem Ariſtoteles expreſſè docuit. Et ratio eſt manifeſta; quia, ſi vna pars prior eſt, & poſterior altera, non erunt ſimul; ſed neceſſe 29

eſt

eſt moram aliquam trahere vtramque: & hæc mora eſt duratio temporis. Habet ſecundò tempus, *quod poſſit menſurare motum, in quantum vti poteſt intellectus quibuſdam partibus eius, vt certus reddatur de quantitate motus*; vt horis, aut minutis. Et tertium quod habet eſt, *actu menſurare motus*; ſi eo actu vtatur intellectus ad menſurandum. Et ex his tribus, ſecundum, & tertium præſupponunt primum: quia prius eſt tempus eſſe durationem motus ſecundum prius, & poſterius, quàm aptum eſſe ad menſurandum eũdem motum; & quia talis duratio eſt, talem habet aptitudinem; & conſequenter eſt prius, quàm eſſe actualem menſuram. Tertium etiam præſupponit ſecundum, quia prius eſt tempus eſſe aptum ad menſurandum, quàm actu menſurare.

30 Ex his etiam tribus, primum eſt; quòd primò intelligimus in tempore, & ideò pertinet ad eſſentiam eius. Secundum eſt quaſi propria paſſio; & tertium accidens cõmune, & extrinſecum, quia poteſt adeſſe, & abeſſe tempori, ſalua eius eſſentia, vt cõſtat, quando eo non vtitur intellectus ad menſurandum, & nihil reale in eo ponit, quòd ſit actualis menſura, ſed ſolam denominationem extrinſecam. Secundum etiam; atque tertium ſolum conueniunt ſimpliciter durationi primi motus, quia ſola illa habet conditiones ad menſuram requiſitas; cæteris verò durationibus aliorum motuum ad ſummum poteſt conuenire impropria quadam ratione, & imperfectiſſima per quandam attributionem ad illam, à qua menſurantur omnes. Ex quo intelligitur, aptitudinem ad menſurandum non eſſe communem proprietatem ex duratione procedentem ſub ratione communi durationis; ſed particularem ex tali duratione vniformi, & regulari, atque eodem modo ſe habente ſemper; quod eſt, non eſſe proprietatem ſpecificam durationis, vel temporis; ſed indiuidualem talis durationis. Et propter hanc proprietatem menſuræ indiuidualem aſſeruit Ariſtoteles illam ſolam durationem eſſe tempus, quaſi per Antonomaſiã, & propterea, licet definitio temporis omni durationi conueniat (vt verba iacent) eam tamen ſoli durationi cœleſti accommodauit Ariſtoteles; vt ex verbis atque contextu huius capitis intelligitur.

31 Propterea dubitatum eſt ab expoſitoribus, ſecundum quam ex his tribus rationibus definitum ſit tempus ab Ariſtotele. Et prima opinio aſſerit ſecundum tertiam rationem tantum fuiſſe definitum; nempe, vt intellectus eo vtitur ſecundũ certas quaſdam eius partes multiplicatas ad menſurandum alios motus, vt horis, aut minutis. Quod eſt explicatum

eſſe, ſub ratione menſuræ actualis aliorum motuum. Vnde ſenſus definitionis eſt; tempus eſt numerus, id eſt menſura motus, ſecundum prius, & poſterius: & quia hæc ratio menſuræ actualis nihil reale ponit in eo, ſed ſolã denominationẽ extrinſecam, vel ſolam relationem rationis menſuræ intellectualis; ideò aſſerit, tempus, vt definitur ab Ariſtotele, non eſſe ens reale, ſed rationis. Ita commẽt. 4. lib. Phyſ. comm. 101. & 103. quem ſequuntur Conimbric. cap. 14. huius lib. quæſt. prima, articulo ſecundo. Probant teſtimonio Ariſtotelis capite vndecimo, vbi ita ait: *Signum eſt autem, plus enim, & minus iudicamus numero, motum autem plurem, & minorem tempore; numerus itaque quidam tempus eſt.* Quibus verbis tempus eſſe numerum motus per menſuram exponit. Et ratione probatur 1. quia numerus dicit diſcretionem; ſed tempus non eſt diſcretum realiter; ergo non poteſt ſumi pro numero, vt dicit realem diſcretionẽ, ſed ſolùm factam per intellectum diuidentem tẽpus in certas quaſdam partes ad menſurandum motus, quòd eſt ſumi numerum pro menſura. Secundò probari poteſt, quia nõ videtur tempus poſſe definiri eſſentialiter tali definitione: nam vel per prius, & poſterius intelliguntur partes motus priores & poſteriores, vel partes tẽporis, in quantum cauſantur ex partibus motus; Non primum, quia ſi ita intelligantur, 32
non erit tempus aliud, quàm motus ſecundum partes priores & poſteriores conſideratus; & ideò ſicut motus eſt incompletum quid, & non prædicamentale; ſed ad poſtprædicamenta reiiciendum inter modos rerum, & ſicut motus eſt quantum per accidens, ita etiam tempus, & vtrumque patet eſſe falſum apud nos, qui cum communi ſententia tempus in prædicamẽto quantitatis collocamus, & alia ratione in prædicamento quando. Si verò intelligantur ſecundo modo, non poterit eſſe definitio eſſentialis; quia partes priores, & poſteriores temporis ſunt integrantes; partes integrantes non ſunt de eſſentia rei; ergo per illas non poteſt definiri eſſentialiter. Præterea, partes priores, & poſteriores temporis ſunt diſtinctæ; ergo copulantur diuerſis inſtantibus, ſed non poſſunt eſſe diuerſa inſtantia in tempore apud Ariſtotelem, expreſsè aſſerentem; quòd vnicum ſit cap. 11. huius libri textu 104. ergo non definiuit tempus, vt durationem ſucceſsiuam, ſed vt menſuram omnium motuum.

33 Secunda opinio tenet Ariſtotelem non definiiſſe tempus, vt menſuram motuum, & propterea non ſumpſiſſe numerum in definitione pro menſura, ſed pro diſcretione partium motus ſecundum prius & poſterius, in quo conſiſtit ratio durationis

nis eſſentialis tempori; & ita definitionem eſſentialem eſſe. Ita D. Thom. opuſculo de tempore capite 2. Pererius libr. 11. capite ſecundo. Toletus quæſtione 12. huius libri. *Et eſt communis ſententia Modernorum, & vera, ita vt oppoſita non poſsit defendi in doctrina Ariſtotelis.*

Probatur hoc ſecundum, quia Ariſtoteles capite vndecimo, huius libri dum definitionem à ſe aſsignatam exponeret, ait, tempus non eſſe numerum, quo numeramus, ſed qui numeratur; ergo non accipit numerum pro menſura actiua aliorum; neque tempus ſub tali ratione definiuit. Probatur conſequentia, quia numerus, quo menſuramus alia, numerans eſt, non numeratus; numerus verò numeratus ſolam diſcretionem ſignificat rerum numeratarum, vt lapidum, vel hominum; ergo non poteſt apud Ariſtotelem ſumi numerus in definitione pro numerante; vel menſurante alia; ſed pro diſcretione partium priorum, & poſteriorum motus numerum numeratum conſtituentium. Nec poteſt definiri tempus ab Ariſtotele pro menſura motus; ſed pro numero partium eius ſecundum prius, & poſterius, in quo conſiſtit eſſentialis ratio durationis, & temporis.

34 Sed ratione probatur, quia eſſe menſuram actiuam actualē, nec pertinet ad eſſentiam temporis, nec eſt propria paſſio eius, nec aliquid reale, vt fatetur oppoſita ſententia, ſed commune accidens; ergo Ariſtoteles per ſuam definitionem, nec eſſentiam temporis, nec aliquam eius proprietatem, ſed ſolùm aliquod accidens commune, quod ei non conuenit, niſi per operationem intellectus explicuiſſe, quod certè non eſſet explicare naturam temporis, vt per ſe patet; non eſt ergo ſuſtinenda oppoſita ſententia. Sed dicendum eſt propriam eius eſſentiam explicaſſe, & ideò numerum non pro menſura, ſed pro diſcretione partium motus numeratarum accepiſſe, in qua conſiſtit eſſentialis ratio durationis, & temporis.

35 Vt autem meliùs intelligatur noſtra ſententia, & argumenta oppoſita commodius ſoluantur: triplicem extenſionem diſtinguere debemus in motu. Primam quam habet à mobili, vel ſubiecto, ſicut reliqua accidentia; nam alia pars motus eſt in capite, alia in pede. Secundam, quam habet à forma, vel termino, qui per eum acquiritur, vt à latitudine graduali qualitatis, ſi ſit alteratio, vel ab extenſione ſpatij, ſi ſit motus localis, & hanc extenſionem habet, vt eſt via, atque tendentia ſucceſſiua, & continua ab vno termino in alterum. Tertia tandem extenſio eius eſt, in quantum habet

 partes

partes priores, & poſteriores moram trahentes; quod eſt extenſas eſſe ſecundum durationem, & hanc extenſionem habet à tempore, quod eſt duratio earum; & omnes iſtæ extenſiones conueniunt motui per accidens; quia omnes habet communicatas ab alio, primam à ſubiecto, ſecundam à termino, & tertiam à tempore. Tempus verò habet extenſionem partium intrinſecam: quia diuerſo modo eam accipit à motu, ac motus ab eo: duratio enim cauſatur à mobili medio motu, non vt cauſa; ſed, vt cauſatione, & ideò ſicut non habet eſſe ab eo formaliter, nec tanquam à cauſa efficiente, ſed tanquam à via, & tendentia ſucceſſiua habente partes priores, & poſteriores; ita non ſumit ab eo extenſionem formaliter, ſicut ſumit ab eo motus, ſed habet à ſe formaliter; quamuis effectiuè eam recipiat à mobili, & à motu tanquam à cauſatione. Et ex hoc intelligitur, tempus eſſe quantum per ſe; licet motus ſit quantum per accidens; & tempus eſſe ens completum, & prædicamentale, licet motus ſit incompletum quid, non pertinens ad prædicamentum, ſed ad poſtprædicamenta tanquam modus.

Ad teſtimonium Ariſt. reſpondeo, numerum explicaſſe à poſteriori per menſuram, non tamen accepiſſe, niſi pro diſcretione partium ſecundum prius, & poſterius, in qua conſiſtit eſſentialis ratio durationis, & temporis. Ad primum argumentum diſtinguenda eſt minor, de diſcretione reali quantitatiua; vel ſecundum diuerſos modos prioris & poſterioris, quæ poteſt appellari diſcretio ſecundum qualitatem, & de prima verum eſt, quòd partes temporis non ſint realiter diſcretæ; de ſecunda verò falſum; nam cum diſtinguantur realiter per rationem prioris & poſterioris, realiter etiam cenſentur diſcretæ, quemadmodum diſcretæ eſſent partes corporis, diſcretione qualitatis, quarum vna eſt alba, alia nigra, quanuis eſſent continuæ ſecundum quantitatem, & hanc diſcretionem prioris & poſterioris habent partes motus ſine depēdētia ab intellectu actu operante; quamuis non ſine ordine ad illum potentem eas numerare: vnde numerum realem ſuo modo efficiunt, non quantitatiuum, ſed ſecundum qualitatem, vt expoſitum eſt. Ad ſecundum reſpondeo, per prius & poſterius, 37
in definitione intelligi partes motus priores, & poſteriores, ex quibus cauſatur duratio temporis modo iam explicato. Et dum dicitur tempus non eſſe aliud, quàm partes motus, diſtinguendum eſt conſequens; nam ſi intelligitur, non eſſe aliud formaliter, falſum eſt; ſi verò non eſſe aliud cauſaliter, verum; quia mediis partibus motus prioribus, & poſterioribus

bus cauſantur partes priores,& poſteriores durationis, ex quibus formaliter conſtat tempus, quod per partes motus priores, & poſteriores definitur. An verò realiter diſtinguantur tempus, & partes eius à motu,& eius partibus,vel ſola ratione formali, poſtea examinabitur. Definitur ergo tempus per partes motus, potiùs quàm per proprias; tanquam per notiores, & ex quibus meliùs intelligitur natura temporis: nec tamen ideò definit eſſe quidditatiua definitio; quia tempus intrinſecum ordinem dicit ad motum;qui non poteſt explicari, niſi per partes eius priores, & poſteriores; quæ licèt ſint integrantes, & ideò non ſint eſſentiales continuis, qualia ſunt tempus, & motus,tamen eſſentialis eſt ordo ad partes integrantes, & ideò per eas definiuntur, non tanquam per quid eſſentiale, ſed tanquam id per quod eſſentia intelligitur, & explicatur.

Dubium de inſtanti, an vnum ſit, vel plura in toto tempore.

38 VLtimum, quod in eodem argumento dicitur, petit, An vnum ſit, nunc, vel momentum, aut inſtans (pro eodem, namque accipiuntur tria hæc) in toto tempore, vel plura. Et quod vnum ſit, videtur aſſerere Ariſt.cap.11. huius lib. tex.14. vbi comparat, nunc, reſpectu temporis, cum mobili reſpectu motus, ſed mobile eſt idem in toto motu; ergo inſtans erit idem in toto tempore ex mente Ariſt.

Dicendum tamen eſt plura eſſe, ſicut indiuiſibilia cuiuſlibet alterius cōtinui plura ſunt. Et hæc eſt expreſſa ſententia Ariſt. cap. 12. textu 110. vbi ſic ait: *Tempus verò numerus eſt, non quo numeramus, ſed qui numeratur, quod quidem prioris, & poſterioris ratione aliud ſemper, aliudque eſſe accidit, quoniam, & momenta alia ſunt, & alia.*

Et ratione probatur primò,quia tempus cōtinuum eſt; ergo diuiſibile in partes realiter diſtinctas, ſicut linea, vel ſuperficies; ſed partes temporis copulantur inſtanti indiuiſibili; ergo diuerſæ partes reales copulabuntur diuerſis inſtantibus. Probatur conſequentia, quia repugnat idem indiuiſibile copulare partes realiter diuerſas. Secundò, quia ſi vnum eſſet inſtans in toto tempore,cum tempus fluat ſemper,illud idem indiuiſibile permaneret immobile; alioqui non poſſet omnes partes fluentes continuare; permanere autem pugnat cum natura eiuſdem inſtantis,quod mox extinguitur;ergo pugnat cum natura temporis fluente,vnicum tantum eſſe inſtans.

39 Teſtimonium Ariſtotelis, ex quo deducitur argumentum pro oppoſita parte, diuerſis modis exponitur à diuerſis, quibus

bus omiſſis reſpondeo, Ariſtotelem non ſumere, nunc, dum illud comparat cum mobili, pro inſtanti aliquo temporis copulante partes eius; ſed pro duratione correſpondente eidem mobili ſecũdum ſubſtantiam, quæ indiuiſibilis eſt, & tota ſimul, ſicut inſtans temporis; habet tamen eſſe permanens, ſicut ſubſtantia cuius eſt duratio. Hanc igitur per, nunc, ſignificatam comparat cum mobili in hoc, quod ſicut mobile idem permanens in motu fluit per ſpatium, & ex fluxu eius relinquitur ſucceſsio continuata motus; ita duratio eius indiuiſibilis eadem permanens fluit per partes priores, & poſteriores totius motus, & ex fluxu eius relinquitur duratio cõtinuata, habens partes priores, & poſteriores copulatas inſtantibus eo modo, quo imaginatione apprehendunt Mathematici, ex ductu puncti per planitiem relinqui veſtigium continuum, & diuiſibile ſecundum longitudinem continuatam punctis. Itaque non loquitur Ariſtoteles de, nunc, pro inſtanti temporis, dum aſſerit idem fluere per totum tempus, ſed de duratione indiuiſibili mobili propria, & inſtanti temporis valdè ſimili; nam de eodem inſtanti, quo copulantur partes temporis expreſſè docuiſſe vidim⁹, non vnũ, ſed plura eſſe in tẽpore.

QVÆSTIO III.

An vnum ſit tempus, vel plura.

DVplex eſt vnitas, numerica, & ſpecifica, & de vtraque 40
procedit quæſtio: cuius ſenſus eſt, An tempus ſit vnum numero, atque etiam ſpecie vnum: & prius de vnitate numerica agendum eſt, deinde de vnitate ſpecifica.

De vnitate numerica temporis.

ET circa vnitatem numericam, duplex eſt opinio. Prima aſſerit, *tempus eſſe vnum numero.* Ita Commentar. quarto libro Phyſicorum, Comment. 132. & ibidem Alexander, Albertus Magnus capite vltimo eiuſdem libri ad finem. Ferrar. quæſtione vltima, Sotus quæſtione quarta, D. Thom. lect. vltima, & prima part. quæſt. 10. articulo ſexto, Duran. in 2. d. 2. quæſtione ſecunda: & probatur teſtimoniis Ariſtotelis cap. 10. 13. & 14. huius lib. Quibus locis agens de vnitate temporis docet eſſe vnum, quamuis plures ſint motus. Præterea in ſolo motu primi mobilis ponit durationem temporis; qui cum ſit vnus numero, vnum etiam numero erit tempus ex mente illius.

Probatur

Probatur etiam ratione; quia ad tempus pertinet eſſe menſuram motuum, vt docet Ariſtoteles ipſe, & concedunt omnes, ſed ratio menſuræ vni tantum durationi vniformi & regulari, atque eodem modo ſe habenti ſemper conuenit; quæ eſt duratio primi motus; ergo vnum numero erit tempus, ſicut primus motus, cuius duratio eſt, vnitatem numericam habet.

41 *Secunda* opinio plura ponit tempora ſecundũ numerum, iuxta pluralitatem numericam motuum, & omninò docet tot eſſe tempora numero diſtincta, quot ſunt motus numero diuerſi, non ſolùm cœlorũ, ſed inferiorum corporũ; nec ſolùm locales, ſed alterationis, & augmentationis. Ita Themiſt. & Simpl. ſuper tex. 132. huius lib. Iandun. 4. lib. Phyſ. q. 22. Greg. in 2. d. 2. quæſt. 1. & cum eo cæteri Nominales. Et eandem ſequitur expreſsè D. Auguſt. 11. lib. confeſ. cap. 32. his verbis: *Audiui à quodam homine docto, quòd Solis ac Lunæ ac Sydcrum motus ipſa ſint tempora & anni; cur enim non potius omnium corporum motus ſint tempora; an verò ſi ceſſarent cœli lumina, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus, &c.*

Probatur teſtimonio Ariſtot. cap. 10. huius libri, vbi cum quæſiſſet, an tempus ſit vbique, reſpondit vbique eſſe; quia vbique eſt aliquis motus; ſed conſtat motum cœli non eſſe vbique; ergo ſentit Ariſto. non eum tantum eſſe tempus, ſed etiam durationes aliorum motuum: & capite 13.14. vbi docet non eſſe plura tempora, ſed vnum, vtitur exemplo numeri; dicens ſeptem equos diſtinctos eſſe à ſeptem hominibus; & tamen non plures numeros, nec plures ſeptenarios efficere, ſed

42 vnum. Ex quo tale argumentum ſumitur: Sicut ſe habent ſeptem homines, & ſeptem equi ad numerum, ita plures motus ad tempus: ſed illi efficiunt plures ſeptenarios numero diſtinctos, licèt ſub eodem numero ſeptenario ſecundum ſpeciem comprehendantur; ergo plures etiam motus efficient plura tempora numero diſtincta, licèt comprehendantur ſub eodem tempore ſecundum ſpeciem.

Secundò, probatur ex definitione temporis, nam quilibet motus habet partes priores, & poſteriores, non minus, quàm motus cœli; ergo ſicut partes priores, & poſteriores illius motus inferunt durationẽ, quæ eſt numerus motus ſecundũ prius, & poſterius, & ideò eſt tempus: ita partes priores, & poſteriores cuiuſque motus inferent durationem, quæ ſit numerus eius ſecundum prius, & poſterius, & ex conſequenti, quæ ſit tempus, quare tot erunt durationes, quot motus; & tot etiam tempora. Quod præſertim verum eſſe probaretur, ſi ceſſaret motus cœlorum, & mouerentur corpora ſublunaria, quorum motus propriam

ſequatur vnica duratio ei inhærens, tanquam proximo ſubiecto, vnicum tantum eſt accidens numero in vno ſubiecto proximo, in ſubiecto verò remoto plura ſunt, etiam ſolo numero diſtincta; ſed hoc nullum eſt inconueniens.

QVÆSTIO IIII.

An tempus diſtinguatur realiter à motu, & quæcunque alia duratio creata à re durante.

49 DVratio conuenit rebus ratione exiſtentiæ actualis, quam habent in rerum natura: & cum actualis exiſtentia omnibus ſit communis, ſiue ſubſtantiæ ſint, vel accidentia: & ſiue ſubſtantiæ ſint, vel accidentia corporea aut ſpiritualia: ideò communis eſt difficultas de omnibus, an duratio cuicunque propria, ſit entitas realis diſtincta à propria eius exiſtentia actuali, vt æuum ab actuali exiſtentia Angeli duratio propria ſubſtantiæ corporeæ ab eius exiſtentia, duratio etiam accidentium ab eorum exiſtentia, & cum tempus ſit duratio motus, an diſtinguatur realiter ab ea, vel ſola ratione.

Prima opinio non ponit diſtinctionem realem inter durationem, & exiſtentiam rei, & ideò neque inter tempus, & exiſtentiam motus; ſed ſolùm rationis ratiocinatæ habentis fundamentum in re. Ita Scotus in 2.d.2.quæſt.2.& quodlib. 6. Baſolius eadem diſt.quæſt.1.Gabr.Greg.& Ocham.q.10.P. Pererius lib.12.cap.1.& capite quinto, P.Suarius Tom. 2. Metaph. diſput.50.ſectio.1.num.5.& ſect.9. num. 1. qui de omni duratione vniuerſaliter loquuntur, ſed de ſolo tempore idem ſentiunt Duran.in 2.diſt.2.quæſt 3.numero 14. Caietan. 1. part. quæſtione 10.articulo quinto & ſexto, Tolet. q. 13.huius libri. Probatur primò de omni duratione; quia duratio rei non eſt aliud, quàm permanentia in eſſe, vel continuatio eiuſdem eſſe; ſed permanentia in eſſe non eſt aliud eſſe, vel alia entitas diſtincta ab eodem eſſe; ſed quaſi idem eſſe, vt continuatum; ergo non eſt diſtincta realiter ab actuali exiſtentia rei

50 durantis. Probatur minor ſimul cum conſequentia, ex creatione, & conſeruatione cuiuſcunque rei creatæ; de quibus tenet communis ſententia non eſſe actiones realiter diſtinctas, ſed ſola ratione, ex eo, quòd creatio terminatur ad eſſe rei; cõſeruatio verò non eſt aliud, quàm continuatio eiuſdem eſſe; ergo idem eſt iudicandum de exiſtentia rei, & eius duratione.

Secundò, quia vniuerſaliter verum eſt non diſtingui realiter ea, quæ ſeparari non poſſunt, etiam per potentiam Dei abſolutam, & eo ipſo, quòd ſeparari poſſunt, realiter diſtingui, ſed

nec res actu exiſtens extra cauſas poteſt ſeparari à propria duratione, nec propria duratio ab ea; ergo non diſtinguuntur realiter. Et duæ iſtæ rationes, etiam probant de tempore reſpectu motus.

Sed probatur ſpecialiter de illo, teſtimonio Ariſt. & alia ratione. Ariſt. enim 4. lib. Phyſ. tex. 99. his verbis aſſerit, non diſtingui tempus realiter à motu. *Eſt autem prius & poſterius ipſorum in motu, id quidem, quod eſt, motus eſt, eſſe tamen ipſi alterum, & non motus.* 51

Ratione verò, quia tempus eſt numerus motus, non numerans, ſed numeratus, ſed numerus numeratus non eſt alia entitas realis a rebus numeratis, ſed ſolum addit ſupra illas ordinem *prioris*, & *poſterioris*, vt numerus ternarius lapidum, non eſt res alia ab ipſis, ſed tres ipſi lapides, vt numerabiles ſecundum *prius* & *poſterius*; ergo nec tempus erit alia entitas realis, præter partes motus, vt numerabiles ſecundum *prius* & *poſterius*.

Secunda opinio *diſtinguit tempus, & quamlibet durationem rei creatæ ab actuali exiſtentia eius, diſtinctione reali, non quidem qua diſtinguitur vna res ab alia, ſed qua diſtinguitur modus à re, quæ diſtinctio ſolet vocari ex natura rei: ita vt tempus ſit entitas realis modalis diſtincta ab actuali exiſtentia rerum.* Ita Rich. in 2. d. 2. art. 1. quæſt. 2. concl. 3. Maior. quæſt. 2. Argent. quæſt. 1. art. 1. Henr. quodlib. 3. quæſt. 11. Iauel. quæſt. 10. huius lib. atque etiam Conimb. cap. 14. quæſt. 14. artic. 1. & 2. & Sotus quæſt. 4. concluſ. 3. & 4. qui fatentur diſtingui ante operationem intellectus: quamuis negare videantur diſtinctionem realem, aut ex natura rei, in quo non video, quonam modo ſibi conſentire poſſint auctores iſti. Ita etiam videtur ſentire D. Thom. in 2. d. 4. quæſt. 1. artic. 2. & 1. part. quæſt. 10. art. 6. vbi non ſolùm de tempore, ſed de æuo Angelorum docet diſtingui ab Angelis, & motu, tanquam menſura à rebus menſuratis, & tanquam accidentia à propriis ſubiectis, *& hæc ſententia videtur nobis probabilior.*

Probatur primò vniuerſaliter de omni duratione, quia duratio rei præſupponit actualem exiſtentiam eius, quam habet ex vi ſuæ productionis extra cauſas, atque etiam permanentiam vel continuationem in ea, quæ eſt conſeruatio eius; ergo eſt accidens reale rei durantis. Probatur conſequentia, quia nulla res creata durat per ſuam ſubſtantiã, ſed ſolus Deus. Durat igitur per aliquod accidens reale. Probatur iterum conſequentia, quia ante operationem intellectus durat, & ideò realiter durat, non per ſuam ſubſtantiam; ergo per realem durationem ei accidentalem; itaque duratio eſt accidens reale 52

ſubſtant: e

ſubſtantiæ durantis; ſed repugnat accidens reale eſſe eandem entitatem cum ſubſtantia; ergo repugnat durationem eſſe idem realiter cum ſubſtantia rei durantis. Probatur minor, quia ſubſtantia eſt entitas realis per ſe; accidens verò entitas realiter inhærens ſubſtantiæ; ergo ſunt entitates diſtinctæ; alioqui eadem entitas eſſet per ſe realiter,& inhæreret realiter alteri, & eadem entitas realis inhæreret realiter ſibi ipſi, & vtrumque eſt apertè falſum. Nec ſoluitur hoc argumentum, ſi dicatur ſufficere diſtinctionem rationis,vt accidens, vt ſic, diſtinctum ab intellectu,dicatur inhærere ſubſtantiæ. Quia duratio rei datur ante operationem intellectus, & ante illam dicitur res durare,& realiter durare; & duratio eſt accidens, & reale accidens; ergo ante operationem intellectus datur entitas realis ſubſtantiæ, & durationis, & illa eſt per ſe, & hæc in alio;ergo inhæret ante operationem intellectus:vel dicendum eſt ante illam eſſe eandem entitatem per ſe,& in alio, quæ falſa ſunt,quare non poſſunt argumentum ſoluere.

53 Secundò probatur ex attributis diuinis, quæ in doctrina D. Thom. communiter in ſchola recepta, non diſtinguuntur ex natura rei inter ſeſe,& ab eſſentia, aut eſſe diuino, ſed ſolum diſtinctione rationis ratiocinatæ habente fundamentum in re ipſa, hoc eſt, in eiſdem diuinis attributis, non vt ſunt in Deo ipſo;ſed vt comparantur ad creaturas, in quibus inueniuntur eadem diſtincta realiter. Gratia exempli, ſapientiam & potentiam diſtinguimus in Deo inter ſe,& ab eſſe diuino; quia fundamentum reperimus non in Deo ipſo, in ſe quidem ſimpliciſſimo, ſed in creaturis;in quibus potentia eadem, & ſapientia inueniuntur realiter diſtinctæ,ſed æternitas eſt vnum ex attributis diuinis ſic diſtinctum à diuino eſſe, non vt eſt in ſe, ſed comparatum ad creaturas, in quibus ſimilia reperiuntur diſtincta; ſed ſimilia non poſſunt eſſe alia, niſi duratio creata, & eſſe creatum, cuius eſt; ergo hæc diſtinguuntur realiter in creaturis, vel illa non poſſunt diſtingui ratione ratiocinata in Deo.

54 Probatur autem ſpecialiter de tempore, quod diſtinguatur à motu,ratione deducta ex quodam teſtimonio Ariſtot. 4. libro Phyſ.cap.11. vbi non ſolùm aſſerit tempus non eſſe motum,ſed probat hac ratione: Motus eſt tardus, aut velox, ſed tardum eſſe,aut velox,non poteſt conuenire tempori; ergo diſtincta ſunt. Probat minorem, motus dicitur tardus, aut velox, quia in minori, vel maiori tempore fit per idem ſpatium, ergo tarditas, aut velocitas eius ſumitur ex tempore, quare non poteſt tempori conuenire,cum nec à ſeipſo ſumi poſſit,

ex quibus ita arguo: Motus eſt velox, vel tardus realiter, & ante operationem intellectus, & non tempus; ſed tarditas, & velocitas ſunt modi reales eius, qui non conueniunt realiter tempori; ergo diſtinguuntur realiter: quemadmodum, ſi vna qualitas intenditur; aut remittitur realiter, & non alia, euidenter ex eo colligitur eſſe realiter diſtinctas. Et confirmari poteſt, atque explicari ſimul hoc modo: Quæcunque ita ſe habent, vt realem variationem patiatur vnum, & non aliud, diſtinguuntur ex natura rei; ſed ita ſe habent tempus, & motus; ergo ex natura rei diſtinguuntur. Probo minorem; quia ſi duo motus fiant per idem ſpatium, etiamſi vnus ſit velocior altero, habent eandem extenſionem, & tamen inæqualis eſt duratio vtriuſque. Et rurſus ſi vnus fiat per ſpatium maius, ſed velocior ſit, habebunt æqualem durationem, & tamen inæqualem extenſionem, ſicut inæqualis eſt extenſio ſpatij, à quo extenduntur, ergo neceſſe eſt diſtingui ex natura rei: cum vera ſint hæc ante operationem intellectus, & ſine dependentia ab illa.

Ad primum argumentum diſtinguenda eſt maior, quod duratio non ſit aliud, quàm permanentia in eſſe; nam permanentia in eſſe dupliciter ſumi poteſt. Primò, pro actuali dependentia ſubſtantiali ab agente non interrupta: in qua acceptione idem eſt, ac conſeruatio rei, quam ſequitur duratio; quare alio modo ſumitur pro continuata dependentia accidentali; quæ ex continuata ſubſtantiali ſequitur, & hæc conuertitur cum duratione, & cauſatur à permanentia in eſſe per dependentiam ſubſtantialem continuatam: & propterea diſtinguitur realiter ab alia. Et ratio huius diſtinctionis eſt, quia ſicut creatura non durat per ſuam ſubſtantiam, nec per ſuum eſſe; ſed ſolus Deus: ita nec durat formaliter per dependentiam ſubſtantialem à Deo, ſed per accidentalem ab ea cauſatam. De prima igitur permanentia in eſſe, falſa eſt maior, quod duratio non ſit aliud quàm permanentia in eſſe, alioqui duratio eſſet realiter conſeruatio rei, quod eſt falſum; vera autem de ſecundo, ſed ex ea non ſequitur durationem non diſtingui realiter ab eſſe rei, ſed diſtingui potiùs, vt per ſe patet. 55

Ad ſecundum de ſeparatione diuerſo modo reſponderi ſolet à diuerſis, ego verò reſpondeo, negando illam vniuerſalem propoſitionem, quod ſeparari poſſint neceſſariò illa, quæ diſtinguuntur ex natura rei, quia poteſt eſſe intrinſeca dependentia vnius entitatis ab alia, vel neceſſaria coniunctio vnius cum alia, nam relatiua diſtinguuntur realiter, & non poteſt vnum eſſe in rerum natura ſine alio, præſentia quoque ad ſpatium, 56

tium, verum, vel imaginarium, eſt modus diſtinctus ex natura rei à re præſente, & non poteſt ab ea ſeparari, nec poteſt res aliqua eſſe in rerum natura ſine illa, præſertim apud Modernos plures, ex his, qui oppoſitam ſententiam defendunt, ita ergo dicendum eſt tempus neceſſariam habere dependentiam ex priori & poſteriori motus, & motum non poſſe habere partes priores & poſteriores, quin ex eis inferatur duratio, ſed ex hoc non ſequitur, quòd non ſit entitas realis diſtincta à motu.

QVÆSTIO V.

An, & quomodo motus; & mobilia dicantur eſſe in tempore.

57 VT meliùs intelligatur quæſtiò præſupponendum eſt, quid eſt eſſe in tempore, vt ex eo deducere poſſimus, quæ dicantur eſſe in tempore, & quæ à tempore abſolui, vel in eo non eſſe. Ariſtote. cap. 12. huius libri, text. 114. *aſſerit eſſe in tempore idem eſſe, quod menſurari tempore.* Ex quo ſequitur primò, ſolum motum eſſe per ſe primò in tempore, quia ſolus motus per ſe primò menſuratur tempore, cuius ratio euidens eſt, quia tempus *eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius,* ergo ea ſolùm poſſunt eſſe in tempore, quæ aliquo modo habent prius & poſterius, ſed ſolus motus per ſe primò hæc habet, ſicut ſolus ipſe per ſe primò habet ſucceſſionem partium, ergo ſolus motus per ſe primò dicitur eſſe in tempore. Secundò ſequitur immobilia non eſſe in tempore, vt Deum & Angelos, ſi ſecundum ſe conſiderentur; nam vt mouent corpora & mouentur ipſi, in tempore eſſe dicuntur, verè quidem, ſi per verum motum in ſeipſis receptum mouentur, vel ſolùm per extrinſecam denominationem à motu corporum ſecundum diuerſos modos opinandi. Secundò ſequitur, non eſſe in tempore ea, quæ ſemper ſunt, & nullam habent variationem in ſuo modo eſſendi vel ſemper non ſunt abſque vlla variatione. Primi generis ſunt neceſſariæ varietates, in neceſſaria connexione prædicatorum fundatæ, vt hominem eſſe rationalem, vel riſibilem.

58 Secundi generis ſunt impoſſibilia, vt hircoceruus, vel chimæra. De vtriſque autem docuit Ariſtoteles, quòd non ſint in tempore, ſed ab eo abſoluantur cap. 11. huius lib. quia quę ſunt in tempore aliquam patiuntur variationem ratione ſui, vel ſaltem ratione ſui motus: ſed hæc nullam patiuntur variationem, ſed à motu abſoluuntur, ergo etiam abſoluuntur à tempore & non dicũtur in eo eſſe. Tertiò ſequitur, corpora cæleſtia eſſe

in tẽpore ratione ſuorũ motuũ, quamuis ſubſtãtia eorũ ſecundũ ſe nõ ſit in tẽpore, ſed alia habeat menſurã indiuiſibilẽ, & totam ſimul, nempe æuum. Quòd verò ratione motus ſint in tempore, probatur; quia motus eorum tempore menſuratur; ergo ipſa etiam ratione motus menſurabuntur tempore; & in eo erũt. Antecedens probo; quia motus inferiorum cœlorum, ſaltem ſecundum partes præſentes, & pręteritas menſurantur per durationem motus primi mobilis, per quam cognoſcimus quantum durauerit motus proprius eorum, imò etiam quantùm ſit duraturus, motus verò primi mobilis propria etiam duratione menſurarunt ſecundum ſe totum, realiter quidem ſi diſtinguatur ab ea ex natura rei, vel ſaltem ſecundum rationem, & ex natura rei menſuratur ſecundum partes, ita vt per vnam partem durationis, poſſimus menſurare aliã partẽ motus.

Quod verò dixit Ariſt. cap. 12. ea, quæ ſunt in tempore ab eo contineri, ab eo vinci, & ſuperari, & tandem ab eo confici, non de omnibus, quæ ſunt in tempore, intellexit; ſed ſolùm de his, quæ ſunt in tempore dependenter ab eo, in quantum dependet etiam ſuum eſſe à motu per ſe, qualia ſunt corruptibilia; cœleſtia verò non ſunt in tempore per dependentiam à motu: cum conſtet non dependere ab eo in eſſe, neque in conſeruari; & ideò neque dependent à tempore.

His igitur tanquam certis præſuppoſitis, ſolùm poteſt eſſe quæſtio de his, quæ motui quidem, & tempori ſubijciuntur; ab eo patiuntur; & tandem conſumuntur, ex alia verò parte habent totum ſuum eſſe ſimul, & non in ſucceſſione conſiſtens, an dicantur eſſe in tempore, & ab eo menſurari, non ſolùm ratione ſuorum motuum, ſed etiam per ſuum eſſe immediatè; vel ſolùm dicantur eſſe in tempore ratione motus, ſed eorum ſubſtantiam aliam habere durationem indiuiſibilem diſtinctam à tempore, per quam proximè menſuratur, & non per tempus, niſi ratione ſuorum motuum, eo ferè modo, quo corpora cœleſtia ratione ſui motus dicuntur eſſe in tempore, & eorum ſubſtantiam habet propriam, & indiuiſibilem durationem, quæ eſt æuum: quamuis diuerſa ratio ſit, de ſubſtantiis corruptibilibus, quæ in tempore ſunt per dependentiam ab eo, & menſura earum non poteſt eſſe æuum, ſed ad ſummum alia indiuiſibilis, & temporanea.

Et prima opinio nõ concedit his rebus aliam durationem à tempore, ſed cum eſſe eorũ cõtinuis mutationibus, & motibus ſubditum ſit, tempore menſurari ait, non ſolùm ratione motuum, ſed etiã per ſe immediatè, & ideò per ſe immediatè eſſe in tempore; & non ſolùm ratione motus. Ita Alber. Magn. p. 6● ſummæ

ſummæ de quatuor coæuis, Caiet.1.p.q.10.art.1.Sonc.12.lib. Meta.q.54.Tolet.q.14.huius lib. ad 3.Fonſc.5.Meta.cap.13. q.12. ſect.3.& 4.Probant teſtimonio Ariſt. qui capit. 12. tres conditiones conuenire docuit his,quæ ſunt in tempore,nempe quòd tempore menſurentur; quòd tempore comprehendantur,quòd à tempore vincantur, & conſumantur: ſed omnes conueniunt ſubſtantiis corruptibilibus, non ſolùm ratione motus, ſed ſecundum ſuum eſſe; ergo etiam hoc modo ſunt in tempore: nec alia duratio à tempore eis eſt concedenda. Probatur minor, quia ſubſtantia rerum corruptibilium diſtinguitur in diuerſas ætates; alia eſt enim herbarum ætas, alia fructuum,alia arborum, & eiuſdem rei ſecundum diuerſum ſtatum diuerſa aſſignatur ætatis periodus; alia eſt enim periodus infantiæ,alia adoleſcentiæ, & ſenectutis alia, & quęlibet eſt determinata pars temporis,& ideò non duratio ſimultanea,ſed ſucceſſiua; ergo tempore menſuratur ſubſtantia harum rerũ

61 ſecundum ſe. Quod verò ab eo ſuperetur patet, cum deſinat eſſe permanente tempore, & euidens eſt ab eo conſumi. Et D. Tho.id videtur expreſsè docere 1. p. q. 10. art. 5. his verbis: *Quadam ſic recedunt à permanentia eſſendi, quòd eſſe eorum eſt ſubiectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit, & huiuſmodi menſurantur tempora ſicut omnis motus, & etiam eſſe omnium corruptibilium; &c.* Probant etiam ratione, quia motus per ſe eſt in tempore,ſed eſſe rerum corruptibilium per ſe eſt principium motus;imò etiã cõtinuis mutationib[9] augetur, & diminuitur,& tãdem deſinit eſſe;ergo ex propria ſua cõditione,ſicut motui,ſic tẽpori ſubditur,& ab eo mẽſuratur,& cõſequenter in eo eſſe dicitur per ſe,nec ideò aliam habebit durationem.

62 Secunda opinio *diſtinguit res corruptibiles ſecundum proprium eſſe, & ſecundum proprias mutationes, & motus, quibus ſubiiciuntur, & diuerſas eis durationes tribuit ſecundum has diuerſas conſiderationes: eſſe quidem earum,quia in indiuiſibili conſiſtit, & totum ſimul eſt,durationem indiuiſibilem, & totam ſimul; mutationibus verò earum ſucceſſiuis, & eiſdem,vt eis ſubduntur, durationem ſucceſſiuam, qua eſt tempus.* Ita Scotus in 2.diſt.2.q. 4. Hẽricus quodlibet.15.quæſt.decima tertia,Duran.in 2. diſt. 2. q. 6.Heruæus quodlib.1.qu.12.Pater Suarius Tom.2. Met. diſp. 50.ſect.7.Conim.4.l.Ph.c.12.q.3.art.1.& iã Moderni ferè omnes; *& videtur nobis probabilior.* 1. propter teſtimonia Ariſt.& D. Thomæ. Nam Ariſtoteles 4. Phyſic. c. 12 textu 118. & 119. expreſſè aſſerit corpus non eſſe in tempore, nec menſurari tempore.vt quantum quoddam eſt,ſed in quantum motus eius quantus eſt, ergo ſentit diuerſas ei correſpon

dere durationes ſecundum eſſe, & ratione motus, & hac ſecunda ratione tantum menſurari tempore, & in eo eſſe. Et D. Thom.opuſc.44.de tempore, cap.3. expreſſè id docet his verbis; mobilia verò quantum ad id, quod ſunt, ſicut homo, aut lapis non menſurantur tempore, quia eſſentia eorum eſt in quolibet nunc temporis, neque habet prius, neque poſterius, ſiue ſucceſsionem; vnde his correſpondet nunc temporis, & non tempus: menſurantur autem tempore, quantum ad ſuum eſſe,& ſuam ſucceſsionem vel durationem, quia duratio eorum non eſt tota ſimul.

Deinde probatur hoc argumento; menſura debet eſſe congenea menſurato, hoc eſt, eiuſdem generis, ac rationis cum eo ita vt ſit ſucceſsiua, ſi res menſurata ſucceſsiua ſit, permanens verò, ſi totum eſſe ſimul habeat: ſed ſubſtantiæ corruptibiles habent totum eſſe ſimul, & in indiuiſibili ſucceſsione carens; tempus verò ab intrinſeco eſt ſucceſsiuum; ergo non eſt mēſura per ſe accommodata, ac proportionata eis, nec per eam dicentur menſurari, vel in ea eſſe ſecundum ſe; ſed alia eſt eis concedenda ſibi proportionata, hoc eſt, indiuiſibilis, tota ſimul, & ſucceſsione carens, quamuis ratione ſuorum motuum menſurentur tempore, vt conſtat de corpore cœleſti, cuius eſſe propriam menſuram habet indiuiſibilem, quamuis ratione motus ſit in tempore. Quo autem nomine ſignificanda ſit hæc menſura ſubſtantiarum corruptibilium,& accidētium earum, non conuenit inter opinantes; nam Scotus æuū eſſe vult; Henricus verò conſiderans æuum eſſe menſuram indefectibilem, non vult eam vocare æuum, ſed modum æui. Durandus verò, & Henricus dicunt eſſe inſtans permanens temporis diſcreti, quod ſingulis operationibus Angelorum tribui ſolet. Sed quæſtio eſt de nomine, in quâ certum debet eſſe, quòd non ſit æuum, vt bene Henricus contra Scotum: nam æuum, vt ſtatim videbimus, menſura perpetua eſt fine carens, nec etiam ſit tempus, cum non ſit ſucceſsiua: nomen igitur ei imponendū, iuxta propriam naturam debet eſſe, quæ cum ſit tota ſimul, in indiuiſibili conſiſtens, & ſucceſsione carens, vocanda eſt mēſura indiuiſibilis tota ſimul. ſucceſsione carens,& ex propria ratione defectibilis. 63

Teſtimonia Ariſtotelis & D.Thom.per alia magis expreſſa à nobis adducta explicari debent, ita vt loquantur de his rebus corruptibilibus, vt corruptibilia ſunt per mutationem,& motum quibus ſubijciuntur non de illis ſecundum propriū eſſe nudè conſideratum, quo pacto alia menſura eis proportionata debetur. Et primo modo dicuntur eſſe in tempore, 64

non

non ſecundo, ſed quia conſideratio hæc harum rerum frequẽtior eſt in Philoſophia, ideò in communi modo loquendi dicuntur eſſe in tempore.

Argumenta etiam eadem diſtinctione ſoluuntur, quia nec menſurantur tempore, nec vincuntnr aut conſumuntur ab eo niſi ratione motuum & mutationum, per quas tranſmutantur & corrumpuntur, non per ſuum eſſe nudè conſideratum. Prærerea hoc quidem eſſe, vt eſt principium mutationum, & motuum, in tempore eſt, & tempore menſuratur; nudè tamen conſideratum, vt eſt totum ſimul, & in indiuiſibili conſiſtit aliam poſtulat durationem eiſdem conditionibus proportionatam & accommodatam, quam patet non eſſe tempus.

TRACTATVS POSTERIOR

DE CÆTERIS DVRATIONIBVS à tempore diuerſis.

65 DVratio, vt in tractatu præcedenti diximus, conuenit rebus ſecundum actualem exiſtentiam, quam habent in rerum natura, & ſequitur permanentiam, vel continuationem eius, & ideò ſecundum diuerſum modum eſſendi; diuerſa eſt etiam duratio: vnde ſicut eſſe rerum diuiditur in ſucceſsiuum & permanens; ita duratio in ſucceſsiuam, permanentem: duratio ſucceſsiua eſt tempus, de quo egimus iam in tractatu præcedenti. Reſtat aliquid agere de durationibus permanentibus, de quibus licet non egerit Ariſtoteles, ſed de ſolo tempore; Moderni tamen copioſiùs, quàm Philoſophos decet, de eis diſputant, & propterea aliquid nos de ſingulis dicemus, vt intelligamus, quonam modo diſtinguatur tempus ab eis. Duratio igitur permanens, duplex eſt, vna increata, quæ eſt æternitas diuina; Altera creata: & inter durationes creatas prima occurrit æuum, cuius naturam primò explicabimus; quia ex ea meliùs intelligetur æternitas. De æuo igitur, ac cæteris ſolum dicemus, quid ſit, & quo modo à cæteris durationibus diſtinguatur.

Quidnam æuum ſit, & quomodo diſtinguatur à cæteris durationibus.

66 TOta ferè difficultas explicandi naturam & rationem æui conſiſtit in diſtinguendo illud ab æternitate. Propterea

tuit prima opinio aliquorum aſſerentium; æuum ſic ab æternitate diſtingui, vt æternitas ſit duratio infinita principio, & fine carens; æuum verò duratio finita eſt, quia licet fine careat, habet tamen principium, per quod ab æternitate diſtinguitur & per 1. à cæteris durationibus, quæ principium, & finem habent. Hæc tamen opinio ab omnibus ferè refutatur, quia licet æuum habuerit principium, ſicut cæteræ res creatæ, ſed valde probabile eſt, quòd ſine principio eſſe potuerit, quia probabile eſt potuiſſe Deum ab æterno creare Angelum, vt videbimus in libro octauo: & tunc duratio eius careret principio, & cum fine etiam careat, nec principium, nec finem haberet, nec eſſet, per quod diſtingueretur ab ęternitate. Quamuis poſſet aliquis dicere æternitatem ex propria natura principio, & fine carere; æuum verò non habere ex propria natura, quòd principio careat, licet id poſsit habere per diuinam potẽtiam. Sed adhuc non ſatis bene diſtinguerentur; quia ratio intrinſeca vnius non debet vllo modo conuenire alteri, & iam aliquo modo conueniret æuo intrinſeca ratio æternitatis.

Ideò ſecunda opinio alio modo rationem æui explicat dicens, *æuum non eſſe durationem omninò permanentem, ſed aliquam admittere ſucceſſionem prioris & poſterioris, non quidem ſicut tempus, quod eam habet cum variatione præteriti, & futuri; æternitas verò nullam prorſus variationem admittit, & ideò bene æuum diſtinguetur ab vtroque, ab æternitate quidem per ſucceſsionem prioris, & poſterioris; à tempore verò, per variationem præteriti, & futuri.* Ita D. Bonauent. in 2. diſt. 2. 1. part. diſt. articulo primo, quæſt. 3. qui videtur in hoc ponere ſucceſsionem prioris, & poſterioris æui, quod aliquid nouum eius ſemper adueniat, ſed non tranſeat, nec deſinat eſſe, & ideò nec fiat præteritum, ſicut tẽpus futurum; quod ita aduenit de nouo, vt ſtatim, ac præſens ſit, tranſeat ac præteritum fiat, & deſinat eſſe; quod verò de æuo aduenit, ita ſuccedit alteri, & aliud ſuccedit ei, vt nec tranſeat, nec præteritum fiat, nec deſinat eſſe. Hanc ſententiam probabilem reputant Scotus in 2. d. 2. quęſt. 1. §. *qui vult tenere*, & Rich art. 1. quæſt. 3. 67

Probant teſtimoniis Sanctorum Patrum, Hieronymi in Epiſt. ad Marcellam, Anſel. in Proſologio cap. 2. aſſerentium ſolam durationem diuinam carere præterito & futuro; creatam verò non pertingere vniformitatem eius, ſed aliquam variationem pati, & Boëtij 1. lib. de Trinitate, vbi ſolùm in Deo præſens eſſe ait, & non fluens; in Angelis verò, non fluens facere ſempiternitatem in æuum; ergo ſentiunt non eſſe æuum, ſine aliqua variatione prioris, & poſterioris. 68

Probant

Probant quoque ratione: quia ſi in æuo nulla eſt variatiô prioris & poſterioris, & ideò nulla ſucceſſio, ſequitur idem eſſe in Angelo eſſe, fuiſſe, & fore, quare ſicut repugnat eum non fuiſſe ita etiam repugnat non fore, conſequens eſt falſum; ergo etiam antecedens. Probatur minor, quia Deus poteſt annihilare Angelum; quod ſi fiat, non erit futurus; ergo ex natura ſua non eſt neceſſariò futurus; quare nec idem erunt, eſſe, fuiſſe, & fore, ſed duo illa poſſunt eſſe ſine hoc tertio, & cum illo, quod eſt poſſe pati aliquam variationem.

Secundò, in æuo reperitur continuatio; ergo reperitur ſucceſſio; reperitur maius & minus, prius etiam, atque poſterius; ergo non eſt duratio omninò indiuiſibilis, nec omninò inuariabilis, ſed nec tota ſimul. Probatur antecedens, quia conſeruatio Angeli eſt permanentia in eſſe, & continuatio eius; ſed æuum ſequitur continuationem durationis, quæ non poteſt intelligi ſine ſucceſſione. Præterea, duratio Angeli maior eſt hodie, quàm erat anno præterito, & illa, quæ fuit anno præterito prior eſt duratione huius anni. Et tandem ſi Deus crearet modò aliquem Angelum, poſterior eſſet duratione cæteris, & minus duraſſet, quàm illi, quæ adeò certa ſunt, vt negari non poſſint; ergo nec poteſt negari vtraque variatio in æuo.

69 Si vera eſſet hæc ſententia, bene intelligeretur per eam natura æui, atque diſtinctio eius ab æternitate; ſed adeò difficilis eſt, vt non videatur ſuſtineri poſſe. Probatur primò, quia ſi æuum non eſt totum ſimul, ſed aliquam habet ſucceſſionem: ita vt aliquid eius ſemper de nouo adueniat, vel illud, quod de nouo aduenit, ſemper eſt præſens; & hoc non; quia ſemper eſſe præſens, & nunquam tranſire, pugnat cum ſucceſſione in eo conſiſtente, quod vnum ſit poſt alterum, & ideò eo adueniente tranſeat; ſi verò id quod aduenit, non ſemper eſt præſens; ergo tranſit, & fit præteritum: repugnat igitur æuum habere ſucceſſionem, & variationem, ſine præterito, & futuro, vt aſſerit hæc ſententia. Secundò, quia duratio ſequitur naturam, ac modum eſſendi rei durantis, & propterea tempus ſucceſſiuum eſt, partes priores & poſteriores habens; quia ſequitur modum eſſendi ſucceſſiuum motus, & partes priores, ac poſteriores eius, vt docuit Ariſtoteles cap. 11. huius libri; æuum igitur conſequitur naturam & modum eſſendi Angeli, ſed eſſe Angeli eſt indiuiſibile, nullam habens latitudinem, carens omni ſucceſſione; ſed totum ſimul; ergo talis debet eſſe duratio eius, vt ſit prorſus indiuiſibilis, tota ſimul, & abſque vlla ſucceſſione; aut variatione prioris, & poſterioris, quam

ideò

ideò non admittimus in diuina æternitate, quia non eſt in diuino eſſe.

Secunda opinio eſt D.Thom.1.p.q.10.artic.5.qui vt diſtinguat æuum ab æternitate, quaſi medium conſtituit inter illam & tempus, quod vt explicet, annotat triplicem eſſe gradum eſſendi, Infimum quidem, qui ita recedit à permanentia, vt in tranſmutatione, ac ſucceſsione conſiſtat; & in hoc gradu ſunt motus, & res omnes generabiles, & corruptibiles, quæ tempore menſurantur. In ſecundo gradu conſtituit Deum, cuius eſſe, nec motui, nec mutationi ſubditur, ſed omninò inuariabile eſt; & ideò duratio ei correſpondens, quæ eſt æternitas, indiuiſibilis eſt, tota ſimul, & ſine vlla variatione, aut ſucceſsione perpetua; Medium verò tenet eſſe Angelicum & corporum cœleſtium, quia in ſe nullam ſucceſſionem aut variationem admittit; ſed totum ſimul eſt, in indiuiſibili conſiſtens, in quo cum eſſe diuino conuenit; ſed admittit variationem, & ſucceſſionem in operationibus, quarum principium eſt, vt corpora cœleſtia in motu; & Angeli diuerſis cogitationibus & volitionibus, atque etiam in motu locali eo modo, quo ei conuenire poteſt, & in hoc aſsimilantur rebus corruptibilibus; & ideò æuum eſt, *duratio rei indiuiſibilis atque omninò permanentis ſecundum proprium eſſe, variabilis verò ſecundum proprias operationes à ſe procedentes:* & in primo conuenit cum æternitate, & diſtinguitur à tempore: in ſecundo diſtinguitur ab æternitate. Et hanc ſententiam ſic explicatam ſequuntur omnes eius expoſitores in eodem loco, *& eſt iam communis ferè in ſchola, & vera.* 70

Sed aduerſus illam propono hoc argumentum ſatis difficile quia non videtur diſtingui poſſe æuum ab æternitate per variationem aut ſucceſsionem operationum ab eſſe Angeli procedentium; nam operationes Angeli accidentia ſunt realiter diſtincta ab eſſe eius, & diſtinctam habent durationem ſtatim tranſeuntem, ergo nullam variationem in ęuo ponere poſſunt. Probatur euidenter conſequentia; quia etiam ſi varientur illæ, ſemper æuum ſe habet eodem modo, nullam igitur variationem patitur ex variatione earum; ſed permanet duratio indiuiſibilis, tota ſimul, atque omninò inuariabilis: quare non erit, per quod diſtinguatur ab æternitate: nam quod ſit principium diuerſarum operationum, & variabilium, nec variabile illud facit, nec diuiſibile, ſed permanens in ſua indiuiſibilitate & inuariabilitate poteſt eſſe principiũ earum, quemadmodum eſſe rerum corruptibilium; licet ſit principium motus, & ſucceſſiuę durationis, retinet proprium modum permanen- 71

manentiæ, & indiuiſibilitatis, & propriam durationem indiuiſibilem, totam ſimul, & inuariabilem.

72 Reſpondetur duobus modis poſſe diſtingui æuum ab æternitate, à priori quidem, hoc eſt ex parte rationis formalis vtriuſque durationis; & à poſteriori, hoc eſt à ſigno vel effectu, ex quo diſtinctio à priori meliùs à nobis cognoſcatur. A priori diſtinguentur, ſi dicamus æternitatem ab intrinſeco eſſentialiter, & independenter ab alio, eſſe durationem perpetuam; æuum verò eſſentialiter, & ab intrinſeco non poſtulare omnimodam perpetuitatem & quam ex parte finis, habet; cũ intrinſeca dependentia à primo agente habere, & ideò actu ea carere non repugnat. Et modus diſtinguendi à poſteriori per operationes hanc diſtinctionem à priori indicat; nam ex eo, quòd operationes procedentes ab eſſe Angeli, ſunt accidentia, quibus inferior quædam duratio correſpondet ſtatim tranſiens, oſtenditur eſſe Angelicum inferioris ordinis eſſe reſpectu diuini, ab eoque dependens ex propria natura; & ideò non poſtulans ex ea omnimodam æternitatem, nec eam, quam poſtulat ita habens, vt non poſſit eam non amittere; & ex conſequenti durationem ei correſpondentem eaſdem habere conditiones, per quas ab æternitate diſtinguatur; & D. Thomas ſolùm à poſteriori voluit æuum diſtinguere ab æternitate, vt per ſucceſſionem, & variationem operationum oſtenderet diſtinctam habere eſſentiam ab ea, ac cæteris durationibus. Sic ergo poſſemus definire æuum eſſentialiter: Æuum eſt, *duratio indiuiſibilis, tota ſimul, & inuariabilis ex propria natura non omninò perpetua, ſed aliquam habens perpetuitatem dependentem à parte poſt.* Et hanc definitionem poſſemus per illam demonſtrare à poſteriori, & per hanc illam à priori. Si autem aliquis dicat, non diſtingui æuum ab æternitate participata, cui conueniunt omnes particulæ definitionis. Reſpondeo, quod æternitas participata dupliciter ſumi poteſt. Primò vniuerſaliter, pro quacunque duratione perpetua & creata: & hoc modo non eſt inconueniens, æuum cum ea conuerti; quia ſic ſumpta, non eſt ſpecialis duratio. Alio modo ſumitur vt eſt ſpecialis duratio creatæ beatitudinis; & ab ea hoc modo ſumpta diſtinguitur æuum: quia naturalis duratio eſt; æternitas verò participata duratio ſupernaturalis, & ideò quaſi genere diſtinguuntur.

73 Teſtimonia Sanctorum Patrum duobus modis exponi debent. Primò, quia Angelus habuit eſſe poſt non eſſe, & quia non eſſe eius tanquam duratione prius, atque tranſactum apprehendimus, vocamus præteritum; eſſe verò vt futurum; quia quaſi de nouo adueniens poſt non eſſe, vel præteritum: vel

ſecundo

ſecundo ſucceſſionem præteriti, & futuri ad operationes referre poſſumus, ita vt in ordine ad illas dicatur indiuiſibilis duratio æui per modum inſtantis apprehenſa fluere, & facere quandam ſempiternitatem; quia ita fluens per varias operationes, & manens in ſe inuariabilis, perpetuitatem ex parte finis oſtendit.

Ad primum argumentum neganda eſt conſequentia, quod in Angelo idem ſint, eſſe, fuiſſe, & futurum eſſe; nam iſtæ differentiæ non conueniunt durationi Angelicæ ex ſua natura indiuiſibilis, & habenti totum ſuum eſſe ſimul, & ideò nec dicuntur ſimul in ea eſſe, ſed ſolùm per negationem dicere poſſumus, non eſſe in ea præteritum aut futurum, ſed præſens tantum, quemadmodum in æternitate eſt manifeſtum.

Ad ſecundum neganda ſunt omnia, quæ in maiori aſſumuntur, & quantum ad continuationem pertinet, concedimus durationem Angeli conſequi conſeruationem eius, quæ eſt continuatio in eſſe, ſed negamus, quod continuatio in eſſe dicat ſucceſſionem; quia non eſt continuatio materialis; ſed dependentia indiuiſibilis & perſeuerans, hoc eſt nunquam interrupta; & ita æuum eam conſequens non eſt continuatio materialis, & quantitatiua, ſicut ea, quæ eſt in tempore, ſed indiuiſibilis duratio, & tota ſimul perſeuerans. quemadmodum æternitas, licèt ſit continuata duratio Diuini eſſe in infinitum perſeuerans, nullam dicit ſucceſſionem; ſed ideò difficilè hoc intelligitur, quia permanentiam, aut continuationem ſolemus per modum ſucceſſionis apprehendere; cum tamen in continuatione, aut perſeuerantia rerum indiuiſibilium nulla ſucceſſio ſit. Quod verò duratio vnius Angeli maior ſit duratione alterius ſi poſitiuè intelligatur, falſum eſt, ſicut etiam eſt falſum, quòd æternitas maior ſit modo, quàm fuit ab initio mundi, ſed verum eſſe poteſt negatiuè, cuius ſenſus erit, durationem, vnius permanſiſſe, alterius verò interruptam fuiſſe. Vel ſecūdò, & fortè meliùs reſponderi poteſt, quòd licèt æuum ſit formaliter indiuiſibile, & totum ſimul quadam tamen ratione virtuali diuiſibile eſt, & non totum ſimul; ſed quandam habens diuiſibilitatem, & ſucceſſionem, in quantum poteſt coëxiſtere tempori noſtro: & in hoc ſenſu, maior erit duratio Angeli hodie, quàm heri; quia maiori tempori coëxiſtit, & maior etiam duratio Angelorum nunc exiſtentium, quàm eius, qui de nouo crearetur, & cum ſucceſſiuè coëxiſtat diuerſis partibus temporis, quandam ſucceſſionem virtualem habere dicitur, quæ non repugnat indiuiſibilitati, ac ſimultati formali, vt in æternitate eſt manifeſtum. 74

Quid

Quidnam æternitas ſit.

75 Aeternitas diuerſis modis accipitur. Primò, pro longiſſima, ac diuturna duratione, quæ ideò quaſi ſine videtur carere; licèt verè finem habeat, ſed impropriiſſima eſt hæc acceptio, cum tempori poſsit conuenire. Ideò ſecundò accipitur pro duratione finem ſaltem non habente, & hoc modo dicuntur Angeli æterni, anima rationalis, & corpora cœleſtia, quia licèt initium habuerit duratio eorum, ſed fine caret; & hæc acceptio impropria etiam eſt: cum non cenſeatur æternum ſimpliciter illud, de quo verum eſt aliquando non fuiſſe. Tertiò accipitur minus impropriè pro duratione, principio, & fine carente; ſiue creata ſit, vel increata; & ſiue per ſe ei conueniat, vel per accidens, in qua acceptione æternus foret Angelus, ſi ab æterno crearetur à Deo, & æuum eius poſſet vocari æternitas. Sed adhuc impropriè accipitur hoc modo; quia non determinatur ad rationem eſſentialem, aut intrinſecam. Propterea accipitur quartò duratione, principio, & fine carente ex propria natura; & hæc eſt propria acceptio eius, ſecundum quam ſoli durationi increatæ, ac Deo propriè conuenit, & ideò non poteſt habere definitionem: quia infinita eſt, ſicut ipſe Deus.

76 Explicatur autem, vel deſcribitur noſtro modo imperfecto à Boëtio tertio libro de Conſolatione, proſa 2. his verbis, æternitas eſt *interminabilis vitæ, tota ſimul, ac perfecta poſſeſſio.* Et hæc deſcriptio recepta eſt ab vniuerſa ſchola, explicaturque egregiè à D. Thom. 1. p. quæſt. 10. artic. 1. Dicitur autem *tota ſimul*, vt ſignificetur permanentia eius nullam ſucceſsionem admittens, *perfecta poſſeſſio*, vt ſignificetur, indeficientem omnino, atque immutabilem durationem eſſe; nam poſſeſsio quietem ſignificat, cui motus, ac mutatio quæcunque opponitur. Et tandem dicitur *interminabilis*, quia principio, & fine caret ab intrinſeco, & hoc habet, quia independens ab alio eſt, *vitæ* verò, vt ſignificetur, quòd licèt duratio conueniat rebus creatis propter eſſe: quod reperitur etiam in non viuentibus, ſed Deo conuenit propter vitam; quia eſſe illius infiniti perfectum vita eſt, & ideò poteſt vocari æternitas, quaſi infinita quædam permanentia Dei in vita. Æternitatem ſic definitam eſſe durationem diuinam, infinitam, Deoque conuenire propriè, & formaliter, & non ſolùm per extrinſecam denominationem, vt videtur voluiſſe Aureolus apud Capreol. in 1. diſt. 9. quæſt. 2. tanquam certum ſupponendum eſt. Primò, quia

ſac æ

ſacræ litteræ paſſim de æternitate loquuntur, tanquam de quodam attributo diuino, ſicut de bonitate, & ſapientia, ſed diuina attributa ſunt in Deo formaliter, ergo formaliter erit in eo æternitas. Secundò, quia duratio ſequitur permanentiam in eſſe, ſed diuinum eſſe permanet abſque principio, & fine; ergo habet infinitam durationem. Deinde duratio indiuiſibilis, tota ſimul, & inuariabilis nullam dicit imperfectionem ſucceſſionis, (vt falsò videtur excogitaſſe Aureolus) ergo conuenit Deo formaliter. Probatur conſequentia, quia, quæ non dicunt ex ſe imperfectionem, formaliter conueniunt Deo.

An æternitas in ſua ratione formali dicat reſpectum rationis.

Hoc ſolùm poteſt eſſe dubium ad intelligendam rationem æternitatis, an ſit purè abſoluta, & realis, vel aliquem reſpectum rationis includat, & ideò dicatur complementum eſſentiale accipere ab intellectu. Et ratio dubitandi pro affirmatiua parte eſt hæc: Æternitas eſt duratio ſine principio, & fine, ſed non habere principium, nec finem, dicit negationem, & negatio formaliter eſt ens rationis; ergo æternitas in ſua ratione formali includit aliquid rationis. Ex oppoſita verò parte, nihil tale includere videtur; quia cum ſit diuinum attributum, omni ex parte debet eſſe realis, alioqui, ſi aliquem reſpectu rationis includeret, completa non eſſet in ſua ratione eſſentiali quouſque ab intellectu noſtro cognoſceretur, quod abſurdum eſt. 77

Circa hoc dubium eſt prima opinio Ferra. 1. lib. contra gentes cap. 15. aſſerentis, *æternitatem in ſua ratione formali non ſolùm aliquid reale, ſed reſpectum quoque rationis importare.* Quia duo in ea conſiderantur. Primum, quod ſit duratio ſine principio, & fine, & hoc eſt reale. Secundum, quod ſit menſura diuini eſſe, & cum ratio menſuræ ſit reſpectus rationis, ex hac parte includit reſpectum rationis, & ideò integratio æternitatis vtroque complétur reali, & rationis. Quod etiam videntur ſenſiſſe Diuus Thomas 1. part. quæſtione 10. artic. 2. ad 3. Albertus Magnus in 1. diſt. 9. art. 8. & in libro de quatuor coæuis quæſt. 3. artic. 1. Henric. in ſumma art. 31. qu. 2. cum dicant rationem menſuræ in æternitate non eſſe realem, ſed rationis.

Secunda opinio aſſerit æternitati potius repugnare rationem 78
menſuræ, & proprerea vocari in definitione interminabilem, quia nec determinari, nec definiri poteſt per aliquã menſuram, vide

vnde non ſolùm dicit negationem principij, & finis, in ratione perpetuæ durationis, ſed etiam negationem menſurabilitatis per durationem aliam, & quantum ad hanc negationem quodam modo dependere ab intellectu in ſua ratione formali, quia talis negatio, per quam completur ens rationis, eſt dependens ex actuali cognitione intellectus, per quam ſiunt entia rationis. Conuenit itaque hæc ſententia cum præcedenti in eo, quòd vtraque aſſerit æternitatem includere in ſua ratione formali reſpectum rationis, & ideò compleri ab intellectu: ſed differt in alio; quia prima opinio dicit hunc reſpectum rationis, quem importat, eſſe reſpectum menſuræ; ſecunda verò aſſerit eſſe potius reſpectum negationis menſurabilitatis.

Noſtra ſententia duabus concluſionibus explicatur. Prima, *æternitas prout attributum diuinum eſt, in Deo ipſo formaliter exiſtens, non includit aliquem reſpectum rationis, neque aliquid aliud ab intellectu dependens, à quo neque complementum hoc modo ſumpta accipit* In hac concluſione omnes debent conuenire, quia euidenti ratione (niſi ego fallor) probatur. Nam reſpectus rationis, & quodcunque aliud ab intellectu dependens nimis imperfectum eſt, ſed nihil imperfectum eſſe poteſt in eſſentia diuina, in diuino eſſe, aut in aliquo attributo diuino; ergo æternitas, vt diuinum attributum eſt, non poteſt in ſua ratione formali includere reſpectu rationis, vel aliquid aliud dependens ab intellectu.

79 Secunda concluſio: *Æternitas, etiam vt à Boetio definita, & à nobis intellecta ſub hoc nomine nullum accipit complementum ab intellectu, neque aliquod ens rationis includit in ſua ratione formali, ſed purè realis eſt.* Ita Caiet. 1. p. q. 10. art. 1. & colligitur efficaciter ex doctrina D. Thom. in eodem art. ad 1. vbi cum in argumento obieciſſet æternitatem dici à Boetio interminabilem, quod videtur importare negationem, his verbis reſpondet: *Simplicia conſueuerunt per negationem definiri, ſicut punctus eſt, cuius pars non eſt; quod non ideò eſt, quod negatio ſit de eſſentia eorum, ſed quia intellectus noſter, qui primò apprehendit compoſita, in cognitionem ſimplicium peruenire non poteſt, niſi per remotionem compoſitionis.* Quibus expreſsè imprimis docet negationem, vt eſt ens rationis non pertinere ad rationem æternitatis, etiam vt à Boetio definita, ſed neque vt à nobis concipitur, qui licet non poſſimus ſimplicia cognoſcere, niſi per remotionem compoſitionis, ſicut nec incorporea, niſi per remotionem corporis; non ideò concipimus earum negatione; ſed per viam negationis, aut remotionis deuenimus in poſitiuum,

ſacræ litteræ paſſim de æternitate loquuntur, tanquam de quodam attributo diuino, ſicut de bonitate, & ſapientia, ſed diuina attributa ſunt in Deo formaliter, ergo formaliter erit in eo æternitas. Secundò, quia duratio ſequitur permanentiam in eſſe, ſed diuinum eſſe permanet abſque principio, & fine; ergo habet infinitam durationem. Deinde duratio indiuiſibilis, tota ſimul, & inuatiabilis nullam dicit imperfectionem ſucceſſionis, (vt falsò videtur excogitaſſe Aureolus) ergo conuenit Deo formaliter. Probatur conſequentia, quia, quæ non dicunt ex ſe imperfectionem, formaliter conueniunt Deo.

An æternitas in ſua ratione formali dicat reſpectum rationis.

HOc ſolùm poteſt eſſe dubium ad intelligendam rationem æternitatis, an ſit purè abſoluta, & realis, vel aliquem reſpectum rationis includat, & ideò dicatur complementum eſſentiale accipere ab intellectu. Et ratio dubitandi pro affirmatiua parte eſt hæc: Æternitas eſt duratio ſine principio, & fine, ſed non habere principium, nec finem, dicit negationem, & negatio formaliter eſt ens rationis; ergo æternitas in ſua ratione formali includit aliquid rationis. Ex oppoſita verò parte, nihil tale includere videtur; quia cum ſit diuinum attributum, omni ex parte debet eſſe realis, alioqui, ſi aliquem reſpectu rationis includeret, completa non eſſet in ſua ratione eſſentiali quouſque ab intellectu noſtro cognoſceretur, quod abſurdum eſt. 77

Circa hoc dubium eſt prima opinio Ferra. 1. lib. contra gentes cap. 15. aſſerentis, *æternitatem in ſua ratione formali non ſolùm aliquid reale, ſed reſpectum quoque rationis importare.* Quia duo in ea conſiderantur. Primum, quod ſit duratio ſine principio, & fine, & hoc eſt reale. Secundum, quod ſit menſura diuini eſſe, & cum ratio menſuræ ſit reſpectus rationis, ex hac parte includit reſpectum rationis, & ideò integratio æternitatis vtroque completur reali, & rationis. Quod etiam videntur ſenſiſſe Diuus Thomas 1. part. quæſtione 10. artic. 2. ad 3. Albertus Magnus in 1. diſt. 9. art. 8. & in libro de quatuor coæuis quæſt. 3. artic. 1. Henric. in ſumma art. 31. qu. 2. cum dicant rationem menſuræ in æternitate non eſſe realem, ſed rationis.

Secunda opinio aſſerit æternitati potius repugnare rationem menſuræ, & propterea vocari in definitione interminabilem, quia nec determinari, nec definiri poteſt per aliquã menſuram, 78

vide

vnde non ſolùm dicit negationem principij,& finis, in ratione perpetuæ durationis, ſed etiam negationem menſurabilitatis per durationem aliam, & quantum ad hanc negationem quodam modo dependere ab intellectu in ſua ratione formali, quia talis negatio, per quam completur ens rationis, eſt dependens ex actuali cognitione intellectus, per quam fiunt entia rationis. Conuenit itaque hæc ſententia cum præcedenti in eo, quòd vtraque aſſerit æternitatem includere in ſua ratione formali reſpectum rationis, & ideò compleri ab intellectu: ſed differt in alio; quia prima opinio dicit hunc reſpectum rationis, quem importat, eſſe reſpectum menſuræ; ſecunda verò aſſerit eſſe potius reſpectum negationis menſurabilitatis.

Noſtra ſententia duabus concluſionibus explicatur. Prima, *æternitas prout attributum diuinum eſt, in Deo ipſo formaliter exiſtens, non includit aliquem reſpectum rationis, neque aliquid aliud ab intellectu dependens, à quo neque complementum hoc modo ſumpta accipit* In hac concluſione omnes debent conuenire, quia euidenti ratione (niſi ego fallor) probatur. Nam reſpectus rationis,& quodcunque aliud ab intellectu dependens nimis imperfectum eſt, ſed nihil imperfectum eſſe poteſt in eſſentia diuina, in diuino eſſe, aut in aliquo attributo diuino; ergo æternitas, vt diuinum attributum eſt, non poteſt in ſua ratione formali includere reſpectu rationis, vel aliquid aliud dependens ab intellectu.

79 Secunda concluſio: *Æternitas, etiam vt à Boetio definita, & à nobis intellecta ſub hoc nomine nullum accipit complementum ab intellectu, neque aliquod ens rationis includit in ſua ratione formali, ſed purè realis eſt.* Ita Caiet. 1. p. q. 10. art. 1. & colligitur efficaciter ex doctrina D. Thom. in eodem art. ad 1. vbi cum in argumento obieciſſet æternitatem dici à Boetio interminabilem, quod videtur importare negationem, his verbis reſpondet: *Simplicia conſueuerunt per negationem definiri, ſicut punctus eſt, cuius pars non eſt; quod non ideò eſt, quod negatio ſit de eſſentia eorum, ſed quia intellectus noſter, qui primò apprehendit compoſita, in cognitionem ſimplicium peruenire non poteſt, niſi per remotionem compoſitionis.* Quibus expreſsè imprimis docet negationem, vt eſt ens rationis non pertinere ad rationem æternitatis, etiam vt à Boetio definita, ſed neque vt à nobis concipitur, qui licet non poſſimus ſimplicia cognoſcere, niſi per remotionem compoſitionis, ſicut nec incorporea, niſi per remotionem corporis; non ideò concipimus earum negatione; ſed per viam negationis, aut remotionis deuenimus in poſitiuum,

ac proprium conceptum eorum. Et proprius conceptus, quem de æternitate per viam negationis formamus (inquit D. Tho.) eſt, quod ſit duratio vniformis diuini *eſſe* ſemper exiſtens, & ſemper perſeuerans. In quo conceptu patet nullum reſpectum rationis includi, nihil ab intellectu dependens, ſed totum eſſe reale, & totum poſitiuum, vt bene Caiet. quamuis imperfectè à nobis cognitum per remotionem principij, & finis, & aliarum imperfectionum, quæ in cæteris durationibus includuntur, Et probatur hac ratione: quia vniformitas, vt etymologia ipſius nominis oſtendit, non eſt aliud quàm vnitas in forma, vnitas verò in forma durationis realis, poſitiua quoque & realis eſt; ergo quidquid æternitas dicit, quidquid à nobis de ea cognoſcitur ſub hoc nomine, poſitiuum, & reale eſt, nullum ens rationis includens.

Quod vt meliùs intelligatur, in memoria reuocandum eſt, id, quod alibi ex ſententia D. Th. & Caietani in opuſ. de ente, & eſſentia attulimus. Videlicet ad eſſentiam cuiuſlibet naturæ non ſolum pertinere eſſentialia prædicata poſitiua eius, ſed etiam negationes aliarum, vt ad eſſentiam hominis non eſſe equum, non eſſe leonem, negationes quidem reales, & fundamẽtales, non formales, quas intellectus fabricatur in propoſitionibus, quare nec dependentes ab operatione intellectus, ſed ante illam conuenientes eiſdem naturis, quia ſi ab intellectu actu cognoſcente dependerent, vel formales negationes eſſent, non daretur eſſentia vllius rei ante operationem intellectus; ſed ab ea dependerent omnes, quod patet eſſe falſum. Vnde ſequitur ad eſſentiam Dei pertinere negationem creaturarum, & omnium imperfectionum earum, quia eo ipſo, quòd *eſſe* diuinum eſt à ſe, non eſt ab alio, nec dependet ab alio, & verè eſt non creatum, & non factum, & eo ipſo, quòd eſt infinitum, non eſt limitatum, & negationes iſtæ reales ſunt, & fundamentales, non entia rationis, nec ab intellectu vllo modo dependent. Et ita ſe habent in æternitate negatio principij, & finis, negatio etiam menſuræ, vel menſurabilitatis ab alia quacunque duratione; negatio diuiſionis, & ſucceſſionis: quare nec ſunt reſpectus rationis, nec formales negationes factæ ab intellectu; ſed ante operationem eius æternitati conueniunt, & in rationibus poſitiuis eius fundantur noſtro modo intelligendi, quæ eo ipſo, quod eſt vniformis & perpetua duratio diuini eſſe, nec principium, nec finem habet, nec ab alio menſurari poteſt. 80

Et in hoc videntur decipi oppoſitæ opiniones, quod putant has negationes principij, & finis, aut menſurabilitatis 81

forma

formales eſſe, & ideò entia rationis. Ratio autem menſuræ actiuæ, quam Ferrar. attribuit æternitati, reſpectu diuini eſſe, non eſt ei eſſentialis, ſicut nec eſſentialis eſt ratio menſuræ cæteris durationibus, vt ſuperiùs vidimus, immò nec poteſt realiter conuenire æternitati talis ratio menſuræ, quia vnum eſſe menſuram alterius præſupponit diſtinctionem ex natura rei inter illa, ſed æternitas non diſtinguitur ex natura rei ab eſſe diuino; ergo non eſt menſura realis eius, quare falſum eſt, quod propter hanc rationem menſuræ aliquis reſpectus rationis pertineat ad formalem rationem æternitatis. Nos verò æternitatem diſtinguentes à diuino eſſe intelligimus eam tanquam menſuram eius, & adhuc hoc modo à nobis concepta æternitas, non includit reſpectum rationis in ſua ratione formali, ſed ſolum præſupponit diſtinctionem rationis à nobis factam, quo eſt præſupponere relationem rationis, non includere. Et ex hac doctrina intelligitur veritas vtriuſque concluſionis noſtræ, & explicantur fundamenta aliarum opinionum.

De æternitate participata.

82 AEternitas participata duobus modis accipitur. Primò, vniuerſaliter pro qualibet duratione permanenti, atque perpetua, non à ſe, ſed dependenter à primo agente. In qua ſignificatione comprehendit æuum, quod ex propria natura perpetuitatem poſtulat à parte poſt, & valdè probabile eſt poſſe eam habere à parte ante, ſed dependentem ſemper à primo agente, à quo ſicut poteſt annihilari Angelus, ita poteſt habere finem duratio eius, & hoc modo accepit æternitatem participatam D. Auguſt. libro 83. qq. quæſt. 13. eam tribuens animæ rationali. Secundò accipitur ſpecialiùs pro duratione operationis ſua natura perpetuæ, nullámque ſucceſſionem, aut variationem admittentis, qualis eſt clara viſio Dei, in qua conſiſtit eſſentialis beatitudo creaturarum, & quales ſunt dilectio, fruitio atque delectatio, eam conſequentes, & hæc eſt propria acceptio eius, in qua eam ſumpſit D. Thom. 1. part. q. 10. art. 5. ad 1. & à tempore, æuo, cæteriſque durationibus ſeparauit, & hoc nomine ſpeciali ſignificandá eſſe docuit; quia licet æuum quodcunque poſſit vocari æternitas participata; ſed ex accommodatione ſcholaſtici vſus factum eſt, vt quaſi per Antonomaſiam ſola hæc duratio nomine æternitatis participatæ gaudeat.

Scotus tamen in 2. diſt. 49. quæſt. 6. non admittit hanc diſtinctionem, ſed eam cum æuo confundit, & ita aſſerit, quod

ſicut æuum eſt menſura Angelorum, & corporum cœleſtium, ita etiam eſt menſura beatitudinis creatæ, nec eſſe neceſſarium multiplicare aliam durationem pro ea. Probat, quia ſicut eſſe Angelicum ex parte finis poſtulat perpetuitatem, & ex parte principij non repugnat eam haberet, ſed dependentem ſemper à primo agente, eodem modo ſe habet clara viſio beatorum; ergo correſpondet eis perpetua duratio participata, quæ ſicut vocatur æuum, poteſt vocari æternitas participata, non eſt ergo neceſſaria alia duratio præter æuum pro formali beatitudine; neque aliam durationem ſignificat æternitas participata diſtinctam ab æuo; ſed idemmet æuum vtroque nomine inſignitur.

Noſtra tamen ſententia eſt *æternitatem participatam conuenire in genere cum æuo, & diſtingui ab eo ſpecie*, vt ſentit D. Thom. quod hac ratione probatur. Æuum eſt duratio naturalis, atque etiam duratio ſubſtantiæ, ſed duratio claræ viſionis Dei eſt ſupernaturalis, & non eſt duratio ſubſtantiæ; ſed operationis ſupernaturalis; & naturale, & ſupernaturale non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei: cum nec eiuſdem ordinis, ſed diuerſi ſint; ergo æternitas participata ſpecie ab æuo diſtinguitur. Conueniunt igitur in genere; quia vtraque eſt duratio indiuiſibilis, tota ſimul, & perpetua dependenter à primo agente; ſed diſtinguuntur ſpecie, quia æuum eſt duratio naturalis ſubſtantiæ, & æternitas participata eſt duratio ſupernaturalis operationis. 83

Ad argumentum Scoti diſtinguendum eſt conſequens, quod tam Angelis, quàm creatæ beatitudini correſpondeat perpetua duratio participata; nam correſpondet eis duratio perpetua participata eiuſdem rationis genericæ non ſpecificæ: quia duratio beatitudinis eſt ſupernaturalis, & operationi propria, æuum verò eſt duratio naturalis ſubſtantiæ, iſtæ autem ſunt rationes formales, atque eſſentiales diuerſæ, & ideò diſtinguunt diuerſas durationes ſecundum ſpeciem, non eſt ergo ſuperfluum multiplicare æternitatem participatam præter æuum; ſed omninò neceſſarium; nam cum æuum ſit duratio naturalis, non poteſt conuenire beatitudini creatæ, quæ eſt operatio ſupernaturalis ex propria ratione, & eſſentia.

An detur tempus diſcretum, & quid ſit.

CVM tempus definitum ab Ariſtotele ſit de genere continuorum, repugnantiam videtur continere, quòd detur tempus 84

tempus diſcretum. Et ita eſt, ſi de tempore Phyſico, quod eſt duratio motus Phyſici, loquamur: nã cum motus ſit ex propria natura continuus, & repugnet dari motum diſcretũ, neceſſe eſt tempus, quod eſt duratio eius eſſe continuũ, & diſcretum eſſe non poteſt. Sed præter tempus Phyſicũ aliud inuenerunt Doctores Scholaſtici, præſertim D. Th. qui videtur fuiſſe primus inuentor eius 1. part. qu. 10. art. 5. ad 1. & q. 56. art. 3. à quo illud acceperunt poſteriores ſcholaſtici: vt Henric. quodlib. 12. q. 8. & Thomiſtæ omnes in eiſdẽ locis, quod diſcretum appellarũt, quia cõponitur ex diuerſis morulis, ſiue momentis correſpondentibus diuerſis operationibus Angelorũ, intellectus quidem, & voluntatis: cum alias nõ habeant, præter iſtas. Plures itaque operationes angelicæ vel animæ noſtræ rationalis ſibi ſuccedentes vnum tempus diſcretũ vocant, ſicut plures vnitates ſibi ſuccedentes vocantur numerus, & partes huius temporis ſunt operationes ipſæ in ſe quidẽ indiuiſibiles, ſed conſtituentes vnum quoddam diſcretũ ac diuiſibile, eo modo, quo vnitates conſtituunt numerũ & quælibet morula, quæ eſt duratio vnius operationis, vocatur inſtans temporis Angelici, diuerſum ab inſtanti temporis noſtri, in eo, quòd inſtans noſtri temporis ſtatim euaneſcit, ſed inſtãs Angelicum poteſt permanere: quia operatio Angeli poteſt ab eo continuari, & coexiſtere tempori noſtro: vt ſi Angelus, vel anima per quartam horæ partem perſeueret in eadem cognitione, vel volitione, inſtans quod eſt duratio eius, erit quidem indiuiſibile; ſed coexiſtet quartæ parti horæ. Hoc denique tempus eſt propria duratio operationum Angelicarum, quæ cum non permaneant, ſed variationem ex propria natura patiantur, non poſſunt pro duratione propria habere æuum, ideò alia debet eis aſſignari iuxta modum ſuæ naturæ ſucceſſioni noſtri temporis correſpondens, aut coexiſtens, per quam cognoſcere poſſumus, quantum durauerit Angelus, vel anima in ſua operatione, vna vel pluribus, ſi nobis ſit manifeſtum eam, vel eas habuiſſe. Valde etiam neceſſarium eſt hoc tempus Angelicum in ſchola ad explicandam & intellegendam naturam Angelici motus: nam cùm Angelus moueatur, non ſolùm motu continuo, ſed diſcreto, diſcretam quoque durationem ponere oportet ei proportionatam, per quam ratio eius ſatis difficilis à Theologis explicanda eiſque relinquenda intelligi poſſit, & hæc de quarto libro.

vt album dicitur moueri per accidens motu locali, quia albedo coniungitur accidentaliter corpori, quod per ſe mouetur. Secundum partem verò moueri dicitur illud, cuius aliqua pars mouerur, vt homo dicitur ſanari, quia oculus, aut manus eius ſanatur. Et tandem per ſe primò mouetur illud, cui per ſe ac primò conuenit motus, vt totum corpus mouetur per ſe localiter, hoc eſt, non per accidens, quia non ratione accidentis, ſed ratione ſui, & per ſe primò; quia non ſecundum partem, nam quod mouetur ſecundum partem, per ſe mouetur non primò, quia motus non conuenit primò parti, licet conueniat per ſe, ſed toti, ideò totum eſt, quod per ſe primò mouetur. Secunda diuiſio motus eſt ex parte mouentis eiuſdem rationis ac prima, nam mouens vnum eſt, quod mouet per accidens, nempe quod accidentaliter coniungitur mouenti per ſe, vt muſicus ædificat per accidens. Aliud eſt mouens ſecundum partem, vt homo dicitur percutere; quia manus eius percutit. Et tandem aliud mouet per ſe primò, nempè totum, quod non ratione accidentis, nec ratione partis, ſed ratione
a ſui mouet, vt ædificator dicitur per ſe primò ædificare. Tertia diuiſio motus eſt ex parte termini. Et vt intelligatur notat Ariſtoteles quinque reperiri in motu, videlicet Mouens, à quo procedit, Mobile, in quo recipitur, Tempus in quo fit, & duo termini, à quo incipit, & in quem tendit. Mobile autem diſtinguitur ab vtroque termino, quia mobile eſt id, quod mouetur, ſed nec mouetur terminus à quo, nec terminus ad quem; vt motu calefactionis non mouetur frigiditas, quæ eſt terminus à quo, neque calor, qui eſt terminus ad quem, ſed corpus ab vtroque diuerſum; ergo neutrum eſt mobile, ſed hoc ab vtroque diſtinguitur. Terminus etiam à quo, & ad quem diſtinguuntur inter ſe; quia terminus à quo, eſt, à quo mobile diſcedit, terminus, ad quem, eſt quaſi finis, in quem tendit, ideò ab hoc ſuſcipit denominationem motus, non ab illo: non enim denominatur calefactio à frigiditate, à qua diſcedit aqua, ſed à calore, in quem tendit. Hoc ſuppoſito, diuidit tertiò motum ex parte formæ, hoc eſt. ex parte termini in quem tendit; nam alius eſt terminus ad quem per accidens, qui coniungitur accidentaliter termino ad quem per ſe, vt viſum eſſe, eſt terminus per accidens dealbationis, quia viſum eſſe coniungitur per accidens albedini. Alius eſt terminus ad quem, ſecundum partem, vt tendere in Europam dicitur, qui in Hiſpaniam tendit; quia pars quædam Europæ eſt. Alius denique eſt terminus ad quem per ſe primò, & dicitur ille, quem per ſe, & adæquatè acquirit mobile per motũ: vt albedo eſt terminus

trarii aliquo modo ſint,& iſte modus conſtituit mutationem, quæ verè motus eſt, procedens ab vno contrario poſitiuo ad aliud contrarium poſitiuum, vt ab albo in nigrum, & diuiditur in tres ſpecies ſecundum tria prædicamenta, quæ apta ſūt terminare motum, nempe in Quantitatem, Qualitatem,& vbi, nam ſubſtantia, ad aliquid, agere & pati inepta ſunt ad terminandum motum.

CAPVT II.

TEXT. ARISTOTELIS.

Secundum ſubſtantiam autem non eſt motus, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

4 AD finem capitis præcedentis diuiſit Ariſtot. motum in tres ſpecies, ſecundum tres terminos ad quos poteſt terminari; nam ab his ſumit denominationem, & ſpeciem motus, & ideò per hos debuerunt diſtingui ſpecies eius. Capite autem præſenti intendit probare hanc concluſionem, quòd tres tantùm ſint ſpecies motus, ſed quia excluſiua propoſitio eſt, duas includit virtualiter, nempe, quòd tres ſint ſpecies motus, & quòd non ſint aliæ,& vtramque intendit probare: & hæc ſecunda probanda eſſet diſcurrendo per omnes formas, quod difficillimum foret,& ideò prædicamentis vtitur Ariſtoteles, quæ ſunt quaſi quædam capita, ad quæ reducuntur omnes formæ, & ideò vtramque propotionem (miro quodam, atque ſcientifico artificio vſus) quaſi per capita probat. Secundam quidem oſtendens quòd ad reliqua prædicamenta præter tria non terminetur per ſe motus. Deinde primam, quòd ad tria illa terminetur per ſe, & vtroque probato, vtraque propoſitio,& tota ipſa excluſiua ſufficienter probata erit. Diuiditur autem caput in duas partes. In prima probat, quod ad reliqua prædicamenta, præter tria non terminetur motus per ſe. In ſecunda quod terminetur per ſe ad illa tria.

5 Probat igitur primò, quod ad ſeptem prædicamenta, quæ præter Quantitatem, Qualitatem,& vbi numerantur, non terminetur motus per ſe. Et primò, quod non ad ſubſtantiam, hac ratione. Motus, vt ca. præcedenti dictum eſt, inter contraria debet verſari, ſed ſubſtantia caret contrario; ergo in ſubſtantia repugnat eſſe motum. Probat ſecundò de Relatione; quia motus eſt quædam mutatio; ergo motus per ſe eſt mutatio

per ſe, forma igitur per ſe terminans motum per ſe, debet mutare ſubiectum per ſe, quòd ad eam acquirendam mouetur; ſed relatio acquiritur aliquando à ſubiecto prorſus immutato; ergo ad illam non terminabitur mutatio per ſe, nec motus per ſe. Probatur minor, quia ſi Compluti ſit vnum album, & aliud fiat Romæ, conſurgit in vtroque relatio ſimilitudinis, ſed album Compluti exiſtens prorſus eſt immutatum, cum nihil circa illud ſit factum, & acquiſiuit relationem; ergo ſine vlla mutatione ſubiecti acquiritur. Vt probet de actione, & paſsione: ſimul probat de motu vtramque includente; quia ad mutationem, vel motum dari mutationem dupliciter intelligi poteſt; primò, ita vt vna mutatio ſit ſubiectum, quod mutetur ad aliam mutationem acquirendam, & hoc eſt impoſſibile; quia cũ motus ſit actus mobilis; ipſe potiùs motus eſt in ſubiecto, quàm ſubiectum ſit alterius motus. Secundò poteſt intelligi, ita vt mutatio ſit terminus, ad quem acquirendum per ſe moueatur aliquid, quod etiam eſt impoſſibile: nam ex eo ſequeretur idem ſubiectum ſimul moueri motibus contrariis; ergo impoſsibile eſt ad vnum motum per ſe terminari alterum. Probat conſequentiam, quia cum motus ſit inter contrarios terminos, vt ſanatio inter ægritudinem, & ſanitatem, & ægrotatio inter ſanitatem, & ægritudinem; ſi aliquid mouetur ab vna mutatione in alteram; & mouebitur etiam à terminis vnius ad terminos alterius, qui cum ſint contrarij, ſimul mouebitur, & erit ſub contrariis terminis, quòd patet eſſe impoſſibile. De aliis tribus prædicamentis non probat in particulari, quia cum quoſdam reſpectus includant, probato de relatione, quod non terminet motum per ſe, cẽſetur probatum de illis. In ſecunda parte capitis probat, quod ad tria prædicamenta reliqua, nempe ad Quantitatem, Qualitatẽ, & Vbi, per ſe terminetur motus, hac ratione: Motus verſatur per ſe inter contraria, ſed in his tribus eſt ſufficiens contrarietas ad terminandum motum; ergo per ſe terminant motum. Minorem probat, quia in qualitatibus reperitur non ſolum vera, ſed ſtricta contrarietas, in Vbi, verò reperitur ſufficiens, cum dentur Vbi extrema, maximeque diſtantia, vt vbi ſurſum, & deorſum, & in quantitate etiam, in qua dantur maxima, & minima quantitas, quæ ſunt extrema viuentis corporis maximè diſtantia in ſuo genere, & ordine. 6

QVÆST.

QVÆSTIO VNICA.

An tria tantùm prædicamenta, quantitatis, qualitatis, & vbi, terminetur motus per ſe.

7 PRopoſitio hæc, ad tria tantum prædicamenta per ſe terminatur motus, excluſiua eſt, & ideò duas exponentes includit, primam, quòd ad tria prædicamenta terminetur motus per ſe. Secundam, quòd ad cætera per ſe non terminetur. Et vtraque examinanda eſt, vt veritas eius intelligatur. Quare in hac quæſtione agitanda hoc ordine procedemus, vt prius de tribus prædicamentis ſigillatim diſputemus, an quodlibet terminet motum per ſe, deinde de reliquis, an poſſint terminare motum, & ideo in duplicem partem diuidenda erit quæſtio. Sed vt vtraque pars intelligatur, notandum eſt, tribus modis accipi motum. Primò vt vniuerſaliter pro qualibet actione, vel re altera recepta in ſubiecto; ratione cuius receptionis dicitur aliter ſe habere, nunc, & prius, qua acceptione mutationis, vel motus vſus eſt Ariſtoteles 2. libro Phyſicorum, cap. 1. & 11. lib. Metaphyſicæ ſumma 4. ca. 1. de motu: quibus locis habetur vniuerſalis illa propoſitio, Tot ſunt ſpecies mutationis, quot entis. Et in hac acceptione certũ eſt ad omnia prædicamenta per ſe terminari motum; quia eo ipſo, quod ad nouum prædicamentum incipit pertinere res aliqua; aliter ſe habet nunc, ac prius. Secunda acceptio motus minus vniuerſalis, atque minùs impropria eſt pro quacunque mutatione, per quam tendit ſubiectum ad aliquid ſpeciale acquirendum, & à qua propriè dicitur mutari: & in hac acceptione ſumpſit motũ Ariſtoteles 3. lib. Phyſ. in principio, eumque definiuit, quid ſit, *Actus entis in potentia ſecundum quod in potentia*, atque etiam, *actus mobilis prout mobile eſt*. Tertia acceptio eſt proprijſſima pro mutatione per ſe ſucceſſiua in qua accepit Ariſtoteles motum in his duobus capitibus, dum docuit ad tria tantum prædicamenta terminari motum per ſe, & in eadem accipimus eum nos in præſenti quæſtione.

An quantitas terminet per ſe motum.

8 MOtus, qui per ſe poteſt terminari ad quantitatem, eſt augmentatio, quæ ſimul fit cum nutritione, de qua ex profeſſo agit Ariſtoteles primo libro de generatione cap. 5. & cum eo omnes interpretes, & ideò ſpecialis diſputatio de modo, quo fit, an in inſtanti, vel in tempore, an per acquiſitionem nouæ quantitatis, vel per vnionem antiquæ, quam materia alimenti

menti ſecum adducit, cum quantitate viuentis, in illum locum tanquam in proprium referenda eſt; & in præſenti ſolum vniuerſaliter diſputandum, an quantitas terminet per ſe motum augmentationis.

8 Et prima opinio negat quantitatem per ſe terminare motū, & ideò aſſerit duas tantum ſpecies motus dari, nempè alterationem, & lationem, ſeu motum localem. Ita Galenus 1. Methodi cap. 6. & cum eo Valleſius controuerſia 29. ad Tyrones, qui ſequuntur in hac re Platonem in dialogo Eutiſipho: atque etiam in Theæteto duas tantum ſpecies prædictas motus ponentem. Probant primò, quia poſitis alterationibus, & tranſmutationibus circa alimentum factis, ſequitur neceſſariò quantitas, etiam ſublata quacunque alia mutatione, vel motu; imò etiam ſi Deus abſtrahat ſuum concurſum ad quemuis alium motum poſita conuerſione ſubſtantiali alimenti in ſubſtantiam aliti, viuens fit maius; ergo non datur per ſe motus ad quantitatem præter alterationes, & generationem partialis ſubſtantiæ, ſed ſine noua mutatione, vel motu ſequitur maior quantitas; ſicut in prima generatione viuentis conſequitur quantitas productionem ſubſtantiæ; & ideò non datur alia mutatio per ſe terminata ad illa. Secundò, ſi augmentatio eſſet motus per ſe ad maiorem quantitatem, etiam diminutio eſſet motus per ſe ad minorem; ſed hæc non eſt motus per ſe ad minorem; ergo neque illa ad maiorem. Probatur minor; quia diminutio corruptio quædam eſt terminata per ſe ad non eſſe alicuius partis quantitatis, quæ deperditur; ergo non eſt ad terminum poſitiuum, ſed negatiuum, & ideò non poteſt eſſe motus.

9 Secunda ſententia eſt Ariſtotelis in hoc ſecundo capite, & vbicunque de ſpeciebus motus loquitur, & omnium expoſitorum eius præter citatos pro ſententia oppoſita, hoc præſertim cap. & 1. libr. de generatione, capit. 5. & ideò non opus eſt aliquem in particulari referre: eandem etiam nos tanquam veram ſequimur. Sed vt eam explicemus, & probemus ſimul, notandum eſt, quòd licet plures, atque diuerſæ conditiones ponantur à diuerſis, tanquam neceſſariæ, vt aliquid terminet motum per ſe, duas ſolùm tanquam neceſſarias ponendas eſſe arbitramur; quæ eſt natura motus accipiuntur: nam motus duo habet. Primum, quòd inter contraria verſetur: Secundum, quòd ſit ſucceſsiuus; ideò duas debet habere conditiones res illa, ad quam per ſe terminatur motus: prima eſt contrarietas; ſecunda latitudo aliqua ſucceſſiuè tranſeunda; vel percurrenda per motum: ita vt non conſiſtat in indiuiſibili, ſed

ſed latitudinem extenſionis, & intenſionis habeat, nam ſi in indiuiſibili conſiſtat, non poterit, niſi in momento acquiri. Gratia exempli, calor habet imprimis contrarietatem cum frigore, deinde habet latitudinem gradualem intenſionis: cum modo ſit intenſus, deinde remiſſus: & ita poteſt per ſe terminare motum alterationis. Et ſi vtramque conditionem ad vnam reducere volumus, dicemus, rem illam poſſe terminare motum per ſe, quæ habuerit latitudinem gradualem; non niſi ſucceſſiuè percurrendam, vel tranſeundam. Sed contrarietas non ſtrictè ſumitur, ſed pro quacunque incompoſſibilitate terminorum cum latitudine explicata; nam inter terminos intenſionis, qui ſunt calor intenſus, & remiſſus, non datur alia contrarietas præter incompoſſibilitatem; quia repugnat calorem ſimul eſſe intenſum, & remiſſum in eodem ſubiecto; contrarietas ergo ita accepta cum latitudine ſucceſſiuè percurrenda ſufficit, vt aliquid poſsit per ſe terminare motum, vt ex terminis intenſionis, quæ verus motus eſt, euidenter probatur.

10 Ex hac igitur doctrina, non ſolùm vera, ſed neceſſaria, & quam autores primæ opinionis recipiunt, deducitur hoc argumentum ad probandam communem ſententiam Ariſtotelis, quam ſequimur. Nam illud poteſt per ſe terminare motum, quod ex propria natura habet latitudinem contrarietatis, non ſimul, ſed ſucceſsiuè percurrendam; ſed quantitas eam habet; ergo per ſe poteſt terminare motum augmentationis, qui pro ea acquirenda neceſſariò ponendus erit. Probatur minor, quia inter minorem, & maiorē quantitatem datur contrarietas pro incompoſsibilitate: cum euidens ſit, non poſſe corpus naturaliter habere quātitatem quatuor palmorū tantùm, & ſimul quantitatem quinque palmorum; nec poſtquam habet illam, poteſt in momento peruenire ad hanc, ſed ſucceſſiuè, ſicut ſucceſsiuè conuerti debet alimentum in ſubſtantiam aliti, & produci partialem ſubſtantiam, & cum ea partialis quantitas, quæ coniuncta præexiſtenti eam efficiat maiorem: ergo non poteſt quantitas à viuenti acquiri, niſi ſucceſsiuè, & cum ſit diſtincta à ſubſtantia, quæ acquiritur per diſtinctam mutationem ex propria natura ſucceſsiuam, hoc erit per ſe acquiri per motum.

11 Et ſi dicatur, non acquiri maiorem quantitatem ſucceſsiuè, niſi ratione partialis ſubſtantiæ, quæ adhuc non acquiritur per ſe ſucceſsiuè: cum ſubſtantia careat latitudine, & in indiuiſibili conſiſtat; ſed per accidens ratione alterationum ſucceſsiuarum præcedentium circa alimentum. Vnde nec per ſe terminabit mutationem ſucceſsiuam; ſed omninò per accidens. Reſpondeo, ſubſtantiam partialem, per accidens acquiri ſucceſsiuè;

ceſſiuè; diſtinguendum eſſe; nam ſi ſenſus ſit, non acquiri ſucceſſiuè ratione latitudinis, quam in ſe habeat ſucceſſiuè percurrenda, verum eſt, non enim petit ipſa ex propria natura acquiri ſucceſſiuè, ſed ratione alterationis præcedentis, per quam diſponitur per partes alimentum, & per partes etiam conuertitur: alterationem verò ſucceſſiuam non præſupponit per accidens, ſed per ſe, & ideò per ſe acquiritur per mutationem ſucceſſiuam; quantitas verò non ſolùm, quia acquiritur ſimul cum partiali ſubſtantia ſucceſsiuè acquiſita; ſed quia ſucceſsiuè acquiri conſonum eſt latitudini contrarietatis: quam ex ſe habere probauimus, ſufficientem terminare motum.

Ad primum autem argumentum oppoſitæ opinionis concedenda eſt prima pars antecedentis; quòd poſita conuerſione alimenti in ſubſtantiam aliti, naturaliter ſequatur acquiſitio quantitatis: ſed neganda eſt ſecunda pars eiuſdem, quòd ſine nouo motu, vel mutatione, quæ ita neceſſaria eſt pro acquiſitione eius, vt repugnet, Deum ſuſpendere ſuum concurſum ad nouam mutationem, & illum tribuere ad acquirendam maiorem quantitatem modo naturali; quia ipſamet acquiſitio quantitatis, ſi naturaliter fiat, motus augmentationis eſt. In prima autem generatione non petit quantitas ſucceſsiuè fieri, & ideò nec per motum, vel mutationem, quia non datur ſubiectum præcedens, quod mutari poſsit; ſicut datur in nutritione. An verò per diſtinctam actionem à generatione tunc fiat, ſuo loco diſputatur. 11

Ad ſecundum argumentum de diminutione, reſpondent quidam concedendo, quòd diminutio non terminetur ad minorem quantitatem; ſed ad non eſſe partialis quantitatis, & ideò non eſſe motum ſed mutationem negatiuam, quæ vocatur corruptio. Ego verò cum Ariſtotele, qui eam pro motu poſuit, vbicunque de ea loquitur, *teneo verum eſſe motum, quod videtur mihi euidens, ſi intelligatur, quo modo fiat.* Tunc enim diminuitur viuens, quando minorem partem alimenti conuertit, quàm fuit ſubſtantia deperdita per continuam actionem caloris naturalis. Et ex conſequenti minorem partem quantitatis acquirat, ea, quam ſimul cum ſubſtantia perdidit; ſed talis acquiſitio minoris quantitatis eſt mutatio poſitiua, & per ſe ſucceſsiua, & non corruptio; ergo eſt verus motus, ſed diminutio vocatur reſpectiuè comparata cum quãtitate, quam habebat antea viuens, ſicut etiam acquiſitio maioris quantitatis reſpectiuè vocatur augmentatio, vt per ſe eſt manifeſtum. Ad formam igitur argumenti neganda eſt minor, quod diminutio non ſit poſitiua mutatio; ſed negatiua, nempè corruptio; nam

nam cum per illum motum acquiratur quantitas, licèt reſpectu deperditæ ſit minor, & ideò dicatur diminutio talis acquiſitio, poſitiua tamen eſt, & verus motus.

An detur per ſe motus ad qualitatem.

13 CErtum eſt apud omnes, qualitatem per ſe terminare motum; quod fatentur etiam omnes illi, qui negant ad quantitatem per ſe terminari. Et ratio huius eſt efficax; nam qualitas habet vtramque conditionem requiſitam ad terminandum per ſe motum, perfectiùs quàm cætera prædicamenta, habet enim perfectam contrarietatem in primis qualitatibus per ſe primò repertam; habet etiam latitudinem gradualem cum eadem contrarietate circa ſubiectum, in quo non poteſt introduci ſine expulſione contrarij; & ideò naturaliter ſaltem eſt impoſsibile in inſtanti introduci; quia nec poteſt naturaliter ſimul expelli contrarium; ſed paulatim, & per gradus, & ideò ſucceſſiuè; quare ex propria natura petit qualitas ſucceſſiuè produci, & per motum. Sed habet qualitas intenſionem, & extenſionem: & intenſio eius eſt perfici ſecundum diuerſos gradus in eadem parte ſubiecti, vt dum idem calor, qui priùs erat in manu, vt vnum, fit in eadem manu, vt duo intendi dicimus. Extendi verò, dum in diuerſis partibus ſubiecti producitur, vt ſi ſit in ſola manu, & poſtmodum producatur in brachio: extendi dicimus. Et de intenſione nemo dubitat, quin ſit per ſe motus in qualitate, quod Ariſtoteles in fine ſecundi capitis expreſsè docuit: & probat hæc ratio; quia licèt intenſio non verſetur formaliter inter frigus & calorem, ſed inter calorem perfectum, & imperfectum, & ideò non videatur verſari inter contraria, virtualiter tamen inter contraria caloris, & frigoris verſatur; quia ſicut acquiſitio caloris eſt receſſus à frigore; ita perfici calorem per intenſionem eſt magis recedere à frigore, quare ad eandem contrarietatem virtualiter pertinent extrema intenſionis.

Solùm poteſt eſſe dubium de extenſione propter duo. Primum, quia qualitas non videtur extendi per ſe ad diuerſas partes ſubiecti, ſed per accidens ratione quantitatis, à qua habet ſubiectum diſtinctionem, & extenſionem partium; ergo extenſio qualitatis non erit per ſe motus, ſed per accidens. Secundum, quia inter terminos extenſionis, nec eſt formalis, nec virtualis contrarietas, ex eo enim, quod calor ſe extendat ad nouam partem ſubiecti, non magis recedit à frigore, cum non

pro

producatur neceſſariò in perfectiori gradu ex vi extenſionis, ſed poſſit produci in eodem : quare ſolùm dicetur recedere ab eo ſecundum plures partes ſubiecti, quod non pertinet ad contrarietatem, ſed ad extenſionem quantitatiuam.

Propter hæc argumenta fuit opinio aliquorum, negantium extenſionem eſſe per ſe motum ad qualitates, ſed per accidens omnino extendi, & ideò extenſionem non eſſe motum per ſe diſtinctum à cæteris.

Tenendum tamen eſt, verum motum eſſe, per ſe terminatum ad qualitatem, quod hac ratione (niſi ego fallor) euidenter probatur: nam dum calor primò producitur in aqua, per veram alterationem verumque motum producitur; vt etiam fatentur, qui de extenſione id negant; ſed dum extenditur ad nouas partes, de nouo producitur in eis, ſicut de nouo fuit productus in prioribus; & ita de nouo producitur, vt etiam ſi in prioribus non eſſet productus, produceretur in poſterioribus, quantum eſt ex parte agentis, & actionis, per quam producitur; ſed in prima productione conſtat productum fuiſſe per motum per ſe; ergo non eſt minus certum extendi ad nouas partes per verum motum per ſe ad eandem qualitatem terminatum. Secundò, quia prima productio ſimul fuit extenſio eiuſdem caloris: cum conſtet non fuiſſe productum ſimul in omnibus partibus, ſed prius in vna, deinde in cæteris, & adhuc prius in medietate eius proximiori agenti, deinde in alia medietate minus proxima: ſed prima extenſio fuit verus motus, ergo etiam ſequentes.

Ad argumenta verò reſpondeo, extenſionem qualitatis ad 15 diuerſas partes ſubiecti ex natura & virtute eiuſdem qualitatis prouenire tanquam à cauſa per ſe: quantitatem verò ſolùm eſſe conditionem neceſſariò præſuppoſitam, ſine qua non poſſet fieri talis extenſio. Et ratio vtriuſque eſt, quia qualitas corporea ex propria natura eſt informatiua ſubiecti extenſi, & omnium partium eius; ergo quod in eo produci poſſit, & in omnibus partibus ex propria natura habet; & ideò extenſio eius ad nouas partes ex virtute eius procedit, non minus, quàm prima productio, ſed ad vtramque præſupponitur neceſſariò ſubiectum extenſum per quantitatem, tanquam conditio neceſſaria, ſine qua non poterit inhærere ſubiecto; nec de potentia eius educi qualitas, & ideò nec produci in eo, nec extendi: hoc tamen non tollit, quin motus extenſionis eiuſdem qualitatis terminetur per ſe ad illam, ſicut nec tollit, quod per ſe ad eandem terminetur prima alteratio, quod ſubiectum debeat præſupponi neceſſariò per quantitatem extenſum.

Negan

Negandum eſt ergo antecedens primi argumenti, *quod qualitas non per ſe, ſed per accidens extendatur,* nam extenſio ex virtute eius procedit, & ideò per ſe cenſetur; non minus, quàm prima productio, licet quantitas ſit conditio neceſſariò præſup-poſita in ſubiecto reſpectu vtriuſque. Ad ſecundum negandum eſt etiam extenſionem qualitatis non verſari inter contraria; quia ſicut prima productio caloris à frigore procedit ad calorem; ita extenſio procedit à frigore expulſo ab illis partibus, ad calorem de nouo in eiſdem producto.

Quomodo ſit intelligendum ad vbi terminari motum per ſe.

16 NEmo dubitat de motu locali, quod per ſe terminetur ad vbi; cum vtraque conditio neceſſaria ad terminandum motum per ſe in eo reperiatur; nam imprimis extrema vbi, quæ vocantur ſurſum; & deorſum aliquo modo ſunt contraria: & ad ea reducuntur omnes motus naturales ſublunarium corporum; & ideò omnes dicuntur verſari inter contraria. Habet præterea, vbi, latitudinem extenſionis per ſpatium verum, vel imaginarium, cui corpus dicitur eſſe præſens. Vnde, & præſentia ipſa, quæ propriè vocatur, vbi, eandem habet latitudinem, non ſimul, ſed ſucceſſiuè percurrendam, & ideò per ſe poteſt terminare motum localem. Sed vbi duplex eſt, vnum circumſcriptiuum, quod eſt præſentia corporis ad locum, eidem loco commenſurata, ita vt totum corpus toti loco præſens ſit, & partes partibus: & hæc appellatur præſentia localis. Aliud eſt vbi definitum, quod eſt ſimplex præſentia corporis ad ſpatium imaginarium: vocatur autem ſimplex, hoc eſt, non localis, nihilominus diuiſibilis eſt ex parte corporis; quia totum corpus præſens eſt tanto ſpatio imaginario, & ſingulæ partes, partibus etiam ſingulis eiuſdem. Et motus localis corporum ad primũ, vbi per ſe terminatur naturaliter; quia naturaliter non poſſunt eſſe corpora, niſi in loco: nec poſſunt, niſi per locum, ſeu ſpa-
17 tium verum, à quo circunſcribantur, moueri. Et quia hoc vbi includit quodammodo locum, cui corpus præſens dicitur, & commenſuratum, ideò motus localis naturaliter terminatur ad locum, non tamen per ſe, quia per ſe ſolum acquiritur præſentia; & naturaliter præſentia localis; ſed quia præſentia localis non datur ſine loco, nec reperitur, niſi in loco, ideò quaſi ex conſequenti, & non neceſſariò dicitur mobile tendere in locum per motum; & locus ipſe terminare aliquo modo motum; & ex conſequenti acquiri per motum, nõ per ſe, nec per ſe eum terminare, ſed vbi: ſufficit autem eo modo terminari ad locum,

vt localis dicatur; propriè tamen, & per ſe potiùs debet vocari motus ad vbi, & ideò Ariſtoteles in his capitibus, ad prædicamentum, vbi, aſſeruit terminari tertiam ſpeciem motus, qui vocari ſolet localis. Et hoc efficaciùs probatur ex vbi definitiuo, quod patet reperiri in vacuo, & per ſe poſſe terminare motum per vacuum factum, de quo dixit Ariſtoteles in 4. lib. in tempore, & non in inſtanti fieri debere; concedens quod ſi vacuum eſſet poſſibile, verus motus poſſet per illud fieri; & ex conſequenti verum vbi in vacuo dari; quod per ſe terminaret motum: & ideò ſine loco daretur, & motus talis nullo modo terminaretur ad locum, & eſſet eiuſdem ſpeciei cum eo, quod per locum fit. Ex quo ſequitur euidenter, non per ſe, ſed per accidens terminari motum huius ſpeciei ad locum: per ſe verò ad ſolum vbi. De vbi verò rerum ſpiritualium ſicut nec de loco, & ex conſequenti, nec de motu, non eſt noſtrum agere, ſed Theologis relinquenda hæc ſunt.

Secunda pars quæſtionis, an ad reliqua prædicamenta terminetur motus per ſe.

PRima opinio tenet ad alia prædicamenta per ſe terminari motum, præter quantitatem, qualitatem, & vbi, ita Simplicius in Commentariis libro tertio Phyſic. vbi ad omnia prædicamenta aſſerit per ſe terminari motum. Ita etiam alij, qui ſaltem ad ſubſtantiam per ſe terminari affirmant. Et videtur ita eſſe ſentiendum; quia ſubſtantia ſemper acquiritur per mutationem ſucceſſiuam nutritionis; ſed mutatio ſucceſſiua eſt motus; ergo acquiritur ſemper per motum, imò in prima generatione ſaltem rerum non viuentium, quæ ſemper eſt ſucceſſiua apud nos, qui tenemus non poſtulare terminum paruitatis intrinſecum, ſub quo generentur. Et tandem, quia contrarietas impropria, quæ reperitur in quantitate ſufficit ad terminandum motum per ſe, ſed hæc reperitur in ſubſtantia, licet propria contrarietate careat; ergo per ſe poteſt terminare motum. Alij denique etiam ad ſitum, quia cum ſitus ſit talis diſpoſitio in loco aut in ſpatio vero, vel imaginario, repugnat corpus habere, vbi, vel illud acquirere, quin etiam habeat, aut acquirat aliquem ſitum; vel ergo vbi non terminat motum per ſe, vel illud debet per ſe terminare, ſitus. Nec minus neceſſarium apparet per ſe terminari ad relationem; quia hæc etiam acquiritur ſæpe ſucceſſiuè, nec ſine aliqua mutatione ſubiecti: cum repugnet aliquam entitatem realem nouam acquirere, quin realiter mutetur: & cum ſit entitas realis diſtincta à fundamento, per diſtinctam mutationem 18

tationem acquiri debet, ſed mutatio ſucceſſiua eſt motus; ergo per verum ac diſtinctum motum, quem per ſe terminabit.

19 *Vera tamen eſt ſententia Ariſtotelis*; quam tenent hoc loco omnes eius expoſitores, *quod nullum aliud prædicamentum, præter quantitatem, qualitatem, & vbi terminet motum per ſe*. Probatur hoc argumento: Vt aliquid terminet motum per ſe, debet etiam per ſe habere contrarietatem latitudinis ſucceſſiuè percurrenda, vt ſuperiùs probauimus; ſed nullum ex aliis prædicamentis eam habet; nam ſubſtantia conſiſtit in indiuiſibili, & ideò caret latitudine, nec habet contrarietatem poſitiuam, ſed priuatiuam tantum oppoſitionem. Relatio, nec per ſe habet contrarietatem, nec latitudinem; licet aliquid horum ei conueniat ratione fundamenti, & adhuc hoc modo non ſemper, & ideò nec vllo modo per ſe; ſed nec ſitus, quia nec latitudinem habet, nec contrarietatem per ſe: quòd verò per motum acquiratur, præcisè habet ratione, vbi. De actione verò & Paſſione euidenter probatum eſt ab Ariſtotele in textu; & de cæteris res eſt per ſe manifeſta; ergo nullum præter illa tria poteſt per ſe terminare motum.

Ad primum de nutritione reſpondeo, non eſſe ſucceſſiuam propter latitudinem, vel contrarietatem ſubſtantiæ, quam conſtat non habere poſitiuam, nec priuatiuam; quam habet, ſufficere ad terminandum motum per ſe, ſed ſolum eſt ſucceſſiua, ratione alterationum præcedentium, vt prima generatio non viuentium ſolùm eſt ſucceſſiua, propter carentiam termini intrinſeci ex parte quantitatis.

CAPVT III.

TEXT. ARISTOTELIS.

Poſt hæc autem dicamus, quid eſt ſimul, aut ſeparatim, &c.

Breuis expoſitio Textus.

10 INTENTVM Ariſtotelis in hoc capite eſt explicare hos ſex terminos, *ſimul, ſeparatim, tangere, conſequenter, contiguum, atque continuum*, & hoc facit in prima parte cap. In ſecunda verò comparat tres eorum, docétque quonam modo ſe habeant inter ſeſe, & hæc eſt diuiſio totius capitis.

Primus terminus eſt, ſimul, quem explicare intendit, non ſecundùm totam extenſionem ſuæ ſignificationis, ſed ap-

plicatum ad locum, & ſimul loco illa eſſe aſſerit, *quæ ſunt in eodem loco*, intelligitur autem non de loco communi; ſed de proprio, ac particulari, & ita ſe habebunt corpora, ſi ſe penetrent. Separatim verò oppoſitam habet ſignificationem, ita vt illa dicantur eſſe ſeparata ſecundum locum, *quæ in diuerſis locis ſunt.* Illa dicuntur ſe tangere, *Inter quæ nihil eſt medium,* medium autem dicit eſſe illud, *ad quod neceſſe eſt priùs perueniat corpus*, *quod continuè mouetur, quàm ad extremum.* Conſequenter verò ſe habent illa, *inter quæ nihil eiuſdem generis eſt medium.* Vt ſi homines, nullus homo; ſi numerus, nullus numerus: & ita conſequenter ſe habent ternarius & quaternarius, & in bello milites ordinati, etiam ſi lapis ſit inter eos medius. Contigua ſunt, *quorum vltima ſunt ſimul*, & licet videantur idem eſſe, tangere, & contiguum, adhuc diſtinguuntur ratione; quia alia ratio eſt contactus, alia ſimultatis extremorum. Continua tandem ea eſſe aſſerit, *quorum vltimũ ſunt vnum*; vt duæ partes lineæ quas coniungit idem punctum, dicuntur continuæ; quia punctum illud eſt extremum, vel vltimum vtriuſque partis, & eſt vnum, & idem.

In ſecunda parte capitis cõparat hos tres terminos, conſequenter, tangere, & continuum, & aſſerit ita ſe habere inter ſeſe, vt conſequenter ſit ſuperior aliis duobus, & tangere etiam ſit ſuperior continuo, & ideò continuum ſit inferior aliis duobus, & tangere inferior reſpectu conſequenter; nam non continua ſe tangunt, & ſe habent conſequenter, & quæ ſe tangunt, conſequenter etiam ſe habent, ſed non omnia, quæ ſe habent conſequenter, ſe tangunt, neque omnia, quæ ſe tangunt, continua ſunt.

CAPVT IIII.

TEXTVS ARIST.

Vnus autem motus dicitur multipliciter, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſt. eſt explicare in hoc capite vnitatem & diuerſitatem motus. Diuiditur autem in duas partes. In prima explicat vnitatem & diuerſitatem genericam & ſpecificam. Et in ſecunda numericam. Vnitas motus inquit triplex eſt, ſicut cæterarum rerum; generica, ſpecifica, & numerica. Illi motus dicunt eſſe vnius generis, qui tendunt in terminos eiuſdem 21

eiuſdem prædicamenti, vt omnes alterationes cenſentur eiuſdem generis;quia tendunt ad qualitates. Et motus illi diſtinguuntur genere, qui tendunt ad terminos diuerſorum prædicamentorũ, vt alterationes diſtinguuntur genere ab augmentationibus.Illi motus ſunt eiuſdem ſpeciei,qui habent terminos,ad quos eius ſpeciei atomæ, vt omnes dealbationes eiuſdem ſunt ſpeciei, quia habent pro termino ad quem albedinem, & ad hanc vnitatem ſpecificam formæ pertinere ait vnitatem ſpatij formalis,quod ſi varietur,ſpecies etiam motus variabitur;& ideò diuerſæ ſpecies ſunt motus circularis, & rectus; quia per diuerſum ſpatium formale fiunt. Motus autem,qui tendunt in terminos eiuſdem ſpeciei ſubalternæ, dicuntur quodammodo eiuſdem ſpeciei, ſed ſimpliciter ſunt ſpecie diuerſi, vt omnes alterationes, quæ ex vnitate ſpecifica ſubalternæ ſpeciei quandam vnitatem ſpecificam habent; ſimpliciter tamen diuerſæ ſpeciei cenſentur:cum ſpecies ſubalterna habeat ſub ſe plures ſpecies atomas; in quas motus illi tendunt;ſunt igitur eiuſdem ſpeciei ſecundum quid, diuerſæ verò ſpeciei ſimpliciter.

22 In ſecunda parte capitis agit de vnitate motus numerica, aſſeritque motus,qui ſunt eiuſdem generis, vel ſpeciei, habere vnitatem ſecundum quid, ſimpliciter verò diuerſos eſſe; & ſolum motum vnum numero, eſſe vnum ſimpliciter. Sumitur autem vnitas numerica motus ex tribus, nempe ex vnitate mobilis,temporis,& termini:ita, vt ſi mobile ſit vnum numero & tempus idem,hoc eſt non interruptum,& forma, ſeu terminus ad quem tendit motus,vna numero ſit, erit etiam motus vnus numero; ſi verò vnitas numerica alicuius horum defuerit, diuerſus numero cenſebitur motus. Defectu primæ conditionis,motus;quo mouentur Petrus, & Ioannes, licet ad eundem terminum moueantur, & in eodem tempore diuerſus nnmero eſt,propter diuerſitatem numericam mobilis. Defectu ſecundæ,motus quo mouetur idem Petrus ad eundem terminum diuerſis temporibus: etiam eſt diuerſus numero; licet per minimam interruptionem tempus interrumpatur. Et defectu conditionis vltimæ non eſt idem motus numero; quo Petrus mouetur ad diuerſa vbi, vel ad calorem numero diuerſum.Quod verò ex vnitate numerica horum trium deſumenda ſit vnitas numerica motus, probat hac ratione: Motus ille eſt vnus numero, qui eſt continuus, quia vnum continuum, & vnum numero in quibuſcunque rebus idem ſunt, ſed motus, in quo concurrunt tria illa ſecundum nnmericam vnitatem, non poteſt non eſſe continuus; ergo nec poteſt

non eſſe vnus numero. Probatur minor; quia ſi tria illa habeant numericam vnitatem, nihil excogitari poteſt, per quod ſoluatur vnitas numerica motus.

QVÆSTIO I.

A quonam deſumenda ſit vnitas generica & ſpecifica motus.

MOtus cum ſit incompletum quid ad prædicamentum nõ pertinens, niſi per quandam reductionem tanquam modus rei; non habet proprium genus, nec ſpeciem; ſed in ſuo ordine incompleto quodammodo dicitur habere vtrũque & eo modo, quo vnitatem genericam habet, inquirimus, à quo nam eam accipiat. Quatuor autem ſunt, à quibus excogitari poteſt eam accipere; nempe agens, & paſſum, aut mobile, terminus à quo, & ad quem, à quibus certum eſt, non ſic eam accipere, vt hæc vel aliquid horum ei ſint eſſentialia; cum conſtat extrinſeca eſſe; ſed ſolum poteſt per ordinem ad illa vnitatem genericam vel ſpecificam accipere: ita vt ordo ad vnum vel alterum ſit ei eſſentialis. Certum eſt autem, vt D. Thom. docuit q. 6. de potentia art. 8. cui aſſentiunt omnes, motum non ſumere vnitatem vel diſtinctionem genericam, aut ſpecificam ab agente, aut paſſo, ſeu mobili, cuius ratio eſt; quia licet motus non ſit entitas realis diſtincta ab actione & paſſione; ſed ſecundum formalem rationẽ motus, abſtrahit ab vtraq; & ſolùm dicit viam, aut tendentiam inter duos terminos, à quo, & ad quem, non ſignificando, quod ab agente egrediatur vel recipiatur in paſſo; ergo vnitas generica, aut ſpecifica eius, non poteſt per ordinem ad agens, vel paſſum ſumi. Solùm ergo reſtant terminus, à quo, & ad quem, à quo ſumi poſſint, & ideò ad eos reducitur quæſtio. Sed de termino ad quem conueniunt omnes opinantes, quod per ordinem ad eum ſumatur: & ratio eſt manifeſta; quia terminus, ad quem, eſt quaſi finis motus; à fine autem ſpeciem accipere mutationes, & motus, ſicut etiam actiones euidens eſt. Sed an à ſolo termino, ad quem, accipiatur. & non à termino, à quo, vel ab vtroque ſimul, in hoc poſita eſt difficultas quæſtionis. 23

Circa quam prima opinio tenet *per ordinem ad vtrumque terminum accipiendam eſſe vnitatem, ac diſtinctionem genericam & ſpecificam motus.* Ita Albert. Saxon. 5. lib. Phyſ. quæſt. 6. Aſtud. ibidem quæſt. 5. Burl. quæſt. 2. & plures Moderni. Probant teſtimonio Ariſtot. tria aſſerentis de motu cap. 1. & 4. huius lib. Primum intrinſecum ei eſſe inter contrarios terminos verſari; 24

verſari; ergo vtrumque ab intrinſeco reſpicit, & ab vtroque ſumetur vnitas ſpecifica eius. Secundum motum diſtingui à mutatione inſtantanea,qualis eſt generatio; quia ille à ſubiecto in ſubiectum procedit; hoc eſt à termino poſitiuo in terminum poſitiuum; generatio verò à non ſubiecto in ſubiectũ, id eſt, à termino in terminum poſitiuum: ſed hæc differentia ex ſolo termino ad quem deſumitur: cum terminus à quo vtriuſq; ſit poſitiuus,& eſt eſſẽtialis, generica vel ſpecifica;ergo à termino à quo etiam ſumẽda eſt diſtinctio eſſẽtialis motus à mutatione & ex conſequenti diſtinctio generica,& ſpecifica.

Tertium,motus ab albo in fuſcum,& a nigro in fuſcum eſſe contrarios, ſed contraria ſunt ſpecie diſtincta, ergo diſtinguuntur ſpecie,& ſolum differũt ex parte termini à quo,vt patet;ergo ab eo etiam deſumi debet vnitas, atq; diſtinctio ſpe-

25 cifica motus,& nõ ſolùm ex termino ad quem.Probant deinde ratione. Primò,quia motus terræ ad ſphæram aëris, & motus, eiuſdem aëris ad eandem ſphæram diſtinguuntur ſpecie; cum vnus ſit naturalis, & alter violentus,& habent eundem terminum ad quem. Præterea, motus circularis & rectus diſtinguũtur ſpecie, vt docet expreſsè Ariſt.cap.præſenti, & tamen poſſunt habere eundem terminum ad quem, vt ſi ad eundem locum in quo mouetur corpus motu circulari, tendat aliud corpus per motum rectum. Et tandem, ſi mutatio inſtantanea diſtinguitur ſpecie à motu & poſſunt tendere in eundem terminum; ergo non à ſolo termino ad quem accipit motus diſtinctionem ſpecificam. 2. motus, qui tendunt in eundem terminũ vltimatum per diuerſa media differunt ſpecie, vt motus ab albo in nigrum per fuſcum,& per cæruleum, ſed media ſe habẽt tãquam termini, à quibus reſpectu eiuſdem vltimati termini, cum verum ſi ab eis diſcedere mobile; ergo à termino à quo ſumitur etiam vnitas,vel diſtinctio ſpecifica motus.

26 Secunda opinio negat à termino a quo vllo modo ſumere motum vnitatem genericam, vel ſpecificam, ſed a ſolo termino ad quem accipiendam eſſe. Ita D. Tho.1.p.q.23 art.1.ad 3. his verbis: *Motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem, nihil enim refert, quantum ad rationem dealbationis; vtrum ille, qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus.* Ita etiam Sot.q.3.huius libr. Tolet.qu 2. Conimb.q.1. Valleſ. controuer.25.ad Tyron. Perer.libr.13.cap.8. & videtur mihi probabilior, & magis ex mente Ariſtot. Probatur hoc ſecundum,quia agens Ariſtot. de vnitate ſpecifica motus cap. præſenti, docet à termino ad quem deſumi, nulla facta mentione termini à quo, imò illum excludit expreſsè aſſerens omnes

dealbationes, & omnes denigrationes, eſſe eiuſdem ſpeciei, quod non poteſt eſſe verum, ſi habenda ſit ratio termini à quo; nam fieri poteſt, vt dealbationes procedant à diuerſis terminis à quibus, atque etiam denigrationes, ſi à diuerſis mediis coloribus moueatur corpus ad albedinem, vel ad nigredinem, ſentit ergo à ſolo termino ad quem deſumendam eſſe.

Probatur etiam ratione, quia motus habentes eundem terminum, ad quem ſunt eiuſdem ſpeciei, etiam ſi habeant diuerſos terminos à quibus, & qui habent terminos ad quos ſpecie diuerſos, diſtinguuntur ſpecie, etiam ſi habeant eundem terminum à quo, ergo non eſt habenda ratio termini à quo ſed vnitas, & diſtinctio ſpecifica à ſolo termino ad quem accipienda eſt. Probatur antecedens, quia dealbationes poſſunt habere diuerſos terminos à quibus, vt ſi vna à nigredine, alia à fuſco, vel pallido incipiat. Deinde dealbatio, & denigratio poſſunt procedere ab eodem termino à quo, vt ſi vnum corpus ex cœruleo fiat album; aliud verò ex eodem cœruleo fiat nigrum. Argumentum hoc videtur mihi euidens, præſuppoſita communi ſententia ſcholæ quod medij colores diſtinguuntur ſpecie ab extremis, eos virtualiter ſolùm continentes, non formaliter. 27

Secundò probatur ratione inſinuata à D. Thoma: quia nihil refert ad eſſentiam motus, quòd ex hoc, vel illo termino diſcedatur, ſed per accidens hoc eſt, ergo non eſt habenda ratio eius in ſpecificatione motus, ſed ſolius termini, ad quem mobile tendit ex inclinatione naturali, & propria virtute motiua; hic enim cenſetur finis eiuſdem motus, à quo ſolo vnitas ſpecifica eius accipienda eſt. Probatur antecedens, quia motus eſt diſceſſio, vel ſeparatio à termino à quo, & tendentia in terminum ad quem, quæ talis erit, qualis fuerit terminus in quem tendit, ergo eiuſdem ſpeciei erit, ſi ad eundem terminum perueniat mobile, vndecunque diſceſſerit.

28 Primum ex his, quæ afferuntur ex Ariſtotele pro oppoſita ſententia, quod motus ab intrinſeco verſetur inter contrarios terminos, concedendum eſt, ex quo ſolum ſequitur intrinſecum eſſe ordinem ad vtrumque, non tamen, quòd ab vtroque accipienda ſit vnitas, vel diſtinctio ſpecifica eius; quia non à quocunque intrinſeco accipitur ſpecies, ſed ſolùm ab eo, quod ſe habet tanquam forma: & iſte eſt terminus ad quem, terminus autem à quo, materialiter potius ſe habet ad motum, & ideò non ſumitur in ordine ad eum ſpecies. Pro ſolutione verò ſecundi de mutatione inſtantanea, notandum eſt, terminum ad quem motus duobus modis conſiderari, materialiter

quidem

quidem pro entitate eius; formaliter verò pro eadem ſecundum modum, quo attingitur à mobili per motum, & hæc eſt conſideratio formalis, ſecundum quam confert vnitatem ſpecificam motui, quod ex operationibus potentiarum fit manifeſtum; nam eadem res eſt obiectum diuerſarum potentiarum, quam tamen attingunt, vel reſpiciunt ſub diuerſa ratione formali; & ideò dicitur obiectum formaliter diuerſum diſtin-

29 guens ſpecies actus earum; vt circa eandem entitatem realem verſantur intellectus, & voluntas per actus ſpecie diuerſos, quos diſtinguunt rationes formales veri & boni, per quas ab eiſdem potentiis attinguntur; ita ergo de termino ad quem motus dicendum eſt, quòd ſi diuerſis modis attingatur à diuerſis mutationibus ex propria natura earum: diſtinguet eas ſpecie, quia licet ſit idem materialiter, cenſetur diuerſus formaliter: & hoc modo ſe habent mutatio & motus, quando ex natura propria illa eſt inſtantanea, & iſte ſucceſſiuus, diſtinguuntur enim ſpecie, propter diuerſum modum reſpiciendi eundem terminum materialem, ſed habentem rationes formales diuerſas, vt quantitas totalis, & partialis terminant ſuo modo mutationes, aut actiones ſaltem ſpecie diuerſas; quia per vnam nata eſt produci modo indiuiſibili, & momentaneo, per aliam verò, modo diuiſibili, ac ſucceſſiuo.

Semper ergo ex termino ad quem ſumitur vnitas ſpecifica, & nunquam ex termino à quo. Et eodem modo dicendum eſt ad tertium; quòd diuerſi modi mutationum diſtinguuntur per vtrumque extremum poſitiuum vel alterum tantùm; in quantum inter contraria, vno vel alio modo verſari debent, & ad hoc vterque terminus requiritur; ſed ad vnitatem ſpecificam, vel genericam conſtituendam ſolius termini ad quem ratio per ſe habetur.

30 Ad primum ex his, quæ in primo argum. adducuntur de motu naturali & violento, negamus ex hoc ſolo diſtingui ſpecie, quòd naturalis ſit vnus, & alter violentus; ſed accidentales reputat has differentias naturalis, & violenti reſpectu motus communis ſententia, quam tenet D. Thom. quæſt. 6. de potentia art. 8, Sotus q. 3. huius lib. ad 5. & Tolet. quæ. 2. concl. 5. Conimb. cap. 4. qu. 4. art. 2. & rationem huius reddit D. Th. quia naturale, & violentum tenent ſe ex parte principij motus, qui non accipit vnitatem genericam, vel ſpecificā à principio, ſed à termino: ideò negandum eſt, quòd motus aëris ad propriam ſphæram, vel locum, & motus terræ ad eandem diſtinguantur ſpecie, licet naturalis ſit ille, & violentus iſte, quia accidentales ſunt huiuſmodi differentiæ; nec ſufficiunt ad

conſtituendos motus contrarios, niſi adſit contrarietas terminorum ad quos.

Circa ſecundum verò de diſtinctione motus circularis, & recti, tenent Moderni plures non diſtingui ſpecie; quia idem eſt vbi, ad quod poteſt vterque terminari, cum eadem ſit præſentia. Hæc tamen ſententia expreſsè eſt contra Ariſt. 1. lib. de cœlo & mundo, capite tertio & quarto, vbi probat ex diuerſitate ſpecifica motus recti, & circularis, ponendum eſſe corpus cœleſte, præter quatuor elementa diſtinctum ab eis ſpecie; quod moueatur motu etiam ſpecie diſtincto à motibus eorum rectis, nec ſolùm intelligit de differentia ſpecifica accidentali; ſed eſſentiali, alioqui non probaret diſtinctionem corporum eſſentialem, ſed ſolum accidentalem. Cap. etiam præſenti agens de vnitate, ac diſtinctione motuum generica, & ſpecifica, de quibus negari non poteſt, quod ſint eſſentiales, obiecit ſibi motum circularem, & rectum, qui ad idem vbi terminari poſſunt, & reſpondet adhuc differre ſpecie, quia non reſpiciunt idem ſpatium, quod non eſt intelligendum de ſpatio materiali, ſed de formali, hoc eſt de diuerſa ratione formali eiuſdem vbi materialis, quod pro termino habent, diuerſa autem formalis ratio eiuſdem vbi, conſiſtit in hoc, quòd diuerſo modo attingitur per motum rectum, ac per circularem, & ideò diuerſo modo terminat vtrumque; nam per motum rectum attingitur tanquam de nouo factum, & acquiſitum ſecundum totam latitudinem, quam habet percurrendam per eundem motum, per circularem verò, non tanquam de nouo acquiſitum, vel factum per motum, ſed tanquam id, in quo corpus euoluitur, ſolum de nouo acquirens nouam diſpoſitionem in eo, vt in 4. libro explicatum eſt, & hoc eſt eſſe terminum formalem diuerſum vtriuſque motus circularis, & recti, & eos diſtinguere ſpecie. 31

Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior, de motibus ab albo in nigrum per fuſcum, & per cæruleum; nam vſque ad terminos proximos, qui ſunt medij colores, nempe fuſcum & cæruleum ſpecie diſtinguuntur: cum termini proximi, à quibus ſpecies eorum ſumuntur, diſtinguantur ſpecie: ſed motus qui ab eiſdem coloribus mediis procedunt vſque ad extremum, eiuſdem ſpeciei ſunt, propter eundem colorem extremum ad quem terminantur, à quo ſpeciem capiunt, & non à mediis coloribus; nam reſpectu extremi ad quem acquirendum deinceps mouentur: per accidens omnino eſt, quòd ab his, vel aliis coloribus moueri incipiant, imò, quod à diuerſis, vel ab eodem, vt iam probauimus.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

Quotnam, & quæ requirantur ad vnitatem numericam motus.

32 TRia requiri docuit Ariſtoteles, ad vnitatem numericam motus, nempè vnitatem mobilis, temporis, & formæ, ſeu termini ad quem, quod non ita intelligit, vt tria hæc pertineant ad numericam vnitatem motus; quia cum ſint valdè diuerſa ab eo, & prorſus extrinſeca, & indiuidualis differentia motus ſit ſuo modo ei intrinſeca: non poſſunt ad eam pertinere, ſed indiuiduatio motus per ordinem ad illa accipiendam eſſe, ſicut etiam de ſpecifica, & generica diximus, non à termino ad quem; ſed per ordinem ad illum deſumendam eſſe. Sed vt veritas huius ſententiæ notior fiat, placet eam impugnare his argumentis.

Primò, quia vnitas mobilis non videtur neceſſaria; nam ſi aliquod corpus viuum à loco ſuperiori deſcendens in medio aëre moriatur, nihilominus eodem motu continuo mouebitur vſque ad terram; quia ſubſiſtere in aëre repugnat, cum ſit graue corpus; ergo motus eius vſque ad terram erit vnus, atque idem numero: cum vnum continuum, & vnum numero idem ſint apud Ariſtotelem, ſed mobile eſt diuerſum, præſertim iuxta opinionem valdè probabilem, quòd ſubiectum motus, ſicut aliorum accidentium materialium non ſit materia, ſed compoſitum, quod conſtat eſſe diuerſum, non ſolùm numero, ſed ſpecie; quia corpus viuum, & mortuum ſpecie diuerſa ſunt; ergo mobile diuerſum erit, & propterea non erit neceſſariò requiſita vnitas eius numerica ad vnitatem numericam motus. Et idem probatur exemplo arboris, cuius pars viridis eſt, & pars ſicca, & tamen mouetur tota eodem motu, cum diuerſa ſit numero, & ſpecie pars viridis à ſicca; quia non ſunt continuæ, licèt continuæ eſſe videantur, quæ enim ſpecie diuerſa ſunt, non poſſunt continuari, vt docet Ariſtoteles libro

33 8. Secundò probatur non eſſe neceſſariam vnitatem numericam temporis; nam tempus à motu accipit vnitatem numericam, ſicut etiam accipit ſucceſſionem prioris, & poſterioris; atque etiam continuationem; ergo repugnat motum accipere ab eo vnitatem; niſi per vitioſum circulum, ex quo infertur à ſe ipſo eam accipere: quia ſi motus accipit vnitatem à tempore, & rurſus tempus ab eodem motu de primo ad vltimum ſequitur motum à ſcipſo eam

accipere.

accipere. Tertiò probatur, quod neque vnitas formæ ſit neceſſaria duobus exemplis. Primò de quolibet motu à contrario in contrarium, vt de motu à frigore in calorem, qui cum ſit idem numero, duplex eſt forma, ſecundum quam mouetur ſubiectum; nam calor in eo intenditur, & frigus remittitur. Secundò, exemplo lapidis, qui ſi à concauo Lunæ vſque ad centrum terræ deſcenderet per foramen in eadem terra factum nemo dicet in centro ſubſiſtere; quia impoſſibile hoc eſt propter magnum impetum, quod deſcendet, ratione cuius neceſſe eſt aliquantulum pertranſire, & rurſus retrocedere, vt in centro, ad quod naturaliter tendebat, quieſcat: & ecce mouebitur eodem motu continuo per ſpatium ſurſum, & deorſum formaliter diuerſum; quare vnitas formæ non erit neceſſaria ad vnitatem numericam motus.

Sed iam, quod tres iſtæ conditiones ſint neceſſariæ, probatur non eſſe ſufficientes, ſed addendam eſſe quartam de vnitate mouentis; nam à duobus agentibus numero diuerſis, non poteſt prouenire eadem actio; ergo neque idem motus. Probatur conſequentia, quia motus non eſt entitas realis diſtincta ab actione, ſed eadem; & ſi idem motus non poteſt procedere à diuerſis agentibus, ſequitur neceſſariam eſſe vnitatem mouentis ad vnitatem numericam motus, præter tres illas enumeratas ab Ariſt. & ita non erunt illæ ſufficientes, licet ſint neceſſariò requiſitæ.

Duplicem partem continet ſententia Ariſt. de conditionibus requiſitis ad vnitatem numericam motus. Prima eſt, quod tres illæ ſint neceſſariò requiſitæ. Secunda, quod ſint etiam ſufficientes, vel non: ſed præter illas addenda ſit 4. de vnitate mouentis. Et quantum ad primam partem certiſsima eſt apud omnes, quia euidenti ratione probatur; nam idem numero accidens non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis adæquatis. imò nec in diuerſis inadæquatis, & diſcontinuis. ſed motus eſt accidens mobilis; ergo repugnat naturaliter, quòd ſit in diuerſis ſubiectis, aut mobilibus: quare vnitas numerica mobilis neceſſariò requiritur ad vnitatem numericam motus. 34

De tempore verò notiſſimum eſt; quia ſi ſemel tempus interrumpatur per ceſſationem motus, etiam ſi parum mobile quieſcat: dum iterum moueri incipit, non iam eodem motu, ſed numero diuerſo moueri neceſſe eſt, quia motus præteritus iam omnino periit, non ſolum ratione ſui; ſed etiam ratione indiuiſibilis, per quod poſſet continuari cum futuro, vel ſequenti, nullum enim tale indiuiſibile permanere poteſt poſt quietem, quare nec poterunt

iam continuari motus, nec proinde idem numero ex vtroque fieri; quia vnum continuum, & vnum numero idem ſunt. De vnitate denique formæ patet neceſſariam eſſe; quia ſi duplex ſit forma numero diſtincta, duplex erit fieri eius, & fieri eſt motus; ergo duplex erit motus,& non vnus,quare ad numericam vnitatem eius neceſſaria eſt vnitas numerica formæ, vel termini ad quem.

35 Ad argumenta verò contra hanc partem Ariſtotelis ſententiæ reſpondendum eſt. Et primum contra vnitatem mobilis requiſitam procedens, difficultate caret apud eos, qui motum non in toto compoſito, tanquam in ſubiecto adæquato, ſed in materia inhærere aſſerunt: nam cum eadem numero materia maneat in corpore viuo, & mortuo; idem etiam permanebit ſubiectum, & idem numero mobile. Solùm ergo procedit aduerſus alios, qui totum compoſitum pro ſubiecto motus ponunt; apud quos euidens eſt non permanere idem numero mobile. Quod concedendum eſt hac ſuppoſita opinione, & ex conſequenti, quòd non ſit idem motus numero in illo caſu; ſed numero diuerſus: non tamen eſt neceſſarium corpus viuum, vel mortuũ in medio itinere quieſcere, ſed motus diſcõtinuantur per mutatum eſſe extrinſecum vtrique. Quod ſic intelligendum eſt; vt cum corpus viuum deſinat eſſe per primum non eſſe, verum ſit dicere, nunc non eſt, & immediatè ante fuit; & cum cadauer incipiat per primum ſui eſſe; verum ſit etiam in eodem inſtanti dicere,nunc eſt cadauer,& immediatè ante non erat; ad hoc igitur inſtãs temporis, quod eſt primum non eſſe viui,& primũ eſſe mortui,euidẽs eſt nõ perueniſſe corpus viuũ, nec in eo fuiſſe;ergo nec peruenit ad hoc vbi,quod habet cada-
36 uer in eodem inſtanti,& à quo incipit moueri deorſum. Vnde ſequitur hoc idem vbi, non pertinere ad motum eiuſdem corporis viui: ſed eſſe prorſus extrinſecum reſpectu eius; pertinet autem ad motum cadaueris tanquam id, à quo incipit moueri; & ideò non poteſt continuare vtrumque motum, ſed numero diſtincti ſunt propter diſtinctionem mobilis; non tamen diſcontinuantur per tempus, nec neceſſe eſt aliquod illorum mobilium quieſcere in medio itineris, ſed toto tempore mouetur vnum, aut alterum, nec tamen motus eorum continuati poſſunt; ſed per mutatum eſſe extrinſecum diſcontinuantur, vt expoſitum eſt, quare nec probat argumentum vnitatem numericam mobilis non requiri ad vnitatem numericam motus.

De ligno verò viridi ex parte ſicco negandum eſt, quòd vnico motu moueatur; non enim mouetur, niſi duplici; quia

duplex

duplex corpus numero diſtinctum eſt, quod mouetur, licèt vnum appareat.

Ad argumentum verò contra vnitatem temporis propoſitum diſtinguendum eſt antecedens; quia vnitas numerica motus non ſumitur in ordine ad tempus pro duratione propria acceptum; quam ipſe aliquo modo efficit indiuiduam; ſed per ordinem ad tempus extrinſecum, à quo omnia menſurantur; nempè ad durationem primi motus, vel etiam ad durationem imaginariam; quæ ei correſponderet, ſi non eſſet. Vnitas igitur huius temporis menſurantis motum neceſſaria eſt, vt motus ſit idem numero. Propria etiam duratio, erit quoque vna, ſi vnus ſit numero motus; ſed non tam ex ea indiuiduatur motus; quàm vnitatem numericam eius inferat, vel ſi aliquo modo ab ea indiuiduantur, ſolùm eſt à poſteriori, & tanquam à ſigno: cum tamen ab eodem motu aliquo modo indiuiduentur tempus à priori; ideò nullus datur circulus, vel non vitioſus: quia in diuerſo genere ad ſummum, hoc eſt, à priori, & à poſteriori mutuam habent correſpondentiam indiuiduationis motus, & tempus. 37

Ad primum exemplum, quod aduerſus vnitatem formæ obijcit tertium argumentum de motu à contrario in contrarium, dicimus, non ſolùm includere motum poſitiuum, ſed etiam mutationem, vel motum negatiuum, qui eſt corruptio contrariæ qualitatis ei, quæ poſitiuè & per ſe acquiritur, & ideò diſtinctæ ſunt mutationes realiter, diſtinctione ſaltem reali negatiua: ſicut generatio cuiuſcunque rei, & corruptio præexiſtentis. Gratia exempli, in motu à frigore in calorem, præter motum poſitiuum, qui eſt calefactio, vel productio caloris, datur etiam corruptio frigoris, quod ad generationem caloris corrumpitur: & talis corruptio diſtincta mutatio negatiua eſt ab eodem motu calefactionis diſtinctione reali negatiua, & ideò ſpecie, & numero diſtincta eodem modo negatiuo; quare non mirum eſt, ſi duæ etiam ſint qualitates, vna, quæ generatur, alia, quæ corrumpitur. Propterea nihil probat argumentum aduerſus vnitatem numericam formæ neceſſariò requiſitam ad vnitatem numericam motus. Solutio verò ſecundi, quòd in eodem argumento afferebatur, de motu lapidis ad centrum terræ per foramen, dependet ex his, quæ libro octauo dicenda ſunt de motu recto atque reflexo; nunc autem ex mente Ariſtotelis dicendum eſt, quòd dum lapis ille perueniat ad centrum, neceſſariò quieſcet; quia motus ſurſum, & deorſum non poſſunt continuari; ſed per quietem temporaneam debent interrumpi: & hoc ſuppoſito ceſſat difficultas argumenti, quia motus 38

39

motus deſinit eſſe idem numero, propter diuerſitatem formæ, hoc eſt, vbi, ſurſum & deorſum. Qui verò tenent non eſſe neceſſarium motum ſurſum & deorſum diſcontinuari per quietem, dicunt eiuſdem rationis eſſe vbi ſurſum, & deorſum, & ideò formam eſſe eandem numero; ſicut eſt idem numero motus ſurſum,& deorſum vel ſaltem, quantum eſt ex parte formæ non diſcontinuari, licèt propter aliam rationem extrinſecam fortè diſcontinuentur.

Circa vltimum argumentum dubium eſt ſatis difficile, an præter illas tres conditiones deſignatas ab Ariſtotele capite præſenti ad vnitatem numericam motus, requiratur vnitas numerica mouentis, aut efficientis cauſæ; ita vt ſi diuerſum ſit mouens, diuerſus etiam ſit numero motus, etiamſi idem ſit mobile; idem tempus, eademque forma: nec intelligitur de mouente, aut agente partiali, ſed de totali, & adæquato: cum notum ſit à pluribus mouentibus partialibus procedere eundem motum nauis, vel lapidis.

40 Et prima opinio tenet *tres illas ſufficere, & non eſſe neceſſariam vnitatem numericam agentis.* Probatur teſtimonio Ariſtotelis capite præſenti, vbi ex profeſſo agens de vnitate numerica motus, aſſerit, tria illa requiri, & eundem numero eſſe motum illis concurrentibus, ſi verò quarta conditio neceſſaria eſſet ex parte agentis, diminutus eſſet Ariſtoteles eam non aſſignans. Probatur deinde ratione. 1. quia ad quemcunque motum concurrunt plura mouentia, nempè primum, & ſecundum; & ferè ſemper duplex ſecundum, nempè vniuerſale, & particulare; ergo non requiritur vnitas numerica mouentis. Et ſi dicas eſſe ſubordinata, contra hoc eſt, primò, quòd nihil videtur referre, quòd ſubordinata ſint, vel non: nec aliqua poterit reddi ratio propter quam vnitas numerica motus poſtulet vnitatem mouentis particularis, ſuppoſito, quòd à multis agentibus ſubordinatis efficitur idem numero motus. Secundò, quia per potentiam Dei abſolutam non repugnat plures cauſas proximas, particulares, & adæquatas concurrere ad eundem numero effectum: in quo caſu neceſſe erit agere per eandem actionem, & ideò eundem numero motum ab vtraque procedere; quia circa idem ſubiectum producent talem effectum: in eodem autem ſubiecto non poſſunt eſſe ſimul diuerſi motus numero, ſicut nec alia accidentia abſoluta ſolo numero diuerſa. Tertiò probatur; quia productio rei, & conſeruatio eiuſdem non ſunt diuerſæ actiones, ſed eadem, & tamen fieri poteſt, etiam naturaliter eundem effectum produci ab vna cauſa, & conſeruari ab alia diſtin

diſtincta; ergo eadem actio procedet ab vtraque; ſed motus non eſt alia entitas diſtincta ab actione; ergo idem etiam motus poteſt à duobus mouentibus particularibus procedere, quare non erit neceſſariò requiſita vnitas numerica mouentis, ad vnitatem numericam motus.

Secunda opinio addit quartam conditionem ex parte mouentis, quod neceſſe eſt etiam eſſe idem numero ad identitatem numericam motus. Ita Perer. lib. 13. cap. 8. ad 2. Conimbric. 5. lib. Phyſ. cap. 4. quæſt. 5. ad 1. & plures Moderni. Probant alio teſtimonio Ariſtot. non minus expreſſo ex lib. 8. textu 49. deſumpto, vbi ſic ait Ariſtot. *At verò, ſi continuus eſt motus, vnus eſt; vnus autem ſi & ab vno mouente, & vnius ſit, quod mouetur: ſi enim quiddam aliud, & aliud mouebit, non continuus totus motus, ſed conſequenter erit.* Et ratione probatur; quia diſtincta agentia agunt per diſtinctas virtutes; ergo per diſtinctas actiones: ſed motus non eſt res diſtincta ab actione; ergo agunt per diuerſos motus: ſi actiones per quas agunt, cum motu ſint; repugnat ergo eandem numero actionem à diuerſis agentibus procedere, & ex conſequenti eundem motum. 41

Noſtra ſententia eſt, *ad vnitatem numericam motus, vt motus eſt, tres conditiones hoc loco aſſignatas ab Ariſtot. requiſitas eſſe, & ſufficientes, ſed quia motus eſt idem realiter cum actione & paſſione, quarum identitas numerica ex agente & paſſo dependet, etiam motus realiter poſtulat vnitatem agentis, itaque per ſe, & formaliter loquendo de motu ſolùm petit tres priores conditiones, quaſi materialiter verò poſtulat quartam*: & hac diſtinctione poſſunt conciliari prædictæ opiniones, ita vt prima loquatur de vnitate numerica motus per ſe, & formaliter: ſecunda verò ſolùm materialiter. Et Ariſtoteles hoc loco ſolùm aſſignauit conditiones requiſitas, & ſufficientes ad vnitatem motus in primo ſenſu requiſitas, nulla facta mentione de vnitate mouentis: quia de mouente acturus erat in libro octauo, & ibidem, tanquam in proprio loco explicaturus conditionem hanc etiam requirere motum ad vnitatem propriam, non ſub ratione motus conſideratum; ſed vt realiter includit actionem; non ergo fuit diminuta doctrina eius hoc loco tradita. 42

Ad primum argumentum concedendum eſt antecedens; ſed neganda conſequentia; quia ad eandem actionem poſſunt concurrere plura agentia ſubordinata, & ex conſequenti ad eundem motum; particularia verò non ſubordinata, non poſſunt ad eandem actionem concurrere; & ideò nec ad eundem motum: vnde negandum eſt, quod ſi plures cauſæ totales applicarentur ad eundem numero effectum producẽdum per diuinam

poten

potentiam,agerent per eādem actionem; ſed neceſſariò per diuerſas,& conſequenter per diſtinctos motus propter identitatem realem actionis cum motu. Diſtincti autem numero motūs ſimul eſſent in eodem ſubiecto;quia motus non ſumit identitatē numericam à ſolo ſubiecto,ſed etiam ab aliis,vt explicatum eſt.

43 Ad ſecundum cōcedenda ſunt omnia, quæ aſſumit in antecedenti;ſed diſtinguendum eſt conſequens; quod diſtincta agentia concurrant ad eandem actionem & motum:nam quantum ad productionem eius in eſſe indiuiduali negandum eſt; quia conſeruatio præſupponit hāc numero actionē procedentem ab agente,ſicut, & hunc numero effectum productum extra cauſas;& ideò aliud agens, quod ſolum concurrit ad conſeruationem eiuſdem effectus, non poteſt concurrere ad indiuiduationem eiuſdem actionis; ſed ſolùm ad continuationem in eodem eſſe indiuiduali iam producto; quod eſſe indiuiduale à producente,& aliis conditionibus accepit; non ergo probatur,quod duæ cauſæ concurrant ad eandem numero actionem eliciēdam; nec proinde ad efficiendū eundem numero motum; quia licet conſeruatio non ſit actio diſtincta realiter à productione eiuſdem rei; eam tamen præſupponit, & ex conſequenti indiuiduationem eius; ad quam proinde repugnat concurrere.

CAPVT V.

TEXT. ARISTOTELIS.

Amplius autem determinandum eſt qualis, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

44 INTENTVM Ariſtotelis in hoc cap. eſt explicare contrarietatem motus. Diuiditur autē in duas partes. In prima cum contrarietas motuū ex parte terminorum accipienda ſit, ad eam inueniendam enumerat quinque modos diuerſos; quibus comparari poſſunt motus inter ſeſe ratione terminorum. In ſecunda quibuſdam illorum excluſis,ſecundum quos non poſſunt motus eſſe contrarij:ex aliis colligit, quinam motus contrarij ſint. Quinque modis aſſerit comparari poſſe motus ex parte terminorum. Primus eſt,quo comparantur ex parte termini à quo vnius; &

dam; concluditur ergo illos motus eſſe contrarios, qui ſunt à terminis à quibus contrariis ad terminos ad quos contrarios, vt motus ab ægritudine in ſanitatem contrarius eſt motui à ſanitate in ægritudinem, ſicque de reliquis.

CAPVT VI.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem motui non ſolùm videtur motus eſſe contrarius, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

46 INtentum Ariſtotelis cap. præſenti eſt, docere, quòd contrarietas non ſolum inter motus reperiatur; ſed etiam per quandam participationem, & ſimilitudinem inter quietem, & motum; atque etiam inter quietes ipſas inter ſeſe. Diuiditur autem in tres partes. In prima vniuerſaliter docet contrarietatem ſuo modo reperiri inter motum, & quietem; & inter quietes ipſas inter ſe, atque etiam in ſpeciali; quæ quies, cui motui ſit contraria, & etiam cui quieti. In ſecunda aſſerit, quietem non ſolùm motui; ſed etiā mutationi eſſe oppoſitā, & tādem contrarietatē inter motum, & quietem ſecundum naturale, & violentum, non ſolùm in motu locali, & quiete ei oppoſita reperiri, ſed in omni genere motus.

Quies non habet per ſe prædicamentum, nec genus, neque ſpeciem; ſed ad prædicamentum, genus, & ſpeciem formæ, vel rei, quā priuat, reducitur. Quo ſuppoſito, aſſerit Ariſtoteles quietem opponi quidem motui, non cuicunque, ſed ſui generis; hoc eſt motui ad cuius genus reducitur: vt quies à motu locali ſolùm ei opponitur, non motui alterationis, vel augmētationis; ſicque de reliquis. Vt autem quæ quies, cui motui opponatur explicet, annotat duplicem eſſe quietem, vnam in termino à quo motus, aliam in termino ad quem, vt ſi motus ſit ab albo in nigrum, quies in albedine erit in termino à quo, &
47 quies in nigredine in termino ad quem. Hoc ſuppoſito aſſerit, quietem in termino à quo, contrariam eſſe motui ab illo, vt quies in albedine eſt contraria motui ab albo in nigrum. Probatur, quia per talem motum deſtruitur, & per ipſam motus: nam quamdiu corpus quieſcit in albedine, repugnat ab ea moueri, & eo ipſo quòd ab albo in nigrum mouetur,

repugnat in eo quieſcere, ſed contraria ſunt, quæ circa idem ſubiectum ſe expellunt, ergo quies in termino à quo eſt contraria eidem motui: & etiam quies in termino à quo vnius motus, eſt contraria quieti in termino à quo alterius, vt quies in albo eſt contraria quieti in nigro, quia repugnat ſimul conuenire eidem. Sed quietem in termino ad quem ait, non eſſe contrariam motui in ipſum, imò nec alteri motui. Probat, quia nihil mouetur in ſuum contrarium, ſed ab illo; corpus verò mouetur ad terminum ad quem, vt in eo permaneat; ergo ſuo etiam modo mouetur, vt in eo quieſcat; quod eſt ad quietem in eo moueri: quare non poteſt eſſe contraria eidem motui talis quies.

In ſecunda parte docet eandem eſſe oppoſitionem ſuo modo inter quietem, & mutationem, ſed duplicem eſſe quietem aſſerit. Prima eſt oppoſita motui, & hæc eſt ſuo modo ſucceſſiua, ac temporanea, & vocatur propriè quies. Secunda eſt tota ſimul, & momentanea, quæ vocatur non moueri, vel non mutari, & eſt impropria; & quies primo modo accepta non opponitur mutationi; quia non ſunt eiuſdem conditionis, ſed opponitur ei accepta ſecundo modo, ſicut opponi diximus motui, nempe quietem in termino, à quo mutationi ab illo, vt quies in termino à quo generationis opponitur generationi: 48
& quies in termino à quo corruptionis opponitur corruptioni, quia quamdiu materia quieſcit in termino à quo, repugnat mutari ab illo: quies etiam in termino à quo vnius mutationis opponitur quieti in termino à quo mutationis oppoſitæ, vt quies in termino à quo generationis opponitur quieti in termino à quo corruptionis.

In tertia parte aſſerit, quòd licet in communi modo loquendi ſolum tribuamus contrarietatem ſecundum naturale, & violentum motui locali; atque etiam quieti ei oppoſitæ; in omni tamen genere motus, & quietis reperitur ſuo modo contrarietas hæc, vt per ſe eſt manifeſtum. Sed quæcumque dicta ſunt de contrarietate inter motum, & quietem, & inter quietes ipſas motibus contrarias, atque etiam inter quietem, & mutationem; non debent intelligi de propria contrarietate; quia hæc ſolùm reperitur inter poſitiua; ſed ſolùm de impropria pro oppoſitione priuatiua.

QVÆS

QVÆSTIO I.

An contrarietas motus deſumenda ſit à ſolo termino ad quem.

49 *Contraria ſunt ea, quæ ſub eodem genere maximam differentiam aut diſtantiam habent*, hoc eſt, *ſpecificam cum oppoſitione reali, quæ nata ſunt ab eodem ſubiecto ſe expellere*, vnde ſequitur eandem eſſe rationem de diſtinctione ſpecifica motuum, ac de eorum contrarietate, hoc eſt, ab eodem eſſe accipiendã, & cum Ariſtoteles de vnitate ſpecifica ac diſtinctione conſtituerit in ſuperioribus à termino à quo deſumendã eſſe, eodem modo de contrarietate ſentit. An verò à ſolo termino ad quem deſumenda ſit contrarietas, vel ab vtro quẽ dicendum eſt, certum eſſe apud ipſum; quod à ſolo termino à quo, nulla contrarietas ſumi poteſt; & rationem huius reddit; quia motus habentes terminos, à quibus, contrarios poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei; quia poſſunt habere eundem terminum ad quẽ, vt motus ab albo in fuſcum, & à nigro in fuſcum; ergo non erunt vllo modo contrarij. Probatur conſequentia; quia intra eandem ſpeciem non poteſt reperiri contrarietas: cum contraria ſub eodem genere debeant eſſe ſpecie diuerſa. Solas igitur duas comparationes motuum docuit Ariſtoteles continere veram contrarietatem eorum, nempè ex parte terminorum ad quos tantùm, & ex parte vtriuſq; termini à quo & ad quem; & has duas comparationes pro eadem reputari; quia ſi motus ſint contrarij ex parte terminorum ad quos: ſimpliciter dicuntur contrarij, ſimpliciter dicuntur ſpecie differre ſub eodem genere, maximéque diſtare; ſed ſi ex parte vtriuſque termini contrarij ſint, perfectiorem quandam rationem contrarietatis extenſiuam & accidentalem continebunt, quia licet à termino à quo non ſumatur contrarietas eſſentialis, quandam tamen accidentalem perfectionem contrarietatis addit ſupra eſſentialem à termino ad quem deſumptam. De his igitur non eſt maior controuerſia, quam de vnitate, ac diſtinctione ſpecifica motus; ſed iuxta ea, quæ de diſtinctione dicta ſunt, ſecundum diuerſas opiniones, eſt de contrarietate ſentiendum.

An reperiatur vera contrarietas in motu locali.

50 Solum poteſt eſſe difficultas, an vera contrarietas reperiatur in quocunque genere motus; nempe in alteratione,

augmentatione, motu locali.. Et de alteratione certum eſt veram, ac propriiſſimam cõtinere contrarietatem ; quemadmodũ inter qualitates, ad quas terminatur, vera reperitur contrarietas, ideò propriè cõtrarij ſunt motus à calore in frigus, & à frigore in calorem. Sed an intenſio, & remiſſio eiuſdem qualitatis ſint motus contrarij, vel non 1. libro de generatione ca. 4. diſputatur : ad quem locum remittenda eſt quæſtio. De augmentatione etiam an reperiatur in ea vera contrarietas ; ita vt augmentatio, & diminutio ſint motus, & verè contrarij, non eſt præſentis loci diſputare ; ſed ad ca. 5. eiuſdem libri pertinet quæſtio; vbi Ariſt. de hac materia ex profeſſo agit. Solum reſtat motus localis de quo non eſt minor dubitatio an vera contrarietas in eo reperiatur, & de motu circulari, an habeat contrarietatem, vel non, agit Ariſtoteles in 1. & 2. libro de Cœlo, de contrarietate verò motuum naturalium, magna ex parte agit Ariſtoteles in his libris 5. 7. & 8. & propterea, licèt poſſemus hanc etiam quæſtionem ad libros de Cœlo referre, hoc tamen loco diſputanda eſt; quia ab ea dependent plura, quæ docet Ariſtoteles libro octauo de motu recto, atque reflexo. Quærimus ergo, an in motu locali reperiatur vera contrarietas; & quia contrarietas reperitur inter ea, quæ maximè diſtant ſub eodem genere, reducitur difficultas ad motus ſurſum, & deorſum, an contrarij ſint. Et præcipua ratio dubitandi eſt propter differentiam ſpecificam neceſſariam ad contrarietatem; an inter hos motus reperiatur, vel non, niſi accidentalis, qualis enim hæc fuerit: talis erit contrarietas.

Et prima opinio Modernorum negat vtrumque, nempè differentiam ſpecificam, & veram contrarietatem, & ſolùm ponit inter hos motus accidentalem differentiam, & ex conſequenti accidentalem contrarietatem. Probant hoc argumento: Differentia ſpecifica motuum ſumitur ex terminis ad quos, ſed termini ad quos horum motuum ſint eiuſdem ſpeciei ; ergo etiam motus ipſi; quare nec erunt contrarij, cum contrarietas vera non reperiatur intra eandem ſpeciem. Minorem ita probant: Terminus motus localis eſt, vbi, aut localis præſentia ad ſpatium verum, vel imaginarium, ſeu diſtantia ad Polos, ſed eiuſdem ſpeciei ſunt vbi, quod habet corpus in concauo Lunæ, & in centro terræ, cum eiuſdem ſpeciei ſint præſentiæ, vel diſtantiæ, vt ex ſe eſt manifeſtum; ergo motus ipſi eiuſdem ſpeciei erunt. 51

Secunda opinio tenet diuerſos eſſe ſpecie, & verè cõtrarios tales motus. Ita antiqui interpretes Ariſtotelis Philop. Simp. Themiſt. Alber. Mag. & D. Tho. cap. præſenti, lib. 8. cap. 8. ad 52
text.

text. 64. & 1. libr. de Cœlo, & mundo, cap. 2. & 3. Probant teſtimoniis Ariſtotelis, qui eiſdem locis aſſerit, tales motus eſſe ſpecie diuerſos atque contrarios. Deinde ratione. 1. quia elementa ſunt corpora naturalia ſpecie diuerſa, atque contraria, ergò debentur eis motus ſpecie diuerſi, atque contrarij. Probatur conſequentia, quia motus naturales proueniunt à natura rerum, ergo ſecundum diuerſitatem ſpecificam eius debent eſſe ſpecie diuerſi. Secundò, quia contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt, ſed motus ſurſum, & deorſum maximè diſtant ſub genere motus localis; & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt, vt poteſt conuenire motibus, quia eidem ſubiecto ſimul conuenire pugnat, atque etiam in diuerſis corporibus mutuò ſe impediunt; ergo verè contrarij ſunt, eo modo quo poteſt conuenire motibus vera contrarietas.

53 Duo ſunt in hac re examinanda: primum quid ſentiat Ariſtoteles de differentia ſpecifica, & contrarietate horũ motuum. Secundum quid ſit de ea iudicandum ſecũdum veritatem Philoſophicam. Et circa primum dicimus expreſſam eſſe ſententiam Ariſtotelis locis nuper citatis, in quibus clariſſimis verbis docet ſpecie differre, & contrarios eſſe, quod ita eſt manifeſtum vt Moderni, qui ſequuntur oppoſitam ſententiam, hoc ſolum reſpondere potuerint, vt non videantur contra Ariſtotelem ſentire, quòd dum aſſerit motum ſurſum, & deorſum ſpecie differre, per differentiam ſpecificam, non intelligit ſpecificam eſſentialem, ſed accidentalem, quo pacto differunt homo albus, & niger: & ideò ſolùm habere ſentit accidentalem contrarietatem. Sed hæc ſolutio friuola eſt, & expreſsè contraria eidem Ariſtoteli. Probatur primùm, quia neque Ariſtoteles, neque vllus vnquam claſſicus auctor tali modò loquendi vſus eſt, vt ſpecie differre aſſerat ea, quæ ſolum differunt accidentaliter, nec ſpecifica differentia pro accidẽtali vnquam deſumpta eſt in ſchola, ſed eſſentialem eam omnes vocant, ergo friuola expoſitio verborum Ariſt. eſt quòd per differentiam ſpecificam intelligat accidentalẽ. Sed probatur, quod ſit cõtra ipſum, quia idem Ariſt. 8. l. Phyſic. c. 8. docet motũ rectum, & reflexum, qui ſunt ſurſũ, & deorſũ; non poſſe eſſe cõtinuos, ſed neceſſariò interrũpi in puncto reflexionis per quietẽ tẽporaneã, cuius rationẽ reddit, quia quæ ſpecie diſtincta ſunt, nõ poſſunt cõtinuari, & cũ motus ſurſũ & deorſũ ſpecie ſint diuerſi, nõ poſsũt cõtinuari. Hęc autẽ ratio ſi de ſpecie accidẽtali intelligatur, nullius momenti eſt, cũ euidẽs ſit cõtinua eſſe poſſe, quę ſpecie accidẽtali differũt, vt motus, tard⁹ & velox, imò apud eoſdẽ modernos

motus ſurſum, & deorſum non deſinunt eſſe continui propter differentiam accidentalem, ſed vel continuari poſſe aſſerunt, vel ſi non continuatur, propter aliam rationem extrinſecam contingere: vnde ſequitur in doctrina Ariſtotelis, nec micam probabilitatis habere eorum ſententiam. 54

Quantum ad ſecundum verò probabilius eſſe exiſtimo, motum ſurſum, & deorſum ſpecie differre. Quod probo hoc argumento ſatis efficaci: Grauitas, & leuitas diſtinguuntur ſpecie, & ſunt principia motus ſurſum, & deorſum; ergo motus etiam ipſi differunt ſpecie. Probatur antecedens, quia grauitas, & leuitas ſunt potentiæ naturales corporum in prædicamento qualitatis diuerſiſſimæ, & ex cauſis diuerſiſſimis prouenientes, nempè ex naturis diuerſis elementorum, à quibus naturaliter, vt proprietates eorum procedunt, ergo diſtinguuntur ſpecie, quod nullus vnquam in tota ſchola negauit. Probatur etiam conſequentia, quòd motus ipſi diſtinguantur ſpecie; quia potētiæ diſtinguūtur per proprios actus, ſed actus grauitatis, & leuitatis proprij, imò, & vnici pro quibus à natura conceduntur corporibus; ſunt motus ſurſum, & deorſū; ergo neceſſe eſt fateri, quòd ſpecie diſtinguantur.

Sed reſpondent Moderni, grauitatem, & leuitatem diſtingui quidem ſpecie, nō per hos mot⁹, ſed per diuerſos fines, in quos à natura ordinantur; nam grauitas à natura ordinata eſt, vt graue corpus collocet in medio mundi, aut in maxima diſtantia à cœlo; leuitas verò ex oppoſito ordinatur ad conſtituendum corpus cœlo propinquiſſimum: vnde inferunt motus ſurſum, & deorſum, vt ad talia vbi, vel ad tales præſentias ordinantur, non diſtingui ſpecie; cum præſentiæ iſtæ ſint eiuſdem ſpeciei; ſed vt motus naturales propter diuerſos fines naturales ab eiſdem virtutibus grauitatis, & leuitatis eliciti, & à natura his mediis virtutibus intenti. Sed hæc ſolutio illud imprimis aſſerit falſum, quod motus diſtinguuntur ſpecie, & non per terminos ad quos, aduerſus Ariſt. cap. 3. huius libri & aduerſus totam ſcholam. Deinde non ſatisfacit argumento: quia ſi potentiæ ipſæ, & motus diſtinguūtur ſpecie per illos fines; ergo finis ipſi diſtinguūtur etiam ſpecie; ſed fines ſūt cōſtituere corpus in ſumma diſtantia & ſumma propinquitate à cœlo; ergo ſpecie diſtinguuntur iſtæ diſtantiæ, quæ non ſunt aliud, quàm vbi ſurſum & deorſum. 55

Et tandem ſi motus diſtinguuntur ſpecie, quia ordinantur ad fines diuerſos, cum non poſſint ordinari motus ad illos, niſi mediis terminis in quos proximè ordinantur ipſi; ſequitur non poſſe differre ſpecie, niſi eorum termini ſpecie differant. 56

Pro

Probatur conſequentia; quia in eoſdem fines ordinantur cum motibus.

Ad argumentum Modernorum diſtinguenda eſt minor, quòd præſentiæ ſurſum, & deorſum non diſtinguuntur ſpecie; nam præſentiæ iſtæ, duo habent. Primum, eſſe præſentias ad ſpatium, cum tali diſtantia. Secundum, eſſe extremas præſentias atque oppoſitas, ſumméque diſtantes; poſtulanteſque ex propria natura tendentias oppoſitas; quòd non eſt eis accidentale, ſed eſſentiale; & cùm tendentia ſit idem, quòd motus poſtulantes motus oppoſitos; quos natæ ſunt terminare, & per eos fieri: & prima conſideratio materialis eſt, ſub qua non diſtinguuntur ſpecie, ſed per ſecundam, ſub qua diuerſas rationes formales, atque eſſentiales habent in ordine ad motus, per quos, & non aliter fieri natæ ſunt, quos ipſæmet oppoſitos, ſpecieque diuerſos efficiunt.

De contrarietate verò horum motuum dicimus, non eſſe perfectam, qualis reperitur inter qualitates; ſed eſſe maximam, quæ in motu locali reperiri poteſt; nam ita ſe impediunt, & ita repugnat in eodem ſubiecto, ſicut alterationes contrariæ, quamuis per efficientiam non ſe expellant, & ideò ſufficientem, vt verè contrarij motus vocari poſsint, & debeant, & contrarietates hæ in extremis præſentiis & motibus ad illas per ſe primò reperiuntur, in cæteris verò per participationem earum, in quantum ad eas reduci poſſunt.

QVÆSTIO II.

An ab vno contrario in alterum moueatur corpus vnico, ac ſimplici motu, vel diuerſis.

17 Senſus quæſtionis eſt, an dum mouetur corpus à frigore in calorem, vnico motu moueatur, vel pluribus. Et prima opinio aſſerit non vnicum, ſed plures eſſe motus. Ita Comment. Albert. Mag. & D. Thom. cap. 5. probant ex verbis eiuſdem Ariſtot. qui eodem capite comparat inter ſeſe motum à ſanitate, & motum in ægritudinem; quos patet in eodem motu à contrario in contrarium reperiri; nam in motu à ſanitate in ægritudinem reperitur motus à ſanitate, & motus in ægritudinem ſaltem formaliter diuerſus, conſiderando per ſe terminum à quo, & quaſi ſeparatum à termino ad quem; ergo ex mente Ariſtot. plures aliquo modo ſunt. Probatur etiam ratio-

ne; quia corpus, quod calefit, ad calorem accedit, & recedit à frigore, ſed acceſſus & receſſus iſti ſunt motus circa qualitates ſpecie, & realiter diuerſas; ergo ſunt diuerſi motus.

Secunda opinio vnicum tantum ponit motum, ita Venetus ibidem, & alij. Probat primò, quia motus ſumit ſpeciem à termino ad quem, ſed vnicus eſt terminus ad quem, nempe calor, in quem tendit corpus; ergo vnicus eſt motus ſecundum ſpeciem. Secundò, quia ſi duo ponantur; debent eſſe contrarij: cum qualitates ipſæ, circa quas verſantur, vt calor & frigus, contrariæ ſint; idem igitur corpus moueretur ſimul motibus contrariis, quod repugnat.

Tertia tandem ſententia non ponit duplicem motum; ſed duplicem mutationem; vnam, quæ ſit generatio termini ad quem, & aliam, quæ ſit corruptio termini à quo, vt generatio caloris & corruptio frigoris. Probant, quia calor & frigus ſunt qualitates diuerſæ; ergo generatio vnius debet eſſe diſtincta à corruptione alterius; non ſolùm ſpecie, ſed realiter, vtraque autem eſt mutatio eiuſdem corporis; quia non minus mutatur amittens frigus; quàm acquirens calorem; ergo duæ ſunt mutationes diſtinctæ in eodem motu à contrario in contrarium. 58

Veritas huius rei potius dependet ex diſtinctione & explicatione eorum, quæ in eodem motu à contrario in contrarium reperiuntur, quàm ex rationibus, vel argumentis: ideò hæc diſtinguemus, & ſeparabimus ex propria natura cuiuſque, & ex ſeparatione colligemus, quot motus, vel mutationes reperiantur. Primò ergo dicimus reperiri motum præcipuum calefactionis à frigore procedentem, tanquam à termino à quo, & in calorem tendentem, tanquam in terminum ad quem, & hoc nullus negat. Secundò dicimus reperiri generationem accidentalem caloris, in quantum conſideramus calorem de nouo fieri in corpore, quem priùs non habebat, & ideò corpus idem mutari de non calido in calidum, & hæc eſt mutatio accidentalis, & non eſt motus, quia ita conſiderata non verſatur inter terminos poſitiuos, ſed inter eſſe, & non eſſe caloris, ſicut reliquæ generationes.

59 Reperitur tertiò corruptio frigoris quæ eſt mutatio eiuſdem corporis de frigido in non frigidum. Quartò reperitur intenſio caloris, in quantum conſideramus corpus moueri à calore priùs remiſſo, ad calorem intenſum. Et tandem remiſſio frigoris, vt conſideramus moueri corpus à frigore intenſo, vſque ad certum gradum eiuſdem frigoris remiſſum. Ex his autem quinque certum eſt, præcipuum motum à contrario

in con

in contrarium, & intenſionem termini ad quem veros motus eſſe; cum inter terminos poſitiuè contrarios verſentur; & ex propria natura ſint ſucceſſiui; ſed motus intenſiónis includitur in motu præcipuo, & ad ſummũ diſtinguitur ab eo partialiter; quia præcipuus motus procedit à frigore in calorem; intenſio verò à calore remiſſo ad intenſum; qui ſunt quaſi partes graduales caloris, ad quem totaliter, & complerè terminatur præcipuus. Prima etiam mutatio; quæ eſt generatio caloris, non eſt diſtincta realiter ab eodem motu præcipuo, ſed ſola ratione in quantum conſideratur corpus fieri calidum ex non calido; non conſiderato termino à quo poſitiuo; nempè frigore, à quo procedit motus, ſed ſola negatio calidi. Alia verò mutatio, quæ eſt corruptio caloris ſpecie, & realiter diſtinguitur à motu præcipuo, ab intenſione caloris, & à generatione eiuſdem caloris; cum circa qualitatem ſpecie, & realiter ab eo diſtincta verſetur: realiter quidem diſtingui dicimus ab his tribus, non diſtinctione poſitiua, ſed reali negatiua; cùm corruptio frigotis nega-
60 tiua mutatio ſit, non poſitiua. De remiſſione tandem frigoris diuerſæ ſunt opiniones, an ſit motus tendens in calorem remiſſum, vel non, niſi corruptio partialis frigoris, quod non diſputamus modò, diſputaturi (Deo bene propitio) primo libro de generatióne capite quarto, & ecce ſatis explicata atque diſtincta omnia, quæ in eodem motu à contrario in contrarium reperiri poſſunt. Ex quibus conſtat quamlibet illarum opinionum in eo, quòd aſſerit, veram eſſe, ſed non omnia, quæ in tali motu reperiuntur explicaſſe. Vnde nec argumenta earum ſoluere neceſſe eſt: cum intentum probare cenſeantur, & teſtimonium Ariſtotelis abundè ſatis ex noſtra doctrina ſit expoſitum. Hæc igitur circa quintum librum annotaſſe ſufficiat.

IN

IN SEXTVM LIBRVM ARIST. DE PHYSICO AVDITV,

BREVE PROOEMIVM.

TRADITIS iam in ſuperioribus libris ab Ariſtotele principiis, & cauſis motus; tam intrinſecis, quàm extrinſecis, vnitate ac diſtinctione eius ſpecifica & numerica; atque etiam contrarietate, reſtabat de partibus eius integrantibus agere, quæ ad ſubſtantiam eius pertinent, & hoc eſt intentum huius ſexti libri. Sed motus duplices partes integrantes habet, quaſdam quidem, vt continuus ac ſucceſſiuus eſt, alias verò, vt in ſubiecto extenditur, ſicut reliqua accidentia, & vt priores explicet, agit ex profeſſo de compoſitione continui, & ad poſteriores explicandas diſputat, an neceſſe ſit ſubiectum motus eſſe diuiſibile, vel indiuiſibile etiam per ſe, ac ſeparatum moueri poſſit, & hæc eſt materia totius libri: hæc eius diuiſio bimembris.

CAPVT I.

TEX. ARISTOTELIS.

Si autem eſt continuum, & tangens, & conſequenter, &c.

Breuis expoſitio Textus.

INTENTVM huius capitis eſt oſtendere, quod motus componitur ex partibus integrantibus ſemper diuiſibilibus. Diuiditur autem in duas partes. In prima probat vniuerſaliter de continuo, quòd non componatur ex partibus indiuiſibilibus, ſed ſemper diuiſibilibus. In ſecunda ex proportione magnitudinis, motus, & temporis: probat tria hæc ex partibus ſemper diuiſibilibus componi. Vt probet primum præſupponit, Continua eſſe, quorum vltima ſunt vnum, Contigua, quo 1

gua, quorum vltima ſunt ſimul; & conſequenter ſe habere ea, inter quæ nihil eſt medium eiuſdem generis. Hoc ſuppoſito probat intentum hac ratione: Si continuum, vt linea, exempli gratia, componitur ex partibus indiuiſibilibus, ſic ſe habebunt vt continua ſint in eo, vel contiguæ, vel conſequenter (non eſt enim poſſibilis alius modus ſe habendi) ſed nullo ex his modis poſſunt ſe habere; ergo nec poterunt componere cõtinuum. Probatur minor; nam continua ſunt, quorum vltima ſunt vnum, & Contigua, quorum vltima ſunt ſimul; ſed indiuiſibilia carent extremis, vel vltimis; ergo nec Contigua eſſe poſſunt: Sed quia poſſet aliquis dicere, quòd indiuiſibilia poſſunt eſſe contigua, aut ſe tangere non per vltima, vel extrema; ſed per ſe, aut ſe totis. Probat hoc eſſe impoſſibile hac ratione: Non poteſt vnum tangere alterum ſe toto; niſi penetrando ſe cum illo, vt per ſe eſt manifeſtum; ſed partes continui non poſſunt illud componere per penetrationem; ergo nec ſe tangentes ſecundum ſe totas. Probatur minor, quia continuum ex ſe eſt extenſum habens vnam partem extra alteram loci occupatiuam, ita vt cuique debeatur diſtincta pars loci; ergo repugnat ſe penetrare, & ſe penetrando componere continuum.

2 Quod verò non poſſint indiuiſibilia conſequenter ſe habere in compoſitione continui: probat; quia conſequenter ſe habent ea, inter quæ nihil eſt medium eiuſdem generis, ſed inter quælibet duo puncta neceſſariò mediat linea, in qua ſunt puncta; ergo non poſſunt puncta indiuiſibilia conſequenter ſe habere. Minorem ſic probat: Indiuiſibilia non poſſunt ſe tangere, nec ſe habere conſequenter; vt probatum eſt; ergo neceſſe eſt aliquod dari medium inter illa: illud autem medium vel erit diuiſibile, vel indiuiſibile; ſi diuiſibile, erit linea; & ideò habetur intentum; ſi indiuiſibile; non poterit ſe tangere cum eis; ſed neceſſe erit aliquid eſſe medium inter illud, & quodlibet eorum; & tale medium, cum ſit indiuiſibile, petit aliud medium, ſicque in infinitum: quare neceſſe eſt mediam eſſe lineam inter quælibet duo puncta, & ideò non poterunt conſequenter ſe habere in compoſitione Continui. Secundò probat idem intentum, quod continuum non componatur ex partibus indiuiſibilibus: & ſupponit illam definitionem Continui, quam in tertio libro tradidit, nempè quod continuum ſit diuiſibile in infinitum, aut in ſemper diuiſibilia: qua ſuppoſita ſic arguit: In ea diuiditur cõtinuum, ex quibus componitur; ſi ergo componitur ex indiuiſibilibus, in eadem erit diuiſibile, ſed hæc non poſſunt diuidi; ergo non erit diuiſibile in ſemper diuiſibilia, vel ex indiuiſibilibus nõn componitur.

In

In ſecunda parte capitis probat in particulari, quòd magnitudo, motus, & tempus non componantur ex indiuiſibilibus. Et ſupponit tria hæc mutuò ſe correſpondere; nam motus fit per magnitudinem, & partes motus per partes magnitudinis (loquitur enim de motu locali); motus etiam fit in tempore, & partes motus in partibus temporis. Hoc ſuppoſito ſic arguit: Motus non componitur ex partibus indiuiſibilibus; ergo nec magnitudo, & ſi magnitudo non componitur, neque tempus. Probat primum antecedens, quia prius eſt moueri corpus, quàm motum eſſe; cum ſimul moueri, & motum eſſe repugnet ſucceſſioni eius: ſed prius & poſterius non poſſunt eſſe in indiuiſibili; ergo repugnat motum componi ex indiuiſibilibus, & ex conſequenti; quòd magnitudo ex indiuiſibilibus componatur, & ex hoc ſecundo, ſic probat tertium, quòd tempus non componatur ex indiuiſibilibus. Magnitudo eſt diuiſibilis in partes diuiſibiles; ergo dum mobile per eam mouetur: aliquo tempore eam pertranſit, & prius pertranſit partem eius, quàm totam, ſed prius & poſterius non dantur in duratione indiuiſibili; ergo tempus, quod eſt duratio eiuſdem motus facti per magnitudinem, non componitur ex indiuiſibilibus, ſed ex partibus diuiſibilibus, ſicut magnitudo, & motus.

CAPVT II.

TEXTVS. ARIST.

Quoniam autem magnitudo in magnitudines diuiſibilis eſt, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

INTENTVM Ariſtotelis capite præſenti eſt ex profeſſo probare illud idem, quod in fine præcedentis probare cœpit: nempè tempus non componi ex indiuiſibilibus, ſed ex ſemper diuiſibilibus. Diuiditur autem in duas partes, in prima id probat ex magnitudine, atque etiam ex propria ratione temporis. In ſecunda docet ita ſe habere tempus, & magnitudinem, vt ſi vnum ſit infinitum, neceſſe ſit alterum quoque infinitum eſſe; & ex hoc ſoluit quoddam argumentum Zenonis, quo probabat omnem motum eſſe impoſſibilem. 4

Vt probet ex magnitudine, quod tempus non componatur ex indiuiſibilibus, præſupponit tria certiſſima. Primum, velocius

ciùs mobile in eodem tempore maius ſpatium pertranſire; quàm aliud, quod tardiùs moueatur. Secundum, velociùs mobile in minori tempore tranſire æquale ſpatium. Tertium, quod etiam in eodem tempore pertranſeat maius ſpatium. Ex his autem ita arguit: Demus velociùs mobile tempore vnius horæ pertranſire ſpatium viginti vlnarum, tardiùs verò ex eiſdem viginti vlnis pertranſire in eadem hora tantùm quindecim; tunc ergò idem mobile velociùs in minori tempore pertranſiet eaſdem quindecim vlnas, & etiam aliquid plus, quod eſt in eodem tempore pertranſire maius ſpatium, & in minori etiam tempore maius, & æquale. Ex quibus euidenter ſequitur ſecundum eandem proportionem diuidi tempus, & magnitudinem, & ex eiſdem partibus ſemper diuiſibilibus conſtare: nam motus tardior, & velocior ſimul diuidit vtrumque in maiores partes; quas indiuiſibile habere repugnat. Probat ſecundò ex propria ratione temporis, & præſupponit tria alia etiam

5 certa. Primum, quòd motus non fit in inſtanti; ſed in tempore propter rationem eius ſucceſſiuam. Secundò, in quolibet tempore motum effici poſſe. Tertium, quod quidquid mouetur, poteſt velociùs, & tardiùs moueri. Quibus præſuppoſitis, ita arguit: Illud cuius qualibet parte deſignata poteſt ſemper deſignari alia, & alia minor; diuiſibile eſt in ſemper diuiſibilia; ſed ita ſe habet tempus; ergo erit diuiſibile in ſemper diuiſibilia, quod eſt partibus diuiſibilis conſtare. Minorem probat; quia ſi mobile quodcunque poteſt velociùs, & tardiùs moueri; ergo poteſt in maiori, vel minori tempore aliquam magnitudinem pertranſire; quare quolibet deſignato tempore dari poteſt ſemper aliud minus; quod eſt eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Quod etiam ſequitur euidenter de magnitudine; nam velociùs mobile pertranſit maiorem magnitudinem eodem tempore, quo tardiùs pertranſit minorem; & mobile quodcunque poteſt velociùs, & tardiùs moueri, maiorémque, & minorem magnitudinem pertranſire; ergo data quacunque magnitudine, dabilis eſt ſemper minor; quod eſt eſſe diuiſibilem in ſemper diuiſibilia.

6 Ex quibus colligit in ſecunda parte capitis eodem modo ſe habere magnitudinem, & motum, quantum ad rationem finiti, aut infiniti; ita vt, ſi vnum eſt finitum, neceſſe ſit aliud etiam finitum, aut infinitum eſſe. Quia eodem modo ſe habent quantum ad compoſitionem ex partibus ſemper diuiſibilibus. Sed infinitum ait duplex eſſe; aliud diuiſione, aliud extremis: infinitum diuiſione illud eſt, cuius diuiſio nullum habet terminum: infinitum extremis, quod extremis, aut terminis caret.

caret. Vnde illud aſſerit eſſe infinitum in potentia, hoc verò infinitum actu; & ideò hoc infinitum non eſt vllo modo pertranſibile. Eodem autem modo conuenit ratio vtriuſque infiniti magnitudini, ac tempori; ita, vt ſi illa ſit infinita in potentia, vel etiam actu; etiam, & hoc. Ex quibus aſſerit ſolui poſſe argumentum Zenonis, quo probat motum non eſſe poſſibilem hoc modo: Motus fit per ſpatium, aut per magnitudinem, & hæc eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia; ergo conſtat infinitis partibus; ſed infinitum non eſt pertranſibile; ergo nunquam poterit motus abſolui; & ideò non erit poſſibilis. Cui reſpondet Ariſtoteles, magnitudinem non eſſe actu infinitam; ſed actu finitam; & infinitam in potentia; licèt habeat partes proportionales in infinitas, tempus quoque, & motus eodem modo infinita ſunt in potentia; & non actu; ideò pertranſiri poteſt magnitudo motu actu finito; ſed infinito in potentia & tempore etiam actu finito; & potentia infinito; & ita patet motum non eſſe impoſſibilem.

TRACTATVS DE COMPOSITIONE CONTINVI.

An in continuis dentur vera, & realia indiuiſibilia, vt in linea puncta; ſuperficie puncta, & lineæ; & in corpore lineæ, ſuperficies, & puncta.

DVo poſſunt excogitari in continuo, nempè partes diuiſibiles, & indiuiſibilia; quibus copulentur, & circa vtrumque agitandæ erunt queſtiones aliquot; & circa indiuiſibilia eſt prima; an ſint, hoc eſt, an vera, & realis dentur in continuis; vel ſolùm per imaginationem apprehenſa. Et prima opinio negat omninò eſſe in continuo; ſed punctá nihil aliud eſſe aſſerit; quàm longitudinem corporis vlteriùs non procedentem; lineam verò nihil aliud, quàm corpus vlterius non extenſum ſecundum latitudinem: & ſuperficiem corpus idem, vlterius non extenſum ſecundum profunditatem. Itaque indiuiſibilia hæc, nihil reale ſunt in continuo; ſed negationes quædam diuiſionum; ideò excogitatæ ab intellectu; quia dimenſiones ipſæ longitudinis, latitudinis, & profunditatis non diſtinguuntur realiter in corpore; ſed

ſed ſola ratione, vnde ſic ſe habent in corpore, vt vna non includat conceptum alterius, eas autem ita diſtinguit intellectus; quia intelligit quaſdam paſſiones demonſtrari à Mathematicis de corpore ratione ſolius longitudinis; alias verò ratione ſolius latitudinis; quas, vt ſeparet, tribuit ſingulis negationem diuiſionis ſecundum alias dimenſiones per modum indiuiſibilium; hoc eſt, punctorum, linearum, & ſuperficierum; cum tamen hæc non ſint in eis realiter; ſed pro diſtinguendis eiſdem dimēſionibus excogitata. Ita Durand. in 2. d. 4. Ocham.
8 in tract. de Sacrament. Euchar. cap. 1., & 2. P. Perer. lib. 10. de quantitate cap. 6. Ad eandem opinionem videtur pertinere ſententia Gregor. in 2. d. 2. quæſtione 2. art. 1. aſſerentis indiuiſibilia hæc eſſe realiter ipſum corpus ſecundum diuerſas connotationes negationum formaliter diſtinctarum. Probatur hæc ſententia. Primò, quia ſi indiuiſibia dentur actu in continuis; ſequitur dari accidentia ſine ſubiectis; quod patet eſſe impoſſibile. Probatur conſequentia, quia indiuiſibilia non poſſunt eſſe ſubſtantiæ, cum pertineant ad quantitatem; quæ verum acccidens eſt; ergo ſunt accidentia, ſed nullum habent ſubiectum; ergo datur accidens ſine ſubiecto. Probatur minor, quia vel indiuiſiblia hæc accidentia habent ſubiectum diuiſibile; vel indiuiſibile, non poſſunt inhærere in ſubiecto diuiſibili, quia non habent proportionem cum eo, & accidens debet habere proportionem cum ſubiecto inhæſionis: ſed nec indiuiſibile ſubiectum habere poſſunt; quia vel inhærent immediatè in ſubſtantia, vel in eiſdem quantitatibus continuis; vt puncta in linea, & vtraque eſt diuiſibilis, vt ex ſe patet: in neutra ergo eſſe poterunt tanquam in ſubiecto; & ita nullum habebunt ſubiectum. Et certè ſi talia indiuiſibilia ponerentur, vt terminarent, vel copularent partes continuorum, ſeparari poſſent per diuinam potentiam; quibus ſeparatis permaneret continuum diuiſum in omnem partem; & ſine vllis terminis, fierétque actu infinitum, & vtrumque continet manifeſtam repugnantiam. Dicendum igitur eſt ſeipſis copulari partes continuorum & per ſe ipſa eſſe terminata eadem continua, & non per indiuiſibilia.

9 Secundò, ſi indiuiſibilia ponantur, ſequitur, quod dum continuum diuiditur, vel ex duobus fit vnum per continuationem, vt dum ex duabus portionibus aquæ fit vna; quædam indiuiſibilia fiunt de nouo, & alia deſinunt; quia vt vniantur de nouo, & vt de nouo terminentur partes, neceſſe eſt noua indiuiſibilia fieri, & quæ priùs copulabant, deſinere: ſed non poſſunt fieri, niſi per creationem, nec deſinere, niſi per annihila-

tionem: ſic autem fieri, vel deſinere non eſt concedendum, ergo nec dari in continuis. Probatur minor; quia nec educuntur de potentia continuorum, nec remanent in ea, poſtquam eſſe deſinunt, ſed totaliter incipiunt, & totaliter deſinunt; ergo ex nihilo, & in nihilum. Si verò dicas fieri, & deſinere per diuiſionem, vel per coniunctionem; probo eſſe impoſſibile; quia vtraque eſt motus localis, per quem repugnat produci entitatem quantitatiuam, aut ſubſtantialem. Probatur tandem; quia ſi darentur indiuiſibilia, admittendum eſſet actu infinitum duobus extremis clauſum. Nam inter duo puncta extrema lineæ darentur alia infinita, quibus continuarentur partes, & inter ſuperficies extremas terminantes corpus darentur infinitæ aliæ lineæ, ac ſuperficies continuantes, quæ omnia abſurda ſunt.

Secunda opinio, nullum indiuiſibile actuale concedit continuis, vel quia nec partes vllas actuales habere cenſet, ſed eſſe quandam entitatem ſimplicem: hoc eſt carentem compoſitione ex partibus integrantibus, in quo ſenſu defenditur à quibuſdam Modernis: vel quia licet partes integrantes habeant, ſeipſis vniri exiſtimat, & non per indiuiſibilia, ſed vtrique concedunt eiſdem continuis indiuiſibilia extrema, quibus terminentur, vt lineæ duo puncta, ſed nullum, quibus continuentur partes, vel quia eas non habent, vel, quia ſeipſis vniuntur, ſi eas habeant. & in hoc ſenſu eam defendit Fonſeca 5. libro Metaphyſicor. cap. 16. quæſt. 6. ſect. 5. Huic autem ſententiæ addunt Moderni quidam eam defendentes, quòd licet in continuis non dentur indiuiſibilia actu, præter extrema, quibus terminantur, dantur tamen in potentia, & per deſignationem intellectus in toto continuo, & ſingulis eius partibus, ſicut etiam dantur partes proportionales in potentia, & per deſignationem, & huius ſignum eſt, quòd per diuiſionem continui duo indiuiſibilia extrema reſultant actu, de quibus negari non poteſt, quòd prius eſſent in potentia.

Probatur teſtimoniis Ariſtotelis, qui vbicunque de hac re loquitur, aſſerit indiuiſibilia, non actu, ſed potentia eſſe in continuis, præſertim 3. libr. Metaphyſic. cap. 5. text. 17. vbi hac ſimilitudine vtitur: Sicut Mercurius non eſt in rudi lapide actu, ſed potentia, ita ſuperficies ſunt in medio partium corporis. Atque etiam D. Thomas præſertim opuſ. 36. vbi ſic ait, *in linea ſunt puncta quidem duo actu, vt eius termini, qui cadunt in eius definitione, & infinita alia in potentia, ſecundum quod ipſa eſt in infinitum diuiſibilis potentialiter.* Probatur etiam ratione, quia ſi in medio cõtinui dantur indiuiſibilia actu, erunt

diſtincta

diſtincta realiter, quare dabitur numerus actu infinitus entitatum realium in quolibet continuo; actu autem infinitum non ſolum non datur, ſed ſatis probabile eſt dari non poſſe, etiam per potentiam Dei abſolutam.

11 Tertia opinio ponit indiuiſibilia actu in continuis, non ſolùm terminatiua, ſed continuatiua omnium partium proportionalium. Ita D. Thomas expreſſè opuſ. 36. capit. 2. his verbis, *in linea ſunt plures puncti, & realiter ab inuicem diuiſi*, vt duo eius termini, & ſimiliter in eius continuatione; q. etiam 28. de veritate articu. 2. ad 10. & quodlib. 7. articul. 9. ad 2. Capreol. in ſecunda diſt. 2. quæ. 2. art. 3. Soncinas 5. libr. Metaphyſic. quæſt. 20. Sotus in prædicamento quantitatis, Caiet. ibidem, atque etiam 3. p. quæſtion. 4. articul. 2. Alenſis libr. 3. ſuæ Metaphyſic. capit. 5. Scotus in 2. diſt. 1. quæſtion. 3. & d. 2. quæſt. 4. & eſt *iam communis inter Modernos, & vera, & in doctrina Ariſtotelis neceſſaria.*

¶ Probatur primùm, quia quatuor reperiuntur expreſſa apud Ariſtotelem de his indiuiſibilibus; quæ non poſſunt eſſe vera, niſi realia, actualia, & poſitiua ponantur in continuis; non ſolum tanquam extrema, aut terminatiua, ſed etiam in medio, pro continuatiuis partium. Primum eſt, quod linea, ſuperficies, & corpus ſunt ſpecies reales, atque diſtinctæ ſub genere quantitatis continuæ, quod aſſerit, non ſolùm capite de quantitate in Dialectica, ſed etiam 5. Metaphyſic. capite 13. & de linea quidem eſſe diuiſibilem ſecundum longitudinem, & indiuiſibilem ſecundum latitudinem, de ſuperficie, quod ſit diuiſibilis ſecundum longitudinem, & latitudinem, & indiuiſibilis ſecundum profunditatem, & ex hoc diſtingui ſpecie: ſed ſpecies prædicamentales ſunt entitates reales, & poſitiuæ, atque diſtinctæ per differentias reales, & poſitiuas; ergo dantur in ſuperficie lineæ veræ, & reales, & in corpore veræ, & reales ſuperficies; quæ cum ſint realiter indiuiſibiles ſecundum longitudinem, & latitudinem, neceſſe eſt apud Ariſtotelem dari indiuiſibilia actu, & realiter exiſtentia in continuo. Secundò aſſerit corpora Phyſica realiter ſe tangere, & eſſe contigua; & contigua eſſe, quorum vltima ſunt ſimul, continua

12 verò, quorum vltima ſunt vnum 5 libro Phyſic. cap. 3. ſed contactus realis non datur, niſi per aliquid reale, & poſitiuum, & hæc non poteſt eſſe pars, quia cum quælibet pars continui ſit diuiſibilis in infinitum, non poteſt habere vltimam, nec primam; ergo repugnat contactum poſitiuum fieri per partes, ſed neceſſariò debet fieri per indiuiſibilia realia, ac poſitiua, aſ[?]ique in continuis exiſtentia. Tertiò, aſſerit locum eſſe

vltimam aut extremã ſuperficiem corporis continentis, & eſſe æqualẽ locato; licet corpus continens cuius extremum eſt, ſit longè maius contento 4. lib. Phyſic. in principio, quod ſaluari non poteſt, niſi detur in corpore actualis ſuperficies indiuiſibilis ſecundum profunditatem, quæ ſit terminus extrinſecus corporis continentis, & extrinſecus corporis contenti, nec ſolum in fine corporis, ſed etiam in medio: cum conſtet aërem, vel aquam eſſe loca actualia ſine omnimoda diuiſione à corpore ingrediente facta, quod non poteſt eſſe, niſi in medio habeant actuales ſuperficies. Vltimum, quod docet in prædicamento quantitatis, & 5. lib. Phyſ. cap. 3. eſt, *continuum eſſe, cuius partes copulantur termino communi*, vel, *quod idem eſt, continua eſſe quorum vltima ſunt vnum*: & cum corpora ſint actu continua, neceſſe eſt eorum partes actu, & realiter copulari termino communi, vel extrema earum actu, & realiter eſſe vnum, nomine autem extremorum euidens eſt indiuiſibilia intelligi, cum non dentur partes extrema.

Sed probatur ſecundò, quòd *vera ſit noſtra ſententia, & communis.* 13 Quoniam corpus perfectè ſphæricum non poteſt tangere perfectè planum, niſi in puncto, vt docet expreſſe Ariſtoteles primo lib. de anima, capite primo, textu 13. & demonſtrat Euclides libro tertio; prop. 16. ex natura figurarum vtriuſque corporis. Quod verò dicunt aduerſarij negari poſſe, quòd contactus talium corporum ſit poſſibilis fundamento rationis carere: cum conſtet, non poſſe excogitari impedimentum talis contactus, potiùs quàm aliorum corporum, niſi propter defectum indiuiſibilium, quæ ab eis negantur, ſed hoc manifeſta petitio principij eſt; quia pro impedimento affertur id, circa quod quæſtio verſatur, & Ariſtoteles de cõtactu ſphæræ æneæ loquitur, vt intelligatur verum, ac Phyſicum eſſe poſſe. Secundò probatur ex natura temporis, de quo nullus negat habere inſtans indiuiſibile præſens, copulans partem præteritam cum futura, & efficiens vnum tempus continuum ex vtraque; ergo neceſſe eſt ponere indiuiſibilia in medio continuo, & multa quidem; nam vt probauimus in 4. lib. non eſt vnum inſtans in toto tempore, ſed plura, & infinita. Argumenta pró prima opinione poſita ſequentib. dubiis eorum occaſione excitatis ſoluentur.

An omnia indiuiſibilia ſint actu in continuo, vel quadam actu, alia in potentia.

14 NOn procedit hoc dubium ſecundum primam opinionem negantem omnibus modis indiuiſibilia, ſed iuxta ſecundam, quæ extrema ſaltem actu admittit; continuatiua verò ſolum aſſerit eſſe in potentia, propter teſtimonia Ariſtotelis, & D. Thomæ, & ne compellatur admittere in rerum natura entitates reales actu infinitas. Et huic etiam opinioni fauet tertium argumētum primæ opinionis; quia ſi omnia dentur actu, erunt actu infinita puncta in quacunque linea. & cum tota linea claudatur duobus punctis extremis; dabitur actu infinitum duobus terminis clauſum, quod repugnat.

Noſtra tamen ſententia duo aſſerit. Primum, omnia indiuiſibilia, quibus terminatur continuum, & copulantur eius partes, actu eſſe in eo, hoc probat efficaciter contactus ſphærici corporis ſuper planum poſiti. Probatur etiam ex corporibus perfectè planis, quæ cum poſſint ſe tangere, non poſſunt, niſi in ſuperficie indiuiſibili ſecūdum profunditatem. Præterea in columna perfectè rotunda (quam cylindrum vocant) quæ ſi ſuper planum perfectum circumuoluatur; non poteſt ipſum tangere, niſi in linea indiuiſibili ſecundum latitudinem.

15 Secundò probatur; quia bene ſequitur; indiuiſibilia continuatiua nōn poſſunt eſſe in potentia in continuo, vt tenet oppoſita ſententia; ergo ſunt in actu, ſed terminatiua admittit eſſe in actu; ergo omnia erunt in actu. Probatur antecedens, quia in ſuperficie dantur lineæ, & in corpore ſuperficies actu terminantes; ſed iſtæ lineæ, & ſuperficies non ſunt actu ſeparatæ inter ſeſe, ita vt lineæ terminentur actu punctis & ſuperficies lineis, ſed continuata quadam extenſione protenditur quælibet per totum corpus; ergo ita eſt extremum ſuperficiei linea, vt partes eius contineret; & ſuperficies partes corporis; quare neceſſe eſt ponere indiuiſibilia actu continuantia, alioqui non erit corpus quantitas continua actu, ſed ſolum in potentia; quod eſt falſum.

Secundum quod aſſerit noſtra ſententia, eſt indiuiſibilia in quolibet continuo eſſe actu infinita. Probatur hac ratione: Continuum, vt definit Ariſtoteles 5. lib. Phyſ. cap. 2. eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia: ergo quibuſcunque partibus ab eo ſeparatis, aliæ ſunt ſeparabiles in infinitum, ſed in omnibus & ſingulis ſunt indiuiſibilia actu continuantia, vt probatum eſt: ergo dantur actu infinita in quolibet continuo.

Vt autem intelligamus, quem ſenſum tenuerint Ariſtoteles, & D. Tho. in illis teſtimoniis; primò notandum eſt, quod indiuiſibilia ita ſunt actu in continuo, vt licet ſint realiter diſtincta inter ſeſe, & à partibus, quas copulant; non tamen ſunt realiter ſeparata inter ſeſe, & à partibus, ſed actu eis coniuncta; cum quibus vnum continuum componunt, poſſunt tamen ſeparari cum ipſis partibus ab eodem continuo per diuiſionem. Secundò notandum eſt, indiuiſibilia in continuo eſſe in triplici differentia; nam quædam actu terminant eadem continua: quædam actu continuant partes eorum; & alia neque actu continuant, neque actu terminant, ſed ſolùm in potẽtia terminare poſſunt, & hæc potentia reducitur ad actum per diuiſionem. Et duo priora indiuiſibilia actu ſunt in continuo; poſtrema verò ſolùm in potentia, & fiunt actu, dum actu diuiditur continuum: atque etiam actu terminant partes diuiſas: quomodo autem fiant, vel per quam actionem, inferiùs explicabitur. Dum ergo Ariſtoteles & D. Thomas aſſerunt indiuiſibilia non eſſe actu in continuo, ſed in potentia tantùm, non negant actum exiſtentiæ in eo; ſed ſolùm actum ſeparationis, ita vt ſenſus ſit, non eſſe actu ſeparata ab eis, ſed actu coniuncta cum partibus componentia, poſſe verò ſeparari naturaliter ab eis cum eiſdem partibus, quas copulant. Vel ſecundò, ſi actum exiſtentiæ in eis negare velint, non de duobus primis generibus indiuiſibilium loquuntur, ſed ſolùm de tertio genere eorum, quæ nec actu ſunt in continuo, nec actu terminant, ſed poſſunt ad actum reduci, & actu terminare per diuiſionem actualem eiuſdem continui. 16

Ad primum argumentum concedendum eſt; quòd dentur entitates actu infinitæ in quolibet continuo; ſed incompletæ conſtituentes vnam completam, atque finitam, quæ eſt entitas totius continui; & hoc modo dari entitates actu infinitas nullum eſt inconueniens. Nec etiam, quod dentur infinities infinitæ, vt neceſſarium eſt dari in quolibet continuo quantum libet minimo. Aliud verò argumentum de actu infinito duobus extremis clauſo hac diſtinctione ſoluendum eſt. Extrema ſunt in duplici differentia, poſitione aut numero: Extrema poſitione vocantur illa, quæ extremum ſitum habent in corpore, vltra quæ non ſe extendit quantitas eius, vt ſuperficies terminantes corpus, vltra quas non ſe extendit profunditas eius. Extrema verò numero dicuntur vnitates, quæ ſic ſe habent in numero, vt vltra illas non ſint aliæ vnitates numeratæ, vt in numero quaternario, quarta vnitas dicitur extrema. Puncta igitur, quibus clauditur linea; extrema 17

ſunt

ſunt eius poſitione, non tamen ſunt extrema numeri, quem conſtituunt cum cæteris punctis, quia vltra quodcunque eorum dantur alia, & alia numeranda in infinitum, ideò nullum poteſt vocari extremum numeri, quia ſi ab eo numeratio incipiat, nunquam finietur. Ex quo intelligitur repugnare, quòd omnia indiuiſibilia vnius continui claudantur duobus extremis, quorum vnum ſit primum, & aliud vltimum, & ex conſequenti, quòd in eo genere, in quo aliqua ſunt infinita, claudi poſſint extremis: in diuerſo verò genere non eſt inconueniens, & hoc ſolùm probat argument. quod infinitum in numero claudatur extremis poſitione.

18 De lineis verò actu continuantibus ſuperficiem, & corpus, dubium eſſe poteſt, quo modo ſe habeant in eis: nam ſi infinitæ actu dantur, cum non ſint actu ſeparatæ inter ſeſe, ita vt quælibet actu ſit terminata duobus extremis punctis (nam ſi ita darentur, fieret, vt linea, ſuperficies, & corpus actu eſſent ſeparatæ, quod repugnare probauimus in prædicamento quantitatis) neceſse eſt, vt in eodem puncto actu continuante concurrant omnes non recta via, ſed quaſi per circuitionem tendentes, & ſi ita eſt, ſequitur lineas actu infinitas vniri in eodem puncto, quod non poteſt intelligi, niſi per continuationem, & ſi omnes continuantur, fiet vna, & eadem linea ex omnibus, quaſi girans vel circundans totum continuum, habenſque partes actu infinitas, quare erit actu infinita, & ex alia parte clauderetur extremis: quia longitudo corporis extremis clauditur, vtrumque verò continet manifeſtam repugnantiam.

Huic dubio reſpondent Moderni quidam, in eodem continuo non eſſe plures lineas, ſed omnes lineas quæ à nobis conſiderantur per modum plurium, eſſe partes vnius lineæ, quam componunt continuatæ per puncta: & ſicut partes ipſæ ita copulatæ infinitæ ſunt, ſic componunt vnam lineam, quæ infinitis modis circuit, & girat ipſum continuum, & conſtat infinitis partibus æqualibus continuatis punctis; non tamen eſt actu infinita; quia licet infinitæ partes æquales concurrant ad compoſitionem eius, tali modo vniuntur inter ſeſe, vt intra magnitudinem finitam, & intra definitos terminos claudantur, & quodam confuſo modo inter ſe vniantur ad componendam finitam magnitudinem. Nec eſt inconueniens dari lineam quodammodo infinitam, in quantum ex partibus infinitis æqualibus componitur, & clauſam punctis extremis, quia non eſt infinita ſimpliciter, ſed ſecundum quid; nec clauditur extremis ſolùm terminantibus, ſed etiam cõtinuantibus. Hæc

ſint actu, & realiter in continuis, dicendum eſt realiter ab eo, & inter ſeſe diſtingui. Probatur primum, quia repugnat eandem entitatem realem eſſe realiter diuiſibilem, & realiter indiuiſibilem, eſſe etiam realiter compoſitam, & realiter ſimplicem, ſed continuum eſt entitas realiter diuiſibilis, & compoſita ex partibus integrantibus indiuiſibile eſt entitas carens tali compoſitione, & tali diuiſibilitate, ergo ſunt entitates diſtinctæ realiter. Secundò, ea, quorum vnum ſeparatur ab alio realiter, ſunt entitates reales diſtinctæ alioqui dum ſeparatur vnum ab alio, nulla entitas realis ſepararetur, ſed indiuiſibile continuatiuum ſeparatur à continuo per diuiſionem; cum per eam deſinat eſſe; & etiam dum ex duobus fit vnum, tunc enim terminatiua vtriuſque deſinunt eſſe; ergo ſunt entitates diſtinctæ. Quod verò inter ſeſe diſtinguantur ipſamet indiuiſibilia, non minus euidenter probatur, quia copulant partes eiuſdem continui realiter diuerſas, & ſitu diſtantes, quod repugnat facere eandem entitatem realem.

22 Secundum autem de reali ſeparatione duobus modis intelligi poteſt. Primò, per definitionem eorundem indiuiſibilium. Secundò, ita vt permaneant per ſe ſeparata ab eo. Et de primo modo ſeparationis non poteſt eſſe dubium, cum videamus in diuiſione eiuſdem continui deſinere indiuiſibilia continuatiua, & in coniunctione duorum continuorum deſinere terminatiua: dubium ergo procedit de ſecundo modo ſeparationis, an fieri poſſit per diuinam potentiam, quòd indiuiſibile ſeparetur à continuo, ita vt ſeparatum ab eo permaneat. Et dubium hoc dependet ex modo, quo diſtinguuntur realiter eadem indiuiſibilia à continuo, nam duplex eſt diſtinctio realis, aut vnius rei ab alia, aut modi alicuius rei à re ipſa, & illa diſtinctio vocatur realis ſimpliciter, cum ſit diſtinctio rerum, hæc verò non tam realis, cum non ſit inter res, quam ex natura rei, cum ſit duarum entitatum realium, ſine dependentia ab intellectu diſtinctarum. Et ſi indiuiſibilia non diſtinguantur à continuo, niſi vt modi eius, certum erit non poſſe conſiſtere ab eo ſeparata, quia ratio intrinſeca modi conſiſtit in actuali modificatione ac determinatione rei, cuius eſt modus; ergo repugnabit ab ea ſeparari, quia repugnabit ab ea ſeparatum modificare aut determinare, itaque idem erit excogitare modum ſeparatum à re, cuius eſt, & excogitare eum non eſſe. Si verò ſint res, certum quoque videtur ſeparari poſſe: quia ſi res ſunt, per ſe completæ erunt, & non habebunt intrinſecam dependentiam in ſuo eſſe ab eodem continuo. Dubium eſt ergo, an indiuiſibilia in continuo ſint tanquam res diſtinctæ:

partibus eius, vel potiùs tanquam modi earum.

Et prima opinio tenet diſtingui à partibus tanquam res. Probatque teſtimonio Ariſtot. qui in fine huius lib. diſputat, 23
an indiuiſibile ſeparatum poſſit moueri; ergo ſupponit ſeparari poſſe à continuo, alioqui fruſtra diſputaret de motu eius. Si verò ſeparari poteſt, res erit, & non modus; ergo ex mente Ariſtotelis cenſeri debet res. Probatur etiam ratione, quia modus ſimul eſt cum re ipſa, eamque penetrat, vt patet de modo vnionis materiæ cum forma: ſed indiuiſibilia continuorum non ſunt ſimul cum partibus eorum, nec ſe penetrant cum eis, ſed ſitu diſtinguuntur; ergo non ſunt modi. Secundò, quia ſi eſſent modi per ſeipſos vnirentur partibus; & non per alios modos; alioqui procederetur in infinitum, ſed non vniuntur ſeipſis partibus, ſed per alios modos; ergo non ſunt modi, ſed res. Probatur minor, quia ſi ſeipſis vnirentur, diſtincta eſſent indiuiſibilia terminatiua, à continuatiuis; cum diuerſo modo formali, ac per diuerſum officium vniantur partibus, nempe per actualem continuationem, & actualem terminationem, quæ differunt formaliter: quod tamen non eſſet neceſſarium, ſi eſſent res: nam tunc non conſiſteret ratio eorum in eo, quòd eſt actu vnire, & ideò nec diſtincto modo formali vnirent, ſed vnirentur per alios modos tanquam res. Quod præſertim verum eſt: quia ſi eſſent modi, non poſſet dari aliquod indiuiſibile continuatiuum in rerum natura, quin actu continuaret; & tamen dari conſtat in calefactione; quæ ſi perueniẽs ad quartum gradum caloris ceſſet, indiuiſibile caloris, vt quatuor, non vniet illam partem caloris cum ſequenti, quæ nondum eſt producta, & ſi procederet motus actu vniret, ergo datur in rerum natura ſine officio actuali vniendi, quare 24
non erit modus, ſed res. Et tandem probant de indiuiſibilibus ſucceſſiuorum, vt de inſtantibus temporis, quæ non vniunt realiter partes temporis; ergo non ſunt modi. Probatur antecedens, quia non poſſunt actu vniri, niſi, quæ actu exiſtunt, cum vnio extremorum præſupponat coexiſtentiam realem eorum: partes autem temporis non exiſtunt actu, cum præteritum iam non ſit, & futurum nondũ ſit, ergo nec poſſunt actu coniungi, nec attingi ab inſtanti, & ideò nec erit modus earũ, ſed res. Secunda opinio diſtinguit indiuiſibilia continuorum permanentium ab indiuiſibilibus ſucceſſiuorum, & hæc diſtingui docet tanquam res, illa verò, non niſi tanquam modos.

Noſtra ſententia tria aſſerit de omnibus indiuiſibilibus, tam 25
permanentium, quàm ſucceſsiuorum. Primum, *non diſtingui à partibus tanquam res, ſed tanquam modos earum.* Secundum,

non

non vniri partibus per alios modos vnionis, ſed *ſeipſis*. Tertium, *non poſſe ſic ſeparari ab eis, vt ſeparata conſiſtant.* Ita ſentit maior modernorum pars inter quos hæc dubia de indiuiſibilibus verſantur; nam antiqui interpretes, nec verbum de eis faciunt. Ex his autem tribus primum ſolùm probandum eſt de modo diſtinctionis, ex quo euidenter ſequuntur cætera. Probatur autem quod indiuiſibilia non diſtinguantur à partibus continuorum tanquam res, ſed tanquam modi teſtimonio Ariſtotelis, qui docet de his indiuiſibilibus tam continuorum permanentium, quàm ſucceſſiuorum, ſolùm deſeruire ad continuandum, & terminandum partes eorum, ita vt per continuationem fiant vnum continuum; ſed continuare eſt vnire partes, vt cum ſint plures, fiat ex eis vnum continuum, & vnire eas eſt eſſe modum vnionis earum; ergo ſentit indiuiſibilia eſſe modos partium, & non res, aſſerit verò vtrumque 4. lib. Phyſ.
26 agens de tempore, & lib. 5. text. 26.

Probatur etiam ratione, & primò de indiuiſibilibus continuatiuis permanentium continuorum; nam continua hæc componuntur ex partibus realiter diſtinctis, & inter ſeſe vnitis, ſed non poſſunt vniri, niſi per hæc indiuiſibilia; ergo proprium officium eorum eſt eſſe vniones partium, ſed vnio eſt modus; ergo ex proprio officio ſunt modi, & non res. Probatur minor, quia cætera per ſe patent: nam partes non vniuntur ſeipſis, alioqui ceſſaret neceſſitas ponendi indiuiſibilia, eſſentque ſuperflua: nec vniuntur per alias partes, alioqui procederetur in infinitum; quia eadem eſſet quæſtio de partibus vnientibus, ac de partibus vnitis; ergo vniuntur per indiuiſibilia. Probatur euidenter conſequentia; quia non reſtat aliud, per quod poſſint vniri partes inter ſeſe: ſi autem per indiuiſibilia vniuntur; ergo ſunt vniones partium, atque adeò modi earum, & non res, quia vnio ex propria ratione eſt modus. Et confirmari poteſt efficaciter; nam ſi indiuiſibilia non ſunt modi, ſed res, neque vniunt partes, ſequitur non
27 eſſe ponenda in continuis. Probatur conſequentia; quia indiuiſibilia non ſunt partes continuorum: quia partes debent eſſe diuiſibiles, ſed neque vniunt partes; quia iam eſſent modi vnionis; ergo nihil prorſus in continuo efficiunt; quia non eſt excogitabilis alius modus componendi, niſi tanquam pars, vel tanquam vnio partium: nec eſt excogitabile aliud officium, quod eis tribui poſſit, præter officium partis, vel vnionis partium. Secundò, quia ſi indiuiſibilia ſunt res, & non modi vnionis; ergo non adhærent partibus, nec vniuntur eis per ſe, ſed per alios modos vnionis, qui erunt imprimis entitates reales ab

eis

eis diſtinctæ, & ex conſequenti multiplicabuntur infinitæ aliæ entitates reales in continuis ſine vrgenti neceſsitate: ſed ſi per alios modos vniuntur partibus, ſequitur eaſdem partes non vniri inter ſe; neque continuari: quare neque efficere vnum continuum, quod eſt falſum. Probatur conſequentia: 28 nam indiuiſibilia non habent officium vniendi partes, quia nō ſunt modi, ſed res; ergo partes non vniuntur per ea, ſed nec per alios modos, quibus ipſa vniuntur partibus; quia quilibet horum modorum ſolùm vnit indiuiſibile cum parte cui adhæret; ergo non tangit neque vnit immediatè partes inter ſeſe, ſed nec vniuntur immediatè ab indiuiſibilibus; ergo nihil eſt, quòd immediatè, & per ſe eas vniat, vel continuet: nam ſi indiuiſibilia ſunt res, non poſſunt eas vnire per ſe immediatè, nec etiam modi eorundem indiuiſibilium immediatè & per ſe eas vnire poſſunt; quia immediatè ſolùm vniunt eadem indiuiſibilia cum partibus; nihil ergo immediatè vniet partes, quare nec continuari poterunt, aut vnum continuum efficere. De indiuiſibilibus verò terminatiuis faciliùs probatur; quia terminare non eſt aliud, quàm modum ponere extenſioni eorundem continuorum ſicut terminare naturam eſt eam modificare, & ideò ſubſiſtentia eſt modus eius; ergo indiuiſibilia terminatiua ex proprio officio terminandi ſunt modi, & non res.

De indiuiſibilibus deinde ſucceſſiuorum ſic probo; quia 29 vel inſtans temporis vnitur partibus per ſe, vel per alium modum vnionis; neutro modo vniri poteſt, ſi non ſit modus; ergo neceſſe eſt ipſum ponere modum. Probatur minor; quia multi ex his, qui tenent hæc indiuiſibilia eſſe res, dicunt non eſſe modos; quia non poſſunt copulare partes non exiſtentes. Et eodem argumento probatur euidenter contra eos, non poſſe eſſe res; quia ſi non poſſunt per indiuiſibile tanquam per modum vniri; quia non exiſtunt, longè minus poterunt ei vniri, ſi ſit res, cum per alium modum vnionis ei vniri debeant. Sed aduerſus omnes probatur, quia non poteſt fieri vnum tempus ex parte præterita, & futura, niſi per inſtans continuentur; nam ſi continua non ſint, nec erunt vnum; ergo non poteſt inſtans aliud habere officium in tempore, niſi vniendi partes eius; quod eſt officium modi. Nec ſoluit argumentum id, quod aduerſarij aſſerunt, continuationem ſucceſsiuorum ſolùm fieri per ſucceſsionem partium non interruptam, quam habent mediis indiuiſibilibus quia res, quæ ſibi immediatè ſuccedunt. & non copulantur termino communi, non poſſunt eſſe continuæ; ſed conſequenter ſe habent, docuit

expreſsè

expreſsè Ariſtoteles in quinto libro; ergo repugnat partes temporis continuari, vel vnum tempus efficere, niſi vniantur inſtāti, ſed ſolùm ſe habebunt conſequenter, quod patet eſſe falſum.

30 Ex his colligitur implicare contradictionem, quòd indiuiſibilia ſeparentur à partibus continui, ita vt ſeparata conſiſtant; quia intrinſeca ratio modi eſt modificare, & determinare rem, cuius eſt modus; ergo ex propria ratione repugnat ei ſeparatum à re exiſtere: ſi ergo indiuiſibilia diſtinguuntur à partibus continui tanquam modi earum, repugnabit conſiſtere ab eis ſeparata.

Ad teſtimonium autem Ariſtotelis reſpondeo conditionaliter loqui, ſicut de motu per vacuum; an in inſtanti fieret, vel in tempore. Senſus ergo illius eſt inquirere, an ſi indiuiſibile daretur ſeparatum per poſſibile, vel impoſſibile, moueri poſſet. Et licèt conditionalis ſit quæſtio, valdè tamen vtilis eſt ad intentum Ariſtotelis, quod eſt oſtendere ſubiectum motus debere eſſe diuiſibile, quod non potuit aliâ viâ meliùs probare, quàm oſtendendo, quod etiamſi indiuiſibile daretur ſeparatum per poſſibile, vel impoſſibile, moueri non poſſet. Ad primum argumentum neganda eſt maior; quòd modus ſimul ſit cum re ipſa per penetrationem; quia penetratio non datur, niſi inter ea, quæ habent extenſionem molis; quare non eſt neceſſe indiuiſibilia ſe penetrare cum partibus, licèt ſint modi earum. Vel ſecundo dicimus, quòd etiam ſi alij modi ſe penetrarent cum partibus, non eſſet eadem ratio de indiuiſibilibus, qui ſunt modi partium per ſe extenſarum; & ideò neceſſe eſt diſtingui ab eis ſitu, & poſitione. Non eſt ergo vniuerſaliter vera propoſitio, quòd modi debeant ſe penetrare cum re, licèt de aliis modis rerum nō per ſe extenſarum vera concederetur.

31 Ad ſecundum argumentum concedenda eſt maior; quòd indiuiſibilia omnia ſeipſis vniantur partibus, & non per alios modos; & dum ex eo infert indiuiſibilia terminatiua, & continuatiua ſpecie differre propter officiorum diuerſitatem. Quidam ex his, qui ſequuntur noſtram ſententiam, concedunt conſequentiam. Ego verò negandam potius eſſe aſſero; quia officia hæc non ſunt ex æquo diſtincta, ſed vnum includitur in altero; nempè officium terminandi in officio continuandi. Nam continuare eſt eſſe extremum vtriuſque partis, & ſaltem finem vnius, & principium alterius; ergo neceſſe eſt omne indiuiſibile continuatiuum eſſe etiam terminatiuum; omne etiam terminatiuum poteſt eſſe continuatiuum, naturaliter quidem, vel ſaltem per diuinam potentiam. Nam ſi is, qui ducit lineam ab vno puncto in alterum, ſiſteret in medio, punctum medij,

quod

quod modo continuat, poſſet terminare, & in ſucceſſiuis, ſi ille qui mouetur, ſiſtat in medio motus, mutatum eſſe indiuiſibile, quod continuat partes medias, poſſet eſſe terminatiuum totius motus: & ſi Deus vellet, poſſet lineam vnius palmi extendere; & tunc punctum, quod prius erat terminatiuum, eſſet continuatiuum. Ex quibus ſatis apertè intelligitur, omne indiuiſibile poſſe habere vtrumque officium; & ſucceſſiuè poſtquam habuit vnum, non repugnat habere alterum, & ideò accidentaliter ſolùm differre eadem officia, & vnum indiuiſibile ab alio ratione eorum: quare argumentum apud me difficultate prorſus caret. Nec ex hoc ſequitur indiuiſibilia eſſe res; quia ratio eorum non conſiſtit in vniendo actu; ſed etiam in eo, quod eſt vniri poſſe. Sed potius intrinſecum eſſe eis cenſendum eſt actu modificare, & determinare; quod verò hoc efficiant continuando, vel ſolùm terminando, accidentale eſſe intelligitur; cum probatum ſit, ita hoc modo vnire, vt ſimul continuent, ac terminent; vel ita terminare, vt continuare poſſint, & ita continuare, vt etiam poſſint ſolùm terminare. Quod verò in eodem argumento additur dari aliquod indiuiſibile, quod actu non vniat, difficultate caret ex dictis: nam ratio modi non determinatur ad vniendum, ſed vniuerſalior eſt, ad quamcunque modificationem ſe extendens; & ideò ſatis eſt indiuiſibile terminare, vt dicatur modus: quia terminatio modificatio eſt, & ita ſe habet indiuiſibile terminatiuum, vt ſine re, quam terminat exiſtere non poſſit, quod eſt conditio modalis. Quod verò vno, vel alio modo dicatur modificare, nempè vniendo, aut terminando accidentale eſt.

Ad vltimum de ſucceſſiuis concedenda eſt maior, ſed minor neganda; quòd partes temporis non exiſtant actu; nam de exiſtentia permanenti verum eſt; de ſucceſſiua falſum; vt in 4. lib. agentes de tempore probauimus; ſucceſſiua ergo exiſtentia earum ſufficiet, vt poſſint vniri per inſtans, quod etiam fluendo vnit, & ideò modo ſucceſſiuo.

In quónam ſubiecto inhæreant indiuiſibilia continuorum.

HOc eſt vltimum dubium de indiuiſibilibus. Circa quod eſt prima opinio eorum, qui non tribuunt ſubſtantiæ proprias partes, ſed à quantitate dicunt eas accipere: dicunt enim conſequenter, nec habere propria indiuiſibilia, quæ præſupponantur indiuiſibilibus quantitatis, ſed quemadmodum ſubſtantia ex ſe indiuiſibilis præſupponitur, etiam ſine diſtinctione 33

ctione partium quantitati, & ideò confuſa quadam ratione cenſetur ſubiectum ei præſuppoſitum ſecundum rationem partium; à quantitate verò diſtinguitur in partes diuerſas ſecundum extenſionem; ita in ordine ad indiuiſibilia quantitatis ſolùm præſupponitur confuſa quadam ratione, & per indiuiſibilia quantitatis accipit ſicut partes extenſas, ſic etiam continuatas ſecundum extenſionem. Et ratio vtriuſque eſt; quia ſubſtantia non ſic eſt ſubiectum quantitatis, vt præſupponatur continua, aut diuiſibilis, vel habens partes, ſed ita vt continua fiat, & diuiſibilis, atque habens partes ab eadem quantitate: quare nec eſt neceſſarium præſupponantur indiuiſibilia in eas; ſed fiunt potius per receptionem quantitatis. Sed hæc ſententia non videtur ſatis intelligibilis, quod ſic probo; Quia accidens, & ſubiectum, vt ei præſuppoſitum, mutuam correſpondentiam, & proportionem habere debent; ſicut ergo neceſſe eſt ſubſtantiam corpoream ſic proportionari quantitati, tanquam ei præſuppoſitam, vt partibus quantitatis correſpondeant partes integrantes ſubſtantiæ, in quibus recipiantur; ita indiuiſibilibus eiuſdem quantitatis debent correſpondere indiuiſibilia ſubſtantiæ, vt in eis recipiantur; alioqui non videntur poſſe in ſubſtantia recipi, nec aliquem effectum formalem ei tribuere poſſe.

34 *Noſtra* igitur ſententia eſt, *quod ſicut ſubſtantia habet proprias partes integrantes entitatiuas, ac ſubſtantiales, ſecundum quas præſupponitur quantitati; ita vt partes quantitatis recipiantur in partibus ſubſtantiæ; eodem modo habet propria indiuiſibilia entitatiua, ac ſubſtantialia, quibus continuantur ſubſtantialiter partes eius, & ita præſupponitur quantitati continuata ſubſtantialiter:* fit autem continua, ac diuiſibilis, ſicut fit extenſa, nempè extenſione molis, atque occupatiua loci: & ſicut in partibus ſubſtantialibus eius recipiuntur partes quantitatis eas accidentaliter extendentes, ita in propriis indiuiſibilibus ſubſtantialibus recipiuntur indiuiſibilia quantitatis, tanquam in propriis, & adæquatis ſubiectis, & ea afficiunt accidentaliter ſecundum proprium modum induiſibilem, & continuatiuum partium extenſarum ſecundum molem. Ita ſentiunt iam ferè omnes Moderni, & communis ferè iam eſt in ſchola hæc noſtra ſententia. Quam probo primò: Subſtantia habet proprias partes ſecundum quas præſupponitur, vt ſubiectum quantitatis; ergo habet etiam propria indiuiſibilia. Probatur conſequentia; quia partes integrantes ſubſtantiæ propriæ componunt eandem ſubſtantiam tanquam totum integrale ſubſtantiale; ſed non poſſunt eam ſic componere niſi vniantur ſubſtantialiter; nec poſſunt

vniri;

vniri; niſi per aliquem modum ſubſtantialem vnionis; ergo
neceſſe eſt ponere modos vnionis, per quos vniantur, qui ſunt
indiuiſibilia propria eius. Probatur minor; quia niſi vniantur
ſubſtantialiter, non poſſunt efficere vnum ſubſtantiale, vt per
ſe eſt manifeſtum. Quod verò non poſſint per ſe vniri, hoc 35
eſt, ſine modo vnionis, etiam probatur; quia ſi ita vnirentur
etiam poſſent ſine modis, vel indiuiſibilibus vniri partes quan-
titatis, & ita ceſſaret neceſſitas ponendi indiuiſibilia in conti-
nuis. Præterea, quia adhuc ea; quæ ſe habent tanquam poten-
tia & actus, ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter, non poſ-
ſunt vniri per ſe; hoc eſt, ſine aliquo modo vnionis, vt patet
in materia, & forma, atque in accidenti, & ſubiecto; ergo
multò magis indigebunt partes integrantes modo vnionis, vt
efficiant per ſe vnum integrale. Probatur conſequentia, quia 36
non ſe habent tanquam actus, & potentia, ſed tanquam in-
completi quidam actus; ergo non poſſunt vniri per informa-
tionem, ſed per continuationem, & ideò, nec ſine modo vnio-
nis continuatiuo, quod eſt indiuiſibile continuans partes. Ex
quibus ſequitur repugnare, quòd ſubſtantia habeat proprias
partes integrantes, ex quibus componatur tanquam totum, &
vnum integrale, quin habeat propria indiuiſibilia, quæ ſunt
modi vnionis, per quos vniantur, & ſic vnitæ efficiant
vnum. In his igitur indiuiſibilibus propriis recipiuntur in-
diuiſibilia quantitatis tanquam in propriis ſubiectis modali-
bus & incompletis.

De compoſitione continui, quantum ad partes eius.

EXplicuimus omnia, quæ pertinent ad compoſitionem con- 37
tinui, quantum ad indiuiſibilia eius, ex quibus notior facta
eſt diſputatio de partibus, de quibus tria diſputanda ſunt. Pri-
mum, an continuum componatur ex partibus actu infinitis,
vel ſolùm infinitis in potentia. Et vt intelligatur quæſtio, di-
ſtinguendæ ſunt duplices partes continui; nam quædam ſunt
æquales; quarum vna eſt extra aliam, & propter primum di-
cuntur aliquotæ; quia aliquoties ſumptæ adæquantur toti.
Propter ſecundum verò dicuntur non communicantes; quia
vna non continetur, nec includitur in alia, ſed omninò diſtin-
cta ab ea eſt. Et propterea non communicat cum ea in entitate,
ſed ſolùm in puncto indiuiſibili, quo continuantur. Aliæ ſunt
partes, quarum vna includitur in alia, & ideò dicuntur com-
municantes, atque proportionales; quia communicant in
entitate,

entitate,& diuiſio earum ſemper procedit ſecundum proportionem. Exemplum harum & illarū partium habemus in duabus primis diuiſionibus cuiuſlibet continui: nam prima diuiſione,diuiditur in duas meditates;& iſtæ ſunt partes æquales, aliquotæ,& non communicantes;ſecundò, diuiditur quælibet medietas in duas alias medietates, & dicuntur communicantes reſpectu æqualium; quia in eis includuntur, atque etiam proportionales,quia eis proportionantur, & reſpectu eiuſdem æqualis iſtæ ſunt communicātes & proportionales;quia quælibet includitur in ea & partes æquales ſemper efficiunt continuum maius:vnde quo plures habet vnum altero, eò maius eſt,vt palmi,aut vlnæ maius efficiunt continuum; & quò plus ei adduntur,eò fit maius; proportionales verò non efficiunt maius continuum;quia in qualibet includuntur plures. Quæſtio igitur non procedit de æqualibus. quia nullum cōtinuum poteſt habere infinitas partes æquales actu, nec potentia, niſi ſit actu infinitum; ſed ſolum de proportionalibus, an habeat actu infinitas,vel ſolum infinitas in potentia, quas certum eſt habere poſſe, licet ſit quantitas finita.

38 Prima opinio aſſerit continuum eſſe quandam entitatem ſimplicem,& ideò non habere vllas partes, ex quibus componatur,nihilominus diuiſibile eſt in ſemper diuiſibilia, & ideò extrahi poſſunt ab eo in infinitum minores ac minores magnitudines per diuiſionem, quæ quidem iam ſeparatæ ab eo entia completa ſunt, ſed cum eo comparata, quaſi partes eius reputantur; cùm ſint minores: & quia ab eo extrahi poſſunt, quaſi in potentia eius eſſe cēſentur,& propterea dicuntur partes in potentia: quam etiam denominationem accipiunt ab intellectu; qui etiam per diuiſionem realem poteſt eas deſignare. Et tandem, quia diuiſio realis atque etiam deſignatio intellectus poſſunt procedere in infinitum, dicuntur infinitæ in potentia. In hoc igitur ſenſu aſſerit hæc ſententia *continuum habere infinitas partes in potentia, ſed nullam habere actu, quia non eſt entitas compoſita,ſed ſimplex.* Hæc ſententia attribui ſolet antiquioribus interpretibus Ariſt. vt Com. Simpl. Phyſ. ac D. Thom. & eam defendunt ex Modernis quidam. Probant teſtimonijs Ariſt.qui 1.lib.Phyſ.tex.12.& lib.8.ca.8.tex. 68.7. lib.Meta.c.13.& lib.10. text.2. & alibi ſæpe aſſerit continuum habere infinitas partes aut infinita dimidia in potentia. Et eodē modo loquuntur antiquiores interpretes citati in eiſdem locis quare videntur ſentire cum eo;quòd non habeat partes,vel dimidia actu infinita;ex quibus cōponantur,ſed ſolùm in potentia,propter diuiſionē;& deſignationem in infinitū procedētem.

Ss Deinde

Deinde ratione.1.quia ſi cōtinuum habet partes proportio- 39
nales actu infinitas, ex quibus componitur; ergo componitur
ex infinitis entitatibus realiter diſtinctis; nam cum cōpoſitio
ſit realis,neceſſe eſt componentia diſtingui realiter, & cum ſit
actualis,dabūtur in eo entitates reales actu infinitæ, actuque
diſtinctæ,& etiā relationes reales actu infinitæ;quia diſtinctio
realis fundat relationem realem in extremis;& quod maius eſt
dabuntur infinities infinitæ entitates reales,& actuales;& infi-
nities infinitæ relationes reales:quæ non ſolùm falſa; ſed por-
tentoſa ſunt;quare vt omnia hæc incōmoda ceſſare poſſint,ne-
gandum eſt continuum habere actuales partes. Secundò,quia
partes proportionales ſunt medietates, in quas diuidi poteſt
continuū,ergo quodlibet habet medietates actu infinitas; erit
igitur ens actu infinitū,non ſolùm ratione numeri actu infiniti
partium,ſed etiam ratione entitatis; nā cum quælibet pars ſit
entitas realis diſtincta ab alia, ex entitatibus actu infinitis re-
ſultabit entitas realis actu infinita, & ita dabitur infinitū actu
in rerum natura ſecundum multitudinem, & ſecundū magni-
tudinem;imò tot infinita,quot ſunt continua,& vnum quidem
maius altero,quia maius eſt cœlum formica. Et ſi dixeris tot
habere partes paruum,ſicut magnū:& ideò non eſſe vnū maius
altero.Contra hoc eſt experientia manifeſta, atque etiā ratio,
quia vna pars magni habet tot partes,ac habet totum continuū
paruum;ergo totum magnū habebit plures, & erit maius cum
totum ſit maius ſua parte.

Secunda opinio tenet quodlibet continuum habere partes 40
proportionales actu infinitas.Ita Scot.in 2.d.2.q. 9. & 5.Meta.
q.10.Durā.in 1.d.39.q.2.& d.34. qu. 2. Greg. in 2.d.24.qu.1.
Nin.5.Meta.q.6.Sonc.q.20. Sot.3. lib. Phy. qu.3.§.*his præiactis*
fundamentis,Tolet.lib.6.q.1.concl.3. Peter.l. 10.cap.13.& 15.
Fonſ.5.Met.q.6.ſect.5.Con.lib.6.Phyſ.c.2.q.1.art.2.& 3. & eſt
iam communis inter Modernos,& vera. Quam vt probemus
ſolum oportebit oſtēdere,quod continuū habeat partes actua-
les integrantes,ex quibus componatur:nam eo ipſo probatum
erit habere actu infinitas,cùm euidens ſit apud Ariſtotelem,&
omnes eſſe diuiſibile in infinitum, aut in ſemper diuiſibilia:
vnde qua ratione habet duas medietates, in quas actu diuidi-
tur,& hæ duæ medietates duas alias, in quas diuidi conſtat,
euidens ſit habere actu infinitas; ſicut in infinitum procedunt
diuiſiones,non eſt enim maior ratio de prima diuiſione, quàm
de reliquis.

Hæc ſententia colligitur euidenter ex duobus, quæ de con-
tinuo docet Ariſtot.Primum, ipſum definiens 5.lib. Meta.cap.

13.ſub

13. ſub vniuerſali ratione quanti, hoc modo, *Quantum eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt quorum vtrumque, aut ſingulum, vnum quid & quod quid aptum eſt eſſe.* Sed eſt diuiſibile in partes; ergo ei inſunt partes, ſed ineſſe, & actu eſſe, ſunt idem, quia quæ ſolùm ſunt in potentia alicuius, non dicuntur ei ineſſe; ergo ex mente Ariſtotelis habet partes actu, in quas diuidi poteſt. Definiens etiam continuum in prædicamento quantitatis, aſſerit eſſe id, *cuius partes copulantur termino communi*; ergo continuum actu erit, cuius partes actu copulantur termino communi; ſed actu copulari non poſſunt, niſi actu in eo ſint; ergo quodlibet continuum actu exiſtens in rerum natura habet partes actuales, ex quibus componitur. Hæc eſt etiam expreſſa ſententia D. Thomæ, 5. Meta. lect. 15 vbi ſic ait: *Quantum dicitur, quod eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt, quod quidem dicitur ad differentiam diuiſionis mixtorum; nam corpus mixtum reſoluitur in elementa, quæ non ſunt actu in mixto, ſed virtute tantum.*

41 Probatur etiam ratione. Primò, quia vel continuũ eſt totum integrale compoſitum ex partibus, vel non; ſed ſimplex quædam entitas carens tali compoſitione, ſed hoc ſecundum eſt impoſſibile; ergo primum eſt neceſſarium: ex quo euidenter ſequitur habere partes integrantes actuales, ex quibus componatur. Sed probatur minor; quia ab entitate ſimplici repugnat ſeparari plures, ad diſtinctas entitates in eodem genere, in quo eſt entitas ſimplex.; ſed à continuo ſeparantur per diuiſionem plures entitates, ex quibus ſimul vnitis integratur aliud; ergo in genere integralis non eſt entitas ſimplex. Probatur minor, quia per diuiſionem ſeparantur ab aqua plures portiones, ex quibus rurſus vnitis integratur vna alia aqua. Secundò, quia compoſitum eſt illud in aliquo genere, quod reſultat ex pluribus in eodem genere diſtinctis, & vnitis, ſed continuum eſt tale; ergo in ratione continui eſt realiter compoſitum: quare habebit partes integrantes reales & actuales.

42 Probatur minor, nam ſi duæ portiones aquæ ſeparatæ, atque diſtinctæ vniantur, fit vnum continuum; ergo vnum compoſitum. Probatur euidenter conſequentia; quia vnum reſultans ex vnione multorum, & compoſitum idem ſunt; illa igitur aqua erit continuum compoſitum; ergo ex partibus integrantibus; quas actu habere neceſſe eſt. Idem probat efficaciter augmentum viuentium, quæ quotidie maiora fiunt, per acceſſum nouarum partium ſubſtantiæ, & quantitatis, quas neceſſe eſt actu in ſe retinere, & ex eis eſſe compoſitam. Et hanc ſententiam videtur tanquam veram præſupponere Sacrum Concilium Tridẽtinum, dum definit ſeſſ. 13. totum, & integrũ

Corpus Chriſti verè realiter, & ſubſtantialiter contineri in Hoſtia conſecrata,& in ſingulis eius partibus, etiam ante diuiſionem,quod neſcio quo pacto verum eſſe poteſt, ſi Hoſtia non habet actu partes integrantes: nam continentia Corporis Chriſti ſub ſingulis partibus Hoſtiæ,non erit actualis, ſi non dantur partes actuales in Hoſtia,ſub quibus actu contineatur.

Ad argumentum alterius ſententiæ reſpondeo, Ariſtotelem vſum eſſe illo modo loquendi de infinitis partibus, aut infinitis dimidiis in potentia in eo ſenſu,quem ipſe tetigit definiens continuum;quod ſit diuiſibile in ea,quæ inſunt; quorũ vtrumque,vel vnumquodque.vnum quid aptum eſt eſſe per ſe, quaſi dicat partes,in quas continuum diuiditur ,actu eſſe in eo in ratione partium;ſed poſſe eſſe entia completa , & per ſe exiſtentia ab eo ſeparata , & ideò quantum ad hunc modum eſſendi ſolùm ſunt in potentia,quandiu ab eodem continuo non ſeparantur per diuiſionem.Vel ſenſus eius eſt, quem tribuit Diuus Auguſtinus ſecundo libro de Libero arbitrio, capite octauo dicens: Medietates actu eſſe in continuo, ſed adhuc non eſſe plures partes ſimpliciter, aut infinitas, vſque ad ſeparationem realem per diuiſionem faciendam; quia numerus dicit realem diſcretionem, quam non habent, dum ſunt in continuo, ſed vnum quid ſunt, quod per compoſitionem efficiunt; ſed habere poſſunt per diuiſionem diſcretionem realem, & eſſe plura dimidia, vel plures partes, aut infinitæ. Bene ergo dixit Ariſtoteles continuum habere infinita dimidia, vel infinitas partes in potẽtia; quia nec plures, nec infinitæ ſunt actu, cum non ſint actu diſcretæ, vel ſeparatæ ſed in potentia: quia ſeparari poſſunt, & diſcretæ fieri per diuiſionem. 43

Ad primum argumentum concedenda eſt cõſequentia,quòd continuum componatur ex infinitis entitatibus partialibus, & incompletis, diſtinctis quidem realiter,non ex æquo:ita vt entitas vnius ſit extra entitatem alterius; ſed diſtinctione reali includentis,& incluſi;quia in vna includuntur plures, imò infinitæ,& ideò non efficiunt quantitatem actu infinitam,ſed finitam, includentem tamen infinitam multitudinem partium proportionalium, quæ non faciunt numerum, vel multitudinem ſimpliciter infinitam: cum non habeant realem diſcretionem; ſed potiùs dicuntur vnum ſimpliciter; quòd vnitæ componunt:hoc igitur modo adeò diminuto admittere infinitum nullum eſt inconueniens; nec infinities infinitum; quia finitum eſt ſimpliciter illud, quod ex omnibus reſultat, nec etiam infinitas relationes,aut infinities infinitas:cum non minus 44

nus ſint partiales, & incompletæ, quàm partes ipſæ, in quibus fundantur, & ſunt.

Et eodem modo dicendum eſt ad ſecundum; quod cum partes actu infinitæ non ſint æquales, ſed proportionales, quarum quælibet includit plures, imò infinitas, non faciunt infinitam entitatem. Vnum tamen continuum maius eſt alio; quia habet partes maioris magnitudinis, & etiam plures, quàm aliud, licet non magis infinitas formaliter; quia vnum infinitũ non eſt maius altero formaliter; ſed bene materialiter plures habẽs partes, quàm aliud, itaque cœlum maiores habet partes, quam formica, & etiam plures, licet ratione formali infiniti in potentia non ſit maius, ſed eſt continuum finitum ſimpliciter maius.

An continuum componatur ex indiuiſibilibus, tanquam ex partibus.

45 NOn intelligitur quæſtio de indiuiſibilibus ſecundum ſubſtantiam, necdum minimis quantitatibus, quæ ratione ſuæ paucitatis non videntur iam diuidi poſſe, ſed ſolùm de his indiuiſibilibus, quæ continuant partes continuorum, vel continua ipſa terminant, ſub qua ratione nullo modo diuidi poſſunt, ſed partibus omninò carent; talia ſunt puncta lineæ, & tales etiam lineæ, & ſuperficies, quatenus illa caret longitudine, & hæc profunditate. Quærimus ergo, an ex his componantur corpus, ſuperficies, & linea tanquam ex partibus, ſupponentes tanquam certum, quòd componantur ex eis tanquã ex modis indiuiſibilibus, quibus vniuntur partes, quemadmodum homo non ſolum ex corpore, & anima componitur, ſed etiam ex modo vnionis, quamuis ex illis ſolis tanquam ex partibus.

Et prima opinio fuit antiquorum Philoſophorum, quos citauit Ariſt. 1. lib. Ph. in principio, nempè Zenonis, Pythagor. Leucippi, atque Democr. aſſerentium corpora omnia compoſita eſſe ex quibuſdam atomis indiuiſibilibus, tanquam ex partibus. Quæ probari poteſt ex motu ſphærici ſuper planum ſolum tangentis puncta ſpatij, ſolùm ergo mouetur per illa; ergo ſpatium ſupra quod fit talis motus: cùm ſit diuiſibile, ex ſolis indiuiſibilibus tanquam ex partibus componitur.

46 Vera tamen ſententia eſt, quam Ariſto. tenet in his duobus capitibus, & cum eo omnes interpretes, tam antiqui, quã Moderni, continuum non componi ex indiuiſibilibus tanquam ex partibus, ſed ſolùm tanquam ex vnionibus partium; eamque tanquam certam in vera Philoſophia videtur præſupponere Eccleſia Catholica in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. vbi

inter errores contra fidem, quos tenuit Ioannes Huz, eos etiam refert, quos tenuit contra veram Philoſophiam, ex quibus vnus fuit, quòd continuum componatur ex indiuiſibilibus. Verba Concilij ſunt hæc: *Linea aliqua Mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut ſolùm ex punctis ſimpliciter finitis, vel tempus eſt, vel erit compoſitum, ex inſtantibus immediatis.* Sed probatur duplici ratione euidenti. Prima quia indiuiſibilia hæc omni prorſus magnitudine carent, omni longitudine, omni latitudine, omni profunditate; ergo vnum additum alteri, nec magnitudinē facere poteſt, nec eam augere; quare nec poterit eam componere tanquam pars. Probatur conſequentia, quia ſicut ſubſtantia debet componi ex partibus, quæ ſint ſubſtantiæ incōpletæ, ita magnitudo ex partibus, quæ ſint magnitudines incompletæ. Indiuiſibilia verò cuiuſlibet magnitudinis completæ, atque incōpletæ expertia ſunt; ergo non poreſt magnitudo ex eis componi, tanquam ex partibus. Secunda ratio ex duobus 46
Mathematicis principiis deſumitur; quorū primum eſt, lineam quamcunque poſſe diuidi in duas partes æquales. Secundum, vnam lineam in tot partes diuidi poſſe, ac alteram; quamuis partes vnius poſſint eſſe maiores; alterius verò minores; vt ſi linea maior poteſt diuidi in tres partes maiores, etiam minor in tres partes minores: quibus ſuppoſitis ita arguo: Demus lineam maiorem conſtare quatuor punctis: minorem verò tribus, tunc illa poterit diuidi in quatuor partes; hæc verò non: quia diuidere oportebit aliquod indiuiſibile, quod repugnat. Præterea non poterit eadem linea minor diuidi in duas partes æquales, niſi punctum medium diuidatur; euidens igitur eſt lineam non componi ex punctis, & ex conſequenti, neque vllum continuum ex indiuiſibilibus.

Argumentum verò de motu ſphærici corporis ſuper planum 47
nihil probat; ſed conceſſa maiori, quod non tangat niſi puncta plani; negatur, quòd ſolùm moueatur per illa, imò non mouetur per planum, tanquā per ſpatium, ſed per aërem, planum verò ſolum eſt terminatiuum ſpatij extrinſecum, quod præter puncta, quæ tangit in eo ſphæricum, habet etiam partes, quas pertranſire dicitur corpus quaſi extrinſecè, licèt eas adæquatè non tangat, ſed puncta, quibus copulantur.

An

An accidentia corporea, præter quantitatem, habeant proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, vel ſolùm hæc, & illas accipiant à quantitate.

48 NOua eſt quæſtio iſta, & ſolum à Modernis agitata, ſed ſatis difficilis, & eſt eadem, quam diſputauimus in 1. l. de ſubſtantia, an habeat proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, quæ habebit, ſi ab ea ſeparetur quantitas, vel ſolùm eas accipiat à quantitate. Idem ergo quærimus modo de qualitatibus corporeis, cæteriſque accidentibus, vt de calore, & albedine, an habeant proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, quibus copulentur, non acceptas à quantitate, ſed quas habere poſſint, ſi à ſubſtantia, & quantitate ſeparentur per diuinam potentiam, vel ſolum accipiant partes, & indiuiſibilia à quantitate, & ſeparata ab ea neceſſe ſit vtriſque omninò carere.

49 Prima opinio negat, ſicut de ſubſtantia, ita de qualitatibus, cæteriſque accidentibus corporeis, quod proprias partes integrantes habeant, & propria indiuiſibilia, ſed ex propria natura eſſe entitates indiuiſibiles, nullam habentes compoſitionem partium integrantium: vnde ſi à quantitate ſeparentur; nullam talem habebunt compoſitionem. Ita tenent omnes illi, quos in 1. lib. citauimus pro opinione negante ſubſtantiæ proprias partes, & indiuiſibilia.

Probatur 1. quia hæc accidentia præſupponunt quantitatem in ſubſtantia; ergo præſupponunt iam ſubiectum diuiſibile, & habens partes atque indiuiſibilia, quare non indigent aliis, ſed eo ipſo, quòd recipiuntur in ſubiecto, recipiunt ab eo partes integrantes, & indiuiſibilia. Secundò, ſi qualitates haberēt propria indiuiſibilia, ſequitur hęc recipi in ſubiecto diuiſibili, quod patet eſſe falſum: cum neceſſaria ſit proportio inter accidens, & ſubiectum. Sed probatur conſequentia; quia ſi demus calorem intenſum, vt quatuor, & ei concedantur propria indiuiſibilia intenſionis ſignificata per calorem, vt vnum, vt duo, & vt quatuor: cum calor ita intenſus reperiatur in omnibus & ſingulis partibus corporis, eadem quoque indiuiſibilia intenſionis reperientur in eis, & ita indiuiſibilia recipientur in eiſdem partibus, quæ ſunt ſubiecta diuiſibilia. Imò duo indiuiſibilia diuerſarum, & contrariarum qualitatum recipientur in eodem indiuiſibili ſubiecti; vt in eodem puncto eius, quod patet eſſe impoſſibile, quia ſicut qualitates contrariæ ſe expellũt ab eodem ſubiecto, nec poſſũt eſſe ſimul in eo,

eodem modo debent ſe expellere indiuiſibilia earum, ſi dentur; quare non poterunt ſimul in eodem puncto ſubiecti permanere. Sed probatur conſequentia, quod neceſſariò permaneant, ſi detur lignum: cuius medietas ſit calida, vt ſex, & medietas alia frigida, etiā vt ſex; tunc enim neceſſe eſt indiuiſibilia terminatiua vtriuſque qualitatis contrariæ recipi in eodem puncto continuante vnam medietatem ſubiecti cum alia.

Secunda opinio concedit qualitatibus, & cæteris accidentibus corporeis proprias partes integrātes entitatiuas, ſicut ſubſtantiæ, quas non recipit à quantitate, atq; propria indiuiſibilia, quibus continuantur, à quantitate verò extendi, ſicut extenduntur partes ſubſtantiæ. Ita ſentiunt omnes Moderni, qui ſubſtantiæ tribuunt proprias partes, & propria indiuiſibilia, & hæc videtur mihi probabilior, ſuppoſito, quod ſubſtantiæ conceduntur, quam ſic explico: Sicut eſſentia ſubſtantiæ componitur ex materia & forma; tanquam totum eſſentiale, ita eius entitas componitur ex partibus integrantibus vnitis propriis indiuiſibilibus ſubſtantialibus, tanquam totum integrale & hanc compoſitionem habet, vt præſupponitur quantitati; quare neque illam, neque partes integrantes, & indiuiſibilia; ex quibus fit, recipit à quantitate; ſed ſolùm extenſionem molis earundem partium, ita de qualitatibus, & cæteris accidentibus intelligit hæc opinio; præter compoſitionem eſſentialem, ex genere, & differentia habere aliam entitatiuam, & quaſi ſubſtantialem in propria entitate, per quam conſtituuntur in ratione totius integralis, quam non recipit à quantitate: ſed eam habebunt, ſi fiant à Deo ſine quantitate, vel ſi poſtquam in ſubiecto extenſo facta ſunt, ſeparentur ab eo, & omnino à quantitate à qua eædem partes recipiunt extenſionē molis, & fiunt loci occupatiuæ; ſicut partes ſubſtantiæ. 50

Sic autem explicata probatur primò; quia alia eſt entitas realis albedinis, quæ eſt in facie, alia quæ eſt in manu; ergo diſtinguuntur realiter, & efficiunt eandem albedinem cum his entitatibus eiuſdem, quæ ſunt in cæteris partibus realiter diſtinctis; ergo albedo, quæ eſt in homine, habet partes integrātes proprias, ex quibus componitur propria entitas tanquam totum integrale. Probatur antecedens: nam bene poteſt ſeparari brachium à capite, qua ſeparatione facta, bene poteſt Deus ſeparare albedinem brachij à quantitate eiuſdem brachij, & ſimiliter albedinem capitis à quantitate eiuſdem: cum conſtet albedinem non habere intrinſecam dependentiam à quantitate; factis autem his ſeparationibus, permanet albedo brachij ſeparata ab albedine capitis; ergo diſtinguuntur 51

realiter,

realiter, & entitatiuè, & eodem modo diſtinguebantur ante ſeparationem, alioqui non poſſent ſeparari; ergo albedo totius corporis continebat plures entitates reales, & cum ſit vna, erit ex eis compoſita tanquam ex partibus integrantibus, quæ cum non poſſint componere, niſi vniantur; nec vniri, niſi per modos vnionis indiuiſibiles, ſequitur habere etiam propria indiuiſibilia, quibus vniuntur partes.

52 Secundò probatur, ex naturali correſpondentia, & proportione requiſita inter accidens, & ſubiectum, ita vt ſi vnum ſit totum integrale compoſitum ex partibus integrantibus, aliud quoque debeat habere ſimilem compoſitionem, ita vt partes correſpondeant partibus; & indiuiſibilia indiuiſibilibus; ſed qualitates inhærent ſubiecto habenti partes integrantes, & indiuiſibilia, quibus copulantur; ergo eaſdem habere debet accidens, alioqui totum in toto ſubiecto recipietur, & totum in qualibet parte. Quod autem aduerſarij reſpondent, non eſſe neceſſarium, vt habeat partes præſuppoſitas, ſed vt eas recipiat per inhæſionem: non ſatisfacit; quia per inhæſionem ſolùm poteſt recipere extenſionem accidentalem à quantitate: cum tamen per eam extenſa, non ſolum habeat partes diſtinctas ſecundum extenſionem accidentalē; ſed etiam ſecundum propriam entitatem qualitatis, & licet quātitas poſſit efficere illam diſtinctionem partium accidentalem, non tamen poteſt facere hanc entitatiuam, & ſubſtantialem, vt ex ſe patet; ergo eam habet qualitas à ſe, & non à quātitate. Probatur tandem ex motu intenſionis, qui eſt perfectio qualitatis circa eandem partem ſubiecti hoc modo: Dum calor intenditur in manu; talis motus intenſionis eſt continuus; ergo habet partes copulatas termino communi, qui appellatur, mutatum eſſe in diuiſibile, ſed per hoc mutatum eſſe indiuiſibile, acquiritur gradus indiuiſibilis caloris, vt tria, vel vt quatuor; ſicut per partes motus acquiritur pars gradualis intenſionis; ergo calor acquiſitus per talem motum habet indiuiſibilia, quibus copulantur partes intenſionis eius. Et hoc argumentum efficaciſsimum eſt ad id conuincendum. Probatur tandem, quia qualitates per ſe terminantes motum intenduntur in ſubiectis per motum ſucceſſiuum, ergo habent latitudinem gradualem intenſionis diuiſibilem in partes intenſionis; & ex conſequenti habent veras, & reales partes intenſionis, & vnitas inter ſeſe per continuationem, alioqui non efficerent vnam qualitatem intenſam; ſed partes iſtæ non poſſunt vniri per ſe, ſicut nec partes extenſionis quantitatiuæ; ergo vniuntur per indiuiſibilia intenſionis,

à quibus continuatæ efficiunt vnam qualitatem intenſam.

Ad primum argum. alterius opinionis concedendum eſt 53
primum enthymema, ſed negandum, quod rurſus infertur qualitatem non indigere partibus, & indiuiſibilibus propriis; imò ex eo, quod præſupponit ſubiectum diuiſibile ſecundum partes extenſas, debet ipſa habere etiam partes entitatiuas copulatas propriis indiuiſibilibus, vt per eas proportionetur ſubiecto, in quo debet recipi: nam ſi ſit omnino indiuiſibilis, non erit capax extenſionis præſuppoſitæ in ſubiecto: nec in eo poterit recipi.

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt; qualitates corporeas duplices partes habere, intenſionis, & extenſionis: partes extenſionis ſunt, quas habet in diuerſis partibus ſubiecti; vt in brachio, & pede, intenſionis verò ſunt gradus perfectionis, quos habet circa eandem partem, vt cum calor in eadem manu, vel pede dicitur eſſe, vt duo; habet duas partes intenſionis æquales, quæ ſunt primus, & ſecundus gradus; & quilibet horum graduum habet infinitas partes proportionales intenſionis; quia latitudinem habet diuiſibilem in infinitum. Et iuxta hos duos modos partium; habet etiam indiuiſibilia duplicia, quibus copulantur, extenſionis, & intenſionis, & indiuiſibilia extenſionis ſunt, quibus copulantur partes extenſionis, vt indiuiſibile, quo copulantur calor brachij, & manus extenſionis dicitur, Indiuiſibilia verò intenſionis ſunt, quibus 54
partes graduales perfectionis, quas habet in eadem parte ſubiecti, copulantur, & ſignificantur his vocibus, calor, vt vnum, vt duo, & vt tria; quia calorem eſſe ſub tali gradu præciſè, vt vnum, vel vt duo modus indiuiſibilis eſt perfectionis eius, & præter hæc, habet intra totam latitudinem cuiuſlibet gradus infinita alia indiuiſibilia, quibus copulantur partes proportionales, in quas diuidi poteſt totus ille gradus: hoc ſuppoſito concedendum eſt ad formam arg. quod indiuiſibile intenſionis recipitur in parte ſubiecti diuiſibili ſecundum extenſionem; nam calor ſub ratione indiuiſibili, vt vnum, vel vt duo, per totam manum extenditur, neque mirum id videri debet: nam cùm intenſio, & extenſio qualitatis ſint diuerſæ rationis, diuerſæque perfectiones eius, gradus indiuiſibilis ſecundum intenſionem poteſt diuidi ſecundum diuerſas partes ſubiecti ad quas extenditur, quod eſt eſſe in ſubiecto diuiſibili, non in eodem ordine intenſionis, ſed in alio diſtincto extenſionis, ideò diuiſibilis ſecundum extenſionem, quia ad plures partes ſubiecti extendi poteſt, inuariabilis permanens ſecundum proprium modum intenſionis.

Aliud

55 Aliud verò, quod in eodem argumento dicitur de duobus indiuiſibilibus contrariarum qualitatum, concedendum eſt, quod in eodem indiuiſibili ſubiecti recipiantur, in quo nullum eſt inconueniens: ſicut, nec reputatur inconueniens, quòd duo indiuiſibilia terminatiua duorum corporum occupantium diuerſas partes loci, ſint in eodem indiuiſibili loci eis correſpondenti; nam locus continuus eſt, & corpora contenta ſunt contigua: quare cum duo indiuiſibilia loci non ſint immediata, neceſſe eſt ab vno, & eodem contineatur vtrumque indiuiſibile terminationum locatorum: in hoc autem nulla eſt repugnantia, licèt repugnet duas partes corporis eſſe in eadem parte loci; quia partes non poſſunt eſſe ſimul ſine penetratione, propter extenſionem: quam habent occupatiuam diuerſarum partium loci; indiuiſibilia verò extenſione carent & ideò ſimul eſſe poſſunt in eodem indiuiſibili loci ſine penetratione. Eadem ſimilitudine intelligendum eſt duas partes qualitatum contrariarum non poſſe eſſe in eadem parte ſubiecti in gradu intenſo, ſed bene duo indiuiſibilia terminatiua intenſionis earum. Et ratio huius differentiæ eſt; quia contrariæ qualitates per partes agunt, & ſe expellunt ab eiſdem partibus ſubiecti; quia partes qualitatum, qualitates ſimpliciter ſunt; indiuiſibilia verò non ſunt qualitates; ſed modi earum; modi verò non ſunt actiui per ſe, nec per ſeſe expellunt, ſed ex conſequenti tantùm agere dicuntur, & ſe expellere, dum agunt, & ſe expellunt qualitates ipſæ, quas modificant.

CAPVT III.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Neceſſe eſt autem, & ipſum nunc, quod non ſecundum alterum, ſed per ſe, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

56 PROBATO iam, quod continuum ſit diuiſibile, & quod non componatur ex indiuiſibilibus tanquam ex partibus, ſed ex diuiſibilibus, & ex conſequenti motum talem eſſe, atque eodem modo compoſitum; proſequitur Ariſtoteles tractatum de diuiſione eiuſdem motus, quam, vt in ſequentibus capitibus meliùs explicare poſſit, præſupponit in præſenti tres propoſitiones vniuerſales, eáſque probat, nec eget caput alia diuiſione.

Prima

Prima propoſitio vniuerſalis eſt, nunc ſeu inſtans temporis eſſe indiuiſibile: ſumit autem nunc, propriè pro eo, quod eſt finis præteriti temporis,& initium futuri. & ſic vtrumque copulat, & efficiunt vnum: nam impropriè ſumi ſolet pro parte temporis præſentis. qua ratione,nunc in ſe incluſi,vocatur nunc; in quo ſenſu dicere ſolemus de tota hora præſenti, nunc,aliquid fieri,quia fit in nunc, vel inſtanti præſenti eam copulante cum tempore futuro. De nunc igitur copulante præteritum,cum futuro probat,quòd ſit indiuiſibile hac ratione: Nunc copulans tempus præteritum cum futuro eſt vnum, & non plura; ergo eſt indiuiſibile. Antecedens ſic probat; nã ſi duo proximè, vel vnum eſſent: ita vt vnum eſſet finis præteriti temporis, & aliud initium futuri, vel ſuccederet alteri, vel diſtans ab eo erit, neutrum eſt poſſibile; ergo nec erit poſſibile,quod ſint duo: Probatur minor; quia ſi ſibi immediatè ſuccedunt; ſequitur ex eis tanquam ex partibus componi tempus; quia nihil aliud inter ea medium eſt, ex quo tanquam ex parte indiuiſibili copulata componatur tempus; ſed tempus ſolùm erit multa, nunc, vel multa inſtantia, ex quibus erit compoſitum; ſed tempus componi ex inſtantibus tanquam ex partibus probatum eſt falſum in præcedentibus; ergo falſum eſt, quod inſtans copulans præteritum, cum futuro ſit plura ſibi proximè ſuccedentia, ſed vnicum eſſe neceſſe eſt. Quod vero non ſit plura inter ſe diſtantia, probat;
quia ſi non ſibi proximè ſuccedunt, dabitur tempus inter illa; 57
cum neceſſe ſit inter quælibet duo diuiſibilia continui dari partem mediam; vt inter puncta partem lineæ, & inter lineas partem ſuperficiei; ſed non poteſt dari tempus medium inter illa; ergo nec vnum diſtare ab alio. Probatur minor; quia tempus præteritum, & futurum conſequenter ſe habent; ergo nihil eiuſdem generis, hoc eſt, nulla pars temporis mediat inter illa; & ex conſequenti, nec inter nunc,quod eſt finis vnius, & initium alterius. Probat deinde conſequentiam, quod ſit indiuiſibile; nam ſi diuiſibile eſſet,ita vt aliquid eius eſſe finis præteriti, & aliquid etiam initium futuri, ſequeretur aliquid præteriti eſſe in futuro, & aliquid futuri in præterito, quod repugnat, cùm præteritum ſit extra rationem futuri, & etiam futurum extra rationem præteriti.

Secunda propoſitio vniuerſalis eſt, quod in inſtanti indiuiſibili nihil poſſit moueri, nec propriè quieſcere. Probat primum; nam ſi aliquid moueatur in inſtanti, demus in eo tranſire ſpatium pedale; & tunc dari poterit aliud corpus,

quod

quod velociùs moueatur, & pertranſibit idem ſpatium in minori duratione, & ita inſtans non erit iam indiuiſibile, quod patet eſſe falſum. Quod verò in inſtanti non poſſit aliquid quieſcere, ſic probat: Quies eſt priuatio motus; ſed in inſtanti non datur motus; ergo nec dabitur quies. Probatur conſequentia, quia priuatiuè oppoſita eiuſdem menſuræ debent eſſe.

Tertia propoſitio vniuerſalis eſt, quod omne mobile ſit diuiſibile: quam probat hoc argumento: Id, quod mouetur, partim debet eſſe in termino à quo, & partim in termino ad quem; nam dum totum eſt in termino a quo, nondum mouetur, & dum totum eſt in termino ad quem, iam non mouetur; ergo dum mouetur, partim in vno, & partim in alio termino debet eſſe; ſed indiuiſibile caret partibus; ergo non poteſt eſſe partim in vno termino, & partim in alio, ſed vbicunque eſt, debet eſſe totum, quare non poterit moueri.

QVÆSTIO VNICA.

An motus poſſit fieri in inſtanti per potentiam Dei abſolutam.

58 MOtus non accipitur iã ſub illa ratione vniuerſali abſtracta à motu ſucceſſiuo, & mutatione inſtantanea; ſub qua definitum eſſe in 3. lib. diximus: nam ita acceptus in inſtanti eſſe poteſt, cum multæ ſint mutationes inſtantaneæ; de quibus verum eſt eſſe motus in hac acceptione, & in momento fieri; ſed ſumitur motus propriè pro ſucceſſiua mutatione inter terminos poſitiuè contrarios, de qua docuit Ariſtot. in 5. lib. quod ad tria tantùm prædicamenta per ſe terminetur, ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

Et præſupponit titulus quæſtionis naturaliter eſſe impoſſibile, quòd in inſtanti fiat; in quo omnes videntur conuenire; quia nec poteſt naturaliter corpus acquirere ſimul quantitatem per augmentationem cum nutritione faciendam; nutritio enim ſecundum ordinem naturalem ſucceſſiua debet eſſe: cum fiat virtute caloris naturalis ſucceſſiuè conuertentis alimentum in ſubſtantiam aliti, nec etiam poteſt totam latitudinem caloris per alterationem ſimul acquirere; ſed vnam partem poſt
59 aliam, & multò minus totam latitudinem ſpatij. Quæſtio igitur ſolùm procedit ſecundum potentiam ſupernaturalem vel abſolutam Dei. Et circa quæſtionem ſic intellectam. Et prima opinio Scoti in 4. diſtin. 43. quæſt. 2. artic. 3. vbi aſſerit, *quod ſi ſubitò vacuum fieret à Deo per miraculum in inſtanti moueretur*

Deinde ratione.1.quia ſi cōtinuum habet partes proportio- 39
nales actu infinitas, ex quibus componitur; ergo componitur
ex infinitis entitatibus realiter diſtinctis; nam cum cōpoſitio
ſit realis,neceſſe eſt componentia diſtingui realiter, & cum ſit
actualis,dabũtur in eo entitates reales actu infinitæ, actuque
diſtinctæ,& etiā relationes reales actu infinitæ;quia diſtinctio
realis fundat relationem realem in extremis;& quod maius eſt
dabuntur infinities infinitæ entitates reales,& actuales;& infi-
nities infinitæ relationes reales:quæ non ſolùm falſa; ſed por-
tentoſa ſunt;quare vt omnia hæc incōmoda ceſſare poſſint,ne-
gandum eſt continuum habere actuales partes. Secundò,quia
partes proportionales ſunt medietates, in quas diuidi poteſt
continuũ,ergo quodlibet habet medietates actu infinitas; erit
igitur ens actu infinitũ,non ſolùm ratione numeri actu infiniti
partium,ſed etiam ratione entitatis; nā cum quælibet pars ſit
entitas realis diſtincta ab alia, ex entitatibus actu infinitis re-
ſultabit entitas realis actu infinita, & ita dabitur infinitũ actu
in rerum natura ſecundum multitudinem, & ſecundũ magni-
tudinem;imò tot infinita,quot ſunt continua,& vnum quidem
maius altero,quia maius eſt cœlum formica. Et ſi dixeris tot
habere partes paruum,ſicut magnũ:& ideò non eſſe vnũ maius
altero.Contra hoc eſt experientia manifeſta, atque etiā ratio,
quia vna pars magni habet tot partes,ac habet totum continuũ
paruum;ergo totum magnũ habebit plures, & erit maius cum
totum ſit maius ſua parte.

Secunda opinio tenet quodlibet continuum habere partes 40
proportionales actu infinitas.Ita Scot.in 2.d.2.q. 9. & 5.Meta.
q.10.Duran.in 1.d.39.q.2.& d.34. qu. 2. Greg. in 2.d.24.qu.1.
Nin.5.Meta.q.6.Sonc.q.20. Sot.3. lib. Phy. qu.3.§.*his præiactis
fundamentis*,Tolet.lib.6.q.1.concl.3. Peter.l. 10.cap.13.& 15.
Fonſ.5.Met.q.6.ſect.5.Con.lib.6.Phyſ.c.2.q.1.art.2.& 3. & eſt
iam communis inter Modernos,& vera. Quam vt probemus
ſolum oportebit oſtēdere,quod continuũ habeat partes actua-
les integrantes,ex quibus componatur:nam eo ipſo probatum
erit habere actu infinitas,cum euidens ſit apud Ariſtotelem,&
omnes eſſe diuiſibile in infinitum, aut in ſemper diuiſibilia:
vnde qua ratione habet duas medietates, in quas actu diuidi-
tur,& hæ duæ medietates,duas alias, in quas diuidi conſtat,
euidens ſit habere actu infinitas; ſicut in infinitum procedunt
diuiſiones,non eſt enim maior ratio de prima diuiſione, quàm
de reliquis.

Hæc ſententia colligitur euidenter ex duobus, quæ de con-
tinuo docet Ariſtot.Primum, ipſum definiens 5.lib. Meta.cap.
13.ſub

13. ſub vniuerſali ratione quanti, hoc modo, *Quantum eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt quorum vtrumque, aut ſingulum, vnum quid & quod quid aptum eſt eſſe,* Sed eſt diuiſibile in partes; ergo ei inſunt partes, ſed ineſſe, & actu eſſe, ſunt idem, quia quæ ſolùm ſunt in potentia alicuius, non dicuntur ei ineſſe; ergo ex mente Ariſtotelis habet partes actu, in quas diuidi poteſt. Definiens etiam continuum in prædicamento quantitatis, aſſerit eſſe id, *cuius partes copulantur termino communi*; ergo continuum actu erit, cuius partes actu copulantur termino communi; ſed actu copulari non poſſunt, niſi actu in eo ſint; ergo quodlibet continuum actu exiſtens in rerum natura habet partes actuales, ex quibus componitur. Hæc eſt etiam expreſſa ſententia D. Thomæ, 5. Meta. lect. 15 vbi ſic ait: *Quantum dicitur, quod eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt, quod quidem dicitur ad differentiam diuiſionis mixtorum; nam corpus mixtum reſoluitur in elementa, quæ non ſunt actu in mixto, ſed virtute tantum.*

41 Probatur etiam ratione. Primò, quia vel continuũ eſt totum integrale compoſitum ex partibus, vel non; ſed ſimplex quædam entitas carens tali compoſitione, ſed hoc ſecundum eſt impoſſibile; ergo primum eſt neceſſarium: ex quo euidenter ſequitur habere partes integrantes actuales, ex quibus componatur. Sed probatur minor; quia ab entitate ſimplici repugnat ſeparari plures, ad diſtinctas entitates in eodem genere, in quo eſt entitas ſimplex; ſed à continuo ſeparantur per diuiſionem plures entitates, ex quibus ſimul vnitis integratur aliud; ergo in genere integralis non eſt entitas ſimplex. Probatur minor, quia per diuiſionem ſeparantur ab aqua plures portiones, ex quibus rurſus vnitis integratur vna alia aqua. Secundò, quia compoſitum eſt illud in aliquo genere, quod reſultat ex pluribus in eodem genere diſtinctis, & vnitis, ſed continuum eſt tale; ergo in ratione continui eſt realiter compoſitum: quare habebit partes integrantes reales & actuales.

42 Probatur minor, nam ſi duæ portiones aquæ ſeparatæ, atque diſtinctæ vniantur, fit vnum continuum; ergo vnum compoſitum. Probatur euidenter conſequentia; quia vnum reſultans ex vnione multorum, & compoſitum idem ſunt; illa igitur aqua erit continuum compoſitum; ergo ex partibus integrantibus; quas actu habere neceſſe eſt. Idem probat efficaciter augmentum viuentium, quæ quotidie maiora fiunt, per acceſſum nouarum partium ſubſtantiæ, & quantitatis, quas neceſſe eſt actu in ſe retinere, & ex eis eſſe compoſitam. Et hanc ſententiam videtur tanquam veram præſupponere Sacrum Concilium Tridẽtinum, dum definit ſeſſ. 13. totum, & integrũ

Corpus Chriſti verè realiter, & ſubſtantialiter contineri in Hoſtia conſecrata,& in ſingulis eius partibus, etiam ante diuiſionem,quod neſcio quo pacto verum eſſe poteſt, ſi Hoſtia non habet actu partes integrantes: nam continentia Corporis Chriſti ſub ſingulis partibus Hoſtiæ,non erit actualis, ſi non dantur partes actuales in Hoſtia,ſub quibus actu contineatur.

Ad argumentum alterius ſententiæ reſpondeo, Ariſtotelem 43 vſum eſſe illo modo loquendi de infinitis partibus, aut infinitis dimidiis in potentia in eo ſenſu,quem ipſe tetigit definiens continuum;quod ſit diuiſibile in ea,quæ inſunt; quorũ vtrumque,vel vnumquodque,vnum quid aptum eſt eſſe per ſe, quaſi dicat partes,in quas continuum diuiditur ,actu eſſe in eo in ratione partium;ſed poſſe eſſe entia completa , & per ſe exiſtentia ab eo ſeparata , & ideò quantum ad hunc modum eſſendi ſolùm ſunt in potentia,quandiu ab eodem continuo non ſeparantur per diuiſionem,Vel ſenſus eius eſt, quem tribuit Diuus Auguſtinus ſecundo libro de Libero arbitrio , capite octauo dicens: Medietates actu eſſe in continuo , ſed adhuc non eſſe plures partes ſimpliciter, aut infinitas, vſque ad ſeparationem realem per diuiſionem faciendam; quia numerus dicit realem diſcretionem, quam non habent, dum ſunt in continuo, ſed vnum quid ſunt, quod per compoſitionem efficiunt; ſed habere poſſunt per diuiſionem diſcretionem realem, & eſſe plura dimidia, vel plures partes, aut infinitæ. Bene ergo dixit Ariſtoteles continuum habere infinita dimidia, vel infinitas partes in potẽtia; quia nec plures, nec infinitæ ſunt actu, cum non ſint actu diſcretæ, vel ſeparatæ ſed in potentia: quia ſeparari poſſunt, & diſcretæ fieri per diuiſionem.

Ad primum argumentum concedenda eſt cõſequentia,quòd 44 continuum componatur ex infinitis entitatibus partialibus, & incompletis, diſtinctis quidem realiter,non ex æquo :ita vt entitas vnius ſit extra entitatem alterius ; ſed diſtinctione reali includentis,& incluſi;quia in vna includuntur plures, imò infinitæ,& ideò non efficiunt quantitatem actu infinitam,ſed finitam, includentem tamen infinitam multitudinem partium proportionalium, quæ non faciunt numerum, vel multitudinem ſimpliciter infinitam: cum non habeant realem diſcretionem ; ſed potiùs dicuntur vnum ſimpliciter; quòd vnitæ componunt:hoc igitur modo adeò diminuto admittere infinitum nullum eſt inconueniens ; nec infinities infinitum ; quia finitum eſt ſimpliciter illud, quod ex omnibus reſultat, nec etiam infinitas relationes,aut infinities infinitas:cum non minus

nus ſint partiales,& incompletæ, quàm partes ipſæ, in quibus fundantur, & ſunt.

Et eodem modo dicendum eſt ad ſecundum; quod cum partes actu infinitæ non ſint æquales, ſed proportionales, quarum quælibet includit plures, imò infinitas, non faciunt infinitam entitatem. Vnum tamen continuum maius eſt alio; quia habet partes maioris magnitudinis,& etiam plures, quàm aliud, licet non magis infinitas formaliter; quia vnum infinitū non eſt maius altero formaliter; ſed bene materialiter plures habēs partes, quàm aliud, itaque cœlum maiores habet partes, quam formicā, & etiam plures, licet ratione formali infiniti in potentia non ſit maius, ſed eſt continuum finitum ſimpliciter maius.

An continuum componatur ex indiuiſibilibus, tanquam ex partibus.

45 NOn intelligitur quæſtio de indiuiſibilibus ſecundum ſubſtantiam, necdum minimis quantitatibus, quæ ratione ſuæ paucitatis non videntur iam diuidi poſſe, ſed ſolùm de his indiuiſibilibus, quæ continuant partes continuorum, vel continua ipſa terminant, ſub qua ratione nullo modo diuidi poſſunt, ſed partibus omninò carent; talia ſunt puncta lineæ, & tales etiam lineæ, & ſuperficies, quatenus illa caret longitudine, & hæc profunditate. Quærimus ergo, an ex his componantur corpus, ſuperficies, & linea tanquam ex partibus, ſupponentes tanquam certum, quòd componantur ex eis tanquā ex modis indiuiſibilibus, quibus vniuntur partes, quemadmodum homo non ſolum ex corpore, & anima componitur, ſed etiam ex modo vnionis, quamuis ex illis ſolis tanquam ex partibus.

Et prima opinio fuit antiquorum Philoſophorum, quos citauit Ariſt. 1. lib. Ph. in principio, nempè Zenonis, Pythagor. Leucippi, atque Democr. aſſerentium corpora omnia compoſita eſſe ex quibuſdam atomis indiuiſibilibus, tanquam ex partibus. Quæ probari poteſt ex motu ſphærici ſuper planum ſolum tangentis puncta ſpatij; ſolùm ergo mouetur per illa; ergo ſpatium ſupra quod fit talis motus: cùm ſit diuiſibile, ex ſolis indiuibilibus tanquam ex partibus componitur.

46 Vera tamen ſententia eſt, quam Ariſto. tenet in his duobus capitibus, & cum eo omnes interpretes, tam antiqui, quā Moderni, continuum non componi ex indiuiſibilibus tanquam ex partibus, ſed ſolùm tanquam ex vnionibus partium; eamque tanquam certam in vera Philoſophia videtur præſupponere Eccleſia Catholica in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. vbi

inter errores contra fidem,quos tenuit Ioannes Huz,eos etiam refert, quos tenuit contra veram Philoſophiam, ex quibus vnus fuit, quòd continuum componatur ex indiuiſibilibus. Verba Concilij ſunt hæc: *Linea aliqua Mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut ſolùm ex punctis ſimpliciter finitis, vel tempus eſt, vel erit compoſitum, ex inſtantibus immediatis.* Sed probatur duplici ratione euidenti. Prima quia indiuiſibilia hæc omni prorſus magnitudine carent, omni longitudine, omni latitudine, omni profunditate; ergo vnum additum alteri, nec magnitudinẽ facere poteſt, nec eam augere; quare nec poterit eam componere tanquam pars. Probatur conſequentia, quia ſicut ſubſtantia debet componi ex partibus, quæ ſint ſubſtantiæ incõpletæ, ita magnitudo ex partibus, quæ ſint magnitudines incompletæ. Indiuiſibilia verò cuiuſlibet magnitudinis completæ, atque incõpletæ expertia ſunt; ergo non poteſt magnitudo ex eis componi, tanquam ex partibus. Secunda ratio ex duobus 46
Mathematicis principiis deſumitur; quorũ primum eſt, lineam quamcunque poſſe diuidi in duas partes æquales. Secundum, vnam lineam in tot partes diuidi poſſe, ac alteram; quamuis partes vnius poſſint eſſe maiores; alterius verò minores; vt ſi linea maior poteſt diuidi in tres partes maiores, etiam minor in tres partes minores: quibus ſuppoſitis ita arguo: Demus lineam maiorem conſtare quatuor punctis: minorem verò tribus, tunc illa poterit diuidi in quatuor partes; hæc verò non: quia diuidere oportebit aliquod indiuiſibile, quod repugnat. Præterea non poterit eadem linea minor diuidi in duas partes æquales, niſi punctum medium diuidatur; euidens igitur eſt lineam non componi ex punctis, & ex conſequenti, neque vllum continuum ex indiuiſibilibus.

Argumentum verò de motu ſphærici corporis ſuper planum 47
nihil probat; ſed conceſſa maiori, quod non tangat niſi puncta plani; negatur, quòd ſolùm moueatur per illa, imò non mouetur per planum, tanquã per ſpatium, ſed per aërem, planum verò ſolum eſt terminatiuum ſpatij extrinſecum, quod præter puncta, quæ tangit in eo ſphæricum, habet etiam partes, quas pertranſire dicitur corpus quaſi extrinſecè, licèt eas adæquatè non tangat, ſed puncta, quibus copulantur.

An

An accidentia corporea, præter quantitatem, habeant proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, vel ſolùm hæc, & illas accipiant à quantitate.

48 NOua eſt quæſtio iſta, & ſolum à Modernis agitata, ſed ſatis difficilis, & eſt eadem, quam diſputauimus in 1. l. de ſubſtantia, an habeat proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, quæ habebit, ſi ab ea ſeparetur quantitas, vel ſolùm eas accipiat à quantitate. Idem ergo quærimus modo de qualitatibus corporeis, cæteriſque accidentibus, vt de calore, & albedine, an habeant proprias partes integrantes, propriaque indiuiſibilia, quibus copulentur, non acceptas à quantitate, ſed quas habere poſſint, ſi à ſubſtantia, & quantitate ſeparentur per diuinam potentiam, vel ſolum accipiant partes, & indiuiſibilia à quantitate, & ſeparata ab ea neceſſe ſit vtriſque omninò carere.

49 Prima opinio negat, ſicut de ſubſtantia, ita de qualitatibus, cæteriſque accidentibus corporeis, quod proprias partes integrantes habeant, & propria indiuiſibilia, ſed ex propria natura eſſe entitates indiuiſibiles, nullam habentes compoſitionem partium integrantium: vnde ſi à quantitate ſeparentur; nullam talem habebunt compoſitionem. Ita tenent omnes illi, quos in 1. lib. citauimus pro opinione negante ſubſtantiæ proprias partes, & indiuiſibilia.

Probatur 1. quia hæc accidentia præſupponunt quantitatem in ſubſtantia; ergo præſupponunt iam ſubiectum diuiſibile, & habens partes atque indiuiſibilia, quare non indigent aliis, ſed eo ipſo, quòd recipiuntur in ſubiecto, recipiunt ab eo partes integrantes, & indiuiſibilia. Secundò, ſi qualitates haberet propria indiuiſibilia, ſequitur hęc recipi in ſubiecto diuiſibili, quod patet eſſe falſum: cum neceſſaria ſit proportio inter accidens, & ſubiectum. Sed probatur conſequentia; quia ſi demus calorem intenſum, vt quatuor, & ei concedantur propria indiuiſibilia intenſionis ſignificata per calorem, vt vnum, vt duo, & vt quatuor: cum calor ita intenſus reperiatur in omnibus & ſingulis partibus corporis, eadem quoque indiuiſibilia intenſionis reperientur in eis, & ita indiuiſibilia recipientur in eiſdem partibus, quæ ſunt ſubiecta diuiſibilia. Imò duo indiuiſibilia diuerſarum, & contrariarum qualitatum recipientur in eodem indiuiſibili ſubiecti, vt in eodem puncto eius, quod patet eſſe impoſſibile, quia ſicut qualitates contrariæ ſe expellũt ab eodem ſubiecto, nec poſſũt eſſe ſimul in eo,

eodem modo debent ſe expellere indiuiſibilia earum, ſi dentur; quare non poterunt ſimul in eodem puncto ſubiecti permanere. Sed probatur conſequentia, quòd neceſſariò permaneant, ſi detur lignum: cuius medietas ſit calida, vt ſex, & medietas alia frigida, etiã vt ſex; tunc enim neceſſe eſt indiuiſibilia terminatiua vtriuſque qualitatis contrariæ recipi in eodem puncto continuante vnam medietatem ſubiecti cum alia.

50 Secunda opinio concedit qualitatibus, & cæteris accidentibus corporeis proprias partes integrãtes entitatiuas, ſicut ſubſtantiæ, quas non recipit à quantitate, atq; propria indiuiſibilia, quibus continuantur, à quantitate verò extendi, ſicut extenduntur partes ſubſtantiæ. Ita ſentiunt omnes Moderni, qui ſubſtantiæ tribuunt proprias partes, & propria indiuiſibilia, & hæc videtur mihi probabilior, ſuppoſito, quod ſubſtantiæ conceduntur, quam ſic explico: Sicut eſſentia ſubſtantiæ componitur ex materia & forma, tanquam totum eſſentiale, ita eius entitas componitur ex partibus integrantibus vnitis propriis indiuiſibilibus ſubſtantialibus, tanquam totum integrale & hanc compoſitionem habet, vt præſupponitur quantitati; quare neque illam, neque partes integrantes, & indiuiſibilia, ex quibus fit, recipit à quantitate; ſed ſolùm extenſionem molis earundem partium, ita de qualitatibus, & cæteris accidentibus intelligit hæc opinio; præter compoſitionem eſſentialem, ex genere, & differentia habere aliam entitatiuam, & quaſi ſubſtantialem in propria entitate, per quam conſtituuntur in ratione totius integralis, quam non recipit à quantitate: ſed eam habebunt, ſi fiant à Deo ſine quantitate, vel ſi poſtquam in ſubiecto extenſo facta ſunt, ſeparentur ab eo, & omnino à quantitate à qua eædem partes recipiunt extenſionẽ molis, & fiunt loci occupatiuæ, ſicut partes ſubſtantiæ.

51 Sic autem explicata probatur primò; quia alia eſt entitas realis albedinis, quæ eſt in facie, alia quæ eſt in manu; ergo diſtinguuntur realiter; & efficiunt eandem albedinem cum his entitatibus eiuſdem, quæ ſunt in cæteris partibus realiter diſtinctis; ergo albedo, quæ eſt in homine, habet partes integrãtes proprias, ex quibus componitur propria entitas tanquam totum integrale. Probatur antecedens: nam bene poteſt ſeparari brachium à capite, qua ſeparatione facta, bene poteſt Deus ſeparare albedinem brachij à quantitate eiuſdem brachij, & ſimiliter albedinem capitis à quantitate eiuſdem: cum conſtet albedinem non habere intrinſecam dependentiam à quantitate; factis autem his ſeparationibus, permanet albedo brachij ſeparata ab albedine capitis; ergo diſtinguuntur

realiter,

realiter, & entitatiuè, & eodem modo diſtinguebantur ante ſeparationem, alioqui non poſſent ſeparari; ergo albedo totius corporis continebat plures entitates reales, & cum ſit vna, erit ex eis compoſita tanquam ex partibus integrantibus, quæ cum non poſſint componere, niſi vniantur; nec vniri, niſi per modos vnionis indiuiſibiles, ſequitur habere etiam propria indiuiſibilia, quibus vniuntur partes.

52 Secundò probatur, ex naturali correſpondentia, & proportione requiſita inter accidens, & ſubiectum, ita vt ſi vnum ſit totum integrale compoſitum ex partibus integrantibus, aliud quoque debeat habere ſimilem compoſitionem, ita vt partes correſpondeant partibus; & indiuiſibilia indiuiſibilibus; ſed qualitates inhærent ſubiecto habenti partes integrantes, & indiuiſibilia, quibus copulantur; ergo eaſdem habere debet accidens, alioqui totum in toto ſubiecto recipietur, & totum in qualibet parte. Quod autem aduerſarij reſpondent, non eſſe neceſſarium, vt habeat partes præſuppoſitas, ſed vt eas recipiat per inhæſionem: non ſatisfacit; quia per inhæſionem ſolùm poteſt recipere extenſionem accidentalem à quantitate: cum tamen per eam extenſa, non ſolum habeat partes diſtinctas ſecundum extenſionem accidentalē; ſed etiam ſecundum propriam entitatem qualitatis, & licet quātitas poſſit efficere illam diſtinctionem partium accidentalem, non tamen poteſt facere hanc entitatiuam, & ſubſtantialem, vt ex ſe pātet; ergo eam habet qualitas à ſe; & non à quātitate. Probatur tandem ex motu intenſionis, qui eſt perfectio qualitatis circa eandem partem ſubiecti hoc modo: Dum calor intenditur in manu; talis motus intenſionis eſt continuus; ergo habet partes copulatas termino communi, qui appellatur, mutatum eſſe in diuiſibile, ſed per hoc mutatum eſſe indiuiſibile, acquiritur gradus indiuiſibilis caloris, vt tria, vel vt quatuor; ſicut per partes motus acquiritur pars gradualis intenſionis; ergo calor acquiſitus per talem motum habet indiuiſibilia, quibus copulantur partes intenſionis eius. Et hoc argumentum efficaciſsimum eſt ad id conuincendum. Probatur tandem, quia qualitates per ſe terminantes motum intenduntur in ſubiectis per motum ſucceſſiuum, ergo habent latitudinem gradualem intenſionis diuiſibilem in partes intenſionis; & ex conſequenti habent veras, & reales partes intenſionis, & vnitas inter ſeſe per continuationem, alioqui non efficerent vnam qualitatem intenſam; ſed partes iſtæ non poſſunt vniri per ſe, ſicut nec partes extenſionis quantitatiuæ; ergo vniuntur per indiuiſibilia intenſionis,

Ss 5 à qui

à quibus continuatæ efficiunt vnam qualitatem intenſam.

Ad primum argum. alterius opinionis concedendum eſt primum enthymema, ſed negandum, quod rurſus infertur qualitatem non indigere partibus, & indiuiſibilibus propriis; imò ex eo, quod præſupponit ſubiectum diuiſibile ſecundum partes extenſas, debet ipſa habere etiam partes entitatiuas copulatas propriis indiuiſibilibus, vt per eas proportionetur ſubiecto, in quo debet recipi: nam ſi ſit omnino indiuiſibilis, non erit capax extenſionis præſuppoſitæ in ſubiecto: nec in eo poterit recipi. 53

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt; qualitates corporeas duplices partes habere, intenſionis, & extenſionis: partes extenſionis ſunt, quas habet in diuerſis partibus ſubiecti; vt in brachio, & pede, intenſionis verò ſunt gradus perfectionis, quos habet circa eandem partem, vt cum calor in eadem manu, vel pede dicitur eſſe, vt duo; habet duas partes intenſionis æquales, quæ ſunt primus, & ſecundus gradus; & quilibet horum graduum habet infinitas partes proportionales intenſionis; quia latitudinem habet diuiſibilem in infinitum. Et iuxta hos duos modos partium; habet etiam indiuiſibilia duplicia, quibus copulantur, extenſionis, & intenſionis, & indiuiſibilia extenſionis ſunt, quibus copulantur partes extenſionis, vt indiuiſibile, quo copulantur calor brachij, & manus extenſionis dicitur, Indiuiſibilia verò intenſionis ſunt, quibus 54 partes graduales perfectionis, quas habet in eadem parte ſubiecti, copulantur, & ſignificantur his vocibus, calor, vt vnum, vt duo, & vt tria; quia calorem eſſe ſub tali gradu præciſè, vt vnum, vel vt duo modus indiuiſibilis eſt perfectionis eius, & præter hæc, habet intra totam latitudinem cuiuſlibet gradus infinita alia indiuiſibilia, quibus copulantur partes proportionales, in quas diuidi poteſt totus ille gradus: hoc ſuppoſito concedendum eſt ad formam arg. quod indiuiſibile intenſionis recipitur in parte ſubiecti diuiſibili ſecundum extenſionem; nam calor ſub ratione indiuiſibili, vt vnum, vel vt duo, per totam manum extenditur, neque mirum id videri debet: nam cum intenſio, & extenſio qualitatis ſint diuerſæ rationis, diuerſæque perfectiones eius, gradus indiuiſibilis ſecundum intenſionem poteſt diuidi ſecundum diuerſas partes ſubiecti ad quas extenditur, quod eſt eſſe in ſubiecto diuiſibili, non in eodem ordine intenſionis, ſed in alio diſtincto extenſionis, ideò diuiſibilis ſecundum extenſionem, quia ad plures partes ſubiecti extendi poteſt, inuariabilis permanens ſecundum proprium modum intenſionis.

Aliud

55 Aliud verò, quod in eodem argumento dicitur de duobus indiuiſibilibus contrariarum qualitatum, concedendum eſt, quod in eodem indiuiſibili ſubiecti recipiantur, in quo nullum eſt inconueniens: ſicut, nec reputatur inconueniens, quòd duo indiuiſibilia terminatiua duorum corporum occupantium diuerſas partes loci, ſint in eodem indiuiſibili loci eis correſpondenti; nam locus continuus eſt, & corpora contenta ſunt contigua: quare cum duo indiuiſibilia loci non ſint immediata, neceſſe eſt ab vno, & eodem contineatur vtrumque indiuiſibile terminationum locatorum: in hoc autem nulla eſt repugnantia, licèt repugnet duas partes corporis eſſe in eadem parte loci; quia partes non poſſunt eſſe ſimul ſine penetratione, propter extenſionem: quam habent occupatiuam diuerſarum partium loci; indiuiſibilia verò extenſione carent & ideò ſimul eſſe poſſunt in eodem indiuiſibili loci ſine penetratione. Eadem ſimilitudine intelligendum eſt duas partes qualitatum contrariarum non poſſe eſſe in eadem parte ſubiecti in gradu intenſo, ſed bene duo indiuiſibilia terminatiua intenſionis earum. Et ratio huius differentiæ eſt; quia contrariæ qualitates per partes agunt, & ſe expellunt ab eiſdem partibus ſubiecti; quia partes qualitatum, qualitates ſimpliciter ſunt; indiuiſibilia verò non ſunt qualitates; ſed modi earum; modi verò non ſunt actiui per ſe, nec per ſeſe expellunt, ſed ex conſequenti tantùm agere dicuntur, & ſe expellere, dum agunt, & ſe expellunt qualitates ipſæ, quas modificant.

CAPVT III.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Neceſſe eſt autem, & ipſum nunc, quod non ſecundum alterum, ſed per ſe, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

56 PROBATO iam, quod continuum ſit diuiſibile, & quod non componatur ex indiuiſibilibus tanquam ex partibus, ſed ex diuiſibilibus, & ex conſequenti motum talem eſſe, atque eodem modo compoſitum; proſequitur Ariſtoteles tractatum de diuiſione eiuſdem motus, quam, vt in ſequentibus capitibus melius explicare poſſit, præſupponit in præſenti tres propoſitiones vniuerſales, eáſque probat, nec eget caput alia diuiſione.

Prima

quod velociùs moueatur, & pertranſibit idem ſpatium in minori duratione, & ita inſtans non erit iam indiuiſibile, quod patet eſſe falſum. Quod verò in inſtanti non poſſit aliquid quieſcere, ſic probat: Quies eſt priuatio motus; ſed in inſtanti non datur motus; ergo nec dabitur quies. Probatur conſequentia, quia priuatiuè oppoſita eiuſdem menſuræ debent eſſe.

Tertia propoſitio vniuerſalis eſt, quod omne mobile ſit diuiſibile: quam probat hoc argumento: Id, quod mouetur, partim debet eſſe in termino à quo, & partim in termino ad quem; nam dum totum eſt in termino a quo, nondum mouetur, & dum totum eſt in termino ad quem, iam non mouetur; ergo dum mouetur, partim in vno, & partim in alio termino debet eſſe; ſed indiuiſibile caret partibus; ergo non poteſt eſſe partim in vno termino, & partim in alio, ſed vbicunque eſt, debet eſſe totum, quare non poterit moueri.

QVÆSTIO VNICA.

An motus poſſit fieri in inſtanti per potentiam Dei abſolutam.

58 Motus non accipitur iã ſub illa ratione vniuerſali abſtracta à motu ſucceſſiuo, & mutatione inſtantanea; ſub qua definitum eſſe in 3. lib. diximus: nam ita acceptus in inſtanti eſſe poteſt, cum multæ ſint mutationes inſtantaneæ; de quibus verum eſt eſſe motus in hac acceptione, & in momento fieri; ſed ſumitur motus propriè pro ſucceſſiua mutatione inter terminos poſitiuè contrarios, de qua docuit Ariſtot. in 5. lib. quod ad tria tantùm prædicamenta per ſe terminetur, ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

Et præſupponit titulus quæſtionis naturaliter eſſe impoſſibile, quòd in inſtanti fiat; in quo omnes videntur conuenire; quia nec poteſt naturaliter corpus acquirere ſimul quantitatem per augmentationem cum nutritione faciendam; nutritio enim ſecundum ordinem naturalem ſucceſſiua debet eſſe: cum fiat virtute caloris naturalis ſucceſſiuè conuertentis alimentum in ſubſtantiam aliti, nec etiam poteſt totam latitudinem caloris per alterationem ſimul acquirere; ſed vnam partem poſt
59 aliam, & multò minus totam latitudinem ſpatij. Quæſtio igitur ſolùm procedit ſecundum potentiam ſupernaturalem vel abſolutam Dei. Et circa quæſtionem ſic intellectam. Et prima opinio Scoti in 4. diſtin. 43. quæſt. 2. artic. 3. vbi aſſerit, *quod ſi ſubitò vacuum fieret à Deo per miraculum in inſtanti moue-*

retur

retur vicinum corpus ad illud replendum. Idem ſentiunt Greg. in 2.d.6.quæſt.3. art.2. & Maior. in 4.d.49. quæſt.8. atque etiam illi,quos citauit Durand.in 4.d.43.quæſt.4. Probatur teſtimonio Ariſtotelis 8. lib. Phyſ. cap. 10. vbi probat primum motorem; habentem infinitam virtutem non poſſe eſſe corporeum; quia ſi virtus infinita eſſet in corpore, poſſet illud mouere in non tempore, aut quod idem eſt in inſtanti. Ex quo tale argumentum deſumitur,licèt virtus infinita Dei non ſit in corpore, ſed poteſt applicari liberè ad mouēdum corpus, & poteſt Deus totam illam ſimul applicare ad mouendum vnum aliquod corpus, quam ſi applicaret, moueret illud in non tempore, vel in inſtanti, quod ſic probo: Applicans aliquam virtutem finitam poteſt Deus mouere corpus in tempore aliquo, & ſi applicet maiorem virtutem,mouebit illud in minori tempore; ſed liberum ſibi eſt applicare totam ſuam virtutem infinitam; ergo mouebit illud in tempore in infinitum minori; quod proinde tempus non erit; ſed non tempus,vel inſtans:quare non repugnabit dari motum in inſtanti factum. Probatur etiam ratione; quia communis reſurrectio corporum ſubitò efficienda eſt per diuinam virtutem,& potentiam;ſed non poteſt ſubitò fieri,niſi in inſtanti coniungantur oſſa, & cineres valdè diſtantes; nec poſſunt coniungi,niſi per motum localem; ergo non repugnat motum localem in inſtanti fieri. Et certè non videtur negari poſſe diuinæ omnipotentiæ, quòd in momento poſſit corpus transferre ab vno loco in alterum, quod eſt in inſtanti illud mouere.

Priuſquam noſtram ſentētiam proponamus,quandam æquiuocationem tollere oportet in ſenſu huius quæſtionis inclusam; ne in æquiuoco laborare videamur; nam motum fieri poſſe in inſtanti, duplicem ſenſum habere poteſt. Primum an motus;cum ſua ſucceſſione,& continuatione poſſit in inſtanti fieri; in quo ſenſu euidens eſt, contradictionem implicare; quia ſucceſſio eſſentialiter includit prius & poſterius; ſed prius & poſterius repugnat dari in inſtanti, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo implicat contradictionē,quòd motus cum ſua ſucceſſione in inſtanti fiat: vnde ſi in hoc ſenſu intelligeretur opinio præpoſita; non eſſet vllo modo probabilis, ſed euidenter falſa. Secundo modo poteſt intelligi motum in inſtanti fieri,ita vt motus ſucceſſiuus tranſeat in mutationem inſtātaneam, & ſic terminus eius qui non poſſet naturaliter acquiri,niſi ſucceſsiuè,& per partes:ſimul & in inſtanti acquiratur: vnde idem erit quærere,an motus poſsit fieri in inſtanti,ac ſi quæramus, an motus poſſit tranſire in mutationem inſtantaneam,& hoc,abſq. dubio 60 61

depen

dependet ex alio; nempè an ſucceſſio ſit de eſſentia motus; vel ſolùm accidens naturaliter ei conueniens: nam ſi de eſſentia eius ſit, non poterit tranſire in mutationem inſtantaneam, ſed ſpecie diſtinguetur ab ea, etiam circa eundem terminum propter diuerſum modum intrinſecum, ſucceſſiuum, & momentaneum.
62 Si verò ſucceſſio ſit ei accidentalis, tranſire poterit in mutationem inſtantaneam circa eundem terminum non mutata ſpecie; & hunc ſenſum tenere videntur Scotus, & alij, dum aſſerunt motum poſſe fieri in inſtanti per diuinam potentiam; non quidem cum ſua ſucceſſione permanentem; ſed vt ſucceſſio ſit naturale accidens eius, ſine quo eſſe poſsit per virtutem diuinam; & manens in ſua ſpecie tranſire in mutationem inſtantaneam, per quam idem terminus acquiratur in momento, qui non poſſet naturaliter acquiri niſi per partes, & ſucceſsiuè: in quo ſenſu eandem ſententiam defendunt Moderni non pauci, aſſerentes per diuinam potentiam fieri poſſe, vt tota latitudo caloris, & etiam partialis ſubſtantia cum ſua quantitate in inſtanti acquiratur; & ita in inſtanti augeatur corpus: & tandem in inſtãnti poſsit moueri corpus de vno loco in alterum. Quod ſic probatur, nam ideò non poteſt qualitas per ſe terminans motum in inſtanti acquiri; quia contrarium habet in ſubiecto, cuius reſiſtentiam non poteſt in inſtanti ſuperare, ſed paulatim; & ideò ſucceſsiuè, quare non niſi ſucceſsiuè, & per partes expellit formam contrariam, & introducit propriam, & hæc eſt vnica cauſa, propter quam alteratio eſt motus ſucceſsiuus, & ſimilis eſt ea, propter quam augmentatio ſucceſsiuè fit, quia calor naturalis diſponens materiã alimenti, non poteſt in inſtanti contrarias diſpoſitiones ab eo expellere; & proprias introducere pro forma viuẽtis requiſitas; ſed virtus infinita Dei poteſt in momento vincere totam reſiſtentiam contrarij, atq; etiam diſpoſitiones conuenientes in materiam inducere pro forma introducenda; ergo poterit totam latitudinem caloris introducere in aqua expulſa frigiditate, & ideò per alterationem inſtantaneam & etiam in inſtanti producere partialem ſubſtantiam & quantitatem, per quam augeatur viuens; ſicque augmentationem inſtantaneam efficere. Et eadem ratione transferre corpus de vno loco ad alterum per mutationem localem momentaneam.
63 *Noſtra* ſententia duabus concluſionibus explicatur. Prima *aſſerit ſucceſſionem non pertinere ad eſſentiam alterationis, nec augmentationis, ſed eſſe accidens quoddam, vel proprietatem naturalem conſequentem eſſentiam earum naturaliter, & ita per potentiam Dei abſolutam poſſunt tranſire in mutationes inſtantaneas permanendo in*
proprijs

propriis ſpeciebus. Hæc eſt conformis præcedenti opinioni: & probatur efficaciter argumento in fauorem eius facto: cui hoc ſecundum addendum eſt: Communis eſt ſententiæ ſcholæ, quod per potentiam Dei abſolutam poſſunt cõtrariæ qualitates in ſumma intenſione ſimul eſſe in eodem ſubiecto: vt calor, vt octo, & frigus etiam, vt octo, quia poteſt Deus ſuſpendere mutuam actionem, & paſſionem earum; & ex conſequenti expulſionem vnius, vel alterius à ſubiecto, ex quo euidenter ſequitur, poſſe Deum, dum aqua calefit, ab igne ſuſpendere reſiſtentiam frigiditatis, & actionem eius circa ignem atque etiam expulſionem, & ita facere, vt ignis introducat in eam calorem, vt octo ſine expulſione alicuius gradus frigiditatis, & id quidem in inſtanti; quia ſi ſuſpenderetur actio, & reſiſtentia frigiditatis, ſic ſe haberet frigiditas in aqua, quantum ad impediendum ingreſſum caloris, ac ſi non eſſet; nihil ergo retardaret actionem ignis, quo minus in inſtanti fieret, ac ſi contrarium non haberet calor in eodem ſubiecto: & hoc eſſet alterationem fieri in inſtanti. Et idem prorſus argumentum fieri poteſt de nutritione, & augmentatione, vt cuilibet eſt per ſe manifeſtum.

Secunda concluſio, ſucceſſio intrinſeca eſt motui locali, ita vt non poſſit vllo modo tranſire in mutationem inſtantaneam; ſed contradictionem implicare, quòd corpus mutetur de vno loco in alterum tranſeundo per medium in inſtanti. Hæc prius explicanda eſt, deinde probanda: explicatur autem hac ratione: Duobus modis poſſumus excogitare, quod vnum corpus transferatur de vno loco in alterum, vel per ſpatium medium, verum, vel imaginarium tranſeundo vel non; ſed ita, vt exiſtens in vno loco, vel habens vnum, vbi, ponatur à Deo in alio, nec relinquendo primum, nec percurrendo medium pro acquirendo alio; ſed ſic eum de nouo accipiendo, ac ſi tunc fieret à Deo in eo: duo ergo aſſerimus. Primum, *quod non poſſit primo modo transferri corpus ab vno loco in alterum in inſtanti, etiam per potentiam ſupernaturalem, ſed implicare contradictionem*. Secundò, *probabile eſſe, quod poſſit transferri ſecundo modo*, ſed quia talis tranſlatio non eſſet propriè mutatio, ideò abſolutè dicendum eſſe, quod motus localis non poſſit in mutationem inſtantaneam tranſire: & propterea, neque vllo modo fieri in inſtanti. 64

Probatur primum, quia, vt diximus, & probauimus in 4. lib. agentes de vacuo, motus localis per vacuum non fieret in inſtanti, ſed neceſſariò in tempore; quia licèt nulla eſſet reſiſtentia extrinſeca ex parte medij, eſſet tamen intrinſeca ex parte mobilis & ſpatij, veri quidem, vel imaginarij, ex parte quidem 65

corporis

corporis ratione ſuæ extenſionis; quia repugnat ad idem punctum ſpatij ſimul peruenire partes poſteriores corporis cum prioribus: ſed neceſſe eſt has prius peruenir., vbi autem prius, & poſterius reperitur; neceſſe eſt ſucceſſionem temporis reperiri, & ideò motus non poteſt fieri in inſtanti. Ex parte autem ſpatij, quia non poteſt mobile, ſiue ſit diuiſibile, ſiue indiuiſibile, illud pertranſire per motum, & ſimul totum occupare; cum non ſit vllo modo proportionatum toti ſpatio; nec in toto ſimul eſſe poſſit, ſed neceſſe eſt aliquid eius de nouo occupare; vel alicui eius præſens eſſe, & aliud relinquere, vel deſinere ei eſſe præſens, alioqui nunquam mouebitur, ſed quietum erit; ſi nihil de nouo acquirat, aut deſinat, quod patet in alteratione, & augmentatione non eſſe neceſſarium, ſed poſſe corpus ſimul acquirere totam latitudinem qualitatis, & totam ſimul admittere; ſed ſpatium acquirere, & relinquere per partes, conſtat non poſſe fieri in inſtanti, ſed neceſſariò ſucceſſiuè; ergo implicat contradictionem, quòd motus localis corporis tranſeuntis per medium in mutationem inſtantaneam tranſeat, vel in inſtanti fiat.

66 Probatur ſecundò, quia de eſſentia motus localis duo ſunt, nempè, quod inter duos terminos verſetur, à quo & ad quem, & ad quod mobile vnum relinquat & acquirat aliud; quia ſi in termino à quo permaneat, non mouebitur, ſed ſolum per quandam extenſionem acquirere poterit maiorem locum, ſicut acquirit corpus, dum augetur, neceſſe eſt ergo eum relinquere, ſed non poteſt totum ſimul relinquere, & totum aliud ſimul acquirere tranſeundo per medium; quia non poteſt eſſe præſens ſimul medio & extremis per motum, ſi acquirens vnum extremum debet relinquere aliud, atque etiam medium, eadem ratione conſtat non poſſe ſimul relinquere; ergo repugnat moueri de extremo ad extremum per medium in inſtanti.

67 Explico ſecundum, quod non tranſeundo per medium poſſit idem corpus transferri de vno loco ad alterum, quod non eſt ſic intelligendum, vt ſimul ſit in vtroque; nam ſi ita fiat, non dicetur propriè transferri ab vno in alterum, quia tranſitus non eſt, vbi nihil deſeritur; ſed ſolùm eſſe poni in duobus locis ſimul per diuinam potentiam, vel duas præſentias, vel vbi ſimul habere, quod ſine motu locali, imò ſine mutatione propria intelligitur. Ita ergo intelligendum eſt, vt vnum totaliter deſerat, & acquirat totaliter aliud in eodem inſtanti, quod adhuc non ita cenſetur poſſibile, vt in vno inſtanti eſſet in termino à quo, & in alio in termino ad quem,

quia duo inſtantia immediata non poſſunt dari, ſed ita videtur poſſe fieri, vt in toto tempore præcedenti fuerit in termino à quo, & in inſtanti terminatiuo eiuſdem temporis acquirat terminum ad quem; quod non videtur continere manifeſtam repugnantiam, & ideò non videtur negandum diuinæ omnipotentiæ. Et hoc modo intelligi debent ſancti Patres, dum concedunt corporibus beatorũ, quod in momẽto poſſint ſe transferre de vno loco ad alterum, videlicet D. Auguſt. in Enchirid. cap. 9 & D. Bernerd. ſerm. 4. in feſto omnium Sanctorũ. Quod verò D. Thom. 1. par. qu. 53. art. 2. aſſerit poſſe Angelum moueri de extremo ad extremũ non tranſeundo per medium; corpus verò non poſſe, naturaliter hoc intelligendum eſt, ſicut naturaliter intelligitur illud; ſed per diuinam potentiam concedendum videtur corpori, quòd naturaliter conceditur Angelo. Et denique dum Ariſtoteles negat, motũ poſſe fieri in inſtanti, de ipſo loquitur cum ſua ſucceſſione, quæ cum ſit quaſi naturalis proprietas eius, non potuit Ariſtoteles cognoſcere, quòd per ſupernaturalem potentiam poſſit eſſe, ſine illa, vel tranſire in mutationem inſtantaneã; ſed fortè putauit implicare contradictionem, quod in inſtanti fiat, vel certè, quod ego verius puto, de motu locali præſertim loquitur, vt exẽpla eius oſtendunt, de quo nos quoque concedimus eſſentialiter eſſe ſucceſſiuum, & implicare contradictionem, quod in mutationem inſtantaneam tranſeat, vel in inſtanti vllo modo fiat.

CAPVT IV.

TEXT. ARISTOTELIS.

Motus autem eſt diuiſibilis dupliciter, vno quidem modo tempore, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt explicare diuiſibilitatem motus, diuiditur autem in tres partes. In prima docet, & probat motum eſſe diuiſibilem ad diuiſionem mobilis. In ſecunda docet ſimiliter, & probat, quod ſit diuiſibilis ad diuiſionem temporis. Et in tertia enumerat ea, quæ diuiduntur ſimul cum motu ad diuiſionem motus. Probat ergo motum diuidi ad diuiſionem mobilis hac ratione. Sicut totum corpus eſt album tota, ac integra albedine, & ſingulæ eius partes ſingulis etiam partibus albedinis dealbantur: vt caput vna parte eius, brachia, & pedes aliis: ita totum corpus mouetur integro motu, & ſingulæ partes moueantur ſin 68

tur ſingulis partibus eiuſdem motus, vt brachium vna parte motus, caput, & pedes aliis; ſed albedo, quia illo modo inhæret corpori, diuiditur ad diuiſionem eius; ergo motus eodem modo inhærens corpori, diuiſibilis erit ad diuiſionem eius. In ſecunda parte docet motum diuiſibilem eſſe ad diuiſionem temporis. Probátque hoc argumento: Omnis motus fit in tempore, & quo maius eſt tempus conſumptum in motu, extenſior eſt motus; quo verò minus eſt tempus, minorem habet extenſionem motus cæteris paribus ex parte velocitatis, ſed tempus eſt diuiſibile; ergo motus, qui ei proportionatur, & ad extenſionem eius extenditur, diuidetur ad diuiſionem eius. Inter hos autem duos modos diuiſibilitatis motus, hæc eſt differētia; quòd ille communis eſt omnibus accidētibus; iſte verò peculiaris eſt, ac pro-
69 prius eius. Enumerat tandem in vltima parte ea, quæ diuiduntur ſimul cum motu, & aſſerit hæc omnia ſimul diuidi, tempus, motum, moueri, hoc eſt, motum in concreto, mobile, & id in quo fit motus, id eſt, terminus, qui per motum acquiritur, qui in locali eſt ſpatiū, vel vbi: in alteratione qualitas, in augmentatione quantitas: & hæc omnia ſunt eiuſdem rationis quantum ad finitum, vel infinitum eſſe, ita vt ſi vnum finitum ſit, cætera etiam ſint finita; & ſi vnum ſit infinitum, etiam reliqua, & eo modo, quo vnum eſt finitum, vel infinitum, cætera quoque vnum horum. vel alterum habent, ſed primò conueniunt hæc mobili, & eius ratione cæteris.

CAPVT V.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem omne quod mutatur, ex quodam in quiddam, &c.

Breuis expoſitio Textus.

70 POSTQVAM Ariſtot. cap. præcedēti explicuit diuiſibilitatem motus in communi, procedit ad explicandum eam in particulari; & capite præſenti intendit explicare, principiū, & finē motus, quibus cognitis faciliùs intelligi poterit ordo partiū eius, in quas diuidi poteſt. Diuiditur autem in duas partes. in prima proponit, & probat duas propoſitiones vniuerſales, ex quib' oſtēdit, in ſecūda, quomodo ſe habeat mot' ex parte finis, & ex parte principij.

Prima propoſitio vniuerſalis talis eſt: *Quod mutatum eſt in ali-
quem terminum, cum primum in eum mutatum eſt, in eo dicitur eſſe.*
Quod primò explicandum eſt, deinde probandum: explicatur
autem ſic: Quod mutatur, ab vno in alterum tranſit, illud de-
ſerit, & hoc acquirit; ergo cum primum verum eſt mutatum
eſſe in illud, verum erit ipſum acquiſiſſe, & ideò in eo eſſe, vt ſi
ab albo in nigrum mutetur corpus, cum primum verum eſt
mutatum eſſe in nigrum, verum erit nigrum eſſe. Dicitur au-
tem, cum primum mutatum eſt in illud, & non ſolùm, cum
mutatum eſt; quia contingere poteſt, poſtquam mutatum eſt
tempore ſequenti mutationem eius ad alium terminum tran- 71
ſiſſe, & in primo eſſe deſiiſſe, ſed cum primum verum eſt mu-
tatum eſſe in illo, neceſſe eſt ſub eo eſſe. Quod probat in mu-
tationibus; quia cum primum mutatum eſt aliquid per gene-
rationem: verum eſt receſſiſſe à termino à quo; ergo cum pri-
mum mutatum eſt aliquid per generationem. verum eſt, quod
à non eſſe receſſerit; ergo neceſſariò verum eſt, quod acquiſie-
rit eſſe, quia eſſe, & non eſſe opponuntur contradictoriè, ideò
non habent medium, ſed eſſe eſt terminus generationis; ergo
neceſſe eſt ſub eo eſſe.

Secunda propoſitio vniuerſalis eſt: *Id in quo primò muta-
tum eſt, id, quod mutatum eſt, indiuiſibile debet eſſe, hoc eſt, duratio, in
qua primò verum eſt dicere, quod mobile mutatum ſit: indiuiſibilis
neceſſariò erit, nempe inſtans, & non tempus.* Probat hac ratione:
ſi duratio, in qua verum eſt dicere, quod primò mutatum ſit
corpus: diuiſibilis ſit, vel in ſingulis partibus eius, verum eſt
mutatum eſſe, vel in altera tantum, vel in neutra, non in ſin-
gulis; quia ſi in ſingulis mutatum eſſet, ergo non primò in om-
nibus, nec primò in tota, & eadem ratione non in altera; quia
cum ſit diuiſibilis: primò mutatum eſſet in prima eius parte, &
ideò non in tota primò. Et tandem, quod non in neutra eui-
dens eſt; quia cum præſupponamus in ea eſſe mutatum, repu-
gnat in nulla eius parte mutatum eſſe.

His ſuppoſitis docet ex parte finis dari primum mutatum 72
eſſe motus, quod ſit terminus, vel extremum eius, & primum
non eſſe eiuſdem motus, in quo verum ſit dicere, nunc primò
mobile eſt in termino ad quem motus, quem conſecutus eſt, &
immediatè ante non erat in eo, ſed ad eum mouebatur, vt ſi
corpus graue moueatur ab aëre ad terram, verum ſit dicere:
dum ad terram peruenit, nunc primò eſt in terra, & immedia-
tè ante non erat in ea, ſed ad eam mouebatur. Probat autem,
quod dari debeat, hoc argumento: Omne continuum habet
terminum indiuiſibilem: vltra quem non procedit extenſio
eius,

eius,ſed in quo finitur,& in quo verum eſt dicere, hoc indiuiſibile non eſt continuum, ſed, quod immediatè præcedit illud; continuum eſt, vt linea extremum punctum, ſed motus eſt continuum quoddam;ergo habet terminum indiuiſibilem, vltra quem non procedit, verum ergo erit in eo dicere nunc primò mobile eſt in termino,& immediatè ante non erat, & nunc primò non eſt motus,& immediatè ante fuit.

73 Ex parte verò principij negat habere primum mutatum eſſe, à quo incipiat. Probat ex parte mobilis, de quo certum eſt eſſe diuiſibile, & ideò neceſſe, vt prima pars eius priùs pertranſeat primam partem ſpatij,deinde alia, & alia; ſi ergo datur prima pars motus, vel primum mutatum eſſe, ſit illa, per quam prima pars mobilis pertranſit primam partem ſpatij, & cum illa ſit diuiſibilis,priùs medietas eius pertranſibit primam partem ſpatij, & priùs etiam medietas illius medietatis, quam tota,& ſic in infinitum;ergo ſicut non datur prima pars mobilis pertranſiens,ita nec dabitur prima pars motus, vel primum mutatum eſſe à quo incipiat,ſed ante quamlibet partem motus dabitur mutatum eſſe,& ante quodlibet mutatum eſſe alia pars motus in infinitum.

CAPVT VI.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem omne quod mutatur,in tempore mutatur, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

74 EXPLICATIS principio, & fine motus, quæ per indiuiſibilia ita explicantur,vt ex parte finis habeat primum indiuiſibile,quo terminetur, ex parte verò finis nullum habeat à quo incipiat,agit iam Ariſtoteles de ordinatione partium motus ex parte principij, & hoc eſt intentum huius capitis, quod in duas partes diuiditur: in prima docet, & probat ſic ſe habere partes motus verſus principium, vt non detur prima, ſed quamlibet præcedat indiuiſibile eiuſdem motus, quod vocatur mutatum eſſe. In ſecunda, docet etiam,& probat,quod cum non detur primum mutatum eſſe,à quo motus incipiat, vt in præcedentibus probauit, neceſſe ſit quodlibet mutatum eſſe motus, præcedere aliquam partem eiuſdem motus. Vt probet primum ſupponit, quod quidquid mouetur primò, & adæquatè in tempore aliquo,

mouetur in qualibet parte illius temporis. Primò, & adæquatè 75
dicit, quia quando aliquid mouetur ſolum inadæquatè, hoc eſt, non ratione totius, ſed alicuius partis; non eſt neceſſarium in qualibet parte illius temporis moueri, vt quod in hac hora moueri dicitur; quia in aliqua parte eius mouetur, non eſt neceſſarium moueatur in qualibet parte eiuſdem horæ; quia non mouetur in tota hora primò & adæquatè, hoc eſt, ratione totius horæ, ſed inadæquatè ratione partis. His ſuppoſitis probat non dari primã partem motus verſus principiũ, ſed quamlibet partem præcedere mutatũ eſſe, hoc argumento: Motus ita proportionatur tempori, & ſpatio, ſupra quod fit, vt ſi per totũ horam mouetur corpus per totum ſpatium, in ſingulis medietatibus eiuſdem horæ moueatur per ſingulas medietates eiuſdem ſpatij; ſumpta igitur poſteriori medietate ſpatij, verum erit ante illam fuiſſe mutatum in priori, & ita ſumpta medietate illius medietatis in infinitum; cum diuiſio ſpatij, temporis, & motus in infinitum procedat; quare ſicut neceſſe eſt, quamlibet partem ſpatij præcedere indiuiſibile eius & quamlibet partem temporis inſtans, ita erit neceſſarium, quamlibet partem motus præcedere indiuiſibile eiuſdem motus; quod eſt mutatum eſſe, & ideò non dari primam. In ſecunda parte docet, quod
cum non detur primum mutatum eſſe, à quo incipiat motus, 76
quod eſt non dari primum indiuiſibile motus à quo incipiat: neceſſe ſit, ante quodlibet mutatum eſſe eius dari partem aliquam motus. Quod ſic probat: Motus propriè ſumptus fit in tempore, ſed quodlibet tempus eſt diuiſibile in infinitum; ergo ſicut ante quamlibet partem temporis præcedit inſtans, per quod coniungitur cum parte præcedenti, ita ante quodlibet inſtans præcedit pars temporis, quam copulat cum altera, ſed motus diuiditur ad diuiſionẽ temporis; ergo ſicut quamlibet eius medietatem poſteriorem præcedit mutatum eſſe eam cõiungens cum priore medietate, eadem ratione eſt neceſſarium ante quodlibet mutatum eſſe præcedere medietatem aliquam motus, quæ coniungatur ab eo cum alia medietate ſequenti: Et diuiſio ſingularum partium motus in duas medietates procedit in infinitum; ergo ſemper datur aliqua pars motus præcedens mutatum eſſe eius, per quod cum ſequenti medietate coniungatur.

QVÆST.

QVÆSTIO VNICA.

An detur primum indiuiſibile, à quo incipiat motus, & vltimum, in quo deſinat.

77 LIcet Ariſtoteles expreſsè docuerit, & probauerit, nec dari primam partem motus, nec etiam primum indiuiſibile, quod vocatur mutatum eſſe, à quibus incipiat, & de prima parte euidens ſit, & ab omnibus recipiatur eius ſententia, quia cum quælibet pars motus ſit diuiſibilis, repugnat dari aliquam, cuius poſteriorem medietatem non præcedat prior in infinitum. Sed de indiuiſibili videtur difficilis, & propterea non recipitur ab omnibus. Sed eſt prima opinio aliorum omninò ei contraria, *concedens cuilibet motui primum mutatum eſſe ex parte principij, quod ſit initium eius, ſicut ei concedit Ariſtoteles vltimum, quod ſit finis, vel terminus:* ita Themiſtius capite præſenti, textu 48. Valleſius controuerſia 46. ad Tyrones.

Probatur primò, quia quodlibet continuum habet duos terminos, inter quos clauditur tota eius extenſio, & vltra quos nō procedit; ſed motus eſt continuum quoddam; ergo habet duos terminos, inter quos clauditur tota eius extenſio, nempe terminum à quo, & ad quem, ſed terminus ad quem ſecundum Ariſtotelem eſt vltimum mutatū eſſe in quo deſinit motus; ergo terminus à quo debet eſſe primum mutatum eſſe, à quo incipiat, ſicut linea non ſolum habet extremum punctum in quo deſinit longitudo eius, ſed etiam primum, à quo incipit. Secundò, omne finitum clauditur extremis omni ex parte, ita vt ſi ex parte aliqua careret extremo, ex ea eſſet infinitū; ſed motus eſt finitus tam ex parte principij, quā ex parte finis; ergo ſicut habet extremū ex parte finis, in quo deſinit, ita debet habere aliud tale extremū ex parte principij à quo incipiat. Pro-
78 batur euidenter paritas rationis finis, & principij. Quia ſi ex parte principij non haberet vltimum mutatū eſſe, in quo deſineret, infinitum foret ex ea parte; ergo ſi non habeat primū mutatum eſſe ex parte principij, à quo dicatur incipere, cum nec habeat primam partem, non habebit initium, & ita erit æternum ex hac parte. Probatur conſequentia, quia præter partem, & indiuiſibile, non eſt aliud principium excogitabile.

Secunda opinio diſtinguit duplicem motum, vnum, qui incipit à contrario in contrarium, vt à frigore ad calorem, ita vt dum moueri incipit corpus, nihil habeat illius qualitatis, quam acquirit per motum, ſed ſolum contrariam. Alterum, qui non incipit à contraria qualitate, ſed

ab aliquo gradu eiuſdem, quam intendit acquirere per motū, & talis eſt motus intenſionis, talis etiam motus augmentationis, qui à minori quantitate incipit acquiſita per alium motum, & in maiorem tendit: talis eſt etiam communiter motus localis; quia ſemper corpus incipit moueri ab aliquo vbi, quod acquiſiuit per alium motum. Hac diſtinctione præſuppoſita aſſerit hæc opinio, quod motus, qui immediatè incipit à contrario; vt dum corpus incipit moueri à frigore in calorem, non habet primum mutatum eſſe, à quo incipiat, cum neque aliquid habeat qualitatis, ad quam mouetur, motus verò, qui non incipit à contrario immediatè, ſed ab aliquo eiuſdem termini acquirendi, habet primum mutatum eſſe, à quo incipit, quod eſt gradus vltimus qualitatis, quem acquiſiuit per alterationem præcedentem, vel, vbi, quod acquiſiuit per vltimum motum localem, aut quantitas, quam acquiſiuit per vltimam augmentationem. Et ab hac regula ſolùm excipitur prima augmentatio, aut primus motus localis, qui non habet primum mutatum eſſe, cum non præcedat in mobili aliquid eiuſdem termini acquirendi, quod per alium motum fuerit ab eo acquiſitum, ſed per generationem. Ita ſentiunt Moderni nō pauci, & ita videtur ſentire Sotus lib. 6. q. 5. Probantque teſtimonio Ariſtotelis, qui de alteratione videtur id expreſſè aſſerere in hoc 6. cap. his verbis: *Manifeſtum igitur, quod in ſola mutatione, quæ ſecundum qualitatem eſt, contingit indiuiſibile per ſe eſſe:* Quibus loquebatur de primo indiuiſibili motus, quod augmentationi, & motui locali docuerat non eſſe concedendum Probant deinde ratione, primò; quia quilibet motus incipit à termino à quo, qui eſt aliquis gradus indiuiſibilis eiuſdem formæ, ſed in omnibus motibus præter primum, & eum, qui immediatè procedit à contraria qualitate, reperitur mobile ſub aliquo gradu eiuſdem qualitatis, ſub aliquo vbi, aut ſub aliqua parte eiuſdem quantitatis; ergo gradus ille erit primum indiuiſibile, à quo incipiet motus eius, & mobile eſſe ſub illo primum mutatum eſſe.

Secundò, quia ſi accipiamus mutatum eſſe in medio motus, 80
& in eo paululū ſiſteret mobile, & mox inciperet ab eo proſequi motum, euidens eſt, motus illos diſtinctos eſſe, cum interrumpātur per paruam quietem, & ſecundus motus incipit ab eodem vbi, in quo quieuit, ergo illud vbi erit primum mutatum eſſe eius. Probatur conſequentia, quia ſi non quieuiſſet ſed motus eſſet continuus, illudmet vbi, in quo quieſcit, eſſet primum mutatum eſſe à quo inciperet pars motus ſequentis; ergò erit etiam primum, à quo incipit eadem pars ſequens motus

motus, quia propter interruptionem eſt alius motus diſtinctus. Quod etiam probat exemplum illud de cane in medio deſcenſu mortuo; nam motus cadaueris ab illo vi incipit: in quo genitum eſt, & ad quod nō peruenit canis; ergo illud erit primum mutatum eſſe eius.

Tertia opinio nulli motui, neque in caſu aliquo concedit primum mutatum eſſe, à quo incipiat: ita Ariſtoteles aſſeruit & probauit cap. præſenti. Ita etiam omnes ferè eius interpretes, Commen. Philop. Simplicius, Ammon. D. Thom. & cum eis Albertus Saxoniæ, Toletus libro 6. quæſt. 4. Pererius lib. 14 cap. 9. & Conimbr. eodem lib. 6. cap. 5. quæſt. vnica art. 2. & eſt
81 communis, & vera, quam puto Ariſtotelem demonſtraſſe. Sed vim argumentorum eius non ſatis perceperunt omnes, contrarium opinati ſunt plures. Oportebit ergo (ſi fieri poteſt) eam efficere manifeſtam. Quod vt fiat notandum eſt, quòd ſicut quodlibet continuum habet diſtinctam entitatem realem, diſtinctam naturam, & diſtinctum modum eſſendi ab aliis, ita habet partes, & indiuiſibilia, quibus continuantur longe diuerſæ naturæ, & conditionis, & hæc differentia maior eſt, & magis manifeſta inter cōtinua ſucceſsiua ex vna parte, & permanentia ex altera; nam entitas continuorum permanentium natura eorum, & modus eſſendi permanens eſt, & ideò partes etiam, & indiuiſibilia quibus continuantur ſunt permanentia. Entitas verò, natura, & modus eſſendi ſucceſſiuorum, vt motus, & temporis in ſucceſsione, in fluxu, & tranſitu conſiſtit, & conſequenter entitas, natura, & modus eſſendi partium, & indiuiſibilium, quibus continuantur conſiſtit in ſucceſſione, fluxu, & tranſitu, ita vt nullam habeant partem permanentem, nec vllum indiuiſibile permanens, ſed ſicut partes tranſeunt,
82 ſic etiam indiuiſibilia, quibus continuantur & terminantur.

Vnde ſequitur, quod ſicut partes motus calefactionis, non ſunt caloris, ſed quibus acquiruntur partes caloris, & ideò diſtinguuntur à partibus caloris, non ſolùm realiter, ſed natura, & modo eſſendi; quia partes caloris ſunt permanentes, & partes calefactionis ſucceſſiuæ: eodem modo indiuiſibilia motus calefactionis non ſunt indiuiſibilia caloris, ſed diſtincta ab eis non ſolum realiter, ſed ſecundum diuerſam naturam, & modum eſſendi; quia indiuiſibilia caloris habent naturam, & eſſe permanens, ſicut partes eiuſdem caloris, quas copulant, vel terminant: indiuiſibilia verò motus habent naturam, & eſſe in ſucceſſione, fluxu & tranſitu conſiſtens.

Ex quo ſequitur euidenter, quòd ſicut nulla pars motus permanere poteſt, ita non poteſt permanere vllum indiuiſibile

eius continuatiuum, vel terminatiuum, ſed deſinentibus partibus, & toto ipſo motu tranſeunte, omnia indiuiſibilia eius, continuatiua,& terminatiua tranſire cum eo, ac deſinere eſſe: quia repugnat indiuiſibilia hæc à partibus ſeparari, ſicut repugnat ſeparari alia indiuiſibilia permanentia ſiue terminatiua, vel continuatiua à ſuis continuis. Ex quibus primò infero; quòd indiuiſibilia motus calefactionis, non ſunt indiuiſibilia caloris, nec indiuiſibilia motus localis ſunt præſentiæ, vel vbi indiuiſibilia, ſed hæc potiùs ſunt indiuiſibilia formæ, vel termini, qui acquiritur per motum, à quibus indiuiſibilia motus diſtinguuntur ex natura rei, ſicut diſtinguitur motus ipſe à termino, diſtinguuntur etiam natura, & modo eſſendi ſucceſsiuo, & permanente, ideò ſolùm appellari poſſunt indiuiſibilia termini mutata eſſe motus appellatione nimis materiali, quia mutata eſſe motus, potius ſunt id,per quod fiunt,& acquiruntur indiuiſibilia termini. 83

Secundò infero partes motus aut motũ ipſum non cõtinuari,nec terminari per indiuiſibilia termini; quia repugnat entitatem permanẽtem continuare, vel terminare entitatẽ ſucceſſiuam,atq; fluentem,ſed terminantur,& continuantur mutatis eſſe factis cum partibus eiuſdem motus: per quæ eadem indiuiſibilia terminorum fiunt. Infero tertiò, quòd tranſeunte motu, ſicut nulla pars eius permanet, nec permanere poteſt, ita nec vllum eius indiuiſibile, aut mutatum eſſe continuatiuum, aut terminatiuum, licet permaneat aliquando terminus acquiſitus cum ſuis indiuiſibilibus. Itaque cum primũ verum eſt mobile eſſe in termino ad quem, tunc primò verum eſt motum non eſſe, neque vllam eius partem, aut vllum indiuiſibile continuatiuum, ſed ſolùm terminatiuum, quod deſinit ſtatim poſt idem inſtans, ita vt ſit verum dicere, nunc primò eſt, & immediatè poſt hoc non erit, quia erit quies priuatiua, cum qua permanere repugnat, cum ſit aliquid motus præcedentis, & cum ſit modus eius terminans totam eius extenſionem, repugnat permanere ſeparatum à motu; quia ſeparatum à motu repugnat exercere actuale officium terminandi, in quo conſiſtit eius eſſentia, & cum ſit modus eiuſdem motus, repugnat exiſtere ſeparatum ab eo.

Ex hac doctrina colligitur hoc argumentum, quo efficaciter probatur ſententia Ariſtotelis, & communis, & oſtenditur deceptio aliarum opinionum, præſertim ſecundæ. Indiuiſibilia motus fiunt ſimul cum partibus motus,quas copulãt, & ideò fluunt cum motu ipſo,ſicut inſtantia temporis cũ tempore, 84

pore, ita vt tranſacto motu nullum permanere poſſit; ergo im-
35 poſſibile eſt, quod motus habeat primum indiuiſibile. Probatur conſequentia, quia ſi haberet primum, vel fieret per partes motus, vel per mutationes inſtantaneas partibus motus annexas, nullus enim alius modus excogitatus eſt ab aliquo, per quem fieri poſſit; deinde, vel fit per partes eiuſdem motus cuius principium eſt, aut per mutationes ei annexas, vel per partes motus præcedentis, aut mutationes eis annexas; ſed nullo ex his modis fieri poteſt, ergo non datur. Minorem probo, quòd non per partes, aut mutationes eiuſdem motus; nam cum ſit initium motus omnes partes eius præcedi, & ex conſequenti omnes mutationes, cum eis excogitabiles, quia nec mobile adhuc motum eſt, vel mutatum eſt, ſed nec fit per partes alterius motus iam interrupti, per quietem temporaneam mobilis in termino ad quem, & multo minus per mutationes, ſi dantur partibus annexas, vt quibuſdam placuit, iam omnino extinctas; ergo nullo modo fieri poteſt, nec dari. Deceptio autem aliarum opinionum conſiſtit in duobus; deceptio quidem primæ in eo, quod indiuiſibilia ſucceſſiua eiuſdem rationis putat eſſe, ac permanentia, cum ſint longè diuerſa; quia natura, & modus eſſendi eorum, ac partium, & indiuiſibilium permanens eſt, ſucceſſiua verò cum ſuis partibus, & indiuiſibilibus in fluxu, ac ſucceſſione conſiſtit, ideò non poſſunt habere primam partem ratione continuitatis, ac diuiſibilitatis in infinitum, nec primum indiuiſibile, ratione ſucceſſionis, ac fluxus, qui non poteſt ab indiuiſibili intrinſeco incipere: cum de ratione indiuiſibilis rei ſucceſſiuè ſit fluere poſt partem. Deceptio verò ſecunda, quia confundit indiuiſibilia motus cum indiuiſibilibus termini, & quia vltimum indiuiſibile termini permanet tranſacto motu, & per quietem interrupto, putat permanere vltimum indiuiſibile motus præteriti; & hoc eſſe primum indiuiſibile motus futuri ab eo incipientis: cum tamen indiuiſibile motus valdè diuerſum ſit ab indiuiſibili termini, quod in fluxu conſiſtit, & ideò fluit, & tranſit cum partibus motus, quibus tranſactis, & per quietem temporaneam interrupto motu tranſeunt indiuiſibilia omnia continuatiua, atque etiam terminatiuum, quod alia etiam ratione permanere non poteſt; nempè quia modus eſt inſeparabilis à motu ipſo quem terminando modificat.

36 Probatur tandem ſententia Ariſtotelis, quia ſi motus haberet primum indiuiſibile præcedens omnes partes eius, cùm non poſſit eſſe factum cum partibus motus à mobili nondum moto, nec mutato, nec poteſt eſſe aliud, quàm terminus ad

quem

quem quietis præcedentis; ergo vnum, & idem indiuiſibile eſt finis quietis, & principium motus; ſed indiuiſibile ita ſe habens eſt continuatiuum;ergo ſi motus habet primum indiuiſibile,continuabitur cum quiete, quod patet eſſe impoſſibile, quia priuatiuè oppoſita continuari non poſſunt.

Argumenta autem aliarum opinionum ſimul ſoluenda ſunt ex differentia continuorum permanentium, & ſucceſsiuorum; nam eſſe illorum permanens eſt, & ideò permanentia indiuiſibilia habere debent, tam ex parte principij, quam finis; ſucceſsiua verò in fluxu continuo conſiſtunt, cuius ſicut repugnat dari primam partem; ita etiam primum indiuiſibile intrinſecum,quod neceſſe eſt poſt partem motus fluere,& ideò repugnat dari primum, quemadmodum nec datur prima pars tẽporis,nec primum inſtans,nec dari poteſt;ſolùm ergo poſſũt incipere ſucceſsiua per initiatiuum extrinſecum, in quo verũ ſit dicere nondum eſſe,ſed immediatè poſt,hoc eſt, in tempore proximè ſequenti futura eſſe, ſecundum primam partem æqualem, non tamen ſecundum primam proportionalem, quam habere non poſſunt, cum ſint diuiſibilia in infinitum. Sufficit autem habere terminum extrinſecum, vt incipere di cantur,& non eſſe ab æterno, cum in illo extrinſeco verum ſit nondum eſſe. Et quod gradus vltimus, vel vbi acquiſitum per motum permaneat, à quo poteſt incipere motus ſequens, vt arguit ſecunda opinio, impertinens eſt: quia gradus ille, vel vbi non eſt indiuiſibile alicuius motus, ſed termini per motũ acquiſiti. Nec illud vbi, quòd cadauer canis mortui in medio aſcenſu acquiſiuit per generationem,poteſt eſſe primum indiuiſibile motus deorſum; quia ad talem motum non pertinet: nam cum omnes partes eius præcedat, repugnat poſt partem eius fluere;ergo repugnat eſſe; quia indiuiſibile motus non habet aliud fieri,nec alio modo eſſe poteſt in rerum natura, niſi fluendo poſt partem motus, propterea enim appellatur mutatum eſſe, ſolum eſt ergo illud vbi initiatiuum extrinſecum motus ſequentis, à quo incipit per vltimum ſui non eſſe ſicut cæteri motus. 87

TRACT.

TRACTATVS DE MODO INCIPIENDI RERVM OMNIVM TAM PERMANENTIVM, QVAM SVCceſſiuarum, tam ſpiritualium, quàm corporearum.

***

89 DVo ſunt modi incipiendi rerum; & duo alij deſinendi ex doctrina Ariſtotelis deducti,& ab vniuerſa ſchola recepti. Primus modus incipiendi appellatur primum eſſe, in quo verum eſt dicere, nunc primò res eſt,& immediatè ante non erat, quia eſt primum inſtans, in quo res habet eſſe, quod in tempore immediatè præcedente non habebat. Secundus vocatur vltimum non eſſe; quia eſt vltimum inſtans, in quo res non eſt & in tempore ſtatim ſequenti poſt illud inſtans erit; & ideò in eo verum eſt dicere, nunc vltimò res non eſt,& immediatè poſt erit. Primus modus deſinendi appellatur primum non eſſe; quia eſt primum inſtans, in quo verum eſt dicere,nunc non eſt res, ſed immediatè ante hoc inſtans habuit eſſe. Secundus modus deſinendi vocatur vltimum eſſe, quia eſt vltimum inſtans, in quo res habet eſſe, & in tempore ſtatim ſequenti non erit. Et iſti quatuor modi incipiendi, & deſinendi accommodantur quibuſcunque rebus; non ſolùm corporeis, ſed ſpiritualibus, nec ſolis ſubſtantiis; ſed etiam accidentibus; nec eſt poſſibile dari alios.

Modus incipiendi, & deſinendi rerum ſucceſſiuarum.

90 A Rebus ſucceſſiuis tanquam à notioribus ac facilioribus incipientes dicimus incipere per vltimum non eſſe,& deſinere per primum non eſſe,vt motus, & tempus, in quibus conueniunt omnes, & ratio vtriuſque eſt manifeſta; quia motus, & tempus cum ſuis partibus habent eſſe ſucceſſiuum, ſecundum prius,& poſterius; ſed ſucceſſio prioris & poſterioris non reperitur in momento,vel in indiuiſibili propter extenſionem, quam habet; ergo nec motus habet eſſe in inſtanti;ſicut neque vltim

vllum continuum habet eſſe in aliquo indiuiſibili; nam non reperitur in puncto. Vnde ſequitur non eſſe verum, dicere in principio motus; nunc eſt motus, & immediatè ante non erat, ſed potiùs, nunc non eſt, & immediatè poſt hoc erit; quia non eſſe, cum ſit negatio, habet modum indiuiſibilem; & ideò poteſt eſſe in inſtanti; licèt eiuſdem rei in inſtanti eſſe non poſſit. Et eadem ratione in fine motus non eſt verum dicere, nunc eſt motus, & immediatè poſt non erit; quod eſt deſinere per vltimum eſſe, ſed potius, nunc non eſt, & immediatè ante fuit. Et eiſdem modis incipit, & deſinit quies, quæ cum non ſit entitas poſitiua, ſed priuatio motus; eodem modo intelligimus habere eſſe ſucceſſiuum, & quaſi fluens ſecundum rationem prioris, & poſterioris, & ideò eundem modum habet incipiendi, & deſinendi, ac motus. Sed quies duobus modis accipitur; 91
priuatiuè, & negatiuè, & illa eſt propria eius acceptio, hæc verò impropria, & ſecundum illam dicitur priuatio motus; & cum oppoſita ſint in eadem menſura, quies hoc modo ſumpta non poteſt eſſe in inſtanti; ſed ſolùm in tempore, & ideò nec incipit per primum ſui eſſe, nec deſinit per vltimum ſui non eſſe, ſicut nec motus, ſed incipit per vltimum non eſſe, & deſinit per primum non eſſe ſicut motus, negatiuè verò idem eſt; quod non motus, & ideò in quocunque inſtanti, & in quocunque mutato eſſe motus dicitur mobile quieſcere negatiuè, & impropriè: quia verum eſt in eis non moueri, propriè verò ſumpta quies non eſt in inſtanti, ſed in tempore; quia ſolùm eſt in menſura in qua poteſt eſſe motus: cum ſit priuatio eius: propterea quies negatiuè ſumpta eodem modo incipit, & deſinit ac indiuiſibilia motus, & temporis, de quibus ſtatim dicetur, & quæ de ſucceſſiuis dicta ſunt, quantùm ad modum incipiendi, & deſinendi, intelligenda ſunt, de rebus per motum; & ideò in tempore productis, in quantum ſic producuntur.

Quomodo incipiant, & deſinant indiuiſibilia continuatiua, & terminatiua ſucceſſiuorum, vt inſtantia temporis, & mutata eſſe motus.

INdiuiſibilia continuorum (vt ſuperiùs dicebamus) eundem modum eſſendi habent, ac partes, & continua, quas copulant, & terminant; ita vt permanentia ſint in permanentibus; & in ſucceſſiuis ſucceſſiua; non quòd partes fluentes habeant; quia indiuiſibilia prorſus ſunt; ſed quia partes fluen- 92

tes co

tes copulant, & terminant: ſed quia ſicut partes ipſæ non permanent; ſed mox tranſeunt, ita indiuiſibilia motus, & temporis ſtatim cum eis tranſeunt; ideò ſpecialem, & diuerſum modum incipiendi, & deſinendi habent, ac indiuiſibilia permanentium; & diuerſum quoque ab eiſdem continuis ſucceſſum quoque ab eiſdem continuis ſucceſſiuis, & eorum partibus, quas copulant; & propterea in particulari agimus de illis. Dupliciter autem ſumi poſſunt: primò, per ſe, & in particulari; atque diſtinctè, vt ſi de hoc, vel illo ſignato loquamur. Secundò, non per ſe, nec diſtinctè, ſed quaſi confuſa quadam ratione; vt multa, vel infinita includuntur in qualibet parte motus; vel temporis incipiente, aut deſinente: nam ſicut partes non poſſunt eſſe ſine indiuiſibilibus, quibus continuantur, ſic etiam non poſſunt incipere, vel deſinere ſine illis. Vnde neceſſe eſt deſinentibus, & incipientibus partibus indiuiſibilia quoque incipere, & deſinere, ſed confusè, & quaſi ſimul accepta, non diſtinctè, nec in particulari, hoc vel illud. De illis igitur hoc modo ſumptis dicimus incipere per primum ſui eſſe,

93 & deſinere per vltimum eſſe. In quo etiam conueniunt omnes; quia ratio vtriuſque eſt manifeſta; ratio quidem inceptionis; quia indiuiſibilia hæc partibus carent; & ideò totũ ſuum eſſe ſimul eſt, quare dum incipiunt eſſe, verum eſt dicere nũc eſt mutatũ eſſe, vel nunc eſt inſtans, & immediatè ante non fuit, quod eſt incipere per primum ſui eſſe. Ratio verò deſitionis; quia deſinunt ad inceptionem partis motus ſequentis, quæ cum ſit ſucceſſiua, incipit per vltimum ſui non eſſe, ita vt verum ſit de ea dicere, nunc non eſt pars motus ſequens, & immediatè poſt erit; in eodem ergo inſtanti, in quo verum eſt dicere, nunc eſt mutatum eſſe, & immediatè poſt non erit, verum eſt etiam dicere de parte motus immediatè ſequenti, nunc non eſt, & immediatè poſt erit, ſed incipiente parte motus immediata deſinit neceſſariò mutatum eſſe eam immediatè præcedens; ergo verum erit de eo dicere, nunc eſt, & immediatè poſt non erit, quod eſt deſinere per vltimum ſui eſſe; vnde cum hæc indiuiſibilia indiuiſibilem quoque habeant durationem inſtantis, idem inſtans ſimul eſt primum eſſe eorum, & etiam vltimum eſſe, quia vtrumque eſt verum in eo, nempè quòd nunc primò ſit mutatum eſſe, & immediatè ante non fuerit, & etiam quod nunc vltimò ſit, & immediatè poſt iam non ſit.

94 Et ſi dicas indiuiſibilia hæc habere totum ſuum eſſe ſimul, & ideò incipere per primum ſui eſſe, ſed etiam habere ſuum non eſſe ſimul, cum non ſit minus indiuiſibile, non eſſe, quam eſſe; ergo ſicut verum eſt dicere, nunc primò eſſe, & immediatè

ante

ante non fuiſſe, ita etiam erit verum dicere, nunc non eſſe, & immediatè ante fuiſſe, quod eſt deſinire per primum non eſſe: quare falſum erit, quòd per vltimum ſui eſſe deſinant. Reſpondeo verum eſſe quod non eſſe horum indiuiſibilium per ſe ſit indiuiſibile, & totum ſimul; vnde ſi per ſe deſineret, & non ad inceptionem alterius, deſineret per vltimum eſſe: ſed quia ex propria imperfectione habet non incipere, nec deſinere per ſe; ſed incipere poſt partem priorem, & ante poſteriorem, vt ſic poſſit vtramque copulare & deſinere ad inceptionem partis ſequentis; quia ſimul eſſe cum ea repugnat; in eadem menſura debet habere naturaliter ſuum non eſſe, in qua habet ſuum eſſe pars, quæ immediatè ſequitur, quæ cum ſit ſucceſſiua, habet ſuum eſſe in tempore; & ideò etiam indiuiſibile debet habere in eodem tempore ſuum non eſſe. Quare ſicut de parte ſequenti non eſt verum dicere; quod nunc ſit, ſed quod nunc non ſit, & immediatè poſt ſit futura, ita etiam de non eſſe indiuiſibilis non eſt verum dicere quòd nunc ſit, ſed quòd nunc non ſit, ſed immediatè poſt, & ſi nunc non eſt eius non eſſe, verum erit, quod nunc ſit eius eſſe; & immediatè poſt non ſit eius eſſe, ſed eius non eſt; quod eſt idem, ac verum eſſe, quod nunc ſit indiuiſibile, & immediatè non ſit, id eſt, quod nunc habeat eſſe, & in tempore ſtatim ſequenti habeat ſuum non eſſe, quod eſt deſinere per vltimum, & non poſſe deſinere per primum non eſſe; quia cum habeat ſuum non eſſe in eodem tempore, in quo habet ſuum eſſe pars motus ſequens; ſicut de hac non poteſt eſſe verum, quòd nunc ſit, ita nec de mutato eſſe, quòd nunc non ſit, & propterea repugnat ei deſinere per primum ſui non eſſe, licèt incipiat per primum ſui eſſe. 95

Quonam modo producantur indiuiſibilia motus, & temporis.

96 SEd iam, quòd modos incipiendi, & deſinendi horum indiuiſibilium motus & temporis, quæ dicuntur mutata eſſe, & inſtantia explicuimus; neceſſe eſt modum explicare, quod producuntur, vt ratio eorum meliùs intelligatur, an videlicet per partem motus ea præcedentem producantur; vel ipſamet mutata eſſe motus ſint actiones inſtantaneæ ſuccedentes partibus motus; quibus actionibus indiuiſibilibus copulantur partes eiuſdem motus & per quas actiones inſtantaneas producuntur indiuiſibilia termini, vt in diuiſibilia qualitatis; per quæ continuantur gradus intenſionis, & extenſionis; ac partes eorundem graduum,

graduum, & quod de mutato eſſe inquiritur, de inſtantibus etiam temporis intelligendum eſt.

Prima opinio Modernorum *tenet indiuiſibilia hæc non eſſe aliquid productum per partes motus, ſed eſſe diſtinctas quaſdam mutationes inſtantaneas ſuccedentes partibus motus per quas continuantur & per quas etiam producuntur indiuiſibilia termini, qui acquiritur per motum: vt mutata eſſe motus localis eſſe mutationes locales, quibus continuantur partes eius, & per quas producuntur indiuiſibiles præſentiæ, vel diuiſibilia,* vbi, *quibus continuatur tota latitudo diuiſibilis* vbi, *per totum motum acquiſiti, & partes eius.* Probant; quia mutata eſſe ſuccedũt vni parti, & præcedũt aliam; ſed per neutrã produci poſſunt; ergo nec per motũ: quare neceſſe eſt dicere, quòd producta nõ ſint, ſed productiones potiùs indiuiſibilium, quibus continuantur partes motus. Probatur minor; quia non poſſunt produci per partem ſequentem nondum exiſtentem; nec per partem præcedentem iam non exiſtentem, ſed tranſactam; ergo per nullam. Probatur conſequentia; quia per id, quod non eſt actu, non poteſt aliquid reale in actu produci; ſed indiuiſibilia hæc ſunt realia, & actu exiſtentia; ergo impoſſibile eſt, quod per partes motus producantur, vel per motum ipſum.

97 Noſtra ſententia oppoſita eſt, *quòd indiuiſibilia hæc non ſint mutationes inſtantaneæ diſtinctæ à motu; ſed quod per partes motus præcedentes producantur ab agente & his mediis indiuiſibilia termini, & eodem modo indiuiſibilia temporis mediis partibus eiuſdem motus, & temporis præcedentibus.* Probatur duplici ratione, prima ex natura eorundem indiuiſibilium ac partium; quas continuant, vel terminant; ſecundò ab inconuenienti, partes motus, & temporis ſecundum proprium modum eſſendi ſunt continuæ, ita, vt repugnet eſſe in rerum natura, niſi ſint continuæ; vel terminatæ; ergo nec fieri poſſunt à mobili, vel agente, niſi continuæ, vel terminatæ; ſed continuantur & terminantur per indiuiſibilia; ergo repugnat fieri, quin ſimul fiant cum eis indiuiſibilia: ſed partes motus non fiunt per aliam actionem diſtinctam ab ea, quam includit motus; ergo nec indiuiſibilia; niſi per eandem. Probatur conſequentia, quia per eandem actionem debet fieri illud, ſine quo res facta nullo modo fieri poteſt nec eſſe; vt multis exemplis probari poteſt; ergo non eſt conforme naturæ horum continuorum, nec horum indiuiſibilium, quòd ſint diſtinctæ actiones, ſed potiùs: quòd per eandem fiant: partes quidem per ſe primò, indiuiſibilia verò ex conſequenti Secundò probatur, quia indiuiſibilia hæc, vt Mo-

derni oppoſitam opinionem defendentes concedunt, non ſunt res; ſed modi partium, quas copulant vel terminant, & ita neceſſariò eis coniuncti, vt contradictionem inuoluat ſine illis eſſe, vel produci; aut modos ipſos ab eis eſſe ſeparatos; ſed res cum ſuo modo ſic neceſſariò eam comitante fit per eandem actionem; ergo indiuiſibilia hæc per eandem actionem fiunt ac partes motus, vel vt propriùs loquamur, non fiunt, ſed ſunt quaſi factiones, aut cauſationes termini. Quod probatur de 98 indiuiſibilibus temporis, ſuppoſita diſtinctione ex natura rei temporis à motu, ex qua ſequitur inſtantia temporis etiam eſſe diſtincta ex natura rei à mutatis eſſe motus, ſed euidens eſt de inſtantibus, quòd non ſint actiones diſtinctæ à motu, ſed quòd medio motu producantur cum partibus temporis; ergo nec mutata eſſe erunt mutationes inſtantaneæ, ſed cum partibus motus producentur per eandem actionem, vel potiùs efficient cum eo vnam productionem termini continuam. Probatur tandem ab inconuenienti; nam indiuiſibilia hæc ſunt entitates reales diſtinctæ inter ſeſe, & à motu; ergo ſi ſunt actiones diſtinctæ dabuntur in quolibet motu actiones realiter diſtinctæ actu infinitæ, & entitates reales actu infinitæ, & cum actiones, & paſſiones ſint entia prædicamentalia, dabuntur indiuidua prædicamentalia actu infinita; quæ non ſunt vllo modo admittenda ſine euidenti neceſſitate in caſu præſenti non occurrente.

Nam ad argumentum oppoſitæ ſententiæ diſtinguenda 99 eſt minor, aſſerens in momento, in quo eſt mutatum eſſe non exiſtere partem præcedentem, nec ſubſequentem motus; nam de exiſtentia ſimultanea verum eſt, de ſucceſſiua falſum; quia licet partes motus, vel temporis non ſint adæquatè in menſura indiuiſibili inſtantis, vel mutati eſſe, verum tamen eſt realiter fluere, & ideò realem fluxum earum eſſe in rerum natura. Probatur efficaciter; quia verum eſt inſtans temporis, vel mutatum eſſe motus realiter, & actualiter continuare partem poſteriorem cum priori; ſed realis & actualis continuatio præſupponit neceſſariò realem exiſtentiam continuatorum; ergo neceſſe eſt vtramque partem exiſtere; non quidem adæquatè in menſura indiuiſibilis continuantis; ſed in ſucceſſione, & fluxu; quia verum eſt fluere, verum vnam alteri ſuccedere, verum continuari fluxum & ſucceſsionem earum per idemmet indiuiſibile, actu exiſtens in ſua indiuiſibili duratione, ſic autem eſſe partem motus priorem ſatis eſt; vt ſimul cum ea producatur indiuiſibile, per eandem actionem, vt efficiat cum ea vnam actionem, & mutationem continua

continuatam,& terminatam, quæ ſit productio eiuſdem termini continuati,ac terminati.

Explicatur modus incipiendi & deſinendi rerum permanentium materialium.

100 RES permanentes ſunt in duplici differentia, corporeæ, & ſpirituales;& primò explicandum eſt,quonam modo incipiant, & deſinant res corporeæ, deinde ſpiritnales. Et quantum ad modum incipiendi diuerſo modo loquendum eſt, ſecundum diuerſos modos opinãdi de terminis intrinſecis,vel extrinſecis, quos poſtulant via generationis.Nam ſi intrinſecum eis concedamus,quod vocatur minimum,quod ſic dicendum eſt incipere per primum ſui eſſe,ita vt ſit verum dicere nunc, primò res eſt, & immediatè ante non erat. Et huius ratio manifeſta eſt, quia ſuppoſito, quod non poteſt forma ſubſtantialis introduci, niſi in materia tantæ magnitudinis;ita vt in minori non poſſit, ſequitur non priùs in medietate eius introduci,quàm in tota, ſed ſimul in tota;ſed vbi non eſt prius,& poſterius, non datur duratio temporis, ſed inſtantis indiuiſibilis; ergo in inſtanti introducitur forma, & in inſtanti generatur res, quia verum erit dicere,nunc primò res eſt,& immediatè antè non fuit; quod eſt per primum ſui eſſe incipere. Si verò ſolum eis concedatur terminus extrinſecus paruitatis, qui vocatur maximum, quod non generatio eorum erit ſucceſſiua, & ideò incipient ad modum ſucceſſiuorum per vltimum non eſſe. Quod etiam eſt manifeſtum; quia data qualibet magnitudine ſub qua generari poſſunt, neceſſe eſt prius introduci formam ſubſtantialem; ſub medietate magis proxima agenti naturali: quod priùs & fortiùs agit in proximum, quàm in remotum; ſic ergo in medietate proximiori introducitur prius forma, quàm in remotiori, & priùs etiam in medietate proximiori illius medietatis, & ſic in infinitum; quia in infinitum diuiſibilis eſt

101 materia;ergo ſucceſſiuè ſemper introducitur; quia vbi prius, & poſterius datur, neceſſe eſt durationem temporis intercedere; quare non erit verum dicere in generatione earum, nunc res eſt, & immediatè ante non fuit, ſicut nec verum eſt in motu propter ſucceſſionem eius,ſed nunc res non eſt,& immediatè poſt erit;hoc eſt in tempore immediatè ſequenti, introducetur forma, generabitur res, & ſimpliciter erit; quod eſt incipere per vltimum ſui non eſſe, ſicut motus, & ea, quæ per motum fiunt. Nos igitur, qui tenemus viuentia poſtulare terminum paruitatis intrinſecum, hoc eſt minimum, quod ſic,

& non viuentia extrinſecum tantum, qui eſt maximum quod non, & conſequenter illa generari in inſtanti, hæc verò per generationem ſucceſſiuam fieri; dicimus illa incipere per primum ſui eſſe, hæc verò per vltimum ſui non eſſe, ſicut motum & ea, quæ per motum fiunt. Quæ autē dicta ſunt de modo incipiendi, & deſinendi harum rerum, naturaliter intelligenda ſunt; nam per potentiam Dei abſolutam oppoſitis modis incipere, & deſinere poſſunt; nempe per vltimum non eſſe incipere, & per vltimum eſſe deſinere, vt per ſe eſt manifeſtum.

De modo incipiendi rerum incorruptibilium, & ſpiritualium, atque actionum per quas fiunt, & quas ipſe eliciunt.

INcorruptibilia ſunt in duplici differentia, quædam corporea, vt cœleſtia corpora, alia ſpiritualia, vt Angeli, & anima rationalis; cum quibus numerantur actiones: per quas fiunt, vt creatio, & annihilatio, atque etiā generatio & corruptio, per quas fiunt res corruptibiles: hæc enim omnia eiuſdem conditionis ſunt, quantum ad modum incipiendi, & deſinendi. Conueniunt præterea in eo, quod totum ſuum eſſe ſimul habent, & non per partes, vel per ſucceſſionem prioris, & poſterioris, de quo nemo dubitat. Tertiò conueniunt in modo incipiēdi: nam omnes incipiunt, per primum ſui eſſe, quod certum eſt etiam apud omnes, & probatur euidenter ratione; nam ſi totum ſuum eſſe ſimul habent, ergo ſimul eis tribuitur, dum fiunt, quare verum erit de ſingulis dicere, dum incipiunt eſſe, nunc eſt Angelus, vel anima; & immediatè ante non erat, quod eſt incipere per primum ſui eſſe: & eadem eſt ratio de cæteris omnibus. Solùm in modo deſinendi poteſt eſſe quæſtio; an ſi Deus annihilaret Angelum, vel animam, deſinerent per vltimum eſſe, ita vt verum eſſet dicere; nunc eſt Angelus, & immediatè poſt non erit; vel per primum non eſſe, ita vt verum foret nunc non eſt Angelus, & immediatè ante non fuit, & inter vtrumque modum deſinendi hæc eſt differentia, quòd ſi deſinerent per vltimum eſſe, fieri poſſet, vt ſolùm durarent per inſtans, in quo crearentur, vel ſi ſunt operationes, per inſtans in quo fiunt, vel eliciuntur; quamuis poſſint iſtæ continuari, ita vt duratio indiuiſibilis earum æquiualeat tempori, & Angelus, ac anima durare in perpetuum. Si verò deſinerent per primum non eſſe, vel operationes ſic deſinunt, neceſſe eſt durare per tempus, vel, quod duratio indiuiſibilis omnium tempori noſtro coexiſtat, & non ſolùm inſtanti, quia ſi ita deſinunt,

ſinunt, verum erit dicere, nunc non eſt anima, vel Angelus, aut operatio eorum, & immediatè ante hoc fuit, hoc eſt in tempore immediatè præcedenti habuit eſſe, quia immediatè ante, vel immediatè poſt, deſignat tempus. Vt ita fieret, repugnare, quod Angelus, vel anima, aut operatio eorum ſolum duret per inſtās, ſed ſuppoſito, quod Deus creat animam, vel Angelum, neceſſe eſt per tempus eos conſeruare: & ſuppoſito, quòd Angelus, vel anima eliciunt intellectionem, aut volitionem, implicat contradictionem; quòd ſolum per inſtans ſint in ea, ſed neceſſe eſt, in ea perſeuerare aliquo tempore.

104 His ita explicatis prima opinio, tenet hæc omnia deſinere per primum non eſſe, & hoc adeò neceſſarium eſſe, vt contradictionem inuoluat, quod per vltimum ſui eſſe deſinant. Ita Ferrar. 3. libro contra gentes capite 65. §. *vtrum autem rei*. Valleſius controuerſ. 46. ad Tyrones, & cum eis nonnulli ex Modernis. Probant primò, quia hæc omnia conſiſtunt in indiuiſibili; ergo habent totum ſuum eſſe ſimul, & non per partes, & propterea incipiunt in inſtanti per primum ſui eſſe; ergo neceſſe eſt, quod non per partes, aut gradus idem eſſe amittant, ſed etiam totum ſimul, quod eſt illud amittere in inſtanti, & non in tempore; verum igitur erit dicere, nunc non ſunt, & immediatè antè erant, ſicut fuit verum dicere in inceptione, nunc ſunt, & immediatè antè non erant, nec poterunt vllo modo deſinere per vltimum eſſe, ita vt verum ſit dicere, nunc ſunt, & immediatè poſt non erunt, quia immediatè poſt denotat tempus, in quo non poſſunt deſinere. Secundò, ſicut Angelus vel anima incipiunt eſſe; quia Deus tribuit eis ſuum concurſum creationis, ita deſinunt eſſe, quia Deus ſubtrahit ſuum concurſum ab eis, & ſubtractio hæc eſt annihilatio: ſed Deus ſimul, & non per partes præſtat ſuum concurſum ad creationem; quia concurſus ipſe totus ſimul eſt: in

105 indiuiſibilique conſiſtit, & ideò non poteſt per partes, vel gradus, aut ſucceſſiuè præſtari, quare neceſſe eſt Angelum in inſtanti, & per primum ſui eſſe deſinere: nec poſſibile eſt incipere ſucceſſiuè per vltimum non eſſe; ergo ſimul etiam Deus ſubtrahit ſuum concurſum ab Angelo, & non per partes, vel gradus, ideò in inſtanti, & non in tempore, deſinunt, nec poſſunt vllo modo in tempore deſinere; ergo nec per vltimum ſui eſſe, ſed neceſſariò per primum non eſſe, quia hoc eſt in inſtanti deſinere, cum verum ſit dicere, nunc res non eſt, & immediatè ante fuit. Tertiò, ſucceſſiua ſic incipiunt in tempore, & per vltimum non eſſe, vt repugnet eis in inſtanti, & per primum ſui eſſe incipere; ergo ſimultanea hæc,

& indiuibbilia ita incipiunt modo oppoſito per primum ſui eſſe, vt repugnet eis incipere per vltimum non eſſe, & eadem ratione ita deſinunt per primum non eſſe, vt repugnet eis deſinere per vltimum eſſe.

Secunda opinio aſſerit, naturalem modum incipiendi, & deſinendi harum rerum incorruptibilium, & ſpiritualium eſſe momentaneum, non ſucceſsiuum, & ita ſicut inceperunt per primum ſui eſſe, dum facta ſunt à Deo, ita ſi annihilarentur, deſinerent per primum non eſſe, nihilominus per potentiam abſolutam poſſent oppoſitis modis incipere, & deſinere: incipere quidem per vltimum non eſſe ſicut ſucceſsiua, & deſinere per vltimum eſſe, ſicut indiuiſibilia ſucceſsiuorum. Itaq; in modo deſinendi naturali, hoc eſt, vt poſtulat natura earum: conuenit hæc opinio cum prima, ſed differt ab ea in eo, quo aſſerit non implicare contradictionem, quod oppoſito modo deſinant per vltimum eſſe. Ita ſentiunt Sotus 6. libro Phyſ. quæſt. 3. Toletus q. 4. concl. 4. Pererius lib. 14. c. 9. Conimb. 8. lib. Phyſ. c. 8. q. 2. art. 5. & 6. & maior Modernorum pars. 106

Noſtra ſentētia duabus cōcluſionibus explicatur: prima pertinet ad deſitionē harum rerū. Secunda ad inceptionem. Aſſerit ergo prima, non implicare contradictionē, quod per vltimum eſſe deſinant. Hæc eſt contra primā ſententiam, & in fauorem ſecūdæ: quā hac in parte, vt probabiliorē ſequimur. Sed probatur cōcluſio ex generatione, & corruptione: generatio vnius rei, & corruptio alterius, in his præſertim rebus, quæ nō dependent ſuis cauſis efficientibus in conſeruari, ſolùm durant per inſtans, in quo incipiunt eſſe; ergo illud idem inſtans quod eſt primum eſſe eorum, eſt etiam vltimum eſſe. Probatur antecedens, quia cum primùm acquiritur terminus ad quē per has actiones, nihil amplius fit, nihil eſt, quod per talē actionē mutetur, ergo ceſſat prorſus actio; vt dū ignis generatur ſeparatus ab alio igne, ſtatim ac genitus eſt, ceſſat actio, per quam generatur; ceſſat etiam corruptio ſtupæ, ex qua generatur; ergo verum eſt de his actionibus dicere, quòd nunc ſint, & immediatè poſt non ſint, quod eſt deſinere per vltimum eſſe: eadem ergo ratione fieri poterit, vt res ſpirituales, & indiuiſibiles, quamuis totum ſuum eſſe ſimul habeant, per vltimum eſſe deſinant. Secundò probatur ex indiuiſibilibus motus, & temporis, de quibus concedit prima opinio, quòd per vltimum eſſe deſinant, cum verum ſit de eis dicere, nunc eſſe, & immediatè poſt non eſſe ſuccedente parte motus, vel temporis futura; & nihilominus totum ſuum eſſe ſimul habent in indiuiſibili conſiſtens, non factum, nec deſinens per partes, vel gradus; ergo eodem modo 107

modo deſinere poterunt indiuiſibiles ſubſtantiæ. Quòd verò reſpondent Moderni diuerſam eſſe rationem de his; quia non deſinunt per ſe, ſed ad exiſtentiam partium motus, non ſoluit argumentum; quia vltimum inſtans terminatiuum motus deſinit per ſe, & per vltimum eſſe, cum ſit verum dicere de eo, nunc eſt, & immediatè poſt non erit.

108 Secunda concluſio, implicat contradictionem, quod res iſtæ incipiant per vltimum non eſſe, ſed omnino neceſſarium eſt, quod per primum eſſe incipiant. Quã, vt ſimul explicemus, & probemus, & argumenta oppoſitæ faciliùs ſoluantur, notandum eſt, diuerſo modo loquendum eſſe de inceptione, & deſitione earundem rerum; quia diuerſum quid eſt, rem eſſe, vel primò eſſe, ac deſinere eſſe, vel non eſſe, & diuerſo modo res ſe habet ad ſuam cauſam, & cauſa ad ipſam, in eo, quod eſt incipere eſſe, ac deſinere: nam incipit eſſe ex eo, quod tribuitur ei à cauſa actu concurrente ad productionem eius: deſinit verò per ſubtractionem concurſus ab eadem cauſa (loquimur enim de prima cauſa, à qua omnia dependent in eſſe, fieri, & conſeruari) ſubſtractio autem concurſus nihil poſitiuum dicit, ſed ſolam negationem eum tribuendi. Hæc eſt autem differentia inter poſitiuum concurſum, & negationem eius, quòd concurſus eſt actio ipſa, per quam res fit, & incipit habere eſſe, negatio verò ſolum dicit, quòd idem agens negatiuè ſe habeat, nihil poſitiuè efficiendo circa effectum.

109 Vnde ſequitur, quòd ſi effectus habeat totum ſuum eſſe ſimul, non poſſit ei, niſi ſimul tribui, dum extra cauſas ſit, & ideò non poſſit tribui, niſi in momento, quia non eſt medium, nec latitudo vlla inter tribuere, vel non tribuere; ſed ſi tribuitur ſimul, & totum, atque in momento tribuitur, & ideò in momento effectus habet eſſe, vel omninò non tribuitur, nec eſt. De conſeruatione enim alia eſt ratio; cum non ſit concurſum primò tribuere, ſed continuare iam tributum, quia ſaltem ſecundum rationem præſupponit eſſe rei; negatio verò concurſus poteſt vtroque modo ſe habere, ita vt fiat in momento, vel in tempore ſequenti; vt probat modus deſinendi generationis, & corruptionis, atque etiam indiuiſibilium motus, & temporis, quibus in tempore ſubtrahitur concurſus indiuiſibilis. Et ratio eſt; quia Deus poteſt ſe habere poſitiuè ad Angelum illum conſeruando per totum tempus horæ, & in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdẽ horæ, & nõ ampliùs, ita, vt nõ amplius tribuat ei cõcurſum, quam per horam ſuo inſtãti terminatã: in quo inſtãti verũ erit dicere, nũc eſt Angelus, & immediatè poſt non erit; ergo deſinet per vltimum ſui eſſe. Probatur antecedensi

dens; quia agens naturale, & Deus ipſe cum eo concurrens ſe habent poſitiuè ad generationem in inſtanti, in quo generatur res, tribuendo ei concurſum, vt ſit, & in tempore immediatè 110 ſequenti ſe habent ad eam negatiuè, non tribuendo ei concurſum, & ideò deſinit per vltimum eſſe, & ita ſe habet vltimum indiuiſibile terminatiuum motus, qui per ſe deſinit eodem modo; ergo ſic poteſt ſe habere cum Angelo, & Angelus ipſe, & homo cum ſuis intellectionibus, & volitionibus, quare omnes iſtæ res, quantumlibet indiuiſibiles, potuerunt deſinere per vltimum eſſe, ſed non poſſunt incipere per vltimum non eſſe, ſed neceſſariò per primum eſſe, quia licet poſſit Deus in tempore ſe habere negatiuè non tribuendo eis concurſum vt ſint; non eſt poſsibile ſe habere poſitiuè, niſi in inſtanti; quia concurſus creationis, per quem incipit eſſe Angelus, momentaneus eſt, nec poteſt niſi in momento tribui, & ideò per primum ſui eſſe, ita vt ſit verum dicere, nunc tribuitur, & immediatè priùs non tribuebatur, & ideò nunc eſt Angelus, & immediatè ante non erat, quod eſt incipere per primum eſſe. Ratio huius differentiæ eſt, quia eſſe rei indiuiſibilis, & creatio 111 eius poſitiua ſunt, & determinata, & ita debent habere poſitiuam, ac determinatam durationem, quæ non eſt tempus, ſed inſtans; ideò non eſt verum de eis dicere, quod futura ſint immediatè poſt hoc; quia hoc verbum non dicit determinatam durationem, nec proportionatam eiſdem, & propterea non poſſunt primò in ea eſſe, ſed in inſtanti determinato, ac ſibi proportionato, quod eſt duratio eis proportionata, & primum eſſe inceptionis; ſed non eſſe eiuſdem Angeli, nec poſitiuum quid dicit, nec determinatam actionem poſtulat, & ex conſequenti, nec determinatam durationem, ſed æternum fuit à parte antè; nam ab æterno fuit verũ non eſſe Angelum; bene ergo poteſt non eſſe immediatè poſt, quo verbo non dicitur determinata dura inſtantis, nec temporis; nam tempus immediatum, non habet primam partem determinatam: cum ſit diuiſibile in infinitum. Propterea non repugnat, quòd deſinat per primum non eſſe.

Duo argumenta primæ opinionis eadem diſtinctione ſol- 112 uuntur: concedenda eſt enim maior vtriuſque, quod totum ſuum eſſe habeant ſimul, & quòd ſimul eis tribuatur à Deo in inſtanti, & per primum ſui eſſe. Sed neganda eſt minor, vel conſequentia, quòd eadem ſit ratio de non eſſe; nam licet neutrum habeat partes, vel gradus, eſſe verò poſitiuum eſt, ac determinatum, determinatum poſtulans concurſum; & ideò determinatam durationem indiuiſibilem, quæ non poteſt eſſe

tempus

tempus præſertim ſub ratione confuſa, vt ſignificatur per vltimum non eſſe, quare non poſſunt ſic incipere. Ad tertium verò concedendum eſt, quòd colligit de inceptione harum rerũ per primum ſui eſſe; ita vt repugnet incipere per vltimum non eſſe ad modum ſucceſsiuorũ; ſed negãdum eſt aliud de deſitione, quod non poſsint deſinere per vltimum ſui eſſe, ſicut non poſſunt deſinere ſucceſsiua; nam diuerſa ratio eſt de his, quæ cum non poſsint eſſe in inſtanti, nec poſſunt habere vltimum eſſe, vt eſt manifeſtum.

CAPVT VII.

TEXT. ARISTOTELIS.

Quoniam autem omne quod mouetur, &c.

Breuis expoſitio Text.

1 AD finem quarti capitis docuit Ariſtoteles, quòd eſſe diuiſibile, aut finitum, vel infinitum eodem modo conuenit mobili, ſpatio, ſeu magnitudini, ſupra quam ſit motus; atque etiam tempori, quo conuenit motui; ita vt ſi diuiſibilis iſte ſit, eodem modo diuiſibilia ſint cætera, & etiam ſi finitus ſit, vel infinitus. Et de diuiſibilitate probauit capite quinto & ſexto, eodem modo conuenire tribus aliis, ac motui conuenit. Capite verò præſenti probat eodem modo conuenire eis, quòd finita ſint, vel infinita, ac motui conuenit, & hoc probare eſt intentum huius capitis, quod in duas partes diuiditur; in prima proponit, & probat quinque propoſitiones vniuerſales. In ſecunda colligit ex eis, quòd eſſe finitum vel infinitum eodem modo conuenit illis tribus, ac motui.

Prima propoſitio vniuerſalis eſt, mobile finitum, tempore finito pertranſibit magnitudinem, vel ſpatium finitum, ſi per illud moueatur: ita vt non ſit poſsibile conſumere infinitum tempus, niſi repetat idem ſpatium, vt contingit in motu circulari. Probat hoc argum. Mobile, quod per ſpatium finitum mouetur, pertranſibit aliquam partem finitam eius parte aliqua temporis, etiam finita; quia licet dicas tempus infinitum conſumere debere in tranſitu totius magnitudinis finitæ; neceſſe eſt aliquam eius partem minori tempore pertrãſire, quàm totam: deinde aliam partem finitam æqualem priori etiam pertranſibit parte alia finita temporis: ſed partes æquales ſpatij finiti ſunt etiam finitæ; ergo pertranſibit omnes, & ex conſequenti totum ſpatium finitum ex eis compoſitum partibus temporis æqualibus finitis, ex quibus, non niſi

finitum tempus conſumptum reſultabit in tranſitu totius ſpatij finiti.

Secunda propoſitio, ſi tempus conſumptum in motu vniformi, aut difformi finitum eſt, neceſse erit ſpatium, per quod fit talis motus finitus eſſe finitum, & infinitum eſſe repugnat. 2
Probat hoc modo: Mobile pertranſibit aliquam partem finitã magnitudinis in parte temporis finita. Exempli gratia, per horam; & aliam ei æqualem per aliam horam: ſed tempus finitum, finitis etiam horis ſolùm conſtat; ergo in eo non poterit mobile pertranſire, niſi partes æquales & finitas ſpatij & ex conſequenti, non niſi finitum ſpatium, & non infinitum, quia ex finitis partibus finitum tantum ſpatium reſultare poteſt.

Tertia propoſitio, obſcura quidem in textu, ex eo, quòd Ariſt. per magnitudinem intelligit mobile, cum ſemper ſoleat intelligere per illam ſpatium, per quod fit motus; ſic propoſita clarior efficietur: Mobile infinitum non poteſt conſumere infinitum tempus in tranſitu ſpatij finiti: ſed neceſse eſt illud pertranſeat tempore finito; quam ſic probat: Aſsignetur pars aliqua mobilis infiniti, quæ ſit certæ, ac finitæ magnitudinis; quæ aliam partem finitam ſpatij pertranſibit in quadam parte temporis etiam finita; ſicque pro ſingulis partibus finitis magnitudinis percurrendis ſingulis partibus finitis temporis accipiantur etiam ſingulæ partes finitæ eiuſdem infiniti mobilis; & tunc ſicut ex partibus finitis ſpatij, & temporis reſultat ſpatium, & tempus finitum; ita ex partibus mobilis numero, & magnitudine finitis non reſultabit; niſi mobile finitum, & ita non poterit mobile infinitum eſſe: ſi tempus, & ſpatium, in quibus moueri debet finita ſint: deinde aſsignetur alia ei æqualis, quam alia etiam pars mobilis æqualis primæ, pertranſibit in alia parte temporis finita; ſed partes æquales temporis, & magnitudinis finitæ ſunt; & ex quibus ſpatium finitum, & finitum tempus reſultat; ergo ex partibus mobilis finitis, non niſi mobile finitum reſultabit, quare non erit infinitum, ſi ſpatium & tempus finita ſint. 3

Quarta propoſitio, mobile infinitum non poteſt pertranſire ſpatium, etiam infinitum tempore finito: quam eodem modo probat ex proportione partium temporis finitarum; at tot partes finitas mobilis, & ſpatij, quæ ſatis eſt manifeſta. Vltima propoſitio; mobile infinitum non poteſt conſumere infinitum tempus in tranſitu ſpatij finiti. Quam probat etiam ex proportione partium finitarum ſpatij cum partibus etiam mobilis, & temporis finitis, per quas eaſdem partes finitas ſpatij, & totum ſpatium finitum ex eis reſultans pertranſire debet

quod

quod ex rationibus, quibus probauit alias proportiones, eſt manifeſtum.

In ſecunda parte capitis ex his propoſitionibus ſic probatis colligit intentum: nempè eodem modo, quo motui conuenit eſſe finitum, vel infinitum, conuenire mobili, tempori & ſpatio: hoc argumento: Extenſio motus commenſuratur ſpatio, & tempori, atque etiam extenſio mobilis, vt ex propoſitionibus iam probatis conſtat; ergo ſi motus finitus fuerit, vel infinitus, ſpatium quoq; tẽpus & mobile finita, vel infinita erunt.

CAPVT VIII.

TEXT. ARISTOTELIS.

Quoniam autem omne, aut mouetur, aut quieſcit, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

4 INTENTVM huius capitis eſt oſtendere, quòd eodem modo conueniat quieti eſſe diuiſibilem in infinitum, ſicut conuenit motui, quamuis motui tanquam poſitiuo; quieti verò tanquam priuationi, & hoc præſtat in prima parte capitis, in ſecunda verò quandam propoſitionem vniuerſalem proponit & probat; & ita in duas partes diuiditur totũ caput. Vt igitur primum probet, ſupponit quietem, propriè ſumptam, non ſolùm negationem motus ſed priuationem ſignificare; ita vt illud ſolùm quieſcere propriè dicatur, quòd non mouetur eo tempore & loco, in quibus moueri poteſt, quo ſuppoſito ſic eam probat: Motus non poteſt fieri in inſtanti, nec habet primam partem; quia quælibet pars deſignata eſt diuiſibilis in infinitum; ergo hæc eadem habebit ſuo modo quies. Probatur conſequentia; quia cum ſit priuatio motus, eadem debent ei per modum priuationis conuenire, quæ motui, vt poſitiuo conueniunt, cum oppoſitorum eadem ſit conditio; quare nec quies in inſtanti eſſe poterit; nec habere primam partem, ſed quamlibet partem eius deſignatã, eſſe diuiſibilem in infinitum, & ex conſequenti eodem modo conueniet ei diuiſibilitas, ac probatum eſt cõuenire motui. In 2. parte cap. proponit hanc propoſitionẽ vniuerſalem: Impoſſibile eſt, quod corpus moueatur per ſe primò in aliquõ tempore, hoc eſt, in toto tempore, & in qualibet eius parte, & quòd in aliqua parte illius temporis ſit primò in aliquo determinato loco, vel ſub aliquo determinato gradu formæ, per quam mouetur: quam ſic probat: Si corpus mouetur per horam, & in quarta parte eiuſdem horæ ſit primò in aliquo loco determinato, erit etiam in eodem in ſingulis partibus eiuſdem temporis;

poris; ergo ſimul mouebitur in eodem tempore, & quieſcet; quod eſt impoſsibile. Probat conſequentiam, quia moueri ſupponimus in eodem tempore, & in ſingulis partibus eius; ſed etiam quieſcit; nam quieſcere eſt eodem modo habere nunc,& prius: ſed eodem modo ſe habet corpus in toto illo tempore, & in ſingulis eius partibus, cum ſit in eodem loco, vel in eodem gradu formæ; ergo quieſcit, & mouetur ſimul. Quamuis autem mobile indeterminata parte temporis, quo mouetur, non ſit in aliquo determinato loco, vel ſpatio; aut gradu formæ: bene tamen in quolibet inſtanti eiuſdem temporis, in quo cum non ſit motus, nec propriè quies, non probatur,quòd ſimul moueatur, & quieſcat.

CAPVT IX.

EXPLICATA iam, atque probata diuiſibilitate motus recenſet Ariſt. errores Philoſophorum, qui contra eam circunferebantur ſuo tempore in ſchola,& eorum arg. proponit,& ſoluit. Circunferebãtur autem tres. Primus Zenonis, qui eam prorſus tollebat,motum omninò tollens tanquam impoſſibilem:cuius argum.proponit, & ſoluit cap.præſenti, & hoc eſt intentum eius. Diuiditur autem in duas partes. In prima proponit,& ſoluit quatuor argumenta Zenonis. In ſecunda duo alia aliorum vel fortè eiuſdem Zenonis, cuius primum argumentum hoc erat: Si motus datur; ergo vel mouetur corpus,dum eſt in loco ſibi æquali,vel quieſcit, ſi mouetur; ergo in quolibet inſtãti mouetur:quia in quolibet inſtãti eſt in loco ſibi æquali; vel ſi non mouetur in quolibet inſtanti, in quolibet quieſcet, & ex conſequenti in tempore, quare nunquam mouebitur. Reſpondet Ariſt. corpus,dum eſt in loco ſibi æquali, non moueri propriè,nec quieſcere, nec etiam in ſingulis inſtantibus mouetur,aut quieſcit; quia motus non eſt in inſtanti, neque quies propriè ſumpta,ſed mouetur corpus, dum ſucceſsiuè eſt in diuerſis partibus ſpatij,priùs in vna, quàm in altera. 5

Secundum argum.eius erat,ſi corpus mouetur per ſpatium, priùs perueniet ad medietatem eius, quàm ad totum & priùs ad medietatem medietatis, quàm ad integram medietatem, ſicque in infinitum: cum infinitæ ſint medietates in eo, ſed infinitum non eſt pertranſibile; ergo nunquam perueniet ad medietatem ſpatij, nec proinde moueri poterit. Reſpondet Ariſtot. hoc argumentũ iam ſuperiùs eſſe ſolutum;quia ſicut ſpatium habet infinitas partes proportionales, ita motus 6

cum

cum eodem modo diuidantur, & ideò mobile pertranſit infinitas partes ſpatij infinitis partibus motus, quia cum omnes ſint proportionales, & non æquales, finitum continuum componunt, quod pertranſiri poteſt per aliud finitum, quod eſt motus.

Tertium argumentum, quia ſi detur motus, ſequitur ex duobus mobilibus, quorum vnum velocius, quàm alterum moueatur per idem ſpatium, nunquam poſſe velox conſequi tardum, vel illud comprehendere, ſeu æquale ſpatium cum eo pertranſire, quod patet eſſe abſurdum. Probat, non poſſe, nam ſi à mobili tardiori diſtet per ſtadium, dum incipit illud perſequi, neceſſe eſt, quod dum illud ſtadium pertranſit velocius mobile, aliquid ſtadij ſequentis pertranſeat tardiùs, & ita ſemper ab eo diſtabit, neque vnquam poterit illud comprehendere. Reſpondet Ariſtoteles argumento hoc non addere nouam difficultatem, præter eam, quam propoſuit præcedens de infinitis partibus ſpatij non pertranſibilibus: cui reſponſum eſt iam, quod cum non ſint æquales, ſed proportionales, quarum quælibet plures alias, imò infinitas includat; non faciunt infinitam magnitudinem, ſed finitam, & ideò pertranſibilem.

7 Quartum argumentum, quia ſi detur motus, ſequitur maius tempus eſſe æquale minori, quod eſt abſurdum. Probat conſequentiam; quia non poteſt mobile æqualis velocitatis cum alio, pertranſire maius ſpatium, quàm illud, niſi in maiori tempore; ſi ergo in tempore æquali maius pertranſeat, ſequetur minus tempus maiori eſſe æquale, ſed ita contingat, ſic probat: Si detur ſpatium quatuor palmorum, & dentur etiam duo mobilia eiuſdem menſuræ, & eiuſdem velocitatis, quorum vnus incipiat moueri à principio ſpatij verſus Orientem; aliud verò à medietate eiuſdem ſpatij verſus Occidentem, quod non ſimul ſuum motum incipiat ac primum, ſed poſtquam hoc iam pertranſiuit dimidium ſpatium, (moueantur autem per diuerſas lineas, vt non ſe impediant) & tunc, ſi primum corpus tempore dimidiæ horæ pertranſeat medietatem ſpatij, ſecundum pertranſiet ipſum primum, quod habet duplo maiorem magnitudinem; & ita in eadem dimidia hora pertranſiet magnitudinem duplo maiorem; ſed tempus, in quo mobile æqualis velocitatis cum altero pertranſit duplo maius ſpatium, debet eſſe duplo maius; ergo tempus duplum ac dimidium erunt æqualia. Reſpondet Ariſtoteles fallax eſſe hoc argumentum: quia mobile primum pertranſit fixum ſpatium, ſecundum verò, non fixum, ſed motum verſus contrariam partem, quod in medietate temporis pertranſiri poſſe conſtat.

In

Poris; ergo ſimul mouebitur in eodem tempore, & quieſcet; quod eſt impoſsibile. Probat conſequentiam, quia moueri ſupponimus in eodem tempore, & in ſingulis partibus eius; ſed etiam quieſcit; nam quieſcere eſt eodem modo habere nunc,& prius: ſed eodem modo ſe habet corpus in toto illo tempore, & in ſingulis eius partibus, cum ſit in eodem loco, vel in eodem gradu formæ; ergo quieſcit, & mouetur ſimul. Quamuis autem mobile indeterminata parte temporis, quo mouetur, non ſit in aliquo determinato loco, vel ſpatio; aut gradu formæ: bene tamen in quolibet inſtanti eiuſdem temporis, in quo cum non ſit motus, nec propriè quies, non probatur,quòd ſimul moueatur, & quieſcat.

CAPVT IX.

Explicata iam, atque probata diuiſibilitate 5
motus recenſet Ariſt. errores Philoſophorum, qui contra eam circunferebantur ſuo tempore in ſchola,& eorum arg. proponit,& ſoluit. Circunferebãtur autem tres. Primus Zenonis, qui eam prorſus tollebat,motum omninò tollens tanquam impoſſibilem:cuius argum.proponit, & ſoluit cap.præſenti, & hoc eſt intentum eius.Diuiditur autem in duas partes.In prima proponit,& ſoluit quatuor argumenta Zenonis.In ſecunda duo alia aliorum vel fortè eiuſdem Zenonis, cuius primum argumentum hoc erat: Si motus datur; ergo vel mouetur corpus,dum eſt in loco ſibi æquali,vel quieſcit, ſi mouetur; ergo in quolibet inſtãti mouetur:quia in quolibet inſtãti eſt in loco ſibi æquali; vel ſi non mouetur in quolibet inſtanti, in quolibet quieſcet, & ex conſequenti in tempore, quare nunquam mouebitur. Reſpondet Ariſt.corpus,dum eſt in loco ſibi æquali, non moueri propriè,nec quieſcere, nec etiam in ſingulis inſtantibus mouetur,aut quieſcit; quia motus non eſt in inſtanti, neque quies propriè ſumpta,ſed mouetur corpus, dum ſucceſsiuè eſt in diuerſis partibus ſpatij,priùs in vna, quàm in altera.

Secundum argum.eius erat,ſi corpus mouetur per ſpatium, 6
prius perueniet ad medietatem eius, quàm ad totum & priùs ad medietatem medietatis, quàm ad integram medietatem, ſicque in infinitum: cum infinitæ ſint medietates in eo, ſed infinitum non eſt pertranſibile; ergo nunquam perueniet ad medietatem ſpatij, nec proinde moueri poterit. Reſpondet Ariſtot.hoc argumentũ iam ſuperiùs eſſe ſolutum;quia ſicut ſpatium habet infinitas partes proportionales, ita motus

cum

cum eodem modo diuidantur, & ideò mobile pertranſit infinitas partes ſpatij infinitis partibus motus, quia cum omnes ſint proportionales, & non æquales, finitum continuum componunt, quod pertranſiri poteſt per aliud finitum, quod eſt motus.

Tertium argumentum,quia ſi detur motus,ſequitur ex duobus mobilibus,quorum vnum velocius,quàm alterum moueatur per idem ſpatium, nunquam poſſe velox conſequi tardum, vel illud comprehendere, ſeu æquale ſpatium cum eo pertranſire, quod patet eſſe abſurdum. Probat, non poſſe,nam ſi à mobili tardiori diſtet per ſtadium, dum incipit illud perſequi, neceſſe eſt, quod dum illud ſtadium pertranſit velocius mobile, aliquid ſtadij ſequentis pertranſeat tardiùs,& ita ſemper ab eo diſtabit neque vnquam poterit illud comprehendere. Reſpondet Ariſtoteles argumento hoc non addere nouam difficultatem, præter eam, quam propoſuit præcedens de infinitis partibus ſpatij non pertranſibilibus: cui reſponſum eſt iam, quod cum non ſint æquales, ſed proportionales, quarum quælibet plures alias, imò infinitas includat; non faciunt infinitam magnitudinem, ſed finitam, & ideò pertranſibilem.

7 Quartum argumentum,quia ſi detur motus, ſequitur maius tempus eſſe æquale minori, quod eſt abſurdum. Probat conſequentiam; quia non poteſt mobile æqualis velocitatis cum alio,pertranſire maius ſpatium,quàm illud; niſi in maiori tempore; ſi ergo in tempore æquali maius pertranſeat, ſequetur minus tempus maiori eſſe æquale, ſed ita contingat,ſic probat: Si detur ſpatium quatuor palmorum, & dentur etiam duo mobilia eiuſdem menſuræ, & eiuſdem velocitatis, quorum vnus incipiat moueri à principio ſpatij verſus Orientem; aliud verò à medietate eiuſdem ſpatij verſus Occidentem,quod non ſimul ſuum motum incipiat ac primum, ſed poſtquam hoc iam pertranſiuit dimidium ſpatium, (moueantur autem per diuerſas lineas, vt non ſe impediant)& tunc, ſi primum corpus tempore dimidiæ horæ pertranſeat medietatem ſpatij, ſecundum pertranſiet ipſum primum, quod habet duplo maiorem magnitudinem; & ita in eadem dimidia hora pertranſiet magnitudinem duplo maiorem; ſed tempus,in quo mobile æqualis velocitatis cum altero pertranſit duplo maius ſpatium, debet eſſe duplo maius;ergo tempus duplum ac dimidium erunt æqualia. Reſpondet Ariſtoteles fallax eſſe hoc argumentum: quia mobile primum pertranſit fixum ſpatium, ſecundum verò, non fixum, ſed motum verſus contrariam partem, quod in medietate temporis pertranſiri poſſe conſtat.

In

In ſecunda parte capitis proponit, & ſoluit duo alia argumenta aliorum Philoſophorum, qui motum & ipſi negabant vel fortè eiuſdem Zenonis. Primum tale erat. Si datur motus, moueatur corpus à non albo in album; & tunc non mouetur, dum eſt in termino à quo, nec dum eſt in termino ad quem, ſed quieſcit; ergo mouebitur, dum ſub neutro eſt; ſed opponuntur contradictoriæ; quare dabitur aliquid, cui nullum extremum ex contradictoriis aliquando cõueniat, quod patet eſſe falſum. Reſpondet, quòd ſi de motu ſucceſſiuo procedat argumentum nihil probat; quia corpus non mouetur, dum totum eſt in termino à quo, nec dum totum eſt in termino ad quem, ſed dum partim eſt ſub vno, & partim ſub altero, ſic autem ſe habens falſum eſt, quod neutrum extremum ei conueniat; nam dum dealbatur, aliquam albedinem habet, quare falſa erit negatiua; quòd non ſit album. Et ſi dicas ex toto non eſſe album, verum dicis, ſed iam hoc extremum ei conueniet, ſi pro extremis contradictoriis ponas, ex toto album, & ex toto non album, quare nullo modo probatur, quod neutrum extremum contradictorium mobili conueniat.

Secundum argumentum procedit contra motum circularem, qui ſi detur, ſequetur idem corpus moueri ſimul, & quieſcere. Probatur conſequentia, quia ex ſuppoſitione, quòd detur talis motus, mouebitur: ſed etiam quieſcit, quia illud dicitur quieſcere, quod perſeuerat in eodem loco ſecundum ſe totum, & ſecundum partes, ſed ita ſe habebit corpus, ſi mouetur motu circulari, nec enim ipſum, nec aliqua eius pars egrediuntur extra locum, ſed in eo perpetuò euoluuntur; ergo quieſcit corpus, & mouetur ſimul. Reſpondet partes mutare locum, & totum ipſum mutare diſpoſitionem in eodem loco, quæ ſufficiunt, vt non dicatur quieſcere, ſed verum moueri.

CAPVT X.

TEXTVS, ARIST.

Demonſtratis autem his, dicimus, quòd id, quod impartibile eſt, non contingit moueri, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM Ariſtotelis eſt refutare duos errores antiquorum aduerſus diuiſibilitatem motus. Et in prima parte reijcit primum Democriti. In ſecunda errorem Heracliti ſimul docens, admitti poſſe, quòd motus aliquis ſit perpetuus, & ita in duas partes 9

tes diuiditur caput: Democritus ergo poſuit corporea omnia fieri ex atomis indiuiſibilibus, qui per motum coniungebantur: vnde conſequenter ponebat indiuiſibile ſecundum quãtitatem moueri, & per ſe quidem: cum moueretur, vt ſe coniungeret aliis. Ariſtoteles verò aduerſus hunc errorem docet indiuiſibile quantitatis non poſſe moueri per ſe, hoc eſt ſeparatum à continuo; nam quòd moueatur ad motum continui, in quo reperitur, certum eſt. Probat Ariſtoteles quod moueri non
10 poſſit; Primò, quia mobile non mouetur, dum totum eſt in termino à quo, nec dum totum eſt in termino ad quem, ſed quieſcit; mouetur autem, dum partim eſt ſub vno, & partim ſub alio termino, ſed indiuiſibile partibus caret; ergo non poteſt eſſe partim ſub vno termino, & partim ſub altero, nec ex conſequenti poterit moueri. Secundò, dum mobile mouetur per ſpatium, prius pertranſit magnitudinem ſibi æqualem, aut ſe minorem, quàm maiorẽ; ergo ſi indiuiſibile mouetur, ſic ſe habebit in motu; ſed non poteſt pertranſire maiorem, nec minorem; quia indiuiſibili nihil datur maius, nec minùs; ergo ſolum poterit pertingere ſpatium ſibi æquale: ſed ſpatium ſibi æquale eſt indiuiſibile; ergo dũ mouetur, ſolũ indiuiſibilia tãget; quare pertrãſibit, atque enumerabit omnia indiuiſibilia ſpatij, quæ cũ ſint infinita, nullo modo numerari poſſunt, & ſpatium ipſum ex indiuiſibilibus erit cõpoſitum: quare ex vtroq; repugnabit moueri indiuiſibile, ideò nullo modo poterit moueri. Tertiò, quia motus debet fieri in tempore, & tempus quodlibet eſt diuiſibile; ergo ſi indiuiſibile mouetur, mouebitur in tempore diuiſibili. Tunc vltra, ſi mobile in tempore aliquo pertranſit ſpatium ſibi æquale, in minori tempore pertranſibit ſpatium ſolum correſpondens alicui parti eius, ſed indiuiſibile caret partibus; ergo moueri non poterit, niſi fortè aliquo motu inſtantaneo, & indiuiſibili, de quo probatum eſt in ſuperioribus dari non poſſe.

11 In ſecunda parte reiicit errorem Heracliti, qui ſolùm corporibus motum tribuens aſſerebat nunquam à motu ceſſare, ſed quemlibet motum eſſe infinitum, quod probat Ariſt. eſſe falſum; quia motus verſatur inter duos terminos oppoſitos, à quo, & ad quem, ſed quod clauditur inter duos terminos, non poteſt eſſe infinitum, ergo falſum eſt, quòd motus ſit infinitus.

Et ſi dicatur argumẽtum hoc ſolùm probare de motu naturali habente certos, ac determinatos terminos, nõ de violento, qui tantùm poteſt ſe extendere, quantus fuerit impetus proijcientis; & ideò videtur, quòd poſſit eſſe infinitus, & multo

melius

melius circularis, qui neque inter contrarios terminos verſatur, ſed ab eodem in idem fit, nec principium habet nec finem. Reſpondet Ariſtoteles de omnibus probare, quia impoſſibile eſt aliquid fieri, quod repugnat aliquando eſſe factum; vel generari, quod repugnat eſſe genitum; quia terminus ad quem eſt quaſi finis, cuius gratia fit motus: ſi autem motus ſit infinitus, nunquam mobile dicetur motum vel mutatum; ſed ſemper mouebitur; ergo repugnat eſſe infinitum. An verò motus aliquis poſſet dari infinitus ſaltem ſecundum durationem, licet non ſecundum formam, vel ſpatium. Reſpondet duobus modis excogitari poſſe talem motum. Primò, ita vt ex diuerſis motibus ſibi ſuccedentibus in perpetuum eſſet compoſitus, & talis non poſſet dari; quia non eſſet vnus, cum eſſet continuus; nam ſiue tales motus ſibi ſuccedentes eſſent numero, vel ſpecie diuerſi, non eſſent continui; nec proinde efficerent vnum motum numerò; quia vnum continuum, & vnum numero idem ſunt. Alio modo poſſet excogitari non compoſitus ex multis, ſed vnus, & idem, eiuſdémque corporis perpetuo moti ab eodem in idem; & talis motus non eſſet rectus, ſed circularis, de quo aſſerit eſſe perpetuum, & ideò duratione infinitum, quod ex profeſſo probabit lib. 8.

QVÆSTIO VNICA.

An indiuiſibile ſeparatum poſſit moueri per ſe.

QVæſtio non intelligitur de indiuiſibili ſubſtãtiali, qualia ſunt Angelus, & anima rationalis, nec indiuiſibili ſecundum perfectionem eſſentialem, quales ſunt ſpecies omnes; nam de his certum eſt moueri poſſe, ſed ſolùm de indiuiſibili quantitatis, quod ideò impartibile vocatur ab Ariſtotele, quia partibus caret, vt de puncto; non quidem coniuncto, vt de eo, quod eſt in continuo: quia hoc non poteſt per ſe moueri ſed ſolùm ad motum eiuſdem continui, cuius aliquid eſt, ſed intelligitur de indiuiſibili continui ab eo ſeparato; quia non poteſt moueri per ſe, niſi per ſe exiſtat ſeparatum à corpore: & cum non ſit certum ſeparari poſse, etiam per potentiam Dei abſolutam; non eſt quæſtio abſoluta, ſed conditionalis cuius ſenſus eſt; an indiuiſibile quantitatis, ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur ſeparatum à continuo, moueri poſſet. Eſt autẽ certum, quod non poſset moueri motu augmentationis; quia cum magnitudine 12

careat,

careat, non eſt capax augmenti: quare ſolùm procedit quæſtio de motu alterationis & locali, an his motibus moueri poſſit.

13 Et prima opinio aſſerit naturaliter etiam poſſe moueri, ſi daretur ſeparatum, Ita Scot. in 2. d. 2. q. 9. § *ad 3. argum. principalis quæſtionis*. Greg. q. 2. art. 1. Valleſ. controuerſia 58. ad Tyrones, Toletus 6. lib. Phyſ. q. 1. quorũ potiſſima ratio eſt hæc: Indiuiſibile coniunctũ poteſt moueri, & verè mouetur; ergo etiam poſſet moueri ſeparatũ. Probatur conſequẽtia: quia eadẽ inconuenientia, quæ infert Ariſtoteles ex motu indiuiſibilis ſeparati, ſequuntur ex motu indiuiſibilis cõiuncti, quod cum ſit certum moueri, nullius momenti erunt reſpectu ſeparati, ſed moueri poterit. Probatur minor, quia indiuiſibile coniunctũ non habet partes, & mouetur; ergo nõ requiritur, quod mobile partim ſit in vno termino, & partim in alio, ſecundũ proprias partes, ſed ſatis eſt, ſi ſic ſe habeat ſecundũ formam, vel terminũ, quem acquirit per motum, quod dũ mouetur, aliquid eius acquiſitũ habeat, & aliud ei reſtet acquirendũ: & ex conſequẽti non requiritur ad motũ, quod mobile priùs pertrãſeat ſpatium ſibi æquale, vel minus ſe, quam ſpatiũ maius; aut quòd ſi in tanto tempore pertrãſit ſpatium ſibi æquale, in medietate illius temporis pertrãſeat ſpatiũ æquali alicui parti propriæ; ſed ſufficit quòd prius tranſeat partẽ minorem ſpatij, vel formæ, quã maiorem: nec eſt inconueniens, quod punctũ ſeparatum, ſi moueretur, ſolùm tangeret puncta ſpatij, quæ ſunt ſibi æqualia, & ideò numeraret omnia puncta; & ſpatiũ, per quod mouetur, cõponeretur ex illis; quia indiuiſibile coniunctũ corpori ſphærico ſolùm tangit puncta plani, & nullum ex his inconuenientibus ex motu eius ſequitur; ergo nec ſequeretur ex motu ſeparati; quia licet per ſe primò, & adæquatè non tangeret, niſi puncta, ex conſequenti, & quaſi tacto inadæquato tangeret omnes partes. Nec tandem neceſſe eſt, quòd ſi mobile in vna parte tẽporis pertranſit ſpatium ſibi æquale, in medietate eiuſdẽ temporis pertranſeat ſpatium æquale vni parti propriæ; nã hoc ſolum pertinet ad motus corporum; nec in motu Angeli, aut animę rationalis, reperitur; ergo nec reputari debet neceſſarium ad motum indiuiſibilis: quare nec reputari debet impoſſibile quod naturaliter moueri poſſit.

14

15 *Secunda* opinio duo aſſerit. Primum, *quod ſi indiuiſibile ſeparatum daretur, nõ poſſet moueri naturaliter, bene tamen per potentiam Dei abſolutam*. Ita tenent plures Moderni. Probant, quia licet punctum ſeparatũ non poſſit natulaliter eſſe præſens loco, vel ſpatio, aut partibus eius; quia nec poteſt eis commenſurari, ſed ſolis indiuiſibilibus; quibus præſens eſſet, & ideò per ſolas has præſentias indiuiſibiles diſcurrere poſſet ſuo motu; quod eſt

impoſſibile, cùm nihil diuiſibile poſſit acquirere per motum, neque continuam aliquam præſentiam; quòd omnino requiritur ad motum; non tamen repugnat, quòd virtute Diuina fieret præſens ſpatio & partibus eius, ita vt ei correſponderent diuiſibiles præſentiæ; ſicut Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia exiſtens, & habens modum indiuiſibilem,& non localem, nihilominus præſens eſt toti Hoſtiæ, & ſingulis eius partibus, ita vt ex parte earum diuiſibiles præſentias ei correſpondeant, & ideò non ſolùm per accidens moueatur ad motum Hoſtiæ conſecratæ; ſed etiam per ſe, ac proprio motu, vt multi Moderni aſſerunt; per præſentiam ergo ſimilem poterit punctum eſſe præſens ſpatio,& partibus eius, & acquirere verum vbi in ſpatio, ſicut Angelus, vel anima, veréque ac per ſe moueri abſque deſcriptione lineæ, vel numeratione punctorum, ſicut mouentur Angelus, & Anima, & Corpus Chriſti habens modum indiuiſibilem mouetur per ſe iuxta aliquorum ſententiam.

Tertia opinio negat poſſibile eſſe naturaliter, vel etiam per potentiam Dei abſolutam,quòd indiuiſibile ſeparatum moueatur. Hæc eſt certiſſima ſententia Ariſtotelis capit. præſenti quam ex profeſſo probauit:ita etiam tenet cum eo antiqui omnes interpretes Comment. 6. lib. Phyſ. Comment. 86. Alexan. Themiſt.Simpli. Aſpaſius cap.præſenti, D. Thom. lect. 22. Albert.Mag.lib.6.titulo 2. Ægid. text. 18. Iand. quæſt. 16. Sotus quæſt.4.Capreol.in 2.diſt.2.quæſt.1. & videtur nobis probabilior. Quòd enim Greg. vbi ſupra ad Ariſt. aſſerit non loqui de indiuiſibili quantitatis;ſed de formis indiuiſibilibus, dum negat indiuiſibile moueri poſſe. Quod etiam Scotus de indiuiſibili quantitatis loqui, ſed non velle ei denegare omnem motum; ſed eum tantùm, qui ex parte ſubiecti diuiſibilis eſt. Et quòd Moderni quidam de motu omnibus modis diuiſibili loqui, ſed eum ſolùm denegare indiuiſibili per virtutem cauſarum naturalium, hæc inquam omnes ſolutiones friuolæ ſunt, & nullius momenti. Nam Ariſtot. text. vltimo, ſeparauit formas indiuiſibiles ab indiuiſibili quantitatis, quod propterea proprio nomine appellauit impartibile, & huic denegauit motum, non illis;motum verò, qui non ſit diuiſibilis ex parte ſubiecti; neque cognouit, neque ſomniauit vnquam Ariſt. præſertim, cum intentum huius capitis fuerit probare, quòd motus debeat eſſe diuiſibilis ex parte ſubiecti,& ideò impartibile non poſſe eſſe ſubiectum motus, quòd non ſolum per virtutem naturalem cauſarum impoſſibile eſſe exiſtimauit, ſed implicare contradictionem, & hoc intendunt argumenta 16

gumenta eius,& ſi hoc non probant, nullius momenti ſunt, neque aliquid omnino probare poſſunt:euidens igitur eſt, Ariſtotelem ſenſiſſe,quòd indiuiſibile quantitatis nullo modo, nullóque motu moueri poſſit Vt bene Valleſius atque Tolet. vbi ſupra,qui cum tentant moueri poſſe, fatentur Ariſtotelem oppoſitum tenuiſſe.

17 Vt igitur hanc ſententiã Ariſt. & cõmunẽ, quam ſequimur, probemus,notãda eſt differẽtia maxima inter indiuiſibile quãtitatis,& indiuiſibiles ſubſtantias,vt Angelũ,& animam, quòd illud licet corpus nõ ſit;neque quantitatẽ habeat, ordinis tamẽ corporei eſt,cum ſit copulatiuum partium quantitatis, & vnio earum,propterea enim vnionẽ formæ ſubſtantialis cum materia corpoream appellamus,quia materiã vnit cum forma,& per vnionem vtriuſque reſultat corporea ſubſtantia:ordinis igitur cenſentur indiuiſibilia quantitatis; quia partes quantitatis copulant,& ex vnione,quam inter eas faciunt, reſultat vnũ quantum,& extenſum.Angelus vero,aut anima, non quomodocunque indiuiſibilia ſunt,ſed ordinis ſpiritualis. Ex qua differentia ſequitur alia valde notanda,quòd accidentia recipiẽda in puncto,tanquam in ſubiecto,nõ poſſunt eſſe ordinis ſpiritualis; ſed etiam corporei;quia accidens,& ſubiectũ ita debent proportionari,vt eiuſdẽ ordinis ſint, omnino namque repugnat in Angelo,vel anima recipi corporeũ accidens,vel ſpirituale in corpore. Ex quibus ſequitur,quòd ſi punctũ moueri debet;nõ poſſit moueri motu ſpirituali;vt Angelus,vel anima, ſed ordinis corpo-

18 rei;quod ita probo:Motus eſt actus mobilis, prout mobile eſt; ergo debet recipi formaliter in ſubiecto, & illud denominare formaliter,alioqui nõ moueb1tur;quia quòd nihil in ſe recipit, etiamſi extrinſecè denominetur de nouo,nec mutatur, nec mouetur;ſed eodẽ modo ſe habet nunc,& prius; quia denominatio extrinſeca ipſum nõ attingit, & ideò licet Deus nouas habeat, atque reales denominationes intrinſecas, vt creatoris, ac ſimiles,non dicitur mutari propter illas,ex eo ſolùm, quòd nihil in ſe recipit,& propterea non dicitur per eas ſe habere aliter nunc, & priùs.Itaque neceſſe erit, ſi indiuiſibile debet moueri, quòd motum corporei ordinis in ſe recipiat, & ab eo formaliter denominetur.

Secundò notandum eſt,neceſſarium omninò eſſe motum ordinis corporei continuum eſſe, & ſucceſſiuum, & habere latitudinem ex parte formæ, vel termini acquirendi, & ex conſequenti ſecundum eandem latitudinem, & continuationem eſſe diuiſibilem in partes copulatas indiuiſibilibus,& hæc adeò ſunt motui intrinſeca, vt contradictionẽ implicet ſine eis eſſe.

Vnde ſequitur talẽ motum diuiſibilẽ quoque eſſe in ordine ad ſubiectũ, quod ſic probo: Nã diuiſibilitas, & latitudo motus ex parte formæ, præſupponit eandẽ formã eſſe diuiſibilẽ, & continuam, habẽtẽ partes materiales, & corporeas, in quas diuidatur; ſi enim eas nõ habuerit in ſe, nõ poterit eas tribuere motui. Gratia exempli, ſi punctũ moueretur ſupra lineã, motus eius continuus eſſet, ac diuiſibilis ſecundũ lõgitudinẽ: cum forma per eum acquiſita ad minus ſit præſentia continua eiuſdem puncti ad totam lineam, & ſingulas eius partes, cõtinua quidem, & diuiſibilis, ſicut ipſa linea, & motus iſte continuus, & diuiſibilis ſecũdũ continuationẽ, & diuiſibilitatem lineæ deberet in puncto ipſo formaliter recipi, vt probatũ eſt. Ac tãdẽ motus iſte ſucceſſiuus, continuus, & diuiſibilis non poſſet nõ habere partes priores, & poſteriores, quæ ab intrinſeco inferrent durationẽ ſucceſsiuam habentẽ partes priores, & poſteriores formaliter, in quas ſit formaliter diuiſibilis, quæ nõ poſſet eſſe alia à tempore, & duratio temporis eſt formaliter in motu ipſo, à quo probabile eſt non diſtingui ex natura rei. Prætereà tẽpus hoc, ſicut & motus, quem ſequitur, non eſt ſpirituale, ſed corporeum, cum ſit formaliter diuiſibile in partes & neceſſariò deberet recipi cũ motu ipſo in eodẽ indiuiſibili, ſi moueretur. Ex tota hac doctrina in principiis veræ Philoſophiæ certiſſima deſumũtur duo, vel tria argumenta, quibus efficaciter ſatis probatur cõtradictionẽ implicare; quòd indiuiſibile ſeparatũ moueatur, & ſit primum de motu alterationis: nã ſi pũctũ moueretur motu calefactionis ſucceſſiuo, cõtinuo ac diuiſibili diuiſibilitate termini; ergo reciperet in ſe motũ, & terminũ, ſed terminus talis motus eſt calor, & calor eſt accidẽs corporeũ; ex propria eſſentia natũ recipi in ſubiecto media quantitate, quod eſt natũ eſſe recipi in ſubiecto diuiſibili; ergo repugnat recipi in puncto, & ex cõſequenti, repugnabit motũ, per quẽ acquiritur, qui eſt eiuſdem conditionis, recipi in ſubiecto indiuiſibili, & in extẽſo. Secũdò probatur de eodẽ motu; nam ſi punctũ calefieret, vel moueretur per latitudinẽ caloris, vel ſolũ diſcurreret per indiuiſibilia eius, hoc ſecundũ repugnat; quia nec motus poſſet eſſe cõtinuus, cùm indiuiſibilia non ſint cõtinua; vel darẽtur motus, & terminus per eum acquiſitus cõpoſiti ex ſolis indiuiſibilibus, quod repugnat, neceſſariũ igitur eſſet punctũ moueri per latitudinẽ ipſiuſmet caloris, quod etiã repugnat, quin eam in ſe recipiat cũ motu, ſed latitudo caloris eſt calor ipſe ſubſtãtialis; ergo reciperet in ſe calorẽ, quem conſtat nõ poſſe recipi, niſi in ſubiecto diuiſibili, & corporeo: quare contradictionem implicat moueri indiuiſibile ſeparatum motu alterationis; & hoc (niſi ego fallor) euidenter probatum

eſt

eſt his duobus argumentis. Sed probatur de motu locali duobus aliis,& ſit primũ: Si indiuiſibile moueatur per ſpatium verum,vel imaginarium cum motu ſucceſſiuo, continuo, & diuiſibili continuitate,ac diuiſibilitate formæ moueri debeat, non ſpirituali,ſicut motus Angeli, & animæ; ſed ordinis corporei, neceſſe eſt acquirat præſentiã ordinis corporei,continuã, atque diuiſibilem in partes corporeas copulatas etiam indiuiſibilibus eiuſdẽ ordinis;& quòd hanc præſentiã cum motu recipiat in ſe formaliter,ſed hoc repugnat; ergo repugnat moueri. Probatur minor,quia præſentia ordinis corporei diuiſibilis in partes corporeas eſt accidens corporeum,& diuiſibile formaliter in partes corporeas;ergo natũ recipi in ſubiecto corporeo,atque extenſo per quantitatem, quã extenſione caret punctũ; & ideò nõ poteſt recipere in ſe talem motũ,nec formã, nec omninò moueri.

Secundò, quia talis motus ſucceſſiuus, & continuus habet partes priores,& poſteriores; ergo inferret durationem ſucceſſiuam,& continuam ordinis etiam corporei, quæ eſſet, tempus continuum,& diuiſibile;nõ ſpirituale,ſed ordinis corporei, ergo eſſet accidens corporeũ, quod in eodem puncto deberet recipi cum motu,cuius duratio eſſet, ſed tẽpus corporei ordinis, ac diuiſibile natum eſt recipi in ſubiecto diuiſibili, vt ex ſe patet;ergo in puncto recipi non poſſet; & proinde neque motus, quem ſequitur.

Ad argumentũ primæ opinionis concedendũ eſt antecedens, quòd indiuiſibile coniunctũ moueatur, ſed neganda eſt conſequentia de ſeparato.Negandum eſt etiam,quòd infertur,eadem ſequi inconuenientia de motu cõiuncti,quæ inferuntur ab Ariſtotele de motu ſeparati; quia valde diuerſa ratio eſt de motu vnius,& alterius:nam indiuiſibile ſeparatũ deberet moueri motu proprio,& per ſe,coniunctum non mouetur motu proprio, nec per ſe,vt annotauit Ariſtoteles in textu;ſed motu continui, in quo eſt,& cuius modus eſt:nã vt ſuperius probauimus, modi rerum nõ mouentur motibus propriis, ſed motu totius corporis;qui ad partes,ad puncta,ad accidentia eius deriuatur,& à ſingulis iuxta propriã naturam participatur:vnde licet indiuiſibile cõiunctũ ſolũ tangat pũcta plani,dũ mouetur ad motũ corporis ſphærici,ſed motus eius,qui eſt eiuſdẽ corporis ſphærici,fit per ſpatiũ,& vbi diuiſibile,& nõ per indiuiſibilia plani:quare nec ſequitur numerare omnia pũcta,cũ per motũ cõtinuũ, nec partes proportionales,nec puncta numerentur;quia numeratio diſcretionem dicit,quæ non poteſt eſſe in motu continuo;& eadẽ ratione nõ ſequitur ex motu eius,quòd continuũ componatur ex indiuiſibilibus:ſequitur autem vtrumque ex motu indiuiſibilis

ſeparati; qui cum continuus eſſe non poſſit; quia nec à ſpatio materiali, nec formali accipere poteſt continuationem, vt probauimus, neceſse eſt motu diſcreto moueri indiuiſibile ſeparatum, ſi motus eius eſſet poſsibilis, tangeret ergo omnia puncta ſpatij, motu diſcreto, & cum inciperet à primo, numeraret omnia, quod repugnat: cum ſint infinita, & cum ſola puncta tangeret, ſpatium, per quod moueretur, ex ſolis indiuiſibilibus eſſet compoſitum. Quod enim dicitur puncta tantùm tangere poſſe per ſe, & adæquatè, ſed inadæquatè partes, falſum eſt, quia cum non habeat partes, nec ſit in continuo eas habente, nec per ſe, nec per aliud poteſt partes ſpatij tangere, nec eas, niſi tangendo pertranſire; quod tamen poteſt indiuiſibile cõiunctum per coexiſtentiam extrinſecam, quam habet reſpectu omnium partium, & totius ſpatij, ratione motus continui totius ſphærici quo mouetur, ideò nec adæquatè, nec inadæquatè poteſt indiuiſibile ſeparatum tangere partes ſpatij; ſed inadæquatè poteſt, coniunctum ratione corporis ad cuius motum mouetur; manent ergo in ſuo robore rationes Ariſtotelis.

Ad argumentum ſecundæ opinionis reſpondeo, decipi au- 601
ctores eius, dum putant indiuiſibili poſſe conferri præſentiam diuiſibilem, per quam correſpondeat partibus ſpatij, ſicut eam habet angelus: nam iſte licèt ſit formaliter indiuiſibilis, quia ſpiritualis, virtualiter tamen eſt diuiſibilis per ſuam virtutem, quam habet reſpectu corporum; punctum verò omnibus modis eſt indiuiſibilis, & ideò non poteſt habere, niſi præſentiam omnibus modis indiuiſibilem: quod egregiè annotauit D. Thom. 1. p. quæſt. 53. artic. 1. ad 1. dicens hanc eſſe differentiam inter Angelum, & indiuiſibile quantitatis ſeparatum quantum ad motum pertinet, quòd hoc nullo modo moueri poteſt, quia neceſſariò ei correſponderet locus indiuiſibilis; Angelo verò ratione ſuæ virtutis diuiſibilis poteſt correſpondere; & ideò moueri poteſt Angelus: ſed de indiuiſibili quantitatis ſeparato affirmat demonſtraſſe Ariſtotelẽ capite hoc vltimo, quod nullo modo moueri poſſit. De corpore autem Chriſti in Euchariſtia exiſtente longè diuerſa eſt ratio, quia modo longè diuerſo præſens eſt ſpeciebus, præſentia quidem nõ acquiſibili per motum, ſed per tranſubſtantiationem, aut alio modo à motu diuerſo, quare nec moueri poteſt per ſe, ſed ſolùm per accidens ad motum ſpecierum, vt tenet communis ſententia. Et hæc de 6. lib. annotaſſe ſufficit.

IN SEPTIMVM LIBRVM ARIST. DE PHYSICO AVDITV, SEV AVSCVLTATIONE,

BREVE PROOEMIVM.

EXplicatis iam principiis, & cauſis motus, eiuſque partibus, & indiuiſibilibus, & ideò omnibus, quæ pertinẽt ad naturam eius, reſtabat explicandum, quem ordinem inter ſeſe habeant motus omnes, mobilia atque mouentia, videlicet, an detur vnus aliquis motus primus ab aliquo primo mouente procedens, & vni primo corpori cõueniens, à quo primo mouente, & primò motu dependeant cætera mouentia, mobilia, ac motus, vel nullum ordinem habeant. Et primùm intendit Ariſtoteles oſtendere, videlicet dari vnum primum motorem, à quo procedat vnus motus primus vni primo corpori conueniens, & ab illo primo motore, & primo motu dependere cæteros omnes motores, & motus, eique ſubeſſe, ita vt ſine concurſu eius nihil efficere poſsint, & hoc explicat & probat ex profeſſo in 8. lib. ſed quia res eſt grauiſsima, & intellectu difficilis, ideò eandem explicat quadam ratione imperfecta, & quaſi perfunctoria in hoc lib. 7. quod quaſi præambulum videtur ad octauum, & propterea idem eſt inſtitutum, eademque materia vtriuſque, huius quidem, vt imperfectè explicata; illius, vt perfectè. Diuiditur autem in duas partes. In prima agit Ariſtoteles de ordine mouentium, mobilium & motuum. In ſecunda, mouentia & mobilia comparat inter ſeſe, quantum ad velocitatem & tarditatem.

CAPVT I.

TEX. ARISTOTELIS.

Omne quod mouetur, neceſſe eſt ab alio moueri, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

1 INtentum Ariſtotelis eſt probare, quòd detur vnum primum mouens & vnus primus motus. Diuiditur autem in duas partes. In prima præſupponit, & pro

probat quandam propoſitionem vniuerſalem. Et in ſecundâ colligit ex ea principalem concluſionem intentam de primo motore & primo motu. Propoſitio vniuerſalis, quam præſuponit, eſt hæc: *Nihil mouetur à ſe primò, ſed quidquid mouetur, ab alio mouetur:* Moueri autem primò eſt moueri totum non ratione alicuius partis: vt dum mouetur homo mota ſolum manu, vel pede, non dicitur moueri primò, ſed dum totus ipſe mouetur: quo ſuppoſito, in his quæ mouentur violenter euidens eſt propoſitio: cum ab altero motore extrinſecô moueantur, vt dum lapis ſurſum proiicitur, eſt manifeſtum: ſed eam probat in viuétibus (in quibus dubia eſſe poſſet) hac ratione: Quod à ſeipſo primo mouetur, non dependet in ſuo motu ab altero: vnde etiam, ſi quodcunque aliud quieſcat, poterit moueri; ſed omne mobile eſt diuiſibile; ergo ſi diuidatur in duas partes, vel quieſcente altera mouetur totum, vel neceſſariò quieſcet: ſi moueri dixeris, non mouebitur primò, cum non moueatur totum; ſi verò ſecundum dicatur, non mouebitur à ſe primò, cum dependeat in ſuo motu ab altero; ergo impoſſibile eſt, quòd aliquid à ſe primò moueatur.

Ex qua propoſitione ſic probata colligit concluſionem intentam, quòd detur neceſſariò in mouentibus vnum primum mouens, à quo moueantur cætera in motu locali omnium notiſsimo hoc argumento: Si omne quod mouetur localiter, mouetur ab alio, ergò illud, à quo mouetur, vel mouetur, vel mouet non motum; ſi hoc ſecundum dicatur, habetur intentum; quia illud erit primum mouens, ſi verò moueri dixeris, mouebitur ab altero, de quo eadem erit quæſtio, an moueatur, vel non: & ſi non moueri dixeris, erit primum mouens immotum, ſi verò moueatur, cùm neceſſe ſit ab alio moueri, vel deueniendum erit tandem ad vnum, quod moueat, & non moueatur, & illud erit primum mouens vel dabitur proceſſus in infinitũ in mouentibus per ſe: quod nullo modo admitti debet, nam ex eo ſequeretur dari infinita mobilia, infinita mouentia, & infinitos motus, ſed quilibet eſſet finitus, cum inter duos terminos verſetur à quo, & ad quem, ex omnibus tamen reſultaret vnus motus numero vel ſpecie ſecundum regulas in vnitate motus ſeruandas in 5. lib. traditas, qui duo haberet ſecũ pugnantia: nam ex vna parte fieret tempore finito, cum quod cunque mobile efficeret ſuum motum tempore finito; & ita omnes ſimul finirentur; ex altera verò parte eſſet infinitus, cùm ex infinitis conſtaret: repugnat autem aliquid moueri motu infinito per tempus finitum, vt probatum eſt in 6. lib.

Et ſi dicatur ex illis infinitis motibus non fieri vnum; quia

nec

nec motus ipſi, nec mobilia eſſent continua; quare nec efficerent vnum motum numero;quia vnum numero, & vnum continuum idem ſunt: Reſpondet mobilia, vt ſuperiùs dictum eſt,contigua eſſe debere,vel continua, vt quādo vna pars eiuſdem corporis mouet alteram; ſi ergo continua eſſe poſſunt, non eſt inconueniens,quòd ſupponamus ita ſe habere: eo autem ſuppoſito efficient vnum mobile infinitum, & vnum motum infinitum,qui tempore finitò abſoluetur, quod probatum eſt impoſsibile in ſexto libro.

CAPVT II.

TEXT. ARISTOTELIS.

Sed ſi id, quod mouetur primùm ſecundùm locum, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

4 CAPITE præcedenti tanquam certum præſuppoſuit Ariſt.quòd mouens,& motum debent eſſe cōtigua, quod eſt eſſe ſimul; in præſenti autem capite intendit probare neceſſariam eſſe hanc ſimultatem mouentis,& mobilis. Diuiditur autem caput in duas partes. In prima explicat eandem propoſitionem, *Mouens; & motum debent eſſe ſimul*: In 2.probat veram eſſe in omni genere motus. Et vt eam explicet,aſſerit 1.non eſſe intelligendam de mouēte per modum finis, quia cauſa finalis non debet eſſe ſimul cum re mota ab ea;ſed abſens eſſe poteſt, vel nondum exiſtens, vt de ſanitate conſtat;ſed de mouente efficienter intelligi debet, non quocunque; ſed proximo; nam vniuerſales cauſæ non ſunt ſimul, ſed longè diſtant, nec requiritur, quod ſint ſimul loco,quia ſimultas hæc nōn datur ſine penetratione naturaliter impoſsibili; ſed requiritur,vt cum ſint in diuerſis locis,ſint immediata, & ſe tangant.

Concluſionem ſic explicatam probat in ſecunda parte capitis,in omni genere motus, & primò in motu locali hoc modo: Quod mouetur localiter,vel mouetur à principio interno, vt viuentia; in quibus euidens eſt; mobile & motum eſſe ſimul:cum mouens nēpe motiua virtus intra ipſū viuens,quod mouetur ſit; vel mouentur à principio externo, vno ex quatuor modis; quia vel pelluntur, vt proiecta, vel attrahuntur, vt dum magnes attrahit ferrum, vel vehuntur, vt dum ali-

quis curru vehitur, vel in circulo voluuntur, & omnes hos modos reducit Ariſtoteles ad pulſum, & tractum; quia aliquo, vel vtroque conſtant, vt per ſe eſt manifeſtum: ſed dum mouetur corpus per pulſum, vel tactum, mouens, & motum ſunt ſimul; ergo ſemper in motu locali facto ab extrinſeco ſimul ſunt: Minorem probat; quia pellere aliquid eſt à ſe ſeparare, & trahere illud, eſt ad ſe congregare, ſed non poteſt vnum ſeparare alterum à ſe, niſi ſimul ſit cum eo, ſaltem in principio motus; nec ad ſe congregare, niſi ſimul ſit cum eo ſaltem in fine eiuſdem motus; ergo adhuc in his motibus à principio extrinſeco factis mouens, & motum ſunt ſimul. Probat deinde in motu alterationis hoc argumento: Alteratio 5 fit ſecundum qualitates ſenſibiles, quæ ſunt obiecta ſenſuum, vt ſecundum calorem, & frigus, ſecundum colorem, vel ſonum, & illa quidem, quæ fit ſecundum qualitates tangibiles eſt propria; quæ verò fit ſecundum alios ſenſus, impropria, ſed in vtraque ſemper ſunt ſimul mouens, & motum, aut agens & paſſum; ergo ſemper reperitur ſimultas vtriuſque in alteratione. Probat minorem experientia, quia in calefactione, & in frigidatione ſemper proximum calefaciens, vt aer, vel aqua, aut ignis tangit paſſum, & in ſenſibus etiam, vel quia obiectum, quod ſentitur tangit potentiam, vt in tactu & guſtu, vel per ſuas ſpecies intentionales in aere productas, & multiplicatas vſque ad ſenſum. In motu denique augmentationis euidens eſt, cum fiat per approximationem alimenti, quod eſt mobile, vel paſſum, ad corpus viuens, quod eſt agens, vel mouens ſua virtute vitali, illud conuertens in ſubſtantiã aliti; ſemper ergo, & in quocunque motu verum eſt agens, & paſſum, aut mouens, & motum ſimul eſſe.

QVÆSTIO I.

An ſecundum ordinem naturalem neceſſarium ſit, agens & paſſum ſimul eſſe.

DE ſolo agente proximo inquiritur, an neceſſe ſit ſimul 6 eſſe cum paſſo, non ſimul loco, ſed ſimul per contactum, ita vt contiguum ſit cum eo, vel poſſit agere ab eo diſtans. Et prima opinio negat eſſe neceſſariam ſimultatem contactus: ſed aſſerit, quod licet agens ſit diſtans à paſſo, nec eum tangat per ſe, nec per virtutem propriam, ſed vtroque modo ſit abſens, poteſt agere naturaliter in ipſum: quod non ſolùm de vniuerſalibus & particularibus agentibus verum eſſe ait, ſed etiam de primo: nam licet Deus præſens ſit omnibus rebus, & in omni loco, hæc tamen præſentia non eſt ei neceſ-

ſaria

ſaria ad agendum, ſed quantùm ad efficientiam pertinet, poſſe tribuere omnibus eſſe, conſeruare in eo, & concurrere cum eis ad ſuas operationes,& effectus,etiam ſi abſens eſſet.Habet itaque intimam præſentiam in omnibus rebus propter ſuam immenſitatem,ſed præſentia hæc quaſi concomitanter ſe habet,& per accidens ad agendum,quia etiam ſi illam non haberet,agere poſſet, nec virtute actionis eam haberet: ſed quidquid agit præſens,poſſet abſens agere,& ex eo,quod ageret,non colligeretur per ſe præſentia; nec modo poteſt per ſe colligi ex eo, quòd cum omnibus cauſis cõcurrit, & ad omnes effectus ſuum concurſum præſtat. Ita Scotus in 1.diſtinct.37.quæſtione vnica, & ibidem Ochamus, Baſolius & Gabriel, quem ſequuntur Moderni plures, non quantum ad agentia creata, de quibus fatentur, non poſſe, niſi præſentia agere: ſed quantum ad Deum pertinet, quem abſentem agere poſſe affirmant, & ex ſola eius immenſitate colligi præſentiam in rebus,non ex actione.Quod

7 probant quibuſdam teſtimoniis Ariſtotelis, qui 1.lib.de cœlo, capite nono, textũ 100. locum determinatum Deo tribuit in connexo primi Orbis, & ex eo loco virtutem eius deriuari ad hæc inferiora docet; & lib. de mundo ad Alexand.capite ſeptimo aſſerit,non per ſeipſum adminiſtrare, & gubernare omnia, ſed per creaturas,quibus dedit virtutem agendi,& gubernandi, ſicut Rex in curia exiſtens per ſuos miniſtros diſponit, atque adminiſtrat Regnum; ergo ex mente eius non eſt neceſſaria præſentia ad agendum. Quod etiam probat Scot. hac ratione: Deus habet virtutem infinitam, quæ non limitatur vllo modo ad modum agendi, ſed omnibus modis agere poteſt, prout ſibi placuerit:cum liberè etiam operetur; ergo nec limitatur ad talem locum, in quo res eſt, vel in quo producendus eſt effectus, ſed ex loco valdè diſtanti poterit deriuari eius virtus ad operandum, & concurrendum cum creaturis:quod præſertim verum eſt, cum ſimultas agentis & paſſi, vel agentis cum effectu non ſit ratio agendi; ſed ſolùm conditio, quam poterit Deus ſuſpendere,etiam virtute naturali pro ſe, & virtute ſupernaturali pro aliis cauſis, vt Moderni ſentiunt. Probat ſecundò Scotus de cauſis vniuerſalibus, vt de ſole, & aliis, quæ operantur in his inferioribus, à quibus valdè diſtant per ſe, & per ſuas virtutes, nihil efficere poſſunt, cum ſint accidentia, quæ non poſſunt vllo modo attingere productionem ſubſtantiarum: agunt præterea in extrema corpora, nihil agendo in intermedia: cum conſtet plures effectus producere circa inferiora corpora; quos non imprimunt corporibus cœleſtibus intermediis, vt calorem, frigus, & cæteras qualitates; quarum corpora

pora illa capacia non ſunt; bene ergo ſequitur, quòd ſi poſſunt agere in extrema non agendo in medium, poterunt etiam vbi non ſunt præſentes, agere. Probatur tandem de cauſis particu- 8
laribus & proximis, quòd nulla præſentia indigeant ad operandum: nam magnes valdè diſtans à ferro, circa illud operatur propria virtute ipſum attrahendo ad ſe, faſcinantes etiam procul poſiti, plures ac valdè nociuos effectus operantur circa alia corpora. Et de baſiliſco referunt, quòd à longè poſitus, non ſolum viſu, ſed ſibilo noceat. Echeneis etiam piſcis (quem, & Remoram vocant) magnum nauigium detinet, & piſcem alium (torpedinem appellant) quia piſcatoris manum media arundine attingit; eique certam quandam qualitatem imprimit, per quam ineptam prorſus efficit ad motum. His ergo experientiis probatur ſatis efficaciter, quod non ſemper ſit neceſſarium agens, & paſſum, vel mouens, & mobile ſimul eſſe ad agendum.

Secunda opinio oppoſita eſt, *aſſerens neceſſarium omnino eſſe* 9
ad agendum in quibuſcunque agentibus, quòd agens ſit ſimul cum paſſo, ſiue vniuerſalia illa ſint, ſiue particularia; atque etiam in primo agente, qui agere non poteſt, niſi præſens ſit, & ita ex actione eius euidenter colligi præſentiam in omnibus rebus. Ita Themiſt. in ſua paraphraſi ſuper 12. lib. Met. Philop. 1. lib. de Anima, text. 4. & 1. libro Meteor. in principio, D. Tho. cap. præſenti, & 1. p. quæſt. 8. art. 1. Albertus Magnus in 1. diſt. 37. art. 1. D. Bona. 1. p. d. art. 1. q. 1. Duran. q. 1. Richard. art. 1. quæſt. 1. Ægid. in 1. p. diſt. art. 1. q. 1. Henri. in ſum. art. 3. q. 5. Altiſ. lib. 1. ſummæ, cap. 15. q. 1. ad 1. Capre. in 1. d. 37. q. 1. art. 1. concl. 1. & artic. 3. in ſolu. arg. contra illam, *& eſt communis, & vera.*

Quam vt probemus, notandum eſt primò, quod immediatè 10
agere idem eſt, ac per ſeipſum, & non per alterum attingere effectum; ſed dupliciter contingit, immediatione ſuppoſiti, & virtutis. Illud agit immediatione ſuppoſiti, quod per proprium ſuppoſitum attingit effectum, & non medio altero, vt dum ignis calefacit lignum, dicitur immediatè agere; quia per proprium ſuppoſitum, & non per alterum attingit calorem productum: immediatione autem virtutis agere, eſt, per propriam virtutem attingere effectum, & non per virtutem alienam, vt ſol, qui per propriam virtutem ſuæ lucis producit calorem in corporibus inferioribus, dicitur agere immediatione virtutis. Vterque autem modus ſolet concurrere in eodem agente, vt videmus in igne calefaciente lignum per proprium ſuppoſitum, atque etiam per propriam virtutem caloris: in cauſis autem vniuerſalibus operantibus in hæc inferiora diuiduntur

Digitized by Google

duntur ſemper; quia nunquam operantur niſi per virtutem propriam receptam in alio corpore intermedio: & ideò ſemper immediatione virtutis, & nunquam immediatione ſuppoſiti. Operari etiam immediatione virtutis duobus modis contingit, aut per virtutem propriam à ſe diffuſam, vel apud ſe retentam. Primo modo operatur ſol, vt vniuerſaliter agentia corporea. Secundo modo Angelus, dum mouet corpora per virtutem ſuorum actuum; intellectus,& voluntatis intra ipſum manentium, & cætera agentia ſpiritualia, quibus modus iſte agendi communis eſt. Ex quo ſequitur magna quædam differẽtia inter agentia ſpiritualia ex vna parte & corporea ex altera: quòd illa nõ poſſint agere immediatione virtutis; quin etiã agant immediatione ſuppoſiti; nam cum operentur per virtutem apud ſe retentam, & non effuſam, repugnat ſua virtute attingere effectum; quin eum attingant per proprium ſuppoſitum in quo permanent, & hoc præſertim verum eſt in Deo, cui non ſolum propter communem rationem agentis ſpiritualis conuenit modus iſte agendi: ſed propter particularem valdè notandum: nam cum virtus, per quam operatur Deus, increata ſit, impoſſibile eſt; quòd eam extra ſe effundat, & ideò duplici ratione repugnat Deo agere immediatione virtutis, & non ſuppoſiti. Prima, quia intellectuale agens eſt. Secunda, quia primum, & increatum. Agentia verò corporea operari poſſunt immediatione virtutis, & non ſuppoſiti: quia cum per diffuſam virtutem operentur, poteſt virtus eius attingere effectum, vbi non ſit proprium ſuppoſitum, vt contingit in ſole, operante per lucem à ſe effuſam,& ideò vbi ſol ipſe non eſt per ſe præſens.

11 Secundò notandum eſt, diuina attributa ſic eſſe diſtincta ratione noſtra inter ſeſe, & à diuino eſſe, vt vnum ſit ratio alterius,& prius illo,noſtro modo intelligendi; vt immutabilitas eſt ratio æternitatis, & prior illa,& ideò poſterius demonſtramus per prius, vt ex immutabilitate æternitatem. Et ita ſe habet attributum omnipotentiæ, & immenſitatis, vt prior ſit omnipotentia noſtro modo intelligendi; & quaſi fundamentum immenſitatis: ſed dupliciter accipi poſſunt, in actu primo, & in actu ſecundo: in actu primo accipiuntur ſecundum ſe; quatenus omnipotẽtia eſt virtus diuina, per quam Deus potens eſt ſe communicare, aut diffundere: immenſitas verò, per quam aptus eſt replere omnia, omnibúſque intimè præſens eſſe. In actu ſecundo conſideratur omnipotentia; quatenus iam in actu poſita, vel quaſi iam habens effectum actualis communicationis: & eodem modo immenſitas, vt per illam iam Deus eſt intimè

intimè præſens omnibus præſentia actuali, & omnia replet, & vbique eſt. Vtroque autem modo omnipotentia eſt prior, & quaſi fundamentum vel ratio immenſitatis noſtro modo intelligendi. Quod probatur; quia vtraque hæc cauſalis propoſitio vera eſt, quia Deus potens eſt ſe communicare omnibus, ac ſe per omnia diffundere: aptus eſt omnia replere, cunctiſque intimè præſens eſſe: & rurſus, quia Deus per ſuam omnipotentiam ſe communicat omnibus, & per omnia ſe diffundit, omnia replet, & vbique præſens eſt; niſi enim per omnipotentiam ſe communicet, & illis tribuat eſſe, non replebuntur diuino eſſe; ergo nec dicetur Deus ea replere: quare ex oppoſito neutro cauſalis vera eſſe poteſt, quia Deus aptus eſt replere omnia, & omnibus eſſe præſens per immenſitatem poteſt ſe communicare creaturis, & eas replere. Nec etiam, quia Deus intimè præſens eſt omnibus, & omnia replet per ſuam immenſitatem, ſe communicat eis per ſuam omnipotentiam. Hunc ordinem poſuit D. Thomas inter hæc diuina attributa, 1. parte quæſtione 8. artic. 3.

Quibus præſuppoſitis, probatur etiam noſtra ſententia de 12
primo agente, *quod non poſſit agere, neque ad agendum concurrere cum creaturis, niſi eis ſit per ſe,* hoc eſt, *per proprium ſuppoſitum præſens, & ita ex actione eius per ſe colligi præſentiam.* Primò ex ſacris litteris, in quibus videtur apertè ſignificari, duobus præſertim locis, Pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quibus verbis pro neceſſaria ratione diuinæ præſentiæ affertur actio Dei fouens, conſeruans, & dirigens creaturam; ergo impoſſibile reputatur, quod operetur, vbi præſens non eſt, & ex operatione eius euidenter colligitur præſentia. Et D. Paul. Actuum 17. *Quamuis non longè ſit ab vno quoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, &c.* Quibus verbis, Deum eſſe intimè in nobis ipſis præſentem probabit ex creatione, & conſeruatione, per quam accepimus ab eo eſſe, & in eo conſeruamur, & ex actuali concurſu eius, per quem omnia opera vitæ exercemus, quare non poſſunt verba eius integrum ſenſum habere ſecundum Modernorum expoſitionem de ſola præſentia per cognitionem, aut notitiam actualem eius: nam licèt de hac notitia ageret, vt Deum (quem ignotum ipſi vocabant) explicaret, & præſentem per notitiam actualem efficeret, nihilominus ex intima præſentia in ipſiſmet, tanquam in templis à ſe conſtitutis, in quibus habitat, potius quàm ex habitatione in templis externis cogno-

ſcendum

ſcendum eſſe docet, & intimam præſentiam ex intima eius operatione, per quam ipſimet mouebantur, & viuebant, colligit, & ita colligunt Sancti Patres, Hilarius ſuper Pſalm. 24. & libro primo de Trinitate in principio. Auguſtinus primo libro confeſſionum cap. 3. & 8. lib ſuper Geneſ. cap. 26. Ambroſi. 1. libro de Spiritu ſancto Bernard. ſermone 6. in dedicatione Eccleſiæ, Iſidor. 1. libro de ſummo bono capite ſecundo, Damaſcen. primo libro fidei cap. 16. Anſelm. in monolog. cap. ſecundo.

13 Sed probatur hac ratione ſatis efficaci: Deus concurrit ad omnes effectus in creaturis, & à creaturis productos; ergo aliquo modo eos attingit per ſe, vel per ſuam virtutem: nam ſi nullo ex his modis eos attingit, non erit vllo modo eorum cauſa: ſed non poteſt eos attingere per ſuam virtutem, quin eos attingat per proprium ſuppoſitum, cum non operetur per virtutem à ſe diffuſam, ſed apud ſe retentam. Tunc vltra, non poteſt virtus diuina per ſe contingere effectum phyſicè, & realiter, niſi per contactum phyſicum, & realem; & contactus phyſicus ac realis fit per coniunctionem phyſicam & realem eiuſdem virtutis cum eodem effectu; ergo repugnat virtutem diuinam contingere reales effectus, niſi realiter ſit eis coniuncta, & realiter præſens: repugnat verò diuinam virtutem eſſe eis realiter præſentem, niſi præſens ſit realiter diuinum ſuppoſitum; quia non eſt virtus diffuſa, ſed intra ſuppoſitum agens retenta; ergo repugnat Deum attingere effectus creaturarum, vel in creaturis aliquo modo agere; niſi ſit intimè præſens, & ex actione eius euidenter colligitur intima præſentia eius in omnibus.

14 Probatur ſecundò de agentibus creatis, tam vniuerſalibus, quàm particularibus teſtimonio Ariſtotelis; non ſolùm capite præſenti, ſed etiam primo libro Meteor. in principio, vbi ait, neceſſarium eſſe, vt hæc inferiora recipiant influxum à ſuperioribus cauſis, quod ei ſint coniuncta, vel contigua, ſentit ergo non poſſe illas in hæc inferiora corpora agere, ſi ab eis ſeparentur, vel ſimul cum eis non ſint. Quod conſtat magis neceſſarium eſſe in agentibus particularibus. Sed probatur ratione de vtriſque; quia euidens experientia oſtendit, particularia agentia determinatam, ac limitatam habere ſphæram ſuæ actuitatis, vltra quam nihil prorſus agere poſſunt; imò, & vniuerſalia; quia, quò plus diſta it, eò remiſſius operantur, & imperfectiorem producunt effectum: ſi autem non eſſet præſentia, vel ſimultas agentis, & paſſi neceſſaria, ſed in abſentia agere poſſent, ad quamcunque poſſent diſtantiam agere; nec remiſſiùs agerent, quo plus diſtarent ab effectu; ergo

ergo experientia ipſa probat aliquam præſentiam agentis neceſſariò eſſe requiſitam ad agendũ. Secundò, ſi agens non ſit per ſe præſens, nec per ſuam virtutẽ, vel licèt per hanc ſit præſens, nihil per eã agere poſſit, vt Scotus aſſerit, ſequitur nullo modo contingere effectum; hoc eſt nec per ſe nec per ſuam virtutem: quia contingere phyſicè, & realiter effectum repugnat, niſi per cõtactum realem, & phyſicum, quem conſtat non dari, niſi per realem, & phyſicam coniunctionem virtutis agentis cum eodem effectu; neque realem coniunctionem, niſi per realem præſentiam eiuſdem virtutis: hæc igitur omnino neceſſaria eſt cuicunque agenti, & ſine illa non poteſt agere naturaliter.

Ad teſtimonia Ariſtotelis reſpondeo, non negaſſe præſentiã 15
primi agentis in omnibus rebus & locis; nec locum determinatum ei tribuiſſe in conuexo cœli, quaſi in cæteris non ſit; ſed quaſi ibi præcipuè eſſe dicatur: quia ibi præcipuè oſtenditur virtus eius, & à primo motu illius orbis dependent cæteri motus inferiores. Nec gubernationem mundi inferioris exiſtimauit fieri ſine actuali concurſu, & præſentia eius; ſed fieri per creaturas docuit tanquam per miniſtros, in quo aſſimilatur ei gubernatio regum per ſuos miniſtros: ſed valdè diuerſo modo fit à Deo per creaturas; ita vt immediatè per ſe eas dirigat, & ad operationes earum immediatè, & per ſe concurrat; & ſimul dignitatem cauſandi, non ſolùm inſtrumentalem, ſed principalem eis conferat: qui modus gubernandi omnia longè perfectior eſt, & regia maieſtate dignus, ſed de hac re copioſius dicetur libro 8.

Ad primum argumentum Scoti concedendum eſt antece- 16
dens, quòd virtus diuina non ſit limitata ad agendum, nec ad modum agendi, atque etiam, quòd liberè operetur: ſed neganda conſequentia, quòd ideò poſſit pro libito agere, vbi præſens non ſit: quia non poſſe agere, vbi præſens non eſt, non prouenit ex limitatione in modo agendi, ſed potiùs ex infinitate eius, quòd cum in omnibus, & cum omnibus operetur, repugnat eum operari per virtutem à ſe diffuſam: quia modus iſte operandi imperfectiſſimus eſt, & cum virtus eius ſit increata, repugnat eam à ſe diffundere: & ideò impoſſibile eſt effectum ſua virtute contingere, quin eum contingat per proprium ſuppoſitum, & ideò repugnat eum agere, niſi vbi præſens ſit per ſe, imò ex actione eius euidenter, & à priori colligitur intima eius præſentia in omnibus. Et licèt ſimultas agentis, & paſſi ſolùm ſit conditio neceſſaria ad agendum, & non ratio agendi, indiſpenſabilis tamen, ſicut exiſtentia actualis ſolùm eſt conditio, & repugnat aliquid agere, niſi ſit actu exiſtens.

Ad ſe

17 Ad ſecundum negatur imprimis, quòd corpora cœleſtia nihil operentur per proprias virtutes tanquam per inſtrumenta, per eas enim concurrere, etiam ad effectus ſubſtantiales inferiores probauimus contra Scotum in 2. lib. Poſſemus etiam negare, quòd agens naturale operetur circa extremum, nihil operando circa medium: cum de eiſdem vniuerſalibus agentibus notum ſit, aliquid operari circa intermedia corpora, vt ſol, licet non imprimat eis calorem, imprimit tamen lucem: ſicque de cæteris ſecundum proportionem intelligi poteſt. Concedimus tamen poſſe operari circa extremum non operando circa medium; quando non eſt capax talis effectus, ſed negamus ideò poſſe operari agens, vbi non eſt præſens per ſe, vel per ſuam virtutem: quia ſi neutro modo ſit præſens, non eſt intelligibile, quòd phyſicè, & realiter contingat effectum, vt probauimus: ſi autem ſit præſens per ſuam virtutem, cum hæc debeat in alio corpore recipi, ſi diffuſa ſit, neceſſe erit corpus illud, in quo recipitur, & quod per eam operatur; præſens eſſe, & ſimul cum paſſo; ſi verò non ſit virtus diffuſa, vt in agentibus ſpiritualibus, eo ipſo, quòd per propriam virtutem dicantur eſſe præſentia, dicentur etiam præſentia per proprium ſuppoſitum, vt probauimus.

18 Circa vltimum argumentum diſputandum eſſet in particulari de modo operandi magnetis, & aliarum rerum; ſed de his copioſè diximus in primis noſtris Commentariis, nunc verò ſatis ſit dicere, illa omnia agentia per ſuam virtutem diffuſam agere, ſatis quidem mirabilem; ſed veram, vt experientia docuit, & ideò præſentia eſſe per ſuam virtutem, quæ cum recipiatur in corpore aliquo contiguo eiſdem corporibus, circa quæ operantur, tale corpus eſt immediatum agens per eam, & ideò ſemper eſt verum, quòd agens & paſſum ſimul ſint, nec poteſt aliter fieri ſecundum naturalem ordinem cauſatum. An verò per potentiam Dei abſolutam poſſint agentia operari, vbi nullo modo præſentia ſunt, quæſtione ſequenti dicetur.

QVÆSTIO II.

An per potentiam Dei abſolutam poſſit aliquid agere, vbi præſens non eſt, per ſe, nec per ſuam virtutem.

QVæſtio hæc, non ſolùm de cauſis principalibus diſputatur ſicut præcedens, ſed præcipuè de inſtrumentis, nec

ergo experientia ipſa probat aliquam præſentiam agentis neceſſariò eſſe requiſitam ad agendũ. Secundò, ſi agens non ſit per ſe præſens, nec per ſuam virtutẽ, vel licèt per hanc ſit præſens, nihil per eã agere poſſit, vt Scotus aſſerit, ſequitur nullo modo contingere effectum; hoc eſt nec per ſe nec per ſuam virtutem: quia contingere phyſicè, & realiter effectum repugnat, niſi per cõtactum realem, & phyſicum, quem conſtat non dari, niſi per realem, & phyſicam coniunctionem virtutis agentis cum eodem effectu; neque realem coniunctionem, niſi per realem præſentiam eiuſdem virtutis: hæc igitur omnino neceſſaria eſt cuicunque agenti, & ſine illa non poteſt agere naturaliter.

Ad teſtimonia Ariſtotelis reſpondeo, non negaſſe præſentiã primi agentis in omnibus rebus & locis; nec locum determinatum ei tribuiſſe in conuexo cœli, quaſi in cæteris non ſit; ſed quaſi ibi præcipuè eſſe dicatur: quia ibi præcipuè oſtenditur virtus eius, & à primo motu illius orbis dependent cæteri motus inferiores. Nec gubernationem mundi inferioris exiſtimauit fieri ſine actuali concurſu, & præſentia eius; ſed fieri per creaturas docuit tanquam per miniſtros, in quo aſſimilatur ei gubernatio regum per ſuos miniſtros: ſed valdè diuerſo modo fit à Deo per creaturas; ita vt immediatè per ſe eas dirigat, & ad operationes earum immediatè, & per ſe concurrat; & ſimul dignitatem cauſandi, non ſolùm inſtrumentalem, ſed principalem eis conferat: qui modus gubernandi omnia longè perfectior eſt, & regia maieſtate dignus, ſed de hac re copioſius dicetur libro 8. 15

Ad primum argumentum Scoti concedendum eſt antecedens, quòd virtus diuina non ſit limitata ad agendum, nec ad modum agendi, atque etiam, quòd liberè operetur: ſed neganda conſequentia, quòd ideò poſſit pro libito agere, vbi præſens non ſit: quia non poſſe agere, vbi præſens non eſt, non prouenit ex limitatione in modo agendi, ſed potiùs ex infinitate eius, quòd cum in omnibus, & cum omnibus operetur, repugnat eum operari per virtutem à ſe diffuſam: quia modus iſte operandi imperfectiſſimus eſt, & cum virtus eius ſit increata, repugnat eam à ſe diffundere: & ideò impoſſibile eſt effectum ſua virtute contingere, quin eum contingat per proprium ſuppoſitum, & ideò repugnat eum agere, niſi vbi præſens ſit per ſe, imò ex actione eius euidenter, & à priori colligitur intima eius præſentia in omnibus. Et licèt ſimultas agentis, & paſſi ſolùm ſit conditio neceſſaria ad agendum, & non ratio agendi, indiſpenſabilis tamen, ſicut exiſtentia actualis ſolùm eſt conditio, & repugnat aliquid agere, niſi ſit actu exiſtens. 16

Ad ſe

17 Ad ſecundum negatur imprimis, quòd corpora cœleſtia nihil operentur per proprias virtutes tanquam per inſtrumenta, per eas enim concurrere, etiam ad effectus ſubſtantiales inferiores probauimus contra Scotum in 2. lib. Poſſemus etiam negare, quòd agens naturale operetur circa extremum, nihil operando circa medium: cum de eiſdem vniuerſalibus agentibus notum ſit, aliquid operari circa intermedia corpora, vt ſol, licet non imprimat eis calorem, imprimit tamen lucem: ſicque de cæteris ſecundum proportionem intelligi poteſt. Concedimus tamen poſſe operari circa extremum non operando circa medium; quando non eſt capax talis effectus, ſed negamus ideò poſſe operari agens, vbi non eſt præſens per ſe, vel per ſuam virtutem: quia ſi neutro modo ſit præſens, non eſt intelligibile, quòd phyſicè, & realiter contingat effectum, vt probauimus: ſi autem ſit præſens per ſuam virtutem, cum hæc debeat in alio corpore recipi, ſi diffuſa ſit, neceſſe erit corpus illud, in quo recipitur, & quod per eam operatur, præſens eſſe, & ſimul cum paſſo; ſi verò non ſit virtus diffuſa, vt in agentibus ſpiritualibus; eo ipſo, quòd per propriam virtutem dicantur eſſe præſentia, dicentur etiam præſentia per proprium ſuppoſitum, vt probauimus.

18 Circa vltimum argumentum diſputandum eſſet in particulari de modo operandi magnetis, & aliarum rerum; ſed de his copiosè diximus in primis noſtris Commentariis, nunc verò ſatis ſit dicere, illa omnia agentia per ſuam virtutem diffuſam agere, ſatis quidem mirabilem; ſed veram, vt experientia docuit, & ideò præſentia eſſe per ſuam virtutem, quæ cum recipiatur in corpore aliquo contiguo eiſdem corporibus, circa quæ operantur, tale corpus eſt immediatum agens per eam, & ideò ſemper eſt verum, quòd agens & paſſum ſimul ſint, nec poteſt aliter fieri ſecundum naturalem ordinem cauſarum. An verò per potentiam Dei abſolutam poſſint agentia operari, vbi nullo modo præſentia ſunt, quæſtione ſequenti dicetur.

QVÆSTIO II.

An per potentiam Dei abſolutam poſſit aliquid agere, vbi præſens non eſt, per ſe, nec per ſuam virtutem.

QVæſtio hæc, non ſolùm de cauſis principalibus diſputatur ſicut præcedens, ſed præcipuè de inſtrumentis, nec

procedit naturaliter, aut ſecundum potentiam Dei ordinariam ſicut præcedens, ſed ſupernaturaliter, & ſecundum potentiam abſolutam:& ſenſus eius eſt,an implicet contradictionem aliquam cauſam principalem, vel inſtrumentalem agere, vbi præſens non eſt per ſe, nec per ſuam virtutem. Et quantùm ad cauſas principales pertinet, vidimus iam Scotum cum paucis aſſerentem quæſtione præcedente naturaliter id fieri poſſe; qui faciliùs teneret fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam. Nihilominus eiſdem rationibus, quibus impugnata eſt hæc ſententia, probatúmque contra illam, quòd neceſſarium ſit ad operandum agens eſſe ſimul cum paſſo ſecundum ordinem naturalem cauſarum per ſe quidem, vel per ſuam virtutem probatur; nullo modo fieri poſſe, vt aliquid operetur, vbi nullo ex his modis præſens eſt; ideò non oportet nouas rationes addere, nec aliquid aliud de principalibus cauſis dicere, præterea, quæ in quæſtione præcedenti dicta ſunt, ſed ad aliam partem de inſtrumentis diſputandum procedere.

Circa quam eſt prima opinio aſſerentium, fieri poſſe, per potentiam Dei abſolutam, quòd inſtrumentum operetur, vbi nullo modo eſt præſens,& ita poſſe Deum re aliqua Compluti exiſtente, & permanente ad operandum Romæ vti tanquam inſtrumento. Ita Veg. lib. 7. in Concil. Trident. cap. 14.dub.1.Card.Bellarm.1.lib.de Sacramentis in genere cap.11. Conimbric. 7. lib. Phyſic.cap.2.quæſt.2. Suarius 3.p.q. 13. diſputat.31.ſect.5.Præcipuum fundamentum huius ſententiæ eſt, quod nihil aliud ex parte inſtrumenti poſtulet præter potentiam obedientialem, qua ſubduntur D.o omnes creaturæ, vt poſſit eis pro libito vti, ad quoſcunque effectus producendos, ex eo igitur ſolo, quod Deus velit vti aliqua creatura, vt ſecum concurrat ad aliquem effectum efficiendum, dicetur eam per talem actum voluntatis mouere, eleuare, & eam facere inſtrumentum proprium. 19

Quo ſuppoſito probatur primò, non eſſe neceſſarium, quod inſtrumentum ſit præſens ad operandum; quia inſtrumentum non attingit effectum virtute propria, ſed virtute agentis principalis, à quo eleuatur; nec indiget propria aliqua operatione, vt eleuetur; ſed per ſolam potentiam obedientialem eleuari poteſt; & hac ſuppoſita, ex eo ſolo eleuatum cenſetur; quòd Deus vult, vt ſecum concurrat ad talem effectum; ſed poteſt Deus velle, vt ſecum concurrat ad producendum effectum vbi præſens non eſt, ad quod ſufficit; vt Deus ipſe, cuius virtute operatur, ſit præſens; ergo negari non debet 20

debet diuinæ omnipotentiæ, quòd eo vti poſſit ad operandum ad quamcunque diſtantiam. Præſertim cum ſimultas agentis, & paſſi ſolum ſit conditio extrinſeca ad agendum requiſita, quam facilè poteſt Deus ſupplere per præſentiam propriam. Secundò, quia valde probabile eſt, præſertim apud D. Thomam humanitatem Chriſti eſſe inſtrumentum Dei ad miracula efficienda, non ſolùm morale, ſed etiam per modum Phyſici, 3.p.quæſt.13.artic.2.& quæſt. 56.artic. 1. Quæ etiam certum eſt edidiſſe ad magnam diſtantiam, & vbi præſens non erat humanitas ipſa. De Sacramentis etiam tenet D. Thomas 3. p. qu. 62.artic.4.habere modum inſtrumentorum naturalium reſpe-
21 ctu gratiæ; quam producunt in anima, & tamen ſæpe operantur, vbi præſentia non ſunt, præſertim matrimonium inter abſentes contractum; ergo ſentit D. Thom. non requiri præſentiam inſtrumenti; quin poſſit per potentiam ſupernaturalem ſuppleri à Deo.

Secunda opinio negat id eſſe vllo modo poſſibile, quam defendit D. noſter Molin.1.p.quæſt.8.artic.1.diſp. 2. & videtur mihi probabilior, & magis conformis doctrinæ D Thom. Probo hoc ſecundum, quia vt lib. 2. vidimus, certum eſt apud D. Thom. nihil poſſe eleuari, vt ſit inſtrumentum, niſi aliquid proprium habeat, alioqui nihil efficiet, ſed ſolum efficiet principale agens, ſed repugnat, quod inſtrumentum poſſit concurrere per aliquid proprium, vbi non eſt præſens per ſe, nec per propriam virtutem, vt probauimus de cauſis principalibus; ergo repugnat inſtrumentum eleuari ad agendum, vbi non eſt præſens ex mente D. Thomæ.

22 Sed ratione probatur primò, quia actualis exiſtentia inſtrumenti omninò neceſſaria eſt ad operandum; & ad operandum in tali tempore neceſſaria eſt exiſtentia in tali tempore; ergo ad operandum in tali loco neceſſaria eſt exiſtentia in eodem loco. Probatur conſequentia, quia ſicut ad operandum in tempore, in quo res non eſt, ita ſe habet ac ſi nunquam fuiſſet; nec futura eſſet, ita ad operandum in loco, vbi non eſt, ita ſe habet, ac ſi non ſit in rerum natura; cum non minus ſit impoſſibile attingere paſſum; vel effectum in loco, vbi non eſt, ac ſi nullibi eſſet; ſed implicat contradictionem aliquid eſſe inſtrumentum ſine actuali exiſtentia; ergo etiam repugnabit ſine actuali præſentia. Secundò, quia bene ſequitur: inſtrumentum operatur; ergo ab eo procedit effectus, ſed effectum procedere ab aliquo, tanquam ab efficiente, eſt continuari cum virtute actiua eius, continuatione phyſica, ſicut
23 continuatur actio, per quam operatur agens, & proce-

 dit ab

dit ab eo effectus, ſed non poteſt continuari cum virtute actiua, vt communicata inſtrumento; ſi non ſit præſens, quemadmodum nec radij ſolares continuari poſſunt cum virtute ſolis, ſi ab eis loco ſeparetur; ergo repugnat inſtrumentum agere, vbi non eſt præſens. Probatur tandem; quia nō poteſt aliquid operari tanquam inſtrumentum phyſicum, niſi paſſum, & effectum phyſicè, & realiter attingat; ſed attingentia phyſica fit per contactum phyſicum; ergo neceſſarius eſt contactus phyſicus: & phyſicus contactus fit per phyſicam, & realem coniunctionem effectiuæ virtutis cum eodem paſſo; vel effectu, quæ impoſſibilis eſt, ſine reali præſentia; ergo repugnat agere inſtrumentum, vbi non eſt præſens. Quod etiam repugnare intelligitur; quia vel virtus agentis principalis, vt communicata inſtrumento defertur ad locum, vbi eſt paſſum, vel remanet cum ipſo inſtrumento: deferri non poteſt, niſi deferatur inſtrumentum, & ſi non deferatur, non poteſt per eam coniungi cum eo inſtrumentum coniunctione phyſica, & reali; ergo repugnat operari tanquam inſtrumentum phyſicum, vbi non eſt præſens.

Fundamentum autem alterius opinionis, quod per ſolam potentiam obedientialem eleuentur inſtrumenta, nec neceſſe ſit proprium aliquid habere, vt eleuari poſſint, refutauimus in ſecundo libro. Nunc verò ad primum argumētum eius neganda eſt maior; quòd ſufficiat talis potentia obedientialis, ſed aliquid ex parte inſtrumenti requiritur; vt dicatur effectiuè concurrere, alioqui, ſi nihil proprium habeat, dicetur quidem agens principale agere totum, quod agitur: inſtrumentum verò nihil; neceſſe eſt ergo, ſi paſſum, atque effectum attingere debet inſtrumentum, per aliquid proprium, eleuatum tamen à principali agente præſens eſſe paſſo cum eo. Ad ſecundum de Sacramentis reſpondeo iuxta ſententiam D. Thomæ humanitatem Chriſti, & Sacramenta eſſe inſtrumenta diuinitatis. Illam quidem coniunctum, hæc verò ſeparata, ſed dum præſentia ſunt, per modum inſtrumentorum Phyſicorum operantur, abſentia verò ſolum tanquam inſtrumenta moralia. 24

CAPVT

CAPVT III.

TEXTVS ARIST.

Omne autem, quod alteratur à ſenſibilibus alterari, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

25 VT probaret Ariſtoteles capite præcedenti, quod mouens, & motum debent eſſe ſimul, non ſolùm in motu locali, ſed etiam in alteratione, præſuppoſuit ad probandum hoc ſecundum alterationem circa ſolas qualitates ſenſibiles verſari, nec probauit, & ideò capite præſenti probare intendit, vt doctrina illa firma, atque ſtabilis maneat. Et cum qualitates ſenſibiles pertineant ad tertiam ſpeciem qualitatis; quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas; præter quam tres aliæ reſtant, neceſſe eſt de illis probare, quòd non poſſint per ſe terminare alterationem. Et de ſecũda ſpecie, quæ eſt naturalis potentia, per ſe notum eſt; quia potẽtiæ naturales conſequuntur naturaliter generationem rei, vt grauitas, & leuitas, vel alterationem factam circa primas qualitates, ex quarum mixtione fiunt; & propterea non terminant per ſe alterationem, ideò ſolùm erat probandum de prima ſpecie, quæ eſt habitus, & diſpoſitio; & de quarta, quæ eſt forma, & figura, & hac de cauſa in duas partes diuiditur cap. In prima probat, quod forma, & figura non terminent per ſe alterationem. In ſecunda, quod nec eam per ſe terminent habitus, & diſpoſitiones.

Probat igitur de forma, & figura. Primò, quia ſubiectum, cui imprimitur forma per alterationem prædicatur in recto de qualitate ipſa: dicimus enim, lignum eſt calidum; ſed in artificiatis, in quibus propriè repetitur figura impreſſa per artem materiæ naturali, vt ligno, non prædicatur materia ipſa de forma impreſſa in recto: non enim dicimus ſtatua eſt lignum, ſed denominatiuè tantùm, ſtatua eſt lignea; ergo non fit per ſe per alterationem. Secundò, ea, quæ ſuſcipiunt formam, vel figuram, fieri dicuntur, non alterari: non enim dicimus alterari lignum dum ei imprimitur forma ſtatuæ, ſed idem lignum fieri ſtatuam; ergo non terminant per ſe alterationem.

In ſecunda parte capitis probat de habitibus, qui conſtituunt primam ſpeciem, duplici alio argumento; ſed diſtinguit

primò eos, qui ad corpus pertinent; quales ſunt pulchritudo & ſanitas ab his, qui pertinent ad animam, vt ſunt virtutes, & ſcientiæ. Deinde probat intentum de vtilitate duplici alio argumento. Primò; quia alteratio propriè ſumpta diſponit ſubiectum circa quod fit, ad corruptionem, vt calefactio aquam; ſed tam habitus corporis, quàm animæ perficiunt potius corpus, & animam; quàm ad corruptionem diſponant: nam per pulchritudinem, & ſanitatem maximè perficitur corpus, & per virtutes, & ſcientias anima; ergo non terminant alterationem per ſe. Secùdò, quia ad relationem non terminatur motus per ſe; ergo nec terminabitur per ſe alteratio, à ſuperiori ad inferius negatiuè; ſed habitus omnes in ſua eſſentia includunt reſpectus quoſdam; quia ſanitas & pulchritudo conſiſtunt in commenſuratione humorum, & proportione partium, & virtutes, ac ſcientiæ dicunt reſpectum ad actum, & obiectum; ergo neutri habitus terminant per ſe alterationem; ſed de habitibus animæ, ſiue in appetitu ſenſitiuo ſint, ſiue in intellectu, & voluntate, aſſerit, quòd licèt non fiant per ſe per alterationem, ſed fiunt præcedente alteratione circa corpus, vel circa ſenſus, vt ſuis locis explicatur, & probatur.

QVÆSTIO VNICA.

An alteratio terminetur per ſe ad omnes & ſolas qualitates tertiæ ſpeciei.

ALteratio duobus modis accipitur, primò vniuerſali quadam: atque impropria ratione, pro quacunque impreſſione cuiuslibet formæ accidentalis; quia per illam quadam etiam ratione vniuerſali, & impropria dicitur ſubiectum fieri alterum, & alteratio ſic accepta per ſe terminabitur ad quamcunque qualitatem; immò ad quamcunque formam accidentalem; ſed non ſic ſumitur ab Ariſtotele capite præſenti, nec à nobis in quæſtione hac, ſed ſecundo modo, ac proprio pro ea tantùm, quæ motus propriè, & ſtrictè acceptus eſt. Motus autem, vt in 5. lib. explicatum eſt, ſolùm accipitur propriè pro mutatione per ſe ſucceſſiua; quæ verſatur inter terminos poſitiuè oppoſitos, & latitudinem habentes: non ſimul, ſed ſucceſsiuè percurrendam ex propria natura. De alteratione ergo ſic accepta quærimus., an terminetur ad omnes, & ſolas qualitates tertiæ ſpeciei; & per ſe quidem: nam duobus modis 27

modis contingit motum terminari ad rem aliquam; primò quidem,& per ſe,vel ſecundariò,& per accidens, vt videamus in dealbatione per quam per ſe albeſcit corpus & ex conſequẽti & quaſi per accidens fit ſimile alteri albo;& quæſt. procedit de terminatione per ſe,nam de alia certum eſt poſſe ad omnes ferè qualitates terminari,imò ad relationem.

28 Circa quæſtionem igitur ſic explicatam, non inuenio aliquam diuerſitatem opinandi; ſed ab omnibus interpretibus recipitur ſententia Ariſtotelis, quòd ad ſolas qualitates tertiæ ſpeciei terminetur per ſe alteratio, ſed propterea proponitur; quia Ariſtoteles facilioribus ſolùm coniecturis, quaſi à ſigno deſumptis eam probauit, quare neceſſe eſt fundamentali aliqua ratione veritatem eius oſtendere. Vt autem cõmodiùs id fieri poſſit; notandum eſt inde prouenire, quòd qualitas terminet per ſe alterationem: vnde prouenit, quòd res aliquà per ſe poſſit terminare motum; ideò ex principiis vniuerſalibus in 5. lib. præſuppoſitis; & explicatis oſtenſum eſt; quænam qualitas poſſit per ſe terminare alterationem, & quæ non. Ad vnicam autem conditionem reduximus ibidem omnes requiſitas ad terminandum motum per ſe, nempè ad contrarietatem poſitiuam cum latitudine ſucceſsiuè percurrenda ex propria natura, contrarietatem non pro ſtricta accipientes, ſed pro oppoſitione, aut incompoſſibilitate; quæ cum prædicta latitudine ſufficiet ad terminandum motum per ſe. Ex quo intelligitur contrarietatem hanc, non eſſe accipiendam inter extrema nudè conſiderata; ſed comparata ad ſubiectum; à quo mutuò ſe expellere debent, vel mutuã habere incompoſſibilitatem in eo exiſtendi.

29 Vt autem hanc doctrinam generalem ad qualitates terminantes alterationem applicemus; notandum eſt, duobus modis reperiri in eis hanc contrarietatem latitudinis, per ſe primò, aut per ſe ſecundò. Per ſe primò conuenit illis ſolis qualitatibus, quæ ſe expellunt effectiuè, ab eodem ſubiecto, nam formalis expulſio, formis etiam ſubſtantialibus conuenit, & tales ſunt primæ qualitates, nempe calor, frigiditas, humiditas & ſiccitas,quare his ſolis conuenit per ſe primò terminare alterationem.Secundis verò qualitatibus, quæ ex mixtione primarum reſultant in ſubiecto,vt ſunt colores, ſapores,& odores cum cæteris, ſolùm conuenit contrarietas cum effectiua expulſione per ſe ſecundò, hoc eſt,per quandam participationem virtualem primarum, ex quarum commixtione generantur, hoc tamen ſufficit, vt dicantur per ſe terminare alterationem.

Ex principiis ergo vniuerſalibus ad qualitates, & alterationem applicatis colligitur hoc argum. efficaciter probans, ad ſolas qualitates tertiæ ſpeciei terminari per ſe alterationem. Illæ qualitates ſolùm terminant per ſe alterationem; quæ in ſe, & per ſe habent contrarietatem poſitiuam cum latitudine ſucceſsiuè percurrenda ex propria natura; ſed qualitates omnes aliarum ſpecierum præter tertiam, carent tali contrarietate; ergo non poſſunt per ſe terminare alterationem. Probatur minor, quia naturales potentiæ natæ ſunt ſimul fieri in ſubiecto conſequentes per ſe generationem ſubſtantiæ; ergo carent tali latitudine contrarietatis ſucceſsiuè percurrenda. Habitus etiam corporei, vt ſanitas, & pulchritudo naturaliter conſequuntur commenſurationem humorum, & proportionem partium: vnde in momento, in quo ad commenſurationem perueniunt qualitates; naturaliter ſequitur ſanitas, & ſi non ſtatim perfectè ſequatur, ſed perficiatur poſtea, non ratione ſui contingit: ſed quia non ſtatim ad perfectam commenſurationem reducuntur qualitates primæ, vnde ex propria natura tali latitudine caret. Habitus autem animæ, vt virtutes, & ſcientiæ contrarietatem habent, ſed ſecundum eam non ità reſpiciunt ſubiectum, vt neceſſariò ſe præſupponant in eo; quia ſcientia ſine errore præſuppoſito in intellectu acquiri poteſt, & virtus in voluntate, non præſuppoſito vitio in ea, quare ad effectus acquiſitionis, vel deſitionis, ita ſe habet contrarietas, ac ſi non eſſet; & ideò non ſufficit ad terminandam per ſe alterationem. Forma autem, & figura nullam prorſus contrarietatem habent, defectu cuius conſtat non poſſe terminare alterationem per ſe. Conſtat igitur ſolas qualitates tertiæ ſpeciei terminare per ſe alterationem, an verò omnes eam per ſe terminent, ex eadem conditione requiſita diſcernendum eſt, ſi enim omnes habuerint contrarietatem explicatam terminabũt omnes, ſin minus illæ tantum, in quibus reperietur. Non eſt autem neceſſarium omnes percurrere, nec de ſingulis examinare, an eam habeant, ſed facilè erit cuique id diſcernere ex principiis traditis. Capite præſenti poſſemus diſputare, an in corpore dentur proprij habitus, vel in ſola anima. Deinde, an ſanitas ſit qualitas diſtincta à primis, & alias quæſtiones ſimiles, quas in proprias ſedes referendas cenſemus.

CAP.

CAPVT IV.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Dubitabit autem aliquis, nunquid erit omnis motus omni comparabilis an non, *&c.*

Breuis expoſitiò Textus.

31 INTENTVM huius capitis eſt docere, quonam modo comparabiles ſint motus ſecundum velocitatem, aut tarditatem. Diuiditur in tres partes. In prima proponit Ariſtoteles quæſtionem: an omnes motus ſint comparabiles inter ſeſe, eamque dubiam reddit arguens in fauorem vtriuſque partis. In ſecunda tradit leges in comparatione ſeruandas, & in tertia eas applicat ad comparationem motuum. Quæſtio igitur eſt, an omnis motus ſit comparabilis cum alio quocunque, vel determinatus cum determinato tantùm, & non cum cæteris comparari poſſit. Et pro negatiua parte arguit primò probans non quemlibet motum poſſe cõparari cuilibet alteri: nam ſi omnes poſſent inter ſe comparari, motus localis rectus comparabitur circulari, eique æqualis, vel inæqualis vocabitur, & ex conſequenti linea recta ſupra quam ille fit, comparabitur circulari, eique æqualis, vel inæqualis dicetur, quod patet eſſe falſum. Et quod magis falſum eſt, alteratio comparabitur motui locali; & ex conſequenti comparabuntur termini, nempè, vbi, & qualitas, & dicentur æquales, vel inæquales, quod patet eſſe abſurdum; ergo falſum eſt, quòd omnes motus ſint inter ſe cõparabiles. Pro negatiua etiam parte, quòd comparari poſsint omnes, ſic arguit: Si aliqui non poſſent comparari, maximè motus circularis, & rectus, ſed iſti poſſunt; ergo omnes. Probatur minor; quia non minus ſunt differentiæ motus localis, circularis, & rectus quam ſurſum, & deorſum, ſed iſti ſunt comparabiles, ita vt ſi inæquali tempore fiant, dicantur æquales ſecundum velocitatem, aut tarditatem; & ſi in tempore inæquali, dicentur inæquales; ergo etiam motus rectus, & circularis comparari poterunt: & ſi in eodem tempore fiant, dicentur æquales ſecundum velocitatem, vel tarditatem.

32 In ſecunda parte tradit leges in comparatione quarumcunque rerum ſeruandas, quarum prima eſt: Quod ea quæ comparantur, non ſint æquiuoca, & ratio eſt manifeſta; quia cum in ſolo nomine conueniant, & non in re aliqua, vel conceptu,

nihil eſt in quo poſsit fieri, comparatio eorum, in re, vel conceptu communi neceſſariò facienda. Secunda regula eſt, quod non ſolùm cõueniant in vna natura, vel forma, ſed quòd natura illa, vel forma recipiatur in diuerſis ſubiectis, non ſecundum diuerſam rationem, ſed ſecundum eandem, & ideò idem ſit ſuſceptiuum eius in vtroque. Gratia exempli, equus, & canis comparari poſſunt in albedine; quia licet diuerſa ſit natura vtriuſque, idem tamen eſt ſuſceptiuum albedinis in vtroque, nempè ſuperficies eadem, in qua immediatè ſuſcipitur albedo: aqua verò, & vox non poſſunt comparari in magnitudine, quia diuerſum eſt ſuſceptiuum magnitudinis in vtraque: nam in aqua eſt eius ſubſtantia, & in voce ſonus.

Tertia regula eſt, quòd ea quæ propriè comparari poſſunt, conueniant in eadem ſpecie atoma, vt in albedine, vel nigredine; aut alia ſimili ratione, & ideò dicimus propriè niuem eſſe magis albam, quàm parietem.

In 3. parte cap. applicat has tres regulas traditas ad comparationem motuum ſecundum velocitatem, aut tarditatem, & aſſerit motus, qui ſunt diuerſi generis, vt alteratio, & motus localis comparari non poſſe: quia non propriè loquemur, ſi dicamus, aquam velociùs calefieri, quàm hominem moueri de vno loco in alterum. Sed nec poſſunt comparari motus eiuſdem generis; ſi ſint diuerſæ ſpeciei, vt motus circularis non dicitur propriè velocior recto, imò nec recti comparabiles ſunt, niſi ſint eiuſdem ſpeciei, & ſimiliter alterationes tantùm eiuſdem ſpeciei, vt vna dealbatio cum altera, aut vna cum altera calefactione.

QVÆSTIO VNICA.

An in ſola ſpecie atoma poſsit fieri comparatio.

PRima opinio eſt Valleſij Controuerſia. 43. ad Tyrones, 33
aſſerentis in comparationibus, non eſſe attendendam vnitatem ſpecificam, vel genericam extremorum ſecundum rationes materiales eorum; ſed ſolùm ſecundum rationem formalem, vel naturam, aut formam, in qua comparantur. Rationes autem materiales vocat omnes alias præter illam. Gratia exempli, vt aliqua comparentur in albedine, non eſt conſiderandum, an in aliis rationibus ſubſtantialibus diuerſæ ſint ſpeciei, vel generis, ſed tantùm, an vtrumque efficiatur albedinem: nam ſi ita ſe habeant, comparari poterunt; etiam ſi in aliis rationi

rationi

rationibus ſint diuerſiſſima: hanc autem rationem, vel formam eiuſdem ſpeciei atomæ eſſe debere ait, vt propria fiat comparatio. Et applicando hanc regulam ad motus aſſerit, eos eſſe comparabiles velocitate, & tarditate; in quibus velocitas, aut tarditas ſint eiuſdem ſpeciei atomæ; licèt motus ipſi diſtinguantur ſpecie, ſi verò celeritates ſint diuerſæ ſpeciei comparari propriè non poterunt. Ex quibus infert primò; motus diuerſi generis comparari non poſſe, quia velocitates etiam ſunt diuerſæ ſpeciei, vt lationes cum alterationibus.

34 Secundò infert, omnes motus eiuſdem generis eſſe comparabiles, etiamſi ſint diuerſæ ſpeciei, vt omnes alterationes inter ſeſe, & omnes etiam motus recti, quantumlibet diuerſi, etiam naturales cum violentis, vt motus ſurſum aëris, & motus deorſum terræ, motus deorſum terræ, & motus ſurſum lapidis. De motu autem recto, & circulari ait duobus modis conſiderari poſſe. Primò, vt motus locales ſunt, & ita comparari poſſunt; quia velocitas illis conueniens ſub hac ratione communi eiuſdem rationis eſt; ſed in quantùm rectus, & circularis diuerſam rationem velocitatis habent, quaſi ſpecie diſtinctam; & ideò non ſunt propriè comparabiles. Conuenit itaque hæc ſententia cum Ariſtotele in legibus ſeruandis in comparatione; quia non admittit propriam comparationem in æquiuocis, neque omninò in his, quæ non ſunt eiuſdem ſpeciei atomæ ſecundum formam, vel naturam; in qua comparantur, & ſolùm videtur differre ab eo in applicandis eiſdem legibus ad motum; nam Ariſtoteles aſſerit motus non poſſe propriè comparari, niſi ſint eiuſdem ſpeciei; Valleſius verò comparari poſſe affirmat.

35 Ariſtoteles non admittit comparationem motus recti cum circulari in velocitate; Valleſius comparari poſſe aſſerit ſub ratione communi motus; quamuis non ſub ratione ſpeciali circularis, & recti. Et rationem vtriuſque reddit: quia omnes motus eiuſdem generis habent velocitatem eiuſdem ſpeciei atomæ, & cum comparatio fiat in ea, propria erit. Motus etiam rectus, & circularis ſub communi ratione motus habent velocitatem eiuſdem rationis, ſed vt rectus, & circularis ſunt, diuerſam; ideò illo modo ſunt comparabiles, hoc modo comparari non poſſunt. Aſſerit verò Ariſtotelem ſic eſſe intelligendum, dum ait motus ſpecie diuerſos non poſſe comparari, ſi ſpecie differant in velocitate; in qua comparantur, non ſecundum rationem ſpecificam motus, in qua licèt diuerſi ſint, comparabiles erunt, ſi habuerint velocitatem eiuſdem atomæ ſpeciei.

Pro ſolutione huius quæſtionis notandum eſt, quòd licet diuerſi diuerſos modos comparationum afferant, duo tamen diſtingui debent; vnus, qui fit in eadem ſpecie atoma, & iſte eſt proprius, alter, qui fit in aliis rationibus vniuerſalioribus, vt in ratione analoga; vel generica: nam de æquiuocis manifeſtum eſt non poſſe comparari: quia nihil commune habent præter nomen. Comparatio verò in ratione analoga, vel generica propterea non eſt propria; quia, vt bene annotauit D. Thom. in Commentariis huius capitis, nec analogum, neque genus dicit vnam naturam realem, in qua poſſit fieri comparatio; & de analogo euidens eſt: quia ſolùm dicit quandam rationem proportionalem inter naturas ſimpliciter diuerſas, vel certè plures naturas habentes attributionem ad vnam; vt ens reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. De genere vero ait D. Tho. quòd licet abſtrahatur per intellectum à ſpeciebus, & ideò quandam vnitatem rationis habeat ſufficientem, vt ſit vniuerſale, & prædicabile, dicit tamen naturam diuiſibilem, imò actu diuiſam per differentias eſſentiales, ideò continet ſub ſe naturas diuerſas ſpecie; quare non dicit vnam naturam realem, & indiuiſibilem, vel indiuiſam, ſicut ſpecies atoma, quæ vnam naturam indiuiſam, imò, & indiuiſibilem per differentias eſſentiales importat, & hac de cauſa vocatur atoma, hoc eſt, indiuiſibilis, quia differentiæ indiuiduales non ſũt eſſentiales, ſed extra eſſentiam; & hoc eſt, ſpeciem atomam importare vnam naturam, ratione cuius poteſt eſſe fundamentum propriæ comparationis; analogum verò, aut genus, non vnam, ſed plures, ideò ſolùm comparationes factæ in ſpecie atoma propriæ ſunt, quæ verò in Analogo, vel genere fiunt impropriæ, & quia vel non in vno, vel non in omnimoda vnitate eſſentiali fiunt.

Et ex his intelligitur primò, veras eſſe tres illas leges ab Ariſtotele traditas pro comparationibus faciendis; nempè, quòd non fiat in æquiuoco, ſed in ratione aliqua, vel forma reali, recepta quidem in diuerſis; ſed ſecundum potentiam receptiuam eiuſdem rationis, & tandem, quòd ratio illa, in qua comparatio fit, eiuſdem ſit ſpeciei atomæ: in hac enim tertia regula comprehenduntur duæ aliæ, & ideò concurrente hac, propriè fit ſemper comparatio, & ſi hæc non concurrat, vel non poteſt fieri, vel ſemper fit impropriè. 21

Secundò, intelligitur veram eſſe ſententiam Valleſij in eo, quod has leges admittit, & in hoc ab Ariſtotele non recedit, ſed ſolùm recedere poteſt in modo applicandi eas ad motus comparandos. In quo adhuc verum eſt, quòd aſſerit, in 22

eorum

eorum comparatione, non tam eſſe conſiderandam differentiam eorum ſpecificam, vel genericam, quàm modum velocitatis aut tarditatis; qui ſi eiuſdem rationis fuerit, comparari poterunt, ſi verò diuerſæ rationis, non propriè comparabuntur: nam cum in velocitate fiat comparatio, & non in natura motuum, iuxta tertiam regulam Ariſtotelis requiritur, vt hæc ſit eiuſdem ſpeciei atomæ, & in motibus quidem diuerſi generis, nempè in locali, & alteratione fatetur ſpecie diuerſam eſſe, & ideò non eſſe comparabiles, & etiam in motu circulari, & recto, vt talibus conſideratis: quamuis ſub ratione communi motus localis habeant velocitatem eiuſdem rationis, & ideò ita conſiderati comparari poſſint, ſed in omnibus motibus rectis, & in alterationibus quibuſcunque eiuſdem rationis eſſe velocitatem, & propterea comparari poſſe. Et in his duobus vltimis differre videtur ab Ariſtotele, qui circularem, & rectum ſimpliciter negat comparari poſſe, & vniuerſaliter omnes motus ſpecie diuerſos ſub quolibet genere, quod abſque dubio aſſerit; quia putat velocitates eorum eſſe diuerſæ rationis: nam ſi eiuſdem rationis ſint, comparari poterunt, vt Valleſius contendit, hoc igitur reſtat determinandum.

23 Sed difficile ſatis eſt hanc differentiam velocitatis cognoſcere; quia motus iſti valdè ſimiles ſunt: vt autem quantum fieri poteſt cognoſcatur, valdè notandum eſt, à quonam deſumenda ſit ratio velocitatis & tarditatis, vt ex hoc poſſimus cognoſcere, in quibus ſit eadem, & in quibus diuerſa. Accipitur autem ex virtute motiua, hoc eſt, ex modo ſe habendi virtutis motiuæ ad motum à qua, cum motus ipſe procedat effectiuè, neceſſe eſt velocitatem quoque procedere, ex virtute enim motiua fortiori videmus velociorem motum procedere; ſed ad velocitatem etiam concurrit diuerſa qualitas ſpatij in locali; & diuerſus modus reſiſtentiæ ex parte medij, & in alterationibus diuerſæ diſpoſitiones ſubiecti. Ex quibus ſequitur valdè probabile eſſe, quòd diuerſa ſit ratio velocitatis in alterationibus, & lationibus; quia virtus motiua alteratiua nempè potentia loco motiua, & virtus alteratiua diuerſæ conditionis ſunt, & diuerſo modo ſe habent ad motum. Ex parte adhuc ſpatij ratio etiam diuerſa eſt; nam velocitas motus localis ab

24 eo dependet, alteratio verò non dependet à ſpatio. Ex parte etiam ſubiecti diuerſa eſt diſpoſitio: nam receptio qualitatis in ſubiecto impedimentum contrarij habet, receptio verò, vbi, nullum, & ex hoc fit hos motus non eſſe comparabiles. Et etiam in motu recto, & circulari diuerſa omninò eſt virtus motiua,

motiua, diuerſo modo ſe habens ad motum, diuerſa inclinatio corporis, diuerſum ſpatium, & diuerſus modus illud tranſeundi. Ex quo etiam fit motum rectum, & circularem non eſſe comparabiles vllo modo. Quod concedit Valleſius, ſi ſumantur ſecundum proprias rationes circularis, & recti: ſed addit poſſe comparari, ſub ratione communi motus localis. Hoc verò non ſolùm eſt contra Ariſtotelem; ſed etiam contra rationem; quia ratio communis generica eſt; ergo ex ea non niſi ratio generica velocitatis prouenire poteſt: ſed in ratione generica non poteſt fieri comparatio, vt Valleſius ipſe concedit; ergo nec motus iſti ſub ratione generica comparabiles ſunt. Probatur ſecundò; quia genus non habet ex ſe maiorem, vel minorem perfectionem in ſpeciebus: ſed ſolùm ratione differentiarum; ergo ſpecies non poſſunt ratione illius maiorem, vel minorem perfectionem habere, nec omninò comparari. Et 25
tertiò, quia ea, quæ comparantur diſtincta eſſe debent ſub aliqua ratione communi; ſed motus rectus, & circularis ex ſola ratione generica motus nullo modo diſtinguuntur, niſi conſiderentur rationes particulares; ſicut nec diſtinguuntur ſpecies ex ſola ratione generica conſideratæ; ergo falſum eſt, quòd ſub hac ratione communi, non conſideratis particularibus comparari poſſint. In motibus autem rectis, & in quibuſcunque alterationibus eadem videtur eſſe ratio velocitatis, & ideò ſecundum velocitatem conſiderati videntur eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ, & comparari poſſe; quamuis ex differentiis eſſentialibus ſpecie diuerſi ſint; hæc enim differentia materialis reputanda eſt; ſicut differentia ſpecifica materialis cenſetur reſpectu conuenientiæ accidentalis in albedine, & ideò comparari in hac poſſunt ſpecies. Probatur hoc, quia differentia 26
ſpecifica motuum prouenit ex ſolo termino ad quem, vt ſuperius probauimus, velocitas verò ab aliis longè diuerſis ſumitur, vt vidimus, nempè à virtute motiua, à conditionibus ſpatij, & ſubiecti; ergo licèt motus ſint ſpecie diuerſi propter diuerſos terminos, poſſunt habere velocitatem eiuſdem rationis: quia cauſæ eius eodem modo ſe habent ad motum, licèt etiam diuerſæ ſpeciei ſint, quantùm ad proprias entitates, & ideò comparari poterunt motus diuerſarum ſpecierum, ſi eiuſdem conditionis ſint quantum ad velocitatem. Probatur etiam multis experientiis: quia abſurdum videtur negare quòd motus ſurſum, & deorſùm lapidis non ſint comparabiles in velocitate, motus etiam ignis, & terræ ad ſua loca naturalia, atque etiam infrigidationem cum calefactione; cum tamen ſpecie diuerſi ſint; ſed velocitates eiuſdem conditionis, quia eodem

dem modo ſe habent ad motum. Et quantum ad hanc partem, vera eſt ſententia Valleſij; ſed non contraria doctrinæ Ariſtotelis, qui dum aſſerit motus diuerſæ ſpeciei non eſſe comparabiles, non intelligit ſecundum rationem materialem, ſed ſecundum rationem velocitatis diuerſos eſſe debere, vt non comparentur, quod veriſſimum eſt, & conſentaneum regulis à ſe traditis, & explicationi earum à ſe etiam additæ.

CAPVT V.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem id, quod mouet, mouet ſemper, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

27 EXPLICATO iam modo communi, quo comparabiles ſunt motus iuxta vniuerſales regulas in comparatione ſeruandas, intendit Ariſtoteles capite præſenti explicare modos particulares, quibus comparari debent. Diuiditur autem caput in duas partes, in prima explicat quatuor modos, quibus verè poſſunt comparari motus locales, & excludit duos alios falſos. In ſecunda explicat vnicum modum verum comparandi alterationes & augmentationes, & excludit alium falſum.

Vt omnes explicet præſupponit, quatuor concurrere ad quemlibet motum, nempè, *quod mouet, quod mouetur, tempus, & ſpatium, ſeu latitudinem formæ acquirendæ*: quæ in alterationibus, & augmentationibus ſimilitudinem ſpatij habet. Hoc ſuppoſito prima comparatio motus localis eſt: Si aliquod mouens moueat certum pondus per tantum ſpatium, & in tanto tempore, idem mouens, aut aliud eiuſdem virtutis poterit mouere pondus dimidium in eodem tempore, per duplo maius ſpatium, & motu duplo velociori, & ex conſequenti per idem met ſpatium, & motu æquè velociori. Secunda comparatio: Si aliqua virtus motiua mouet tantùm pondus, per tantum ſpatium, & in tanto tempore, poterit etiam illud idem pondus mouere in dimidio tempore, per dimidium ſpatium, & motu æqualis velocitatis cum primo. Tertia comparatio, ſi aliqua virtus moueat tantum pondus, per tantum ſpatium in tanto tempore, dimidium eiuſdem virtutis poterit mouere dimidium eiuſdem ponderis

per

per idem ſpatium eodem, vel æquali tempore, & motu dimi-
diatæ velocitatis. Quod probat; quia eadem eſt proportio di- 28
midiæ virtutis ad dimidium pondus; ac totius virtutis ad to-
tum; ergo cæteris paribus ex parte aliorum ad motum concur-
rentium poterit etiam dimidiatum producere effectum. Quar-
ta comparatio: Si duæ virtutes ſic ſe habeant, vt quælibet per
ſe poſſit portare tantum pondus in tanto tempore, & per tan-
tum ſpatium: ambæ virtutes ſimul coniunctæ poterunt moue-
re vtrumque pondus eodem tempore: per idem ſpatium, &
motu æquè veloci. Probatur ex principio illo vulgari: *Eadem
proportio, quæ eſt vnius ad vnum, eſt duorum ad duo.* Excludit
deinde duas comparationes falſas circa eoſdem motus locales.
Primam, qua quis ita compararet motus locales, vt ſi virtus
aliqua tanto tempore moueat pondus vt duo, poterit moue-
re pondus, vt quatuor eodem, vel æquali tempore per dimi-
dium ſpatij. Falſum namque hoc eſt, quia fieri poteſt, vt dupli-
catum pondus omninò excedat virtutem motiuam, & ideò
nullo modo poſſit illud mouere. Secunda comparatio falſa eſ-
ſet, ſi aliquis ita eam faceret, ſi dimidium alicuius virtutis certo
tempore moueat dimidium alicuius ponderis toti eidem virtu-
ti adæquati, poterit quoque eadem dimidiata virtus mouere
idemmet pondus totale, & adæquatum integræ virtutis, per di-
midium tempus; vel ſaltem per aliquod. Hoc enim falſum eſt;
quia fieri poteſt, vt totum pondus non habeat proportionem
cum dimidiata virtute, ſed ſolùm cum totali, & ideò non poſſit
vllo modo à dimidiata moueri.

In ſecunda parte capitis tradit vnicam comparationem pro
alterationibus, & augmentationibus, quæ talis eſt: Si virtus
aliqua tempore aliquo determinato tantùm alteret, vel augeat,
alterare vel augeri poterit duplo maius in duplo maiori tem-
pore, atque etiam in dimidio temporis poterit alterare, vel au-
gere dimidium. Deinde tradit aliam comparationem falſam,
qua quis vti poſſet hoc modo: Si virtus aliqua ſpatio vnius
horæ tantùm alteret, vel augeat, dimidium eiuſdem virtutis
poterit eodem tempore alterare, vel augere dimidium eius:
quod à tota virtute alterabatur; vel augebatur. Falſam verò
eſſe aſſerit; quia fieri poteſt, vt reſiſtentia totius paſſi, & ſingu-
larum partium eius adæquata ſit toti virtuti agentis, ita vt à
minori non poſſit vllo modo ſuperari, & tunc dimidiata virtus
nihil poterit circa dimidiatum paſſum operari. Et hæc de toto
libro ſeptimo.

IN OCTAVVM LIBRVM ARIST. DE PHYSICO AVDITV, SEV AVSCVLTATIONE.

BREVE PROOEMIVM.

1 SI dignitas rerũ, de quibus in hoc vltimo libro agit Ariſtoteles, conſideretur, in primo loco fuiſſet collocandus: ſunt enim primus motor, primum mobile,& primus motus:ſed Ariſtoteles ordinem, quem natura ſeruat in ſuis operationibus imitatus ab imperfectioribus procedit in toto hoc opere,principia motus,cauſas eius particulares, definitionem, tempus & locum in quibus fieri debet, initium, & finem, motus atque diuiſibilitatem eiuſdem motus & mobilis priùs tradens, vt his cognitis faciliùs poſſit intellectus perfectiora ad eundem motum ſpectantia intelligere, nempè motorem primum mobile,& motum primum:hæc enim explicare primum fuit in intentione Ariſtotelis, & ideò oportuit eſſe in executione poſtremum. Diuiditur ergo liber iſte octauus in tres partes.In prima oſtenſo priùs vniuerſali illo principio, *quidquid mouetur,ab alio mouetur*, ex eo deducit totam ſeriem mouentium,mobilium ac motuum,in vnum primum mouens, in vnum primum motum, atque in vnum primum mobile (quæ principio durationis careant.) In ſecunda hunc motum primum,atque perpetuum non poſſe eſſe rectum, ſed circularem docet & probat.Et in tertia, primum mouens vnum eſſe, immobile,impartibile,magnitudine.& materia carens oſtendit.

CAPVT I.

TEXT. ARISTOTELIS.

Vtrum autem factus eſt aliquando motus cum non eſſet prius, &c.

Breuis expoſitio Text.

INtentvm Ariſto. in hoc primo capite eſt hanc quæſtionem diſputare de motu, an principio, & fine careat, ita vt nec inceperit, nec finem ſit habiturus. Diuiditur autem in duas partes. In prima propoſita quæſtione adducit diuerſas opiniones Philoſophorum. In ſecũda præſuppoſitis duobus fundamentis, reſpondet quæſtioni propoſitæ ex propria ſententia, eamque duobus, vel tribus argumentis probat. 2

Quæſtio diſputanda eſt, an motus habuerit principium, & habiturus ſit finem vel non: quæ intelligitur non de aliquo motu particulari, ſed de motu in communi, vt omnes ferè expoſitores docent; ita vt ſenſus ſit, an motus inceperit, ita vt ab æterno nullus motus fuerit, ſed in tempore habuerit initium, & etiam aliquando nullus motus futurus ſit. Circa quam quæſtionem ait primam opinionem fuiſſe Democriti, & ſectatorum eius aſſerentium in Chao quodam infinito præceſſiſſe ab æterno, infinita quædam corpora indiuiſibilia, quæ atomos vocabant, & ex eorum cõgregatione infinitos mundos ab æterno eſſe factos, totidémque corruptos per ſeparationem eorum; & cum congregatio, & ſeparatio fiant per motum eorundem atomorum, ab æterno fuiſſe motum; & ſine principio, neque vnquam habiturum finem. Secunda opinio aliorum fuit, qui *per infinitum tempus res omnes quieuiſſe dixerunt, quaſi in vnum congregatas; in tempore verò excitatas, aut ſeparatas fuiſſe à mente quadam, & per hanc ſeparationem genitum fuiſſe mundum, & ita mundum cum motu in tempore cœpiſſe, ita vt prius non fuerit:* ita Anaxagoras, & Empedocles.

In ſecunda parte capitis ſoluit quæſtionem, ſed pro ſolutione eius præſupponit quòd motus ſit, *actus mobilis prout mobile eſt*, vt dictum eſt in 3. lib. ex quo colligit, priùs ſaltem natura fuiſſe motiuum, & mobile, quàm motum: cum motus ab illo procedat tanquam à principio, & in hoc recipiatur tanquam in ſubiecto: quo præſuppoſito propriam ſententiam explicat hac concluſione: *Non datur aliquis motus, quem alius non præceſſerit, ſed ſemper fuit aliquis motus, & aliquis etiã futurus motus ſemper erit.* 3

erit. Probat primum hoc argumento; Si detur aliquis motus primus,ante quem non fuerit alter, vel motiuum, à quo procedit,& mobile, in quo recipitur, aliquando inceperunt, vel fuerunt ab æterno,ſi incœpiſſe dixeris; ergo per aliquem motum facti ſunt,quare iam non fuit primus ille, qui ab eis proceſſit,vt ſupponebatur; ſed ante illum præceſſit alter, & ſic in infinitum.Si verò motiuum,& mobile fuerunt ab æterno, ſequitur per infinitum tempus quieuiſſe: & cum moueri apta fuerint; non poterunt quieſcere, niſi propter aliquod impedimentum,quod neceſſariò fuit auferendum,vt primò mouerentur, ſed non potuit auferri, niſi per motum ergo motus, per quem ablatum eſt,præceſſit illum:qui ab eis proceſſit, & dicebatur eſſe primus.& ex conſequenti non fuit primus, nec dari poteſt aliquis primus, quem non præceſſerit alter, quod eſt motum non habere principium. Sed quòd nec finem habeat, quod eſt ſecunda pars concluſionis,ſic probat:Si detur vltimus motus, poſt quem non ſit alius, eo deſinente non eſt neceſſarium deſinere motiuum, & mobile; ergo permanere poſſunt, ſed habent naturalem inclinationem ad motum; ergo alium motum efficient poſteriorem eo,qui vocabatur vltimus, quare iam non dabitur vltimus. Si verò dicas ceſſante vltimo motu corrumpi motiuum & mobile,à quibus proceſſit, ſequitur per motum fuiſſe corrupta, poſteriorem quidem eo, qui vltimus vocabatur,& ideò iam non fuit vltimus, nec dabitur vltimus, nec finem habebit motus.

CAPVT II.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Si igitur hæc impoſſibilia ſunt,manifeſtum eſt, quod eſt perpetuus motus, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

4 INTENTVM huius capitis eſt magis confirmare ſententiam propoſitam, & probatam capite præcedenti,de æternitate motus.Diuiditur autem in duas partes. In prima docet vanam eſſe opinionem Anaxagoræ atque Empedoclis ponentium res omnes per infinitum tempus quieuiſſe; in tempore verò moueri cœpiſſe, & per aliud finitum tempus à motu non quieuiſſe. In ſecunda tria argumenta proponit in fauorem eorum contra propriam ſententiam,& ea ſoluit.

Aſſerit igitur vanas eſſe,& figmento ſimiles opiniones

Anaxagoræ,& Empedoclis; quia nullo fundamento rationis nitebantur, ſed ita dicebant factum eſſe; quia natura rerum ita fieri poſtulabat,cuius tamen aliqua fuit reddenda ratio:quia Philoſophus nihil præter principia conſtituere debet cuius aliquam rationem non reddat;alioqui vana,& quaſi à ſe ficta aſſerere probabitur.In ipſis enim rebus naturalibus dicimus viuentia,tempore aliquo augeri, & tempore alio non moueri motu augmenti,cuius rationem reddimus: quia potentia vitalis determinata eſt,ita vt tantùm augere poſſit,& non plus,ſed nulla eſt ratio ob quam res per infinitum tempus, quieuerint, & in tempore cœperint moueri:quia infiniti temporis in quiete conſumpti ad finitum tempus,in quo mouetur, nulla eſt proportio; ergo nulla poteſt ratio aſſignari pro tali opinione.

Proponit deinde in ſecunda parte capitis tria arg.pro eadem opinione,& ea ſoluit.Primum arg.eſt,quia motus verſatur inter terminos cõtrarios, à quo & ad quem:ergo tota eius extenſio clauditur intra eoſdem terminos: quare ante primum eſſe non poteſt, nec poſt vltimum, & ita non erit æternus.Secundò experientia conſtat lapidem moueri deorſum, poſtquam quieuit in loco ſuo ſuo;ſed quod contingit in motibus particularibus potuit contingere in toto mundo; ergo poſſibile fuit res omnes quieuiſſe per infinitum tempus,& in tempore cœpiſſe moueri, vt aſſerebant Empedocles & Anaxagoras. Tertium quod contingit in mundo paruo, qui eſt homo, poteſt contingere in mundo magno: ſed conſtat moueri hominem, cum priùs quieuerit; ergo in mundo magno potuit quies præcedere motum per tempus infinitum. Ad primum arg. reſpondet nullum motum, qui inter contraria verſatur poſſe eſſe perpetuum, & tales ſunt omnes motus recti, quibus repugnat perpetuitas, vt inferiùs probabitur: ſed reſtat motus circularis, qui non verſatur inter contrarios terminos; ſed ab eodem in idem punctum procedit,& iſte poteſt eſſe perpetuus.Ad ſecundum reſpondet in viuentia ab aliquo extrinſeco moueri,& ideò dum ab eo non mouentur, quieſcunt, & poſt quietem moueri iterum poſſunt, ſed primum motum eorum præcedit ſemper alius in eodem principio extrinſeco, à quo mouentur; & ideò motus eorum nunquam eſt primus.Ad tertium reſpondet, nec viuentia moueri, niſi præcedente alio motu extrinſeco, quo voluntas vel appetitus excitantur, vt ad ſumptionem cibi pro augmento ſumendum mouetur obiectiuè appetitus eorum; quare motum eorum ſemper præcedit alius, & ſic infinitum quod eſt non dari primum motum.

TRA

TRACTATVS DE PRINCIPIO DVRATIONIS RERVM.

QVÆSTIO I.

An fuerit conſentaneum naturis rerum, quòd principium durationis habuerint.

6 DE æternitate primi motoris, primi mobilis, & primi motus ait Ariſtoteles tribus ſuæ doctrinę locis, nempè pri no libro de Cœlo, & mundo, cap. 10. 12. lib. Metaph cap. 6. & in hoc 8. libro his præſertim duobus capitibus iam expoſitis. Et quia interpretes eius hoc loco diſputationem de eadem re inſtituunt, non eſt à nobis remittenda in alium locum; ſed ſpecialis tractatus inſtituendus, in quo quatuor erunt diſputanda. Primum, an conſonum fuerit naturis rerum in tempore fieri, & non ab æterno. Secundum, an poſſibile fuerit aliquam creaturam ab æterno fieri à Deo. Tertium, an ſucceſſiua, vt tempus, & motus potuerint ab æterno fieri. Quartum, an rerum generationes, & corruptiones, quę nunc fiunt, poſſent ab æterno etiam fieri.

Et circa primum de principio durationis rerum, diuerſæ fuerunt antiquorum Philoſophorum opiniones. Prima omnium ferè, qui Ariſtotelem præceſſerunt, vt teſtatur ipſe 12. lib. Meta. cap. 6. aſſerentium mundum ſic ordinatum, ac modò eſt, non fuiſſe ab æterno, ſed habuiſſe principium durationis, & in tempore incepiſſe, & quamuis de Platone videatur ipſe ſentire primo lib. de Cœlo, c. 10. quod mundum poſuerit ab æterno, certum tamen eſt tenuiſſe, quod in tempore inceperit, vt conſtat ex Timeo, & Critia. Quod autem motum poſuerit ab æterno idem Plato, ex alia cauſa proceſſit, vt annotauit D. Thomas 12. lib. Metaph. lect. 6. nempè ex eo, quòd elementa æterna eſſe exiſtimauit, & ante conſtitutionem mundi quibuſdam inordinatis motibus moueri; ſed ad ordinem fuiſſe reducta à primo principio in conſtitutione mundi.

7 Secunda opinio eſt eiuſdem Ariſtotelis qui tribus locis citatis tenuit, mundum hunc ſic ordinatum, vt eſt modò, non habuiſſe principium durationis, ſed ab æterno fuiſſe: quam ſecuti ſunt poſt Ariſtotelem antiquiores eius interpretes Proclus, Simplicius, Auicenna, & Auerroës hoc loco; an verò putauerit Ariſtoteles ſe id demonſtraſſe, vel probabilibus tantùm

argumentis probaſſe, nihil refert. Rationes autem Ariſtotelis, quibus id probauit cap. 1. iſtæ ſunt. Prima, ſi daretur primus motus quem non præceſſit alter, certum eſt motiuum, à quo proceſſit tāquam à principio, & mobile, in quo tanquam in ſubiecto receptus eſt; priora fuiſſe eo, tunc ergo, vel motiuum, & mobile fuerunt æterna, vel habuerunt principium durationis, ſi inceperunt, ergo per motum priorem alio; qui dicebatur primus; quare iam non dabitur primus. Si verò fuerunt æterna, cum habuerint naturalem inclinationem ad motum, ſequitur ab æterno feciſſe motum, niſi impedita fuerint, quare, vel talis motus fuit ab æterno, vel ſaltem præceſſit eum, quem dicebas fuiſſe primum, & ita iam non fuit primus. Probatur conſequentia: quia ſi fecerunt motum ab æterno, iam motus non habuit principium durationis. & ſi impedita fuerūt, tale impedimentum debuit per motum auferri, & ſic motum habuerunt priorem illo, qui ponebatur primus. Et ſi dicatur, 8
motiuum, & mobile, non fuiſſe agentia naturalia, ſed libera, & ideò potuiſſe ab æterno non efficere motum, etiam ſi impedita non fuerint, nec fuiſſe poſtea neceſſarium per motum auferri impedimentum, ſed pro ſua libertate in tempore feciſſe motum, & primum motum, quem non præceſsit alter. Reſpondet Ariſtotel. quòd etiam agentia libera non mouentur; quin ab alio extrinſeco excitentur ad motum tanquam ab obiecto, vel quouis alio modo; excitatio verò non fit, niſi per motum præcedentem, qui prior erit eodem motu; qui ponebatur primus, & ideò dabitur motus prior priori in infinitum, & ſine principio. Secunda ratio, ſi motus habuit principium durationis; ergo verum eſt incepiſſe: cum prius non fuerit, quare primum motum præceſſiſſet hoc, quod eſt, prius, ſed prius non datur, niſi in tempore; ergo ante primum motum datur tempus, & tempus non eſt ſine motu; ergo datur etiam motus ante primum motum, & ſic in infinitum: quod eſt motum non habere principium durationis. Tertia ratio ſumitur ex inſtanti, cuius propria ratio eſt eſſe finem præteriti, & initium futuri; accepto ergo quocunque inſtanti temporis, verum eſt ante illud fuiſſe tempus, cuius finis eſt; ergo repugnat tempus incipere, ſed neceſſe eſt fuiſſe ab æterno.

Vera ſententia in hac re eſt, quam tenet fides Catholica: *nullam creaturam ſpiritualem, vel corpoream fuiſſe ab æterno, & ideò nec motum, nec tempus, ſed omnia fuiſſe à Deo facta in principio temporis.* Habetur hæc veritas expreſsè in Scriptura ſacra, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Quæ verba licèt alios ſenſus habere poſſint; ſed quem 9

de prin

de principio durationis intendimus excludi non poteſt: cum non ſolùm in eiſdem verbis contineatur, ſed in contextu totius capitis. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* Ioannis 17: *Clarifica me pater claritate, quam habui, priuſquam mundus fieret apud te.* Ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ex quibus definita eſt ab Eccleſia in Concilio Lateranenſi, & habetur definitio cap. firmiter, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica his verbis: *Creator omnium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corpoream.*

10 An verò ſola Fide teneatur hæc veritas, vel demonſtrari poſsit, hac diſtinctione præſuppoſita, duabus cõcluſionibus reſpondendum eſt. Nouitas, vel inceptio mundi dupliciter ſumi poteſt, ſecundum potentiam, vel ſecundum actum, & priori modo accepta hic erit ſenſus dubij, an demonſtrabile ſit, quòd mundus potuit incipere in tempore, vel neceſſarium ſit, quòd fuerit ab æterno: ſi verò nouitas, vel inceptio mũdi accipiatur modo poſteriori, ſenſus erit, an mundum incepiſſe poſsit demonſtrari, vel ſola fide teneatur. Hoc ſuppoſito, prima concluſio eſt, quòd mundus potuerit incipere, demõſtrari poteſt. Hæc eſt contra Ariſtotel. qui non ſolùm ſenſit mundum fuiſſe æternum, ſed quòd non potuerit incipere; ego verò aſſero demõſtrari poſſe, quod potuerit incipere. Demonſtratio autem ex tribus principiis in ſe euidentibus, & magna ex parte in doctrina Ariſtotelis colligenda eſt. Primum principium eſt, Deum eſſe vnum, & æternum, à quo omnes creaturæ participant totum eſſe, quod habent. Secundum. Deum, quem primum principium, vel primam cauſam vocat Ariſt. incorporeũ eſſe, & agens intellectuale per intellectum & voluntatem: & hæc duo principia habentur apud Ariſtot. 12. lib. Meta. à text.
11 29. vſque ad 42. & in diſcurſu huius 8. lib. vt videbimus. Tertium principium etiam eſt euidens, quòd Deus cõmunicet ſuũ eſſe creaturis per amorem, non qui ſit actus neceſſarius, vel naturalis, ſed liber: quia euidens eſt creaturas habere bonitatem finitam, & limitatam, quæ ideò non eſt adæquata infinitæ capacitati diuinæ voluntatis: vnde ſequitur non naturaliter, vel neceſſariò eas diligere, ſed liberè, & ideò libere eis cõmunicare ſuum eſſe, ita vt quando, & quomodo ei placuerit, eas poſsit creare, vel non creare, hoc eſt in quocunque tempore, ita vt ſicut hoc tempore determinato eas produxit, potuerit priùs, vel poſteriùs eas producere. Ex quibus ſequitur euidenter non fuiſſe neceſſarium mundum ab æterno

efficere; ſed liberè potuiſſe eum producere in tempore, & in quolibet tempore, priori, vel poſteriori.

Secunda concluſio, quòd mundus in principio temporis fuerit creatus à Deo, non eſt demonſtrabile, ſed ſola fide tenetur. 12
Ita D. Thom. 1. part. quæſt. 46. articulo 2. & omnes eius Interpretes. Probatur hac ratione, non eſt certum repugnare, quòd creatura permanens poſsit fieri ab æterno per potentiam Dei abſolutam; ſed valde probabile, quòd fieri poſſit: cùm id teneat maior, & melior pars Theologorum, vt quæſtione ſequenti videbimus. Imò probabile eſt etiam, quòd mundum hunc, quem Deus produxit in tempore, potuerit producere ab æterno cum motu, & tempore, vt multi tenent; ergo non poterit demonſtrari, quòd eum in tempore produxerit, quia nullum principium euidens dari poteſt ex natura ipſarum rerum; ſed ſola voluntas diuina liberè agens euidens cauſa eſt productionis eius; quod verò in tempore ſe determinauerit ad productionem mundi, & non ab æterno, ſolo teſtimonio vel reuelatione diuina certò conſtare poteſt, itaque à Deo fuiſſe productum euidens eſt; ſed quòd in tempore, & non ab æterno certum ex reuelatione, non ex demonſtratione.

Ex his intelligitur, quam conſonum fuerit naturis rerum, 13
quòd habuerint principium durationis; & prima ratio huius congruentiæ ſumitur ex D. Thoma 2. lib. contra Gen. cap. 38. quia ex noua, ac temporanea productione mundi innoteſcit nobis Deum non agere naturaliter, aut ex neceſsitate naturæ, ſicut calefacit ignis; ſed liberè; nam ſi neceſſariò operaretur: cum ſit æternus, neceſsarium foret mundum ab æterno produxiſſe; quare ſi eum produxit in tempore, non neceſſariò, ſed liberè eum produxit. Secundò, quia conſonum eſt fini, in quem mundus fuit à Deo conditus, nempè vt per ipſum tanquam per effectum deuenirent homines in notitiam conditoris; nam ſi intelligatur mundum aliquando incœpiſſe, ita vt priùs non fuerit: cum æternum ſit eius principium, faciliùs colligi poterit, quòd ab eo acceperit eſſe, quam ſi numquam incœpiſſet, imò ſi æqualem habuiſſet cum eo durationem, facilè poſſet quis exiſtimare non eſſe ab eo factum. Tertio, quia experientia conſtat has omnes creaturas, ex quibus conſtat mundus variis motibus, ac mutationibus eſſe ſubditas ex propria natura; ſi verò ab æterno fierent, valde probabile eſt, quòd per infinitum tempus deberent ceſſare ab omni mutatione, & quæ ſua natura [illegible] certò conſumperentur per illud idem infinitum tempus deberent à corruptione præſeruari; ergo non fuiſſet conſonum naturæ earum, quod ab æterno producerentur, & valde

& valde conſonum fuit, quod producerentur in principio temporis, vt productæ ſunt.

14 Argumenta autem Ariſt. friuola ſunt, & ideò facilè ſolui poſſunt: nam ad primum conceſſo primo motu Cœlorum, cōcedenda eſt etiam illa pars antecedentis, quòd motiuum, & mobile, à quibus proceſsit talis motus, in tempore cœperunt: ſed negandum, quòd ex eo inferi incepiſſe per motum, non enim facta ſunt, niſi per creationem, quam certum eſt per rationem naturalem eſſe cognoſcibilem: quia euidens eſt potentiā infinitam Dei non indigere materia præſuppoſita ad quamlibet rem efficiendam, ſed per ſuam virtutem poſſe materiam ipſam ex nihilo producere. An verò Ariſtot. eam cognouerit, non eſt certum, mihi verò certum eſt non cognouiſſe eam diſtinctè; ſed ad ſummum confuſa quadam ratione; qua fortè putauit animam rationalem factam fuiſſe, & non per eductionem de potentia materiæ, quod ex modo eſſendi, & operādi eius conſecutus fortè fuit; ſed per quam actionem fuerit producta, non videtur diſtinctè aſſecutus.

15 Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quòd ſit motus habuit principium durationis, verum ſit incepiſſe: cum prius non fuerit, non enim incepit per primum ſui eſſe, ſed per vltimum ſui non eſſe, & non fuit verum, quod prius non fuerit, ſed quod tunc non fuerit, ſed immediatè pòſt fuerit futurus, illud autem tunc præcedens motum & tempus, non fuit verum, ſed imaginarium. Et eodem modo dicendum eſſet, ſi daremus, ſic cœpiſſe motum, vt prius non fuerit, quòd illud prius duobus modis poteſt intelligi, de priori verò, reali, ac poſitiuo, vel de negatiuo, & imaginario, & de primo negandum eſt, quod verū fuerit priùs non fuiſſe motum: quia ad inceptionem eius non requiritur veram durationem præcedere, ſed impertinens eſt, ſolùm ergo potuit eſſe verum de priori negatiuo, & imaginario, quia cum tempus verum inceperit cum eodem primo motu cœlorum, non potuit inceptionem eius præcedere verum tempus, vt contendit argumentum, nec fuit neceſsarium.

16 Ad tertium concedenda ſunt omnia, quæ de inſtanti aſſumit: quia omne inſtans temporis copulatiuum eſt, niſi forte deſinente tempore daretur vltimum inſtans terminatiuum eius: ſicut datur vltimum indiuiſibile motus, itaque concedimus cuilibet inſtanti præcedere tempus, ſed negamus ex eo ſequi, quod tempus non poſſit incipere: quia tempus cum ſit ſucceſſiuum non dicitur eſſe in inſtanti, ideo nec in inſtanti incipere poteſt, ita vt verum ſit de eo dicere, nūc primo eſt tempus, & immediatè prius non fuit, ſed incipit ſicut motus per vltimū

oratione 2. contra Arrianos, Hugo Victorius lib. de Sacram. cap. 10. Quibus locis hoc argumento vtuntur contra Arrium impiè aſſerentem, quòd verbum diuinum ſit creatura. Si creatura eſſet, in tempore cœpiſſet: cum creatura non poſſit eſſe coæterna ſuo creatori, ſed diuinum Verbum eſt coæternum patri, vt habetur expreſsè in Sacris literis; ergo eſt Deus æqualis Patri, & non creatura. Hoc autem argumentum nullius momenti eſſet, ſi creatura poſſet eſſe coæterna ſuo creatori; ergo ſentiunt Sancti Patres repugnare, quòd fiat ab æterno, & intrinſecum ei eſſe, quòd ſit limitata ſecundum durationem.

18 Probatur deinde ratione, primò ex modo operandi libero Dei: nam ſi creatura poſſet fieri ab æterno, non crearetur liberè à Deo; ſed repugnat Deum non operari liberè circa creaturas; ergo etiam repugnat aliquam ab æterno facere. Probatur minor, nam ſi liberè crearet, & ab æterno, vel potuit non creare, dum creauit, vel poſtquam creauit, vel priuſquam creauerit: non poſtquam creauit; quia repugnat rem non eſſe factam, poſtquam facta eſt: cum ad præteritum non detur potentia; neque in ipſo puncto creationis potuit non creare: quia omnis res quando eſt, neceſſariò eſt, vt docet Ariſtot. 1. lib. de Interpreta. cap. vltimo; ſolùm ergo reſtat, quod potuerit non creare prius, quàm creauerit, ſed in æternis non datur prius; ergo repugnat Deum ab æterno creare, & creare liberè. Cui additur, quòd etiamſi liberè crearet, non eſſet liber ad annihilandũ creaturam, quàm ab æterno crearet: nã ſi annihilatio poſſet eſſe ab æterno, euidenter ſequeretur creaturam ab æterno eſſe ex creatione; & etiam ab æterno non eſſe ex annihilatione; ſi ergo crearet Deus aliquam creaturam ab æterno non poſſet ab æterno eam annihilare; quare ex hac parte tollitur Diuina libertas, atque etiam dependentia creaturæ à Deo.

Secundò, ex natura creationis, quia repugnat rem ſimul eſſe, & non eſſe, ſed hoc ſequeretur, ſi creatura fieret ab æterno; ergo non potuit fieri. Probatur minor, quia creatio verſatur inter eſſe, & non eſſe, tanquam inter duos terminos contradictoriè oppoſitos; ergo vel ſimul ſunt iſti termini ab æterno, vel prius erit non eſſe creaturæ, quam eſſe eius, ſi ſint ſimul, ſequitur eandem rem ſimul eſſe, & non eſse; ſi verò non eſse ſit prius, ſequitur, quod eſſe non ſit ab æterno: quia æterno non datur prius; ergo repugnat fieri creaturam ab æterno.
19 Probatur tandem quia ſi creatura fieret ab æterno, non poſset operari ab æterno, vel ſi operaretur, per infinitum tempus, deberet perſeuerare in eadem operatione: quia ſi ſolùm

per

per tempus finitum in ea duraret, non habuiſſe eam ab æterno; ſed ex tempore, hæc autem repugnant; ergo etiam repugnat creaturam eſſe æternam.

Secunda opinio aſſerit, non implicare contradictionem, quod creatura fiat ab æterno. Ita D. Tho. 1.p.quæſt.46.artic. 2.& ibidem Caieta.& 2.contra Gent.cap.38.& ibidem Ferrar. Ocham. Gabr. Gregor. Herue. Argent. Hiſpal. Capreol. & Durand.in 2.diſtin.1. Sotus libro octauo, Phyſic.quæſt.3. Peterius libr.15.cap.13.Conimbr.8.lib.Phyſ.cap.2.quæſtione 6. & Moderni ferè omnes, quare iam ferè communis eſt in ſchola, & à nobis tenenda.

20 Probatur primò, quia ſi creaturæ eſſent ab æterno, non repugnaret, quod ab æterno vna procederet ab alia; ergo proceſſio vnius ab alio, nec petit minorem durationem procedentis, nec repugnat eſſe ab æterno. Antecedens fatetur D. Auguſtinus, & probat 6.lib. de Trinitate cap.1.dicens, ſi ab æterno fieret Sol, ab æterno quoque illuminaret, luménque ab eo procederet ab æterno; ſed probatur etiam ex æterna proceſsione diuini Verbi à Patre, & Spiritus ſancti à Patre, & Filio: quæ ſaluatur cùm æternitate perſonæ procedentis, & ideò cum æquali & ſimultanea duratione procedentis, & eius à quo procedit; ergo poterit ab æterno procedere creatura a Deo. Et ſi dicas proceſsiones Diuinarum perſonarum eſſe naturales & neceſſarias; proceſsionem verò creaturarum à Deo liberam. Contra hoc eſt: quod agens liberum ſi creatum ſit, poteſt habere operationem in eodem inſtanti, in quo incipit eſſe, vt de Angelis docet communis ſententia ſcholæ; quòd in primo inſtanti, in quo cœperunt eſſe, habuerunt liberam operationem voluntatis, per quam ſe diſpoſuerunt ad recipiendam gratiam in eodem inſtanti; ergo multò meliùs potuit Deus in eodem inſtanti, in quo habuit ſuum eſſe ſine principio, habere liberam operationem ſuæ voluntatis, per quam produceret creaturam.

21 Secundò, quia bene ſequitur, non repugnat creaturæ ab æterno fieri; ergo non repugnat Deum ab æterno eam facere. Probatur conſequentia, quia ex parte Dei nulla poteſt eſſe repugnantia propter infinitam potentiam, per quam poteſt, quidquid non implicat contradictionem; ſed antecedens ſic probo: Duratio non eſt eſſentialis creaturæ, ſed accidentalis; ergo ſalua eius eſſentia & proprietatibus poteſt habere durationem æternam; vel temporalem, quia accidentia nihil horum variare poſſunt. Et ſi dicas eſſe limitatam, quantum ad durationem, eſſentiale eſſe creaturæ, ſicut eſſe limitatã, quan

quantum ad eſſe, vel ſaltem propriam paſſionem eius eſſe poſtulare limitatam durationem; quod ſatis eſt, vt non poſſit fieri ab æterno. Contra hoc eſt, primò, quòd in ordine ad cauſam efficientem ſola dependentia poteſt eſſe effectui intrinſeca, hanc autem ſaluari ab æterno probauimus; ergo non poteſt repugnare creaturæ, quod ab æterno fiat. Secundò, quia æternitas diuina non eſt minus infinita duratio a parte poſt, quam à parte ante, ſed non ſolùm non repugnat creaturæ duratio æterna à parte poſt, ſed quibuſdam conuenit naturaliter, vt Angelo, & animæ rationali; ergo nec repugnabit eã habuiſſe à parte antè.

Ad teſtimonium Sanctorum Patrum reſpondeo notum eſſe, quòd aduerſus Arrium, & Macedonium loquebantur ſuppoſita veritate ſcripturarum, quam admittebant. & in qua expreſſum erat vtrunque; nempè creaturas factas fuiſſe à Deo in principio temporis, & verbum Diuinum eſſe coæternum creatori, ex quibus euidenter colligebant Verbum Diuinum non eſſe creaturam: quare non tollit argumentum eorum, quòd per potentiam Dei abſolutam non poſſit fieri creatura ab æterno; neque hoc affirmare tollit vim argumentum eorum. Quod verò videntur aſſerere æternitatem repugnare creaturæ, in hoc ſenſu intelligendum eſt; vt repugnet conuenire eis à natura; quod verò per quandam participationem potuerit eis communicari à Deo à parte antè, ſicut communicatur à parte poſt, non videtur repugnare; quia cum duratio ſecundum ſe ſit accidentalis creaturæ, non repugnat, quòd ei communicetur æterna, quamuis magis conformis ſit naturæ eius temporalis.

22 Ad primum argumentum neganda eſt maior, quòd ſi creatura fieret à Deo ab æterno, non crearetur liberè. Et cum quæritur, an ſi Deus crearet eam ab æterno, potuerit eam non creare, antequam eam crearet, vel poſtquam eam creauit, vel in puncto creationis. Reſpondeo hoc vltimum verum eſſe, quia ſicut 1. lib. de interpretatione, capit. vltimo diximus, dum operatur cauſa libera, poteſt non operari, ex eo, quod cum liberè ſe determinet ad operandum, ſic ſe determinat, vt poſſit non ſe determinare, & ideò dum crearet Deus, poſſet non creare; quia liberè ſe determinauit tunc ad creandum; Quod verò Ariſtoteles dixit neceſſarium eſſe, quod res ſit, quando eſt, admittimus; ſed non eſt neceſſarium ſimpliciter, & ab intrinſeco, ſed ſolùm ex ſuppoſitione præſentiæ, quæ extrinſeca eſt rei præſenti eſſentialiter conſideratæ; vtrumque ergo verum eſt, quod res dum eſt, neceſſariò ſit, & etiam quod ſit liberè, ſed hoc eſt verum ſimpliciter, illud ſolùm ſecundum quid, ideò non repugnat talis neceſſitas cum libertate, nec repugnaret rem creari

à Deo ab æterno neceſſariò ex ſuppoſitione, quòd creatur, & liberè ſimpliciter; quia ita crearet eam tunc, vt poſſet ſimpliciter tunc eam non creare.

Ad ſecundum negandum eſt, quod creatio verſetur inter eſſe, & non eſſe tanquam inter terminos oppoſitos à quo, & ad quem, quia certum eſt non eſſe mutationem, ſed vel ſimplicem actionem inter Deum, & creaturam, vel ſolam relationem dependentiæ habentem modum actionis in apprehenſione noſtra; non ergo indiget termino à quo, ſed ſolo termino ad quem, qui eſt creatura, cui tribuitur eſſe ex nihilo, quare non eſt neceſſarium, vt creatura habeat eſſe poſt non eſſe, ſed ſufficit, quod habeat eſſe acceptum à Deo ſine vllo ſubiecto præſuppoſito. Dum verò dicitur in definitione creationis; quòd ſit productio rei ex nihilo, non accipitur nihil pro termino à quo, licèt, vt talis aliquo modo apprehendatur, ſed ſenſus eſt, creationem eſſe productionem rei nullo præſuppoſito ſubiecto, quod patet non minus verum eſſe, ſi creatio non ſit æterna, quàm ſi ſit temporalis. 23

Ad vltimum concedimus creaturam factam ab æterno, vel non poſſe ab æterno operari, vel ſi operaretur, neceſſarium fore, quòd per infinitum tempus perſeueraret in eadem operatione, & neutrum repugnat: quia non repugnat ſuſpendere Deum ſuum concurſum, ſine quo non poſſet operari, nec etiam repugnat conſeruare eam per infinitum tempus in aliqua operatione ſimultanea; nam de ſucceſſiuis ſpecialis eſt difficultas ſtatim examinanda. Nec tandem ſequeretur, ſi ab æterno fieret creatura, quod non haberet virtutem operandi, ſi per infinitum tempus non operaretur; ſed haberet quidem, quamuis ſuſpenſam toto illo infinito tempore ab operatione; poſſet tamen per eam operari in tempore. 24

QVÆSTIO III.

An ſucceſſiua, vt motus & tempus potuerint eſſe ab æterno per potentiam Dei abſolutam.

Difficilior eſt quæſtio de ſucceſſiuis, vt de motu & tempore, an potuerint eſſe ab æterno, & non conſequenter; an cœlum cum ſuo motu, & tempore, ſicut modo factum eſt in principio temporis, potuerit ab æterno fieri, vel non. 25

Et prima opinione tenet non repugnare, quod ab æterno fuerit. Ita D. Thomas de potentia q. 3. art. 14. in 2. d. 1. q. 1. art. 5. 2. contra Gentes cap. 38. & ibidem Ferra. Capreol. in 2. d. 1. q. 1. Venet. 8. lib. Phyſic. text. 15. Soncin. 12. lib. Meta. qu. 2. Pererius lib. 15.

lib. 15 cap. 13. & omnes ferè Nomin. Gregor. Gabriel, Ocham. & cum eis Ægid. in 2. d 1. Herue. quodlib. 9. & 3. & ex Modernis nonnulli. Probat D. Thom. quia mundum incepiſſe cum motu eſt articulus fidei; ſed ea, quæ ſunt fidei non poſſunt demonſtrari, cum ex ſe ſint obſcura; ſi autem repugnat mundum cum ſuo motu fieri ab æterno, neceſſarium, atque euidens erit in tempore incepiſſe: quare id, quod pertinet ad fidem, demonſtrabitur. Secundò, ſi aliqua ratione repugnat ſucceſſiua fieri ab æterno, maximè propter varietatem partium eorum, quarum vna ſuccedit alteri ſecundum prius & poſterius. prius autem, & poſterius videntur cum æternitate repugnare, ſed hæc ratio eſt
26 inſufficiens; ergo non eſt negandũ, quod potuerint eſſe ab æterno. Probatur minor; quia licèt varia ſit diſpoſitio, & continua ſucceſſio in partibus eorum; non tamen eſt neceſſarium dari primam aliquam diſpoſitionem, nec primam partem fluentem; ſed quamlibet deſignatam præceſſiſset alia in infinitum; & ita nullam videntur repugnantiam habere cum æternitate. Et tandem; quia non videtur dari ratio aliqua, vel inconueniens, quo probetur repugnare, quod hæc fuerint ab æterno; ſed omnia, quæ adduci ſolent, probabiliter ſaltem ſolui poſsunt; quare non videtur hoc denegandum Diuinæ omnipotentiæ.

Secunda opinio negat, *quòd ſucceſſiua potuerint eſſe ab æterno, & ſolùm admittit creaturas permanentes, & ſub aliqua permanenti operatione, vel ſine vlla ab æterno eſſe potuiſſe; cœlum verò cum ſuo motu ab æterno fieri implicare contradictionem aſſerit*. Ita Duran. in 2. diſtinct. 1. quæſtione ſecunda, articulo tertio, Sotus 8. lib. Phyſic. quæſt. 3. Conimbric. ibidem, & Moderni ferè omnes, & *videtur mihi, non ſolùm probabilior, ſed vera.* Sed quia ſolent plures eam probare quibuſdam argumentis ab extrinſecis acceptis, & quæ facilè ſoluuntur à D. Thoma 1. part. quæſt. 46. artic. 2. ideò fortioribus, atque ex natura ſucceſſiuorum, & æternitatis deſumptis probanda eſt.

Probatur ergo primò, quia intrinſecum eſt ſucceſſiuis habere partes priores & poſteriores ſecundum durationem; ſed prioritas durationis pugnat cum æternitate; ergo pugnabit etiã cum ea, quòd ſucceſſiua ſint æterna. Probatur minor, quia ſi motus fuiſset ab æterno; ergo ſequitur, quòd duæ aliquæ circulationes; quarum vna proximè ſuccedit alteri, fuiſsent ab æterno, & vna eſset prior altera per durationem æternam; ſed duratio æterna eſt infinita; ergo eſset vna prior altera prioritate infinitæ durationis; & ex altera parte vna ſuccedit proximè alteri, & neutra poteſt excedere alteram, niſi duratione

viginti

viginti quatuor horarum; ergo apertam continet repugnantiam, quòd ſucceſſiua ſint ab æterno. Secundò, ſi cœlum cum 28
ſuo motu factum fuit ab æterno inquiro, in quanam diſpoſitione factus fuerit Sol, in noſtro hemiſphærio vel in inferiori; & in quocunque factum dixeris, ſequitur euidenter per infinitum tempus fuiſſe in eodem hemiſphærio. Probatur conſequentia, quia ab æterno fieri in aliqua diſpoſitione eſt ſine principio fuiſſe in ea; ergo per infinitum tempus: ſed fuiſſe in eodem hemiſphærio per infinitum tempus, & moueri ab eo ad aliud, repugnat, quia finitum hoc ſpatium, finito etiam tempore pertranſit cœlum; ergo repugnat cœlum cum motu ab æterno fuiſſe factum. Nec ſoluit hoc argumentum quod Moderni reſpondent; Solem non fuiſſe factum ſub determinata diſpoſitione; & ideò nec in hoc, nec in illo hemiſphærio determinatè, ſed in hoc vel illo vago; quare non ſequitur in determinato hemiſphærio fuiſſe per infinitum tempus. Nam hæc 29
ſolutio apertè falſa eſt: quod ſic probo; Sol eſt corpus determinatum, habens determinatam quantitatem; ergo non potuit fieri in aliquo ſitu, vel diſpoſitione, niſi determinata in ſingulari; quia determinatum corpus non poteſt habere locum, ſitum, vel vbi in ſingulari vago, ſed determinatum habere debet; nam ſingulare vagum non datur, niſi in aliquo determinato, vt per ſe eſt manifeſtum. Apertè igitur falſum eſt aſſerere, quòd ſol fuiſſet conditus in loco, vel vbi, aut ſitu, ſeu diſpoſitione, non determinata; ſed vaga, ideò argumentum manet prorſus in ſuo robore. Sed probatur tandem argumento ad hominem: 30
nam Moderni, qui tenent ſucceſſiua potuiſſe fieri ab æterno, negant generationes, & corruptiones rerum naturalium potuiſſe ab æterno fieri: quia deberet dari aliqua generatio ab æterno, & ideò durare per infinitum tempus; per quod non poſſet res corrumpi, & ex conſequenti, nec poſſent corruptiones ſuccedere generationibus, vt ſua natura ſuccedunt. Ex hoc ego ſic arguo: Si darentur generationes ab æterno, neceſſarium eſſet, quod aliqua generatio foret æterna; ſi verò eſſet æterna, deberet durare per infinitum tempus; quod repugnaret naturali, atque continuæ ſucceſſioni; ergo eadem ratione probatur repugnare, quòd cœlum cum ſuo motu, & tempore fuiſſet ab æterno. Probatur conſequentia; quia neceſſe foret, quod aliqua circulatio cœli, & dies aliquis fuiſſet æternus, & ideò duraſſet per infinitum tempus, quod repugnat ſuæ naturæ, cum ſit duratio finita viginti quatuor horarum, & repugnat etiam continuæ ſucceſſioni aliarum circulationum.

Ad

51 Ad rationem ex D. Thoma, ex doctrina eiuſdem 2.2. quæſt. 1. articulo quinto; Reſpondeo quod ea, quæ pertinent ad fidem Diuinam; ſunt in duplici differentia, quædam ſupernaturalia, quæ nõ poſſunt cognoſci per lumen naturale, vt miſteriũ Trinitatis, & incarnationis, & hæc non poſſunt demonſtrari; alia, quæ per lumen naturale attingi poſſunt, vt Deum eſſe, & eſſe vnum, & animam rationalem eſſe immortalem, & hæc creduntur quidem per fidem; quia reuelata ſunt, ſed etiam poſſunt demonſtrari, & ita dabuntur de his in homine; qui ea demonſtrauerit, & crediderit, fides Diuina, & ſcientia ſimul, ſaltem ſecundum habitum. Ita ergo contingit in propoſito, quòd licet mundum incepiſſe in tempore pertineat ad fidem, ſed quòd non potuerit eſſe ab æterno demonſtrari poteſt; ſecũdum opinionem, quam ſequimur, & ideò licet non poſſit abſolutè demonſtrari, quòd fuerit factus in tempore, ſed ſuppoſito, quòd factus eſt, demonſtrari poſſe tenet noſtra ſententia, itaque; quòd demonſtrari poſſit, non eſt certum, ſed in opinione poſitum, ita vt prima opinio neget poſſe demonſtrari; ſecũda verò demonſtrari poſſe concedat; & ſimul pertinere ad fidem, ſicut de aliis ad fidem pertinentibus diximus. Et quæſtione præcedenti negauimus poſſe demonſtrari abſolutè, & ſimpliciter, quòd mundus inceperit, quia non eſt certum repugnare, quòd potuerit eſſe ab æterno; non tamen negauimus, quod ſit in opinione poſitum demonſtrari poſſe.

Ad ſecundum neganda eſt minor quod inſufficiens ſit ratio probans, quòd natura ſucceſſiuorum pugnet cum æternitate. Et cum dicitur non eſſe neceſſarium dari primam circulationem, vel diſpoſitionem, in qua factus ſit mundus, negandũ eſt; quia ſicut mũdus, quia res ſingularis eſt, non potuit fieri, niſi per determinatam, & ſingularem actionem, eadem ratione non potuit fieri, niſi ſub determinata, & ſingulari diſpoſitione; ita vt corpora eius indeterminato ſitu, & ſub determinato vbi, atque in loco determinato fierent, ſuppoſito, quòd iuxta conditionem propriæ naturæ facienda erant: vnde ſequitur contradictionem implicare ſucceſſionem, & variationem motus & temporis fuiſſe æternam, & conſequenter mundum cum motu, & tempore ab æterno fuiſſe conditum.

Ad vltimum negandum eſt antecedens, quòd non detur ratio euidenter probans repugnantiam: nam vt oſtenſum eſt, non videntur ſolui poſſe vllo modo prima, & ſecunda ratio noſtra, & tertia etiam eſt euidens ad hominem; ſed quia ſic eſſe euidentes non omnibus conſtat, & fortè non erunt euidentes, datur locus opinandi, & relinquitur prima opinio cum ſua pro-

Anaxagoræ,& Empedoclis ; quia nullo fundamento rationis nitebantur, ſed ita dicebant factum eſſe; quia natura rerum ita fieri poſtulabat,cuius tamen aliqua fuit reddenda ratio:quia Philoſophus nihil præter principia conſtituere debet cuius aliquam rationem non reddat;alioqui vana,& quaſi à ſe ficta aſſerere probabitur. In ipſis enim rebus naturalibus dicimus viuentia,tempore aliquo augeri, & tempore alio non moueri motu augmenti,cuius rationem reddimus : quia potentia vitalis determinata eſt,ita vt tantùm augere poſſit,& non plus,ſed nulla eſt ratio ob quam res per infinitum tempus, quieuerint , & in tempore cœperint moueri:quia infiniti temporis in quiete conſumpti ad finitum tempus,in quo mouetur, nulla eſt proportio; ergo nulla poteſt ratio aſſignari pro tali opinione.

Proponit deinde in ſecunda parte capitis tria arg.pro eadem opinione,& ea ſoluit.Primum arg.eſt,quia motus verſatur inter terminos cõtrarios , à quo & ad quem:ergo tota eius extenſio clauditur intra eoſdem terminos: quare ante primum eſſe non poteſt, nec poſt vltimum , & ita non erit æternus.Secundò experientia conſtat lapidem moueri deorſum , poſtquam quieuit in loco ſui ſuis;ſed quod contingit in motibus particularibus potuit contingere in toto mundo ; ergo poſſibile fuit res omnes quieuiſſe per infinitum tempus,& in tempore cœpiſſe moueri , vt aſſerebant Empedocles & Anaxagoras. Tertium quod contingit in mundo paruo, qui eſt homo, poteſt contingere in mundo magno : ſed conſtat moueri hominem , cum prius quieuerit ; ergo in mundo magno potuit quies præcedere motum per tempus infinitum. Ad primum arg. reſpondet nullum motum, qui inter contraria verſatur poſſe eſſe perpetuum , & tales ſunt omnes motus recti , quibus repugnat perpetuitas, vt inferius probabitur : ſed reſtat motus circularis, qui non verſatur inter contrarios terminos ; ſed ab eodem in idem punctum procedit,& iſte poteſt eſſe perpetuus. Ad ſecundum reſpondet in viuentia ab aliquo extrinſeco moueri,& ideò dum ab eo non mouentur, quieſcunt, & poſt quietem moueri iterum poſſunt, ſed primum motum eorum præcedit ſemper alius in eodem principio extrinſeco, à quo mouentur ; & ideò motus eorum nunquam eſt primus. Ad tertium reſpondet , nec viuentia moueri , niſi præcedente alio motu extrinſeco , quo voluntas vel appetitus excitantur, vt ad ſumptionem cibi pro augmento ſumendum mouetur obiectiuè appetitus eorum; quare motum eorum ſemper præcedit alius, & ſic infinitum quod eſt non dari primum motum.

TRA

TRACTATVS DE PRINCIPIO DVRATIONIS RERVM.

QVÆSTIO I.

An fuerit conſentaneum naturis rerum, quòd principium durationis habuerint.

6 De æternitate primi motoris, primi mobilis, & primi motus ait Ariſtoteles tribus ſuæ doctrinę locis, nempè pri no libro de Cœlo, & mundo, cap. 10. 12. lib. Metaph cap. 6. & in hoc 8. libro his præſertim duobus capitibus iam expoſitis. Et quia interpretes eius hoc loco diſputationem de eadem re inſtituunt, non eſt à nobis remittenda in alium locum; ſed ſpecialis tractatus inſtituendus, in quo quatuor erunt diſputanda. Primum, an conſonum fuerit naturis rerum in tempore fieri, & non ab æterno. Secundum, an poſſibile fuerit aliquam creaturam ab æterno fieri à Deo. Tertium, an ſucceſſiua, vt tempus, & motus potuerint ab æterno fieri. Quartum, an rerum generationes, & corruptiones, quę nunc fiunt, poſſent ab æterno etiam fieri.

Et circa primum de principio durationis rerum, diuerſæ fuerunt antiquorum Philoſophorum opiniones. Prima omnium ferè, qui Ariſtotelem præceſſerunt, vt teſtatur ipſe 12. lib. Meta. cap. 6. aſſerentium mundum ſic ordinatum, ac modò eſt, non fuiſſe ab æterno, ſed habuiſſe principium durationis, & in tempore incepiſſe, & quamuis de Platone videatur ipſe ſentire primo lib. de Cœlo, c. 10. quod mundum poſuerit ab æterno, certum tamen eſt tenuiſſe, quod in tempore inceperit, vt conſtat ex Timeo, & Critia. Quod autem motum poſuerit ab æterno idem Plato, ex alia cauſa proceſſit, vt annotauit D. Thomas 12. lib. Metaph. lect. 6. nempè ex eo, quòd elementa æterna eſſe exiſtimauit, & ante conſtitutionem mundi quibuſdam inordinatis motibus moueri; ſed ad ordinem fuiſſe reducta à primo principio in conſtitutione mundi.

7 Secunda opinio eſt eiuſdem Ariſtotelis qui tribus locis citatis tenuit, mundum hunc ſic ordinatum, vt eſt modò, non habuiſſe principium durationis, ſed ab æterno fuiſſe: quam ſecuti ſunt poſt Ariſtotelem antiquiores eius interpretes Proclus, Simplicius, Auicenna, & Auerroës hoc loco; an verò putauerit Ariſtoteles ſe id demonſtraſſe, vel probabilibus tantùm

argumentis probaſſe, nihil refert. Rationes autem Ariſtotelis, quibus id probauit cap. 1. iſtæ ſunt. Prima, ſi daretur primus motus quem non præceſſit alter, certum eſt motiuum, à quo proceſſit tãquam à principio, & mobile, in quo tanquam in ſubiecto receptus eſt; priora fuiſſe eo, tunc ergo, vel motiuum, & mobile fuerunt æterna, vel habuerunt principium durationis, ſi inceperunt, ergo per motum priorem alio; qui dicebatur primus; quare iam non dabitur primus. Si verò fuerunt æterna, cum habuerint naturalem inclinationem ad motum, ſequitur ab æterno feciſſe motum, niſi impedita fuerint, quare, vel talis motus fuit ab æterno, vel ſaltem præceſſit eum, quem dicebas fuiſſe primum, & ita iam non fuit primus. Probatur conſequentia: quia ſi fecerunt motum ab æterno, iam motus non habuit principium durationis, & ſi impedita fuerũt, tale impedimentum debuit per motum auferri, & ſic motum habuerunt priorem illo, qui ponebatur primus. Et ſi dicatur, 8
motiuum, & mobile, non fuiſſe agentia naturalia, ſed libera, & ideò potuiſſe ab æterno non efficere motum, etiam ſi impedita non fuerint, nec fuiſſe poſtea neceſſarium per motum auferri impedimentum, ſed pro ſua libertate in tempore feciſſe motum, & primum motũ, quem non præceſsit alter. Reſpondet Ariſtotel. quòd etiam agentia libera non mouentur; quin ab alio extrinſeco excitentur ad motum tanquam ab obiecto, vel quouis alio modo; excitatio verò non fit, niſi per motum præcedentem, qui prior erit eodem motu; qui ponebatur primus, & ideò dabitur motus prior priori in infinitum, & ſine principio. Secunda ratio, ſi motus habuit principium durationis; ergo verum eſt incepiſſe: cum prius non fuerit, quare primum motum præceſſiſſet hoc, quod eſt, prius, ſed prius non datur, niſi in tempore; ergo ante primum motum datur tempus, & tempus non eſt ſine motu; ergo datur etiam motus ante primum motum, & ſic in infinitum: quod eſt motum non habere principium durationis. Tertia ratio ſumitur ex inſtanti, cuius propria ratio eſt eſſe finem præteriti, & initium futuri; accepto ergo quocunque inſtanti temporis, verum eſt ante illud fuiſſe tempus, cuius finis eſt; ergo repugnat tempus incipere, ſed neceſſe eſt fuiſſe ab æterno.

Vera ſententia in hac re eſt, quam tenet fides Catholica: 9
nullam creaturam ſpiritualem, vel corpoream fuiſſe ab æterno, & ideò nec motum, nec tempus, ſed omnia fuiſſe à Deo facta in principio temporis. Habetur hæc veritas expreſsè in Scriptura ſacra, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Quæ verba licèt alios ſenſus habere poſſint; ſed quem de prin

de principio durationis intendimus excludi non poteſt: cum non ſolùm in eiſdem verbis contineatur, ſed in contextu totius capitis. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* Ioannis 17. *Clarifica me pater claritate, quam habui, priuſquam mundus fieret apud te.* Ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ex quibus definita eſt ab Eccleſia in Concilio Lateranenſi, & habetur definitio cap. firmiter, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica his verbis: *Creator omnium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corpoream.*

10 An verò ſola Fide teneatur hæc veritas, vel demonſtrari poſſit, hac diſtinctione præſuppoſita, duabus cõcluſionibus reſpondendum eſt. Nouitas, vel inceptio mundi dupliciter ſumi poteſt, ſecundum potentiam, vel ſecundum actum, & priori modo accepta hic erit ſenſus dubij, an demonſtrabile ſit, quòd mundus potuit incipere in tempore, vel neceſſarium ſit, quòd fuerit ab æterno; ſi verò nouitas, vel inceptio mũdi accipiatur modo poſteriori, ſenſus erit, an mundum incepiſſe poſſit demonſtrari, vel ſola fide teneatur. Hoc ſuppoſito, prima concluſio eſt, quòd mundus potuerit incipere, demõſtrari poteſt. Hæc eſt contra Ariſtotel. qui non ſolùm ſenſit mundum fuiſſe æternum, ſed quòd non potuerit incipere; ego verò aſſero demõſtrari poſſe, quod potuerit incipere. Demonſtratio autem ex tribus principiis in ſe euidentibus, & magna ex parte in doctrina Ariſtotelis colligenda eſt. Primum principium eſt, Deum eſſe vnum, & æternum, à quo omnes creaturæ participant totum eſſe, quod habent. Secundum, Deum, quem primum principium, vel primam cauſam vocat Ariſt. incorporeũ eſſe, & agens intellectuale per intellectum & voluntatem: & hæc duo principia habentur apud Ariſtot. 12. lib. Meta. à text.
11 29. vſque ad 42. & in diſcurſu huius 8. lib. vt videbimus. Tertium principium etiam eſt euidens, quòd Deus cõmunicet ſuũ eſſe creaturis per amorem, non qui ſit actus neceſſarius, vel naturalis, ſed liber: quia euidens eſt creaturas habere bonitatem finitam, & limitatam, quæ ideò non eſt adæquata infinitæ capacitati diuinæ voluntatis: vnde ſequitur non naturaliter, vel neceſſariò eas diligere, ſed liberè, & ideò libere eis cõ-
12 municare ſuum eſſe, ita vt quando, & quomodo ei placuerit, eas poſſit creare, vel non creare, hoc eſt in quocunque tempore, ita vt ſicut hoc tempore determinato eas produxit, potuerit priùs, vel poſteriùs eas producere. Ex quibus ſequitur euidenter non fuiſſe neceſſarium mundum ab æterno

efficere; ſed liberè potuiſſe eum producere in tempore, & in quolibet tempore, priori, vel poſteriori.

Secunda concluſio, quòd mundus in principio temporis fuerit creatus a Deo, non eſt demonſtrabile, ſed ſola fide tenetur. 12
Ita D. Thom. 1. part. quæſt. 46. articulo 2. & omnes eius Interpretes. Probatur hac ratione, non eſt certum repugnare, quòd creatura permanens poſsit fieri ab æterno per potentiam Dei abſolutam; ſed valde probabile, quòd fieri poſſit: cùm id teneat maior, & melior pars Theologorum, vt quæſtione ſequenti videbimus. Imò probabile eſt etiam, quòd mundum hunc, quem Deus produxit in tempore, potuerit producere ab æterno cum motu, & tempore, vt multi tenent; ergo non poterit demonſtrari, quòd eum in tempore produxerit, quia nullum principium euidens dari poteſt ex natura ipſarum rerum; ſed ſola voluntas diuina liberè agens euidens cauſa eſt productionis eius; quod verò in tempore ſe determinauerit ad productionem mundi, & non ab æterno, ſolo teſtimonio vel reuelatione diuina certò conſtare poteſt, itaque à Deo fuiſſe productum euidens eſt; ſed quòd in tempore, & non ab æterno certum ex reuelatione, non ex demonſtratione.

Ex his intelligitur, quam conſonum fuerit naturis rerum, 13
quòd habuerint principium durationis; & prima ratio huius congruentiæ ſumitur ex D. Thoma 2. lib. contra Gen. cap. 38. quia ex noua, ac temporanea productione mundi innoteſcit nobis Deum non agere naturaliter, aut ex neceſsitate naturæ, ſicut calefacit ignis; ſed liberè; nam ſi neceſſariò operaretur: cum ſit æternus, neceſsarium foret mundum ab æterno produxiſſe; quare ſi eum produxit in tempore, non neceſſariò, ſed liberè eum produxit. Secundò, quia conſonum eſt fini, in quem mundus fuit a Deo conditus, nempè vt per ipſum tanquam per effectum deuenirent homines in notitiam conditoris; nam ſi intelligatur mundum aliquando incœpiſſe, ita vt priùs non fuerit: cum æternum ſit eius principium, faciliùs colligi poterit, quòd ab eo acceperit eſſe, quam ſi numquam incœpiſſet, imò ſi æqualem habuiſſet cum eo durationem, facilè poſſet quis exiſtimare non eſſe ab eo factum. Tertio, quia experientia conſtat has omnes creaturas, ex quibus conſtat mundus variis motibus, ac mutationibus eſſe ſubditas ex propria natura: ſi verò ab æterno fierent, valde probabile eſt, quòd per infinitum tempus [illegible] ceſſate ab omni mutatione, & quæ ſua natura [illegible] corrumperentur per illud idem infinitum tempus deberent à corruptione præſeruari; ergo non fuiſſet conſonum naturæ earum, quod ab æterno producerentur,

& valde

& valde conſonum fuit, quod producerentur in principio temporis, vt productæ ſunt.

14 Argumenta autem Ariſt. friuola ſunt, & ideò facilè ſolui poſſunt: nam ad primum conceſſo primo motu Cœlorum, cõcedenda eſt etiam illa pars antecedentis, quòd motiuum, & mobile, à quibus proceſsit talis motus, in tempore cœperunt: ſed negandum, quòd ex eo infert incepiſſe per motum, non enim facta ſunt, niſi per creationem, quam certum eſt per rationem naturalem eſſe cognoſcibilem: quia euidens eſt potentiã infinitam Dei non indigere materia præſuppoſita ad quamlibet rem efficiendam, ſed per ſuam virtutem poſſe materiam ipſam ex nihilo producere. An verò Ariſtot. eam cognouerit, non eſt certum, mihi verò certum eſt non cognouiſſe eam diſtinctè; ſed ad ſummum confuſa quadam ratione; qua fortè putauit animam rationalem factam fuiſſe, & non per eductionem de potentia materiæ, quod ex modo eſſendi, & operãdi eius conſecutus fortè fuit; ſed per quam actionem fuerit producta, non videtur diſtinctè aſſecutus.

15 Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quòd ſit motus habuit principium durationis, verum ſit incepiſſe: cum prius non fuerit, non enim incepit per primum ſui eſſe, ſed per vltimum ſui non eſſe, & non fuit verum, quod prius non fuerit, ſed quod tunc non fuerit, ſed immediatè pòſt fuerit futurus, illud autem tunc præcedens motum & tempus, non fuit verum, ſed imaginatium. Et eodem modo dicendum eſſet, ſi daremus, ſic cœpiſſe motum, vt priùs non fuerit, quòd illud prius duobus modis poteſt intelligi, de priori verò, reali, ac poſitiuo, vel de negatiuo, & imaginario, & de primo negandum eſt, quod verũ fuerit priùs non fuiſſe, motum: quia ad inceptionem eius non requiritur veram durationem præcedere, ſed impertinens eſt, ſolùm ergo potuit eſſe verum de priori negatino, & imaginario, quia cum tempus verum inceperit cum eodem primo motu cœlorum, non potuit inceptionem eius præcedere verum tempus, vt contendit argumentum, nec fuit neceſsarium.

16 Ad tertium concedenda ſunt omnia, quæ de inſtanti aſſumit: quia omne inſtans temporis copulatiuum eſt, niſi forte deſinente tempore daretur vltimum inſtans terminatiuum eius: ſicut datur vltimum indiuiſibile motus, itaque concedimus cuilibet inſtanti præcedere tempus, ſed negamus ex eo ſequi, quod tempus non poſſit incipere: quia tempus cum ſit ſucceſſiuum non dicitur eſſe in inſtanti, ideo nec in inſtanti incipere poteſt, ita vt verum ſit de eo dicere, nũc primo eſt tempus, & immediatè prius non fuit, ſed incipit ſicut motus per vltimũ

oratione 2. contra Arrianos, Hugo Victorius lib. de Sacram. cap. 10. Quibus locis hoc argumento vtuntur contra Arrium impiè aſſerentem, quòd verbum diuinum ſit creatura. Si creatura eſſet, in tempore cœpiſſet: cum creatura non poſſit eſſe coæterna ſuo creatori, ſed diuinum Verbum eſt coæternum patri, vt habetur expreſsè in Sacris literis; ergo eſt Deus æqualis Patri, & non creatura. Hoc autem argumentum nullius momenti eſſet, ſi creatura poſſet eſſe coæterna ſuo creatori; ergo ſentiunt Sancti Patres repugnare, quòd fiat ab æterno, & intrinſecum ei eſſe, quòd ſit limitata ſecundum durationem.

18 Probatur deinde ratione, primò ex modo operandi libero Dei: nam ſi creatura poſſet fieri ab æterno, non crearetur liberè à Deo; ſed repugnat Deum non operari liberè circa creaturas; ergo etiam repugnat aliquam ab æterno facere. Probatur minor, nam ſi liberè crearet, & ab æterno, vel potuit non creare, dum creauit, vel poſtquam creauit, vel priuſquam creauerit: non poſtquam creauit; quia repugnat rem non eſſe factam, poſtquam facta eſt: cum ad præteritum non detur potentia; neque in ipſo puncto creationis potuit non creare: quia omnis res quando eſt, neceſſariò eſt, vt docet Ariſtot. 1. lib. de Interpreta. cap. vltimo; ſolùm ergo reſtat, quod potuerit non creare prius, quàm creauerit, ſed in æternis non datur prius; ergo repugnat Deum ab æterno creare, & creare liberè. Cui additur, quòd etiamſi liberè crearet, non eſſet liber ad annihilandũ creaturam, quàm ab æterno crearet: nã ſi annihilatio poſſet eſſe ab æterno, euidenter ſequeretur creaturam ab æterno eſſe ex creatione; & etiam ab æterno non eſſe ex annihilatione; ſi ergo crearet Deus aliquam creaturam ab æterno non poſſet ab æterno eam annihilare; quare ex hac parte tollitur Diuina libertas, atque etiam dependentia creaturæ à Deo.

Secundò, ex natura creationis, quia repugnat rem ſimul eſſe, & non eſſe, ſed hoc ſequeretur, ſi creatura fieret ab æterno; ergo non potuit fieri. Probatur minor, quia creatio verſatur inter eſſe, & non eſſe, tanquam inter duos terminos contradictoriè oppoſitos; ergo vel ſimul ſunt iſti termini ab æterno, vel prius erit non eſſe creaturæ, quam eſſe eius, ſi ſint ſimul, ſequitur eandem rem ſimul eſſe, & non eſse; ſi verò non eſse ſit prius, ſequitur, quod eſſe non ſit ab æterno: quia æterno non datur prius; ergo repugnat fieri creaturam ab æterno.

19 Probatur tandem quia ſi creatura fieret ab æterno, non poſset operari ab æterno, vel ſi operaretur, per infinitum tempus, deberet perſeuerare in eadem operatione: quia ſi ſolùm

per

per tempus finitum in ea duraret, non habuiſſe eam ab æterno; ſed ex tempore, hæc autem repugnant; ergo etiam repugnat creaturam eſſe æternam.

Secunda opinio aſſerit, non implicare contradictionem, quod creatura fiat ab æterno. Ita D. Tho. 1.p.quæſt.46.artic. 2.& ibidem Caieta.& 2.contra Gent.cap.38.& ibidem Ferrar. Ocham. Gabr. Gregor. Herue. Argent. Hiſpal. Capreol. & Durand.in 2.diſtin.1. Sotus libro octauo, Phyſic.quæſt.3. Pererius libr.15.cap.13.Conimbr.8.lib.Phyſ.cap.2.quæſtione 6. & Moderni ferè omnes, quare iam ferè communis eſt in ſchola, & à nobis tenenda.

Probatur primò, quia ſi creaturæ eſſent ab æterno, non repugnaret, quod ab æterno vna procederet ab alia; ergo proceſſio vnius ab alio, nec petit minorem durationem procedentis, nec repugnat eſſe ab æterno. Antecedens fatetur D. Auguſtinus, & probat 6.lib. de Trinitate cap.1.dicens, ſi ab æterno fieret Sol, ab æterno quoque illuminaret, luménque ab eo procederet ab æterno; ſed probatur etiam ex æterna proceſsione diuini Verbi à Patre, & Spiritus ſancti à Patre, & Filio: quæ ſal- 20
uatur cùm æternitate perſonæ procedentis, & ideò cum æquali & ſimultanea duratione procedentis, & eius a quo procedit; ergo poterit ab æterno procedere creatura a Deo. Et ſi dicas proceſsiones Diuinarum perſonarum eſſe naturales & neceſſarias; proceſsionem verò creaturarum à Deo liberam. Contra hoc eſt: quod agens liberum ſi creatum ſit, poteſt habere operationem in eodem inſtanti, in quo incipit eſſe, vt de Angelis docet communis ſententia ſcholæ; quòd in primo inſtanti, in quo cœperunt eſſe, habuerunt liberam operationem voluntatis, per quam ſe diſpoſuerunt ad recipiendam gratiam in eodem inſtanti; ergo multò meliùs potuit Deus in eodem inſtanti, in quo habuit ſuum eſſe ſine principio, habere liberam operationem ſuæ voluntatis, per quam produceret creaturam.

Secundò, quia bene ſequitur, non repugnat creaturæ ab 21
æterno fieri; ergo non repugnat Deum ab æterno eam facere. Probatur conſequentia, quia ex parte Dei nulla poteſt eſſe repugnantia propter infinitam potentiam, per quam poteſt, quidquid non implicat contradictionem; ſed antecedens ſic probo: Duratio non eſt eſſentialis creaturæ, ſed accidentalis; ergo ſalua eius eſſentia & proprietatibus poteſt habere durationem æternam; vel temporalem, quia accidentia nihil horum variare poſſunt. Et ſi dicas eſſe limitatam, quantum ad durationem, eſſentiale eſſe creaturę, ſicut eſſe limitatã,

quam

Digitized by Google

quantum ad eſſe, vel ſaltem propriam paſſionem eius eſſe poſtulare limitatam durationem; quod ſatis eſt, vt non poſſit fieri ab æterno. Contra hoc eſt, primò, quòd in ordine ad cauſam efficientem ſola dependentia poteſt eſſe effectui intrinſeca, hanc autem ſaluari ab æterno probauimus; ergo non poteſt repugnare creaturæ quod ab æterno fiat. Secundò, quia æternitas diuina non eſt minus infinita duratio a parte poſt, quam à parte ante, ſed non ſolùm non repugnat creaturæ duratio æterna à parte poſt, ſed quibuſdam conuenit naturaliter, vt Angelo, & animæ rationali; ergo nec repugnabit eã habuiſſe à parte antè.

Ad teſtimonium Sanctorum Patrum reſpondeo notum eſſe, quòd aduerſus Arrium, & Macedonium loquebantur ſuppoſita veritate ſcripturarum, quam admittebant, & in qua expreſſum erat vtrunque; nempè creaturas factas fuiſſe à Deo in principio temporis, & verbum Diuinum eſſe coæternum creatori, ex quibus euidenter colligebant Verbum Diuinum non eſſe creaturam: quare non tollit argumentum eorum, quòd per potentiam Dei abſolutam non poſſit fieri creatura ab æterno; neque hoc affirmare tollit vim argumentum eorum. Quod verò videntur aſſerere æternitatem repugnare creaturæ, in hoc ſenſu intelligendum eſt; vt repugnet conuenire eis à natura; quod verò per quandam participationem potuerit eis communicari à Deo à parte antè, ſicut communicatur à parte poſt, non videtur repugnare; quia cum duratio ſecundum ſe ſit accidentalis creaturæ, non repugnat, quòd ei communicetur æterna, quamuis magis conformis ſit naturæ eius temporalis.

22 Ad primum argumentum neganda eſt maior, quòd ſi creatura fieret à Deo ab æterno, non crearetur liberè. Et cum quæritur, an ſi Deus crearet eam ab æterno, potuerit eam non creare, antequam eam crearet, vel poſtquam eam creauit, vel in puncto creationis. Reſpondeo hoc vltimum verum eſſe, quia ſicut 1. lib. de interpretatione, capit. vltimo diximus, dum operatur cauſa libera, poteſt non operari, ex eo, quod cum liberè ſe determinet ad operandum, ſic ſe determinat, vt poſſit non ſe determinare, & ideò dum crearet Deus, poſſet non creare; quia liberè ſe determinauit tunc ad creandum; Quod verò Ariſtoteles dixit neceſſarium eſſe, quod res ſit, quando eſt, admittimus; ſed non eſt neceſſarium ſimpliciter, & ab intrinſeco, ſed ſolùm ex ſuppoſitione præſentiæ, quæ extrinſeca eſt rei præſenti eſſentialiter conſideratæ; vtrumque ergo verum eſt, quod res dum eſt, neceſſariò ſit, & etiam quod ſit liberè, ſed hoc eſt verum ſimpliciter, illud ſolùm ſecundum quid, ideò non repugnat talis neceſſitas cum libertate, nec repugnaret rem creari à Deo

à Deo ab æterno neceſſariò ex ſuppoſitione, quòd creatur, & liberè ſimpliciter; quia ita crearet eam tunc, vt poſſet ſimpliciter tunc eam non creare.

Ad ſecundum negandum eſt, quod creatio verſetur inter eſſe, & non eſſe tanquam inter terminos oppoſitos à quo, & ad quem, quia certum eſt non eſſe mutationem, ſed vel ſimplicem actionem inter Deum, & creaturam, vel ſolam relationem dependentiæ habentem modum actionis in apprehenſione noſtra; non ergo indiget termino à quo, ſed ſolo termino ad quem, qui eſt creatura, cui tribuitur eſſe ex nihilo, quare non eſt neceſſarium, vt creatura habeat eſſe poſt non eſſe, ſed ſufficit, quod habeat eſſe acceptum à Deo ſine vllo ſubiecto præſuppoſito. Dum verò dicitur in definitione creationis; quòd ſit productio rei ex nihilo, non accipitur nihil pro termino à quo, licèt, vt talis aliquo modo apprehendatur, ſed ſenſus eſt, creationem eſſe productionem rei nullo præſuppoſito ſubiecto, quod patet non minus verum eſſe, ſi creatio non ſit æterna, quàm ſi ſit temporalis. 23

Ad vltimum concedimus creaturam factam ab æterno, vel non poſſe ab æterno operari, vel ſi operaretur, neceſſarium fore, quòd per infinitum tempus perſeueraret in eadem operatione, & neutrum repugnat: quia non repugnat ſuſpendere Deum ſuum concurſum, ſine quo non poſſet operari, nec etiam repugnat conſeruare eam per infinitum tempus in aliqua operatione ſimultanea; nam de ſucceſſiuis ſpecialis eſt difficultas ſtatim examinanda. Nec tandem ſequeretur, ſi ab æterno fieret creatura, quod non haberet virtutem operandi, ſi per infinitum tempus non operaretur; ſed haberet quidem, quamuis ſuſpenſam toto illo infinito tempore ab operatione; poſſet tamen per eam operari in tempore. 24

QVÆSTIO III.

An ſucceſſiua, vt motus & tempus potuerint eſſe ab æterno per potentiam Dei abſolutam.

Difficilior eſt quæſtio de ſucceſſiuis, vt de motu & tempore, an potuerint eſſe ab æterno, & non conſequenter; an cœlum cum ſuo motu, & tempore, ſicut modo factum eſt in principio temporis, potuerit ab æterno fieri, vel non. 25

Et prima opinione tenet non repugnare, quod ab æterno fuerit. Ita D. Thomas de potentia q. 3. art. 14. in 2. d. 1. q. 1. art. 5. 2. contra Gentes cap. 38. & ibidem Ferra. Capreol. in 2. d. 1. q. 1. Venet. 8. lib. Phyſic. text. 15. Soncin. 12. lib. Meta. qu. 2. Pererius lib. 15.

lib. 15. cap. 13. & omnes ferè Nomin. Gregor. Gabriel, Ocham. & cum eis Ægid. in 2. d. 1. Herue. quodlib. 9. & 3. & ex Modernis nonnulli. Probat D. Thom. quia mundum incepiſſe cum motu eſt articulus fidei; ſed ea, quæ ſunt fidei non poſſunt demonſtrari, cum ex ſe ſint obſcura; ſi autem repugnat mundum cum ſuo motu fieri ab æterno, neceſſarium, atque euidens erit in tempore incepiſſe: quare id, quod pertinet ad fidem, demonſtrabitur. Secundò, ſi aliqua ratione repugnat ſucceſſiua fieri ab æterno, maximè propter varietatem partium eorum, quarum vna ſuccedit alteri ſecundum prius & poſterius. prius autem, & poſterius videntur cum æternitate repugnare, ſed hæc ratio eſt
26 inſufficiens; ergo non eſt negandũ, quod potuerint eſſe ab æterno. Probatur minor, quia licèt varia ſit diſpoſitio, & continua ſucceſſio in partibus eorum; non tamen eſt neceſsarium dari primam aliquam diſpoſitionem, nec primam partem fluentem; ſed quamlibet deſignatam præceſſiſset alia in infinitum; & ita nullam videntur repugnantiam habere cum æternitate. Et tandem; quia non videtur darí ratio aliqua, vel inconueniens, quo probetur repugnare, quod hæc fuerint ab æterno; ſed omnia, quæ adduci ſolent, probabiliter ſaltem ſolui poſsunt; quare non videtur hoc denegandum Diuinæ omnipotentiæ.

Secunda opinio negat, *quòd ſucceſſiua potuerint eſſe ab æterno, & ſolùm admittit creaturas permanentes, & ſub aliqua permanenti operatione, vel ſine vlla ab æterno eſſe potuiſſe; cœlum verò cum ſuo motu ab æterno fieri implicare contradictionem aſſerit.* Ita Duran. in 2. diſtinct. 1. quæſtione ſecunda, articulo tertio, Sotus 8. lib. Phyſic. quæſt. 3. Conimbric. ibidem, & Moderni ferè omnes, & *videtur mihi, non ſolùm probabilior, ſed vera.* Sed quia ſolent plures eam probare quibuſdam argumentis ab extrinſecis acceptis, & quæ facilè ſoluuntur à D. Thoma 1. part. quæſt. 46. artic. 2. ideò fortioribus, atque ex natura ſucceſſiuorum, & æternitatis deſumptis probanda eſt.

Probatur ergo primò, quia intrinſecum eſt ſucceſſiuis habere partes priores & poſteriores ſecundum durationem; ſed prioritas durationis pugnat cum æternitate; ergo pugnabit etiã cum ea, quòd ſucceſſiua ſint æterna. Probatur minor, quia ſi motus fuiſset ab æterno; ergo ſequitur, quòd duæ aliquæ circulationes; quarum vna proximè ſuccedit alteri, fuiſsent ab æterno, & vna eſset prior altera per durationem æternam; ſed duratio æterna eſt infinita; ergo eſset vna prior altera prioritate infinitæ durationis; & ex altera parte vna ſuccedit proximè alteri, & neutra poteſt excedere alteram, niſi duratione

viginti

51 Ad rationem ex D. Thoma, ex doctrina eiuſdem 2. 2. quæſt. 1. articulo quinto; Reſpondeo quod ea, quæ pertinent ad fidem Diuinam, ſunt in duplici differentia, quædam ſupernaturalia, quæ nō poſſunt cognoſci per lumen naturale, vt miſteriū Trinitatis, & incarnationis, & hæc non poſſunt demonſtrari; alia, quæ per lumen naturale attingi poſſunt, vt Deum eſſe, & eſſe vnum, & animam rationalem eſſe immortalem, & hæc creduntur quidem per fidem; quia reuelata ſunt, ſed etiam poſſunt demonſtrari, & ita dabuntur de his in homine; qui ea demonſtrauerit, & crediderit, fides Diuina, & ſcientia ſimul, ſaltem ſecundum habitum. Ita ergo contingit in propoſito, quòd licet mundum incepiſſe in tempore pertineat ad fidem, ſed quòd non potuerit eſſe ab æterno demonſtrari poteſt; ſecūdum opinionem, quam ſequimur, & ideò licet non poſſit abſolutè demonſtrari, quòd fuerit factus in tempore, ſed ſuppoſito, quòd factus eſt, demonſtrari poſſe tenet noſtra ſententia, itaque; quòd demonſtrari poſſit, non eſt certum, ſed in opinione poſitum, ita vt prima opinio neget poſſe demonſtrari; ſecūda verò demonſtrari poſſe concedat; & ſimul pertinere ad fidem, ſicut de aliis ad fidem pertinentibus diximus. Et quæſtione præcedenti negauimus poſſe demonſtrari abſolutè, & ſimpliciter, quòd mundus inceperit, quia non eſt certum repugnare, quòd potuerit eſſe ab æterno; non tamen negauimus, quod ſit in opinione poſitum demonſtrari poſſe.

Ad ſecundum neganda eſt minor quod inſufficiens ſit ratio probans, quòd natura ſucceſſiuorum pugnet cum æternitate. Et cum dicitur non eſſe neceſſarium dari primam circulationem, vel diſpoſitionem, in qua factus ſit mundus, negandū eſt; quia ſicut mūdus, quia res ſingularis eſt, non potuit fieri, niſi per determinatam, & ſingularem actionem, eadem ratione non potuit fieri, niſi ſub determinata, & ſingulari diſpoſitione; ita vt corpora eius indeterminato ſitu, & ſub determinato vbi, atque in loco determinato fierent, ſuppoſito, quòd iuxta conditionem propriæ naturæ facienda erant: vnde ſequitur contradictionem implicare ſucceſſionem, & variationem motus & temporis fuiſſe æternam, & conſequenter mundum cum motu, & tempore ab æterno fuiſſe conditum.

Ad vltimum negandum eſt antecedens, quòd non detur ratio euidenter probans repugnantiam: nam vt oſtenſum eſt, non videntur ſolui poſſe vllo modo prima, & ſecunda ratio noſtra, & tertia etiam eſt euidens ad hominem; ſed quia ſic eſſe euidentes non omnibus conſtat, & fortè non erunt euidentes, datur locus opinandi, & relinquitur prima opinio cum ſua pro-

 babilitate

babilitate, propter grauiſſimos auctores eam tenentes, quamuis, ſi rationibus ſolum ſtandum ſit, multò minorem probabilitatem habeat, quam ſecunda. 33

Sed quia opponi poteſt nobis, quòd ſequamur opinionem contra D. Thomam præter conſuetudinem noſtram. Reſpōdeo non eſſe contra D. Thom. opinionem noſtram, ſed potius ex mente eius; quia licet in illo articulo videatur vniuerſaliter docere, quòd non repugnet mundum fuiſſe ab æterno, ſed in ſolutione vltimi argumenti perſpicuis verbis propriam mentem explicuit aſſerens non eſſe, quòd mundus vt modo eſt cum ſuo motu, & tempore, ac cæteris, quæ variationem eorum ſequuntur, potuerit eſſe ab æterno, ſed quòd ſaltem nō repugnet aliquam creaturam potuiſſe ab æterno fieri; & hæc eſt noſtra ſententia; quam in prima quæſtione huius tractatus tenuimus cum eodem D. Thoma. Placet autem verba illius ſolutionis ſubiicere, quia quaſi codicilli rationem habent, & vltimam voluntatem, ac mentem teſtatoris continent, quibus propterea ſtandum eſt, & per quæ teſtamentum aliis locis confectum intelligi, atque explicari debet, habent autem ſic. Conſiderandum tamen quòd hæc ratio particularis eſt: vnde poſſet dicere aliquis, quòd mundus fuit æternus, vel ſaltem aliqua creatura, vt Angelus, non autem homo: nos autem intendimus vniuerſaliter, an aliqua creatura fuerit ab æterno: loquitur autem de poſſibili: & in fauorem Ariſtotelis reſpōdet quibuſdam argumentis, quæ fieri ſolent ad probandum implicare contradictionem, quòd mundus fuerit productus ab æterno. 34

QVÆSTIO IIII.

An poſſibile ſit per potentiam Dei abſolutam, quòd generationes, & corruptiones rerum naturalium fuerint ab æterno.

DVobus modis conſiderari poſſunt generationes, & corruptiones in ordine ad æternitatē. Primo, vt eas poſuit æternas Ariſtot. nempè, vt vnus homo procederet ab altero, & iſte ab altero in infinitū, & ita nullus daretur primus à quo cæteri omnes procederēt; ſed daretur proceſſus in infinitum in cauſis accidētaliter ſubordinatis, quales ſunt pater, auus, proauus, ac cæteri aſcendētes, quòd nō eſt inconueniēs, cum ab his nō dependeat per ſe effectus: Secūdo modo cōſiderari poſſunt, ita vt aliqua indiuidua prima, vt mas & fœmina fierent à Deo immediatè & ab his procederēt reliqua ab æterno per naturales generationes, ſicut in tēpore factū eſt. Sed adhuc poſſet hoc duobus 35

bus modis fieri. Primò, ita vt primi homines facti à DEO genuerint ab æterno alterũ, quem cum eiſdẽ primis conſeruaretur à Deo per infinitũ tempus ſine generatione, & ita vna tantùm generatio daretur ab æterno, & modus iſte particularis eſt; de quo non eſt habenda ratio; ſed ſolùm de alijs duobus, iuxta quos duæ ſunt opiniones diuerſæ in hac re.

Prima opinio defendit non implicare contradictionem; quod generationes, & corruptiones fuerint ab æterno, ſicut Ariſtoteles fuiſſe docet (quamuis in eo, quod ab æterno fuerint, falſa ſit eius ſententia) Ita Gabr. in 2. d. 1. quæſt. 3. Greg. q. 2. artic. 2. Herue. q. 1. Ocham. in 2. q. 8. & quodlib. 2. q. 5. Caiet. 1. p. q. 46. artic. 2. Ferrar. 2. lib. contra gentes cap. 38.

36 Secunda opinio quorundam Modernorum admittit generationes ab æterno in ſecundo ſenſu; ita vt primi homines procederent à Deo immediatè, & ab eis reliqui per naturales generationes, ſicut in tempore factum eſt. Et ratio huius opinionis eſt, quia non videtur impoſſibile generationes, & corruptiones ſibi in infinitum ſuccedere per totam æternitatem; nam ſucceſſio, ac variatio non pugnat cum æternitate, ſi ponatur non dari primam diſpoſitionem rerum; ſed ante quamlibet deſignatam præceſſiſſe aliam & aliam in infinitum; ergo nec repugnabit, quòd generationes fuerint ab æterno, dummodo non ponatur prima ſecundum durationem, ſed ante quamlibet fuiſſe aliam in infinitum, quamuis omnes habuerint determinatum atque primum principium ſecundum eſſe, nempe primos homines à Deo immediatè productos.

37 Tertia opinio negat generationes, & corruptiones ab æterno eſſe potuiſſe vllo ex prædictis modis. Ita Duran. in 2. d. 1. q. 2. & ferè omnes Moderni; & videtur nobis vera, quam tribus concluſionibus explicamus.

Prima concluſio, generationes & corruptiones vt eas poſuit Ariſtoteles æternas, ab æterno eſſe potuiſſe; nihil omninò probabilitatis habet. Probatur primò: quia ſi ita vnus homo proceſſit ab alio in infinitum, vt nullus proceſſerit à Deo immediatè, ſequitur totam hanc ſeriem infinitam generationum, & corruptionum non reduci in Deum tanquam in primum principium totius eſſe, ſed ſolum tanquam in quandam cauſam ſupremam coadiuuantem: conſequens eſt contra ipſummet Ariſtotelem, qui fatetur vnum primum motorem dari, qui ſit principium, à quo procedant omnes motus, & res omnes: & etiã contra veritatem, quia cum omnia, præter primum principium habeant eſſe participatum, neceſſe eſt illud participare ab eo. Sed probatur conſequentia, quia ſi quilibet homo pro-

ſicut modo fiunt, & modo poſt tempus finitum ſequitur corruptio cuiuſcunque hominis geniti; ergo non potuit durare, niſi per tempus finitum; quare non potuit eſſe ab æterno; quia quòd æternum eſt, infinitum tempus neceſſariò durare debet.

40 Tertia concluſio, *nulla creatura potuit ab æterno fieri ſub varietate operationum, ſiue fuerit ſpiritualis vel corporea, ſed ſi ab æterno fieret, neceſſe foret ſine vlla operatione fieri; vel in ea, cum qua fieret per infinitum tempus, deberet detineri.* Probatur primò, quia ſi Angelus fieret ab æterno actu intelligens, ſequitur non minus intellectionem eius eſſe æternã, ac eius eſſe; ſed implicat contradictionem eſſe illius deſinere ab æterno, quia ſequeretur eſſe eius eſſe ab æterno, & etiam non eſſe; & ex conſequenti, quòd ab æterno fuiſſet & non fuiſſet; quod repugnat; ergo non minus implicat contradictionem, quòd intellectio, cum qua ab æterno non fieret ab æterno etiam deſineret eſſe; alioqui ab æterno eſſet, & ab æterno non eſſet; quare neceſſe eſt per infinitum tempus non ceſſare ab ea Angelum, & conſequenter repugnat, quòd ab æterno fieret cum operationum varietate, quam habet modo.

41 Secundò, quia ſi cum aliqua operatione fieret ab æterno, & ab ea ceſſaret; vel ceſſaret etiam ab ea ab æterno vel in tempore; ſi ab æterno; ergo verum eſt, quòd ab æterno eam habuerit, & etiam ab æterno eam non habuerit; quod repugnat; neceſſe eſt ergo ceſſaſſe ab illa in tempore, & ideò per infinitum tempus eam habuiſſe. Et ex his duobus argumentis intelligitur veram eſſe concluſionem, quòd non poſſit creatura fieri ab æterno cum varietate operationum, ſed ſi ab æterno fiat cum operatione, immobiliter cõſiſtere debere in ea per infinitum tempus, vel ſine vlla operatione fieri, & per infinitum etiam tempus conſeruari ſine illa.

Argumentum autem ſecundæ opinionis nihil probat; ſed negandum eſt ei antecedens, quòd varietas generationum & corruptionum, & ſucceſſio finitæ durationis vnius poſt aliam non pugnet cum æternitate, quantumcunque negetur non dari primam præcedentem, nec ſubſequentem.

CAPVT III.

TEXTVS ARIST.

Principium autem conſiderationis id erit quod & dictæ dubitationis, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

CONSTITVTA æternitate motus duobus capitibus præcedentibus intendit Ariſtoteles probare, 42
quod detur vnus motor primus, & vnum etiam mobile primum, à quibus cætera dependeant, quod vt faciat, duas proponit diuiſiones in præſenti capite ex quibus id colligit, ſed non probat probaturus in ſequētibus capitibus, ideò in duas partes diuiditur caput præſens.

Prima diuiſio eſt hæc, ea quæ ſunt, vel ſemper mouentur omnia, aut omnia quieſcunt ſemper, aut quædam mouentur, & quædam quieſcunt. Ex his autem tribus membris probat duo priora eſſe impoſſibilia, & ideò 3. eſſe neceſſarium. Et primò probat, quòd nō omnia quieſcant, vt Zeno aiebat negans omninò motum; quia experientia euidenti conſtat plura corpora moueri de vno loco ad alterum. Probat deinde falſum eſſe ſecundum, quòd omnia moueantur ſemper, vt aſſerit Heraclitus putans omnia corpora eſſe in continuo motu: nam, & ſi videret quædam aliquando à motu ceſſare, dicebat fallacem eſſe hanc experientiam, quia licet non omnis motus percipiatur ſenſu, nihilominus ſemper mouentur omnia; quædam quidem veloci motu & ideò per ſenſum perceptibilem; alia verò tardiſsimo, vel adeò remiſſo, vt non percipiatur ſenſu: vt patet de augmento rerum naturalium; quod non ſemper percipimus, quando fit, ſed poſt aliquod tempus euidenter cognoſcimus eſſe factum, quod non eſſet verum; niſi quia ſemper fiebat, licèt non ſemper ſenſu perciperetur. Nihilominus falſum eſſe probat experientia in omni genere motus; quia nec ſemper augetur viuens, ſed dùm diſpoſitum eſt alimentum, ſicut guttæ cadentes ſuper lapidem, non ſemper extrahunt aliquid ab eo; ſed aliquo tempore diſponunt, & facta diſpoſitione aliquid extrahunt, nec mouetur homo dum dormit nec lignum calefit, dum longè eſt ab igne vel alio corpore calido, & lapides tandem multo tempore permanent in eadem duritie; ergo non ſemper indurantur. Reſtat igitur tertium membrum neceſſariò verum, quòd quædam moueantur, & alia quieſcant.

Hoc

43 Hoc autem membrum diuidit in tria alia, in ſecunda parte capitis. Nam quædam moueri, & alia quieſcere tribus modis intelligi poteſt. Primò, ita vt quædam moueantur ſemper; & quædam ſemper quieſcant, nihilque ſit, quod aliquando moueatur, & aliquando quieſcat. Secundò, ita vt omnia ſint in perpetua varietate motus, & quietis; quia aliquando mouentur omnia, & aliquando omnia quieſcunt. Tertiò, ita vt aliqua moueantur ſemper, alia nunquam, aut tandem alia aliquando moueanrur, & aliquando quieſcant. Et primum membrum probat eſſe falſum, quia euidenti experientia conſtat lapidem moueri dum extra proprium locum naturalem erat, & ad eum rendit ablaro impedimenro, & etiam eſt euidens eundem lapidem quieſcere poſtquam peruenit ad proprium locum naturalem; ergo falſum eſt, quòd quædam ſemper moueantur, & alia ſemper quieſcant, nihilque ſit, quod aliquando moueatur, & aliquando quieſcat. Excludit etiam ſecundum membrum aſſerens; quædam moueri ſemper, & quædam ſemper quieſcere, & hoc pertinere ad poſitionem Empedoclis aſſerentis per litem moueri, & per amicitiam quieſcere, quod ſuperiùs impugnatum eſſe ait. His autem duobus membris impugnatis, tertium ait neceſſariò eſſe admittendum, quòd quædam moueantur ſemper, quædam nunquam, & alia moueantur aliquando, & aliquando quieſcant; & ita ſe habere res in mundo aſſerit: nam ſemper moueri conuenit primo corpori, nempe cœleſti, nunquam moueri conuenit primo motori, & aliquando moueri, aliquãdo quieſcere corporibus ſublunaribus. Ex quibus colligit dari vnum primum mororem omninò immobilem & vnum primum mobile, quod ſemper mouetur: quod erat intentum totius capitis; ſed hæc non probat, in capitibus ſequentibus probarurus.

CAPVT IV.

TEX. ARISTOTELIS.

Mouentium igitur, & eorum, quæ mouentur alia quidem, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

44 INTENTVM huius cap. eſt probare, quòd quidquid mouetur, ab alio moueatur, vt ex eo probari poſsit omnes motus reducendos eſſe ad vnum primum motorem, à quo moueantur omnia.

Diuiditur autem in duas partes, in prima proponit

tres diuiſiones; in ſecunda, quandam propoſitionem vniuerſalem, quam probat in omni genere motus.

Prima diuiſio eſt; mouentium, & mobilium; nam quædã mouent, aut mouentur per accidens, vt album, vel muſicum; quedã verò per ſe, vt calidũ calefacit per ſe, & aqua mouetur per ſe ad calorem. Secunda eſt ſubdiuiſio ſecundi membri: nam, quæ per ſe mouentur, quædam mouentur ſecundũ naturam; qualia ſunt ea, quæ principium motus intra ſe habent, vt viuentia: alia mouentur ab alio quæ intra ſe non habent principium motus, vel non principale, vt dũ lapis mouetur ſurſum. Tertia diuiſio eſt ea, quæ mouentur, alia mouentur naturaliter, alia per violentiã naturaliter mouentur, quæ ex propria inclinatione mouentur, vt lapis deorſum; violenter verò quæ à principio extrinſeco contra propriam inclinationem, vt lapis ſurſum: nam motus violentus, vt definit idem Ariſtoteles libro tertio Ethicorum, capite primo, textu ſecundo, eſt, cuius principium eſt extra nil conferente vim paſſo. Quod eſt à principio extrinſeco moueri contra propriam inclinationem.

In ſecunda parte proponit hanc propoſitionem vniuerſalem: 45
Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Quam probat in omni genere motus, & primò quidem verãm eſſe conſtat in motu violento, vt patet ex definitione eius aſsignata. Veram quoq; eſſe ait, in his, quæ mouentur naturaliter à principio interno, qualia ſunt viuentia; quæ intra ſe habent principium ſui motus, ſicut nauis, quæ à principio interno motu quodam artificiali mouetur; ita viuentia mouentur motu naturali ab anima, vel corde, aliáve corporis parte interna; in qua virtus motiua reſidet. Solùm reſtat probanda in motu naturali corporum non viuentium, quæ vocantur grauia, & leuia, vt lapidis deorſum, vel aëris ſurſum. De quibus primò probat non moueri à ſe tribus argumentis. Primò, quia moueri à ſe proprium eſt viuentium corporum. Secundò, quia poſtquam moueri incipiunt, non poſſunt ſibi quietem inferre, vnde neque à motu ſiſtere, quouſque ad locum naturalem perueniant: vtrumque autem proprium eſt eorum, quæ à ſe mouentur; qualia ſunt viuentia. Tertiò, quia, quæ ſe mouent, partem per ſe mouentem habent, & per ſe motam; ita vt in illa, & non in hac ſit virtus motiua; ſed grauia, & leuia non habent talem diſtinctionem partium; quia cum ſint homogenea, omnes partes habent eiuſdem rationis; ergo non poſſunt moueri à ſe. Sed vt 46
explicet à quonam moueantur, annotat duplicem eſſe potentiam, proximam & remotam; & etiam duplicem actum, proximum, & remotum. Proximus dicitur actus primus, remotus

motus verò actus ſecundus; & potentia ad actum primum vocatur proxima, ad actum ſecundum remota: quia non reſpicit ſecundum, niſi medio primo. Explicat exemplo hominis, qui duplicem habet potentiam ad ſcientiam; quia ſcientia etiam duplex eſt, habitualis, & actualis; & Habitualis eſt quaſi actus primus, & proximus: Actualis verò quaſi ſecundus & remotus, vnde potentia ad habitum dicitur proxima in homine; quia intellectus per ſe eſt in potentia ad habitum; ad actualem verò ſcientiam remota; quia non habet actualem, niſi media habituali. Et quamuis potentia remota non poſſit peruenire ad actum ſecundum niſi medio primo; ſed ſtatim ac peruenit ad primum, poteſt prorumpere in ſecundum; vt homo ſtatim ac habet habitualem ſcientiam, poteſt prorumpere in actualem niſi aliquod ſit impedimentum, quo ſublato ſtatim exiet in actum liberè, vel naturaliter iuxta naturam potentiæ naturalis, vel liberæ. Et in rebus naturalibus aqua eſt quaſi in potentia proxima, vt fiat leuis; in quantum poteſt conuerti in ignem, & in potentia remota ad motum ſurſum, quem non niſi media leuitate habere poterit; ſed cùm primum facta ſit aër, conſequitur illum, niſi aliquod ſit impedimentum extrinſecum, à quo detineatur, quòd ſtatim ac ſublatum fuerit, mouebitur ſurſum. Ex quo infert Ariſtoteles ab eodem agente reduci rem naturalem ad actum primum, & ad actum ſecundum, nempè à generante, vt ab eodem igne, à quo generatur ignis, & fit leuis, reducitur ad actum ſecundum, qui eſt motus ſurſum. Sed quia poteſt detineri ab aliquo impedimento extrinſeco, ne ſtatim moueatur ſurſum, ab eodem à quo remouebitur tale impedimentum, dicetur etiam procedere motus: diuerſa tamen ratione, ac procedit ab igne generante; quia ab hoc tanquam à cauſa per ſe, à quo recipit grauitatem, per quam mouetur, ſed à remouente prohibens tanquam à cauſa per accidens. Grauia igitur, & leuia mouentur per ſe à generante, & ideò vera eſt etiam in eis propoſitio vniuerſalis, quod quidquid mouetur, ab alio mouetur; ſicut probatum eſt veram eſſe in viuentibus, & violenter motis, & ex conſequenti vera eſt in omni genere motus.

QVÆSTIO I

An verum ſit, quòd quidquid mouetur, ab alio moueatur.

47 VT meliùs intelligatur difficultas quæſtionis, notandum eſt, hanc propoſitionem vniuerſalem, quidquid mo-

uetur, ab alio mouetur, ſolum prolatam eſſe, & intellectam ab Ariſtotele de rebus materialibus, & totalibus quidem, aut completis, qualia ſunt corpora naturalia, & ideò de ſolo motu phyſico eorum; quia hunc ſolum intendebat reducere ad vnum primum principium, & ex illo per demonſtrationem à poſteriori probare vnum primum motorem dari à quo tanquam à primo principio mouentur omnia corpora, & ſuum eſſe recipiunt, & cum eo ſimul virtutem operandi. Hæc eſt communis ſententia expoſitorum omnium in hoc loco, & ex contextu totius libri euidenter deducitur. Vnde ſequitur de operationibus rerum ſpiritualium, quales ſunt intellectiones, & volitiones eorum non procedere quæſtionem; an in his moueantur ab alio, vel à ſeipſis; nec de ſimplici emanatione proprietatum ab eſſentia; vel natura, cum non ſit motus, vel mutatio phyſica. Sed nec de motibus partium, quos prius reiecit Ariſtoteles cum motibus per accidens, quàm ſuam propoſitionem vniuerſalem proferret, & ſi de his ageret, neceſſarium foret procedere in infinitum in partibus viuentium; vel concedere, quod prima pars eorum, à qua mouentur cæteræ, moueatur ab alio extrinſeco; cum non poſſit amplius diſtingui in partem per ſe mouentem, & per ſe motam. Nec etiam ſenſus eiuſdem propoſitionis eſt de mouē- 48
te, vt quo, nam de hoc certum erat diſtingui realiter à remota, & ſatis per ſe euidens erat propoſitio, quòd ab alio realiter diſtincto debeat moueri, quidquid mouetur; nempe à ſua forma, de qua certum eſt, principium, quo motus, eſſe realiter diſtinctum à toto, quod mouetur. Loquitur ergo de mouente, quod, realiter diſtincto à mobili: nam, quòd ratione diſtingui debeant mouens, & motum, nemo poteſt dubitare, alioqui idem eſſet mouens, & motum, agens, & paſſum reſpectu eiuſdem motus, & ſub eadem ratione, quod conſtat eſſe falſum & propterea dixit diſtinguendum eſſe illud, quod à ſe mouetur in partem per ſe mouentem, & per ſe motam, integrantes quidem: nam eſſentiales, nec mouent, nec mouentur, vt quod, quare non poteſt eſſe vna per ſe mouens, & alia per ſe mota; ergo in hoc ſenſu verum eſſe contendit Ariſtoteles, quòd quidquid mouetur, ab alio mouetur; vt bene D. Thom. 2. quæſtione ſecunda, de veritate, artic. tertio, quem ſequuntur cæteri Interpretes. Quod de his, quæ mouentur motu violento euidens eſt; cum moueantur ab extrinſeco contra propriam inclinationem; ſolùm ergo procedit quæſtio de his, quæ mouentur naturaliter; ſed hæc in duplici differentia ſunt; nam quædam ſunt viuentia; alia non viuen-
tia,

tia, quæ vocantur grauia,& leuia , vt terra, lapis , aqua, aër , & ignis,de his agendum erit quæſtione ſequenti, & ideò quæſtio præſens ſolùm procedit de viuentibus , an verum ſit, quod ab alio moueantur, vt docet Ariſtoteles.

49 Eſt autem prima opinio negans, *quòd vera ſit in eis, quidquid Ariſtoteles dixerit, ſed à ſeipſis moueri abſque diſtinctione partis per ſe mouentis, & per ſe motæ, imò nec fuiſſe ab Ariſtotele hac via probandum dari vnum primum motorem, quia ſatis difficilis eſt, & aliqua præſupponit valdè dubia, alia verò fortè falſa.* Ita Scotus in 1.diſtin.3.quæſt.7. & 9. Metaphyſ.quæſt. 14. & ibidem Antonius Andræas, Greg.in 2.diſt.6. quæſtion.1. art.13. Iandun.8. lib. Phyſ. quæſtion.12. Comment.3.lib.1. de cœlo Comment. 28. & ex Modernis multi. Sed probant primò non eſſe veram propoſitionem Ariſtotelis in vllo genere motus. Primò,quia ſi hoc eſſet neceſſarium,maximè,quia idem non poteſt eſſe ſimul in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem motus; ſed hoc non repugnat, præſertim in cauſis æquiuocis, quas non eſt neceſſarium continere formaliter formam producendam; ſed ſufficit virtualiter, vel eminenter. Ex quo ſequitur, quòd eadem res poſſit mouere ſeipſam ad illam formaliter acquirendam per virtutem, quam habet eam continentem; & in tali motu idem realiter erit mouens, & motum, agens, & paſſum ſola ratione diſtinctum, agens quidem per formam eminenter continentem effectum, & paſſum per potentiam receptiuam eius, quod conſtat in aqua calida reducente ſe ad priſtinam frigiditatem: mouet enim ſe, & eſt in actu per virtutem ſuæ formæ ſubſtantialis; in qua continetur virtualiter frigiditas; ad quam mouetur, & eſt mobilis, atque in potentia, per capacitatem, quam habet eam recipiendi, & ita non ab alio, ſed à

50 ſe primò mouetur. Secundò, in viuentibus non diſtinguitur mouens à mobili; ergo idem mouet ſeipſum primò, & non mouetur ab alio; quare non erit in eis vera propoſitio Ariſtotelis. Probatur antecedens, quia ſi diſtinguerentur, maximè ſecundum diuerſas partes; quarum vna moueat, & aliæ moueantur; vt in animalibus, in quibus cor, vel cerebrum per immiſſionem ſpirituum animalium videntur mouere cæteras partes; ſed hæc diſtinctio, nec eſt neceſſaria, nec poſſibilis; ergo nec poſſibilis erit diſtinctio mouentis, & mobilis. Probo minorem; quia vel pars primò mouens mouetur à ſe, vel ab alia; non ab alia; quia daretur proceſſus in infinitum; cum eadem eſſet quæſtio de illa; ſed nec poteſt moueri à ſe; quia non ampliùs diſtingui poteſt in partem per ſe mouentem,& per ſe motam; & ſi diſtinguatur; ſequitur etiam dari proceſſum in

infi

infinitum: cum eadem ſit quæſtio de parte mouente, in quâ diſtinguitur, an moueatur à ſe, vel ab alio. Et ſi fortè dicatur partem primò mouentem, vt cerebrum, vel cor moueri à generante: obiicio eundem Ariſt. expreſsè negantem, quod viuentia moueantur à generante cap. præſenti.

Secunda opinio defendit veritatem eiuſdem propoſitionis cum Ariſtotele. Ita D. Thom. non ſolùm capite præſenti, & in principio libr. 7. ſed multis aliis ſuæ doctrinæ locis, Aegid. tertio, quæſt. 16. Capreol. in 1. d. 3. quæſt. 3. Ferrar. 1. lib. contra gent. cap. 23. P. Suarius tomo 1. Metaphyſic. diſput. 18. ſect. 7. num. 11. & Conimb. cap. præſenti, & nobis videtur vera eadem propoſitio iam à nobis explicata. Probatur veritas eius in omni genere motus. Et primo in motu alterationis, qui tribus modis effici poteſt: nam vel fit ſecundum qualitatem naturalem, aut repugnantem naturæ, aut indifferentem, vt illuminatio, quæ ſolum in ſubiecto præſupponit potentiam paſsiuam. Quocunque autem ex his modis fiat, verum eſt, ab alio moueri, quod alteratur; ergo ſemper eſt vera propoſitio in alteratione. Probatur minor: quia ſi fiat à qualitate repugnante, vel indifferenti, euidens eſt fieri ab extrinſeco principio, vt dũ calefit aqua, vel illuminatur aër, qualitas autem naturalis, duobus modis eſt in re, quæ alterari poteſt, nempè formaliter, vel virtualiter, calor eſt formaliter in igne, & virtualiter in pipere quem imprimere poteſt aliis, & ſi alteratio fiat à qualitate formali, euidens eſt non poſſe corpus ſecundum ſe totum alterari à ſe, dum eſt in naturali diſpoſitione habens gradum talis qualitatis conuenientem ſuæ naturæ, & ſi ſit extra naturalem diſpoſitionem totum corpus, vt aqua calida, alteratur per naturalem emanationem, per quam ſe reducit ad naturalem ſtatum, non quidem à ſe, ſed à generante (vt quæſtione ſequenti videbimus) & ideò ab alio moueri conſtat: ſi verò ſit extra naturalem diſpoſitionem ſecundum vnam, vel aliam partem, alteratur à proximioribus partibus, & etiam in tali motu euidẽs eſt moueri vnam partem ab alia. 51

Secundũ qualitatem verò virtualem nunquã res ſe alterat, quia talis qualitas nõ eſt data corpori à natura ad agẽdum in ſe, ſed in alia, vt piper per calorem virtualem, quem habet, non poteſt ſe calefacere, ſed alia, quare non ſe mouet tali genere motus, ſed mouet alia; quocunque ergo modo fiat alteratio, manifeſtum eſt ab alio moueri corpus, quod alteratur, & non à ſe primò. In motu verò augmentationis magis notum eſt: cum fiat per actionem viuentis in alimentum, quod ſua virtute conuertit in propriam ſubſtantiam, & ſimul cum ſubſtantia 52

producit

producit ſibi maiorem quantitatem, per quam augetur, quare in hoc motu etiam diſtinguuntur realiter mouens, & motum. Et tandem in motu loca i viuentium, qui mouentur à
53 virtute motiua vitali exiſtenti in determinata parte corporis, vt in maſculis. & ex parte in corde, & mouentur per immiſſionem ſpirituum vitalium ab vna parte in alias, vnde ſemper diſtinguuntur realiter mouens, & motum, ſaltem diſtinctione partiali. An verò hæc pars primò mouens moueatur ab alia parte, vel à generante, ſiue quouis alio, nihil refert ad intentum Ariſtotelis nec ad veritatem propoſitionis eius, quam de ſolo mobili, & mouente completo intelligit, vt ex communi ſententia omnium interpretum probauimus, quem reducere intendit ad vnum primum motorem; nihil curans de motu partium tanquam de incompleto. An verò, & quo modo grauia, & leuia moueantur ab alio motu naturali, & ideo vera in eis ſit eadem propoſitio, quæſtione ſequenti examinabitur.

Ad primum argumentum admittunt quidam ex his, qui noſtram ſententiam defendunt, ideò ab alio moueri, quidquid mouetur, quia non poteſt idem met reſpectu eiuſdem motus ſimul eſſe in actu, & in potentia. Sed hanc rationem inſufficientem eſſe probat argumentum; quia licet repugnet in cauſis vniuocis aliquid eſſe in actu formali, & ſimul in potentia formali reſpectu eiuſdem motus, vt eſſe actu calidum, & potentia calidũ reſpectu eiuſdem gradus caloris ad quem acquirendum mouetur; non tamen repugnat in cauſis æquiuocis, in quibus poteſt eſſe aliquid ſimul in actu virtuali ratione ſuę formæ virtualiter continentis effectum; vel terminum motus, per quem actũ ſe moueat, atque etiam in potentia formali ad recipiendum terminum; quem non habet formaliter, vt corpus per potentiam motiuam continentem, vbi, quod eſt terminus motus, poteſt eſſe in actu, & ſe mouere, & per potentiam formalem illud in ſe recipiendi erit in potentia, & ideò à ſeipſo poteſt moueri; & non ab alio; quare non erit vera in his propoſitio Ariſtotelis. Propterea alio modo reſpondeo; non eſſe neceſſarium ab alio moueri quidquid mouetur, propter hanc rationem vniuerſalem, ſed propter particularem naturam mouentis, & mobilis corporei; ratione cuius requiritur diſtinctè eſſe realiter mouens, & mobile in omni motu Phyſico, vt probauimus, & ideò ab alio mouetur ſemper corpus phyſicũ, & non à ſe primo in quocunque motu Phyſico: nam etiã in locali à determinata parte moueri oſtendimus. De aqua verò reducente ſe ad priſtinam frigiditarem negamus etiam à ſe reduci; ſed à generante, vt quæſtione ſeq. oſtendimus,

Ad

Ad ſecundum neganda eſt minor; quòd in viuentibus non ſit diſtinctio mouentis & mobilis ſecundum diuerſas partes corporis. Et dum quæritur, à quo mouetur pars primò mouens, reſpondemus impertinens eſſe, quod mouetur à ſe, vel ab alia parte; aut à generante ad intentum Ariſtotelis; vel ad veritatem propoſitionis ejus; quam ſolùm de motu completo corporis intelligit; quem reducere intendit ad primum motorem etiam completum, nihil curans de motibus partium tanquam de incompletis, & quaſi per accidens; ſatis ergo in motu totius corporis diſtinguere mouens à mobili realiter ſecundum diuerſas partes, nec eſt quærenda eadem diſtinctio in motibus earundem partium incompletis, de quibus non loquitur propoſitio Ariſtotelis, nihilominus dicetur quæſtione ſequenti, cui ſit tribuendus motus partis primò mouentis. 54

QVÆSTIO II.

An moueantur grauia, & leuia à generante, vel à ſeipſis.

SOlùm reſtat diſputare, an propoſitio vniuerſalis prolata ab Ariſtotele quòd quidquid mouetur ab alio, & non à ſe moueatur, vera ſit in motu naturali corporum non viuentium; vt in motu aëris ſurſum, & terræ deorſum; nam, quòd in cæteris omnibus vera ſit, probauimus quæſtione præcedenti, vt autem vera ſit; neceſſe eſt diſtinguere realiter in tali motu mouens à mobili; & cum non poſſit fieri talis diſtinctio ſecundum diuerſas partes eorundem corporum, ſicut in viuentibus; nam omnes ſunt eiuſdem rationis, & eiuſdem virtutis; & ideò non eſt maior ratio ob quam vna ſit mouens, quàm alia; neceſſe eſt aſſerere, quòd ab aliquo motore extrinſeco moueantur, & propterea Ariſtoteles docuit moueri à generante, cui ſicut tribuitur eſſe eorum & virtus motiua; ita debet tribui motus. Quod ſi verum ſit, facilè intelligitur, ab alio moueri; ſed quia difficile eſt tales motus naturales tribuere generanti, propterea titulus quæſtionis id proponit diſputandum, an à generante moueantur, vel à ſe. 55

Et prima opinio tenet non à generante, ſed à ſe moueri; quare non eſſe verum in his motibus, quod ab alio moueantur. Ita tenent in primis omnes illi, qui quæſtione præcedenti tenuerunt contra Ariſtotelem non eſſe veram propoſitionem eius in motu viuentium; imò nec ſimpliciter verum eſſe, quòd quidquid mouetur, ab alio moueatur; ſed omninò falſum, & ex quo non poteſt vllo modo colligi, quòd detur primus motor, à 56

tor, à quo procedant omnes motus. Ita Scotus in 2. d. 2. quæſt. 19. Greg. d. 6. qu. 1. artic. 3. Mayron. d. 14. quæſt. 6. Achilinus 3. lib. de Elementis q. 2. Iandun. 8. lib. Phyſic. quæſt. 12. Albert. Saxoniæ quæſt. 6. eiuſdem lib. Nimphus & Burid. cap. præſenti, Perer. lib. 7. cap. 16. Valleſ. controuer. 11. & 42. ad Tyrones, & ex Modernis non pauci. Probant primò, quia effectus in actu poſtulat cauſam in actu, præſertim efficientem; nam actualis influxus, per quem cauſa efficiens communicat ſuum eſſe effectui, actualem exiſtentiam eius neceſſariò poſtulat, ſed illud quod lapidem genuit, vel graue aliud corpus, poteſt eſſe iam extinctum, vel longè abeſſe ab illo; ergo in his caſibus non poterit eſſe cauſa efficiens motus deorſum, quo mouetur idem lapis; alioqui dum præcipitatur aliquis ab alto à ſuo parente præcipitaretur. Et hoc præſertim argumentum videtur concludere in corpore graui ab alio corpore leui genito, vt dum aër conuertitur in aquam: tunc enim non poteſt tribui motus deorſum aquæ à generante, quod eſt corpus leue nullam habens virtutem ad motum deorſum.

57 Secundò, quia non eſt minus naturale igni calefacere, quàm ſurſum moueri; neque aquæ ſe reducere ad priſtinam frigiditatem, quàm moueri deorſum; nec minus naturalis eſt motus dilationis, & cõſtrictionis cordis; atque etiam motus reſpirationis, quàm motus deorſum lapidis; ergo ſi motus naturalis grauium & leuium tribuitur generanti, eadem ratione hi omnes debent generanti tribui, quod patet eſſe falſum.

Tertiò, quia motus grauium & leuium non excedit virtutem propriæ formæ ſubſtantialis, nec virtutem grauitatis & leuitatis; & tam iſtæ, quàm illa ſunt principia actiua eorundem motuum; ergo eiſdem corporibus tanquam principalibus cauſis efficientibus debent tribui; & non generanti, ſicut tribuuntur cæteri motus quibuſcunque corporibus, ratione ſuarũ formarum ſubſtantialium, & potentiarum naturalium, à quibus tanquam à cauſis efficientibus procedunt.

Secunda opinio eſt aliorum, qui cum Ariſtot. cap. 4. huius lib. lib. 5. c. 2. textu 18. lib. 2. de cœlo & mundo ca. 2. text. 9. & lib. de animal. motu cap. 3. *tenent motum grauium, & leuium non eſſe his corporibus tribuendum, tanquam cauſis principalibus & proximis eius, ſed generanti.* Ita D. Tho. in eiſdem locis, & 1. p. q. 2. art. 3. & q. 18. art. 1. vbi & Caiet. & 1. lib. cõtra gent. c. 9. vbi etiam Ferra. Albert. Mag. 8. lib. Phyſ. tract. 2. ca. 4. Ægid. quodlib. 5. q. 6. Capreol. in 2. d. 6. q. vnica art. 3. Sotus 2. lib. Phyſ. q. 1. Toletus q. 2. & vterque hoc loco, Conimbr. q. 1. huius cap. P. Suarius Tomo 1. Meta. diſp. 18. ſect. 7. num. 21. & videtur nobis tenenda.

Sed,

Sed, vt eam explicemus, atque probemus, priùs præſupponenda ſunt quædam ferè apud omnes opinantes certa: primum, grauia & leuia non moueri à cœlo tanquam à cauſa proxima, neque etiam ab aliqua virtute loci naturalis per modum attractionis; quia nulla talis virtus poteſt eſſe in loco, quæ ad tam magnam diſtantiam operetur; vt in terra ad attrahendum ad ſe lapidem in concauo lunæ exiſtentem; ſed nec mouentur à locis contrariis; in quibus exiſtant per modum expulſionis, nec denique ab aëre circumſtante. Et ratio horum eſt; quia corpora iſta naturali pondere ſuæ inclinationis mouentur, & quo grauiora vel leuiora velociùs; ergo præter hæc extrinſeca agentia, aliud eſt deſignandum in eorum natura, à quo moueantur tanquam à propria ac principali & proxima cauſa; ſed nec à remouente prohibens, niſi tanquam à cauſa per accidens, vt docuit Ariſtoteles; quia non habet per ſe influxum circa motum eorum. Vnde ſequitur certum quoque eſſe, non ſic à generante moueri, vt nullum habeant in ſe principium intrinſecum actiuum ſui motus; ſed paſſiuè tantùm ad eos concurrant, vt ſine fundamento rationis aſſeruit Soto vbi ſupra cum Iauello, aduerſus communem ſententiam cæterorum omnium: qui ſiue à ſe, ſiue à generante moueantur, principium actiuum intrinſecum eis concedunt. Eiuſmodi principium apud omnes, vt minimum eſt grauitas & leuitas; quæ ſunt naturales potentiæ actiuæ ad tales motus, de quibus licèt docuerit Ariſtoteles 2. lib. de gener. cap. 2. text. 8. non eſſe qualitates actiuas, non in ordine ad motum localem intellexit; ſed ad producendas alias qualitates ſimiles, quas certum eſt non poſſe producere, ſicut poſſunt primæ qualitates, vt calor & frigiditas. Ad motum verò effectiuè concurrere euidens experientia docet; quia ſine noua cauſa concurrente, per ſolam maiorem grauitatem aut leuitatem velociùs mouentur. Nec ſolùm grauitas, & leuitas effectiua principia ſunt motus ſurſum, & deorſum; ſed formæ etiam ſubſtantiales eorundem corporum, vt omnes opinantes fatentur, præter duos citatos, qui ſolùm tribuunt his corporibus principium intrinſecum paſſiuum ſuorum motuum, & actiuum nullum. Quòd verò principium actiuum debeat eſſe forma ſubſtantialis, euidens eſt, ſuppoſito, quòd actiua ſint principia, grauitas & leuitas; nam iſtæ virtutes, aut potentiæ ſunt emanentes à natura eorundem corporum, præcipuè ratione formæ ſubſtantialis; ergo tanquam virtutes earum efficiunt motum; qui eadem ratione debet effectiuè procedere à forma ſubſtantiali. An verò ab his principiis grauitatis, ac ſubſtantialis formæ procedat

58 (margin, line 1) · 59 (margin, line 17)

procedat tanquam à præcipua, & proxima cauſa; & ideò eiſdem grauibus tribuatur, vel ſolùm vt inſtrumento generantis, à quo tanquam à principali cauſa procedat, in hoc poſita eſt difficultas quæſtionis.

60 Pro cuius ſolutione notandum eſt diſcrimen inter corpora viuentia, & non viuentia ab omnibus admiſſum; quòd perfectio naturalis illorum conſiſtit in motu, quod à Deo verum eſt, ac neceſſarium, vt cùm primum ab omni motu vitali ceſſant, tunc primùm vitam amiſiſſe cenſeantur, horum verò, non niſi in quiete, hoc eſt; in permanentia in ſuis locis naturalibus, in quibus conſeruantur, non enim mouentur, niſi dum extra locum naturalem violenter detinentur; & cum primum conſequuntur locum naturalem, ceſſant omninò à motu. Vnde ſequitur naturam non generare viuentia in ſua perfectione; ſed nimis imperfecta. & ea relinquit, vt ſe perficiant per continuos motus; ad quos efficiendos naturales, ac vitales virtutes eis tribuit; quare non ſunt nata habere, vel accipere ex vi ſuæ generationis omnem perfectionem naturæ propriæ debitam; ſed per proprias operationes, & motus poſtquam genita ſunt eam acquirere. Sed non viuentia, cum ſint infimi ordinis, non poſſunt ſe perficere, ſed ſuam perfectionem à generante accipere debent, & ideò non debent imperfecta generari, ſed nata ſunt omnem perfectionem debitam ſuæ naturæ accipere à generante ex vi ſuę generationis; & cùm pertineat ad perfectionem eorum conſiſtentia in ſuis locis naturalibus, in quibus cõſeruantur, ſicut accidentia alia, quibus ornata generari debent; natura

61 eorum poſtulat, vt in eis generentur: & cum ad generantem pertineat tribuere rei à ſe genitæ omnem perfectionem debitam ſuæ naturæ ex vi generationis, ſequitur ad generantem corpus graue pertinere illud in ſuo loco naturali generare; vel ſi contingat, quòd extra illum generetur ratione alicuius impedimenti, ad eum reducere, per ſe, vel per ſuam virtutem ei collatam; ita vt per eam poſſit conſequi proprium locum; ſi aliquando extrahatur ab eo per violentiam: itaque ſicut generanti cuicunque tribuitur, non ſolùm eſſe rei genitæ, ſed proprietates ipſum eſſe conſequentes, & omnes potentiæ naturales, omniáque accidentia, atque ornatus omnes ſibi debiti, ex vi ſuæ generationis, & in inſtanti in quo generatur: quia hæc omnia ſunt quaſi corollarium eſſentiæ; ita generanti rem grauem, non ſolùm attribuitur eſſe eius, ſed proprietates, atque potentiæ naturales illud conſequentes, & cætera accidentia, quæ pertinent ad ornatum, & conſeruationem eius; quia hæc omnia debita ſunt ei ex vi ſuæ generationis in eodem inſtanti in

Bbb quo

quo generatur, præterea quemadmodum, ſi contingat aliquam proprietatem, aliquam potentiam, aliquod accidens, vel ornatum rei genitæ, ei debitum ex vi ſuæ generationis impediri, ne illi tribuatur per generationem, vel poſtquam ei collatum fuit per violentiam auferri ab eo; & illud poſtea conſequi rem genitam conſecutione naturali, ſublato impedimento, conſecutio eius tribuitur eidem generanti, & meritò; quia illud conferre ex vi generationis pertinebat per ſe ad ipſum, & per accidens contigit, quòd illud ſtatim non contulerit; eodem modo ſi contingat graue corpus ratione alicuius impedimenti generari extra locum naturalem, vel poſtquam in eo genitum eſt extrahi per violentiam ab eo, eidem generanti tribui debet conſecutio eiuſdem loci naturalis; quæ eſt naturalis motus ſublato impedimento; quia quaſi per emanationem, vel conſecutionem naturalem, procedit ab eodem corpore graui. Et quia generans non ſemper poterat corpori genito adeſſe, ſuam virtutem ei tribuit per generationem, per quam poſſit illud in locum naturalem ſibi debitum ex vi generationis, & in inſtanti, in quo fuit genitum, reſtituere. Quod hoc exemplo oſtendere poſſumus; ad hominem generantem alium pertinet tribuere illi eſſe, paſſiones, & accidentia, atque ornatum ei debitum ex vi ſuæ generationis: ſi verò propter aliquod impedimentum non ſequeretur proprietas, vel potentia aliqua, vel accidens ſibi debitum ex vi ſuæ generationis, & in inſtanti in quo generatur, & poſtea ſublato impedimento eam per quandam naturalem ſequelam, vel motum acquireret, non eſt dubium, quin eidem generanti deberet tribui accidens illud, & conſecutio eius, quæ eſſet motus, vel mutatio, aut actio, ita ergo generanti tribuitur conſtitutio grauis in ſuo loco naturali, etſi impediatur in inſtanti generationis, vel poſtquam in eo fuit genitum extrahatur ab illo, ex conſequenti tribuitur reſtitutio eius, quæ quaſi per naturalem ſequelam fit; & hæc reſtitutio eſt motus naturalis, ideò generanti, & non rei graui tribui debet, & quamuis ad talem reſtitutionem concurrant effectiuè forma ſubſtantialis, & grauitas, non tribuitur eis motus: quia non concurrunt ad eum, quemadmodum concurrunt virtutes aliæ aliorum corporum ad motus proprios, vel actiones, ſed tanquam virtutes generantis in hunc finem ab eo tributis per generationem, vt id loco eius facerent, quod per ſe facere per generationem ad ipſum pertinebat, & hoc eſt pulchrum fundamentum, cui innititur ſententia Ariſtotelis, licet non euidens, ſatis tamen probabile.

61 … 63 (margin numbers)

Et ex

64 Et ex quo non eſt difficile argumentum Modernorum ſoluere; nam ad primum diſtingenda eſt minor; quia duobus modis contingit cauſam agere, per ſe, vel per ſuam virtutem; & vt per ſe operetur, neceſſariò debet exiſtere; ſed per ſuam virtutem actu exiſtentem, & operantem operari poteſt, etiam ſi actu non exiſtat, & ita licet generans aliquando non exiſtat ſed extinctum ſit, poteſt operari per grauitatem, vel leuitatem, quæ eſt virtus eius; quam graui dedit per generationem; vt per eam poſſet ei reſtituere locum naturalē ſibi debitum ex vi ſuæ generationis in eodem inſtanti, in quo genitum fuit; & ab eodem generante tribuendum per ſe, & ex proprio officio. Exemplum habemus in ſemine, quæ eſt virtus animalis, vel plantæ, per quam operatur, etiam ſi extinctum iam ſit, vt eſt manifeſtum.

Quod verò corpus graue, fiat ex leui, nihil refert; quia non generatur ab eo, ſed ab alio corpore graui formaliter, vel eminenter, vt à ſole, & hoc ſufficit, vt ei tribuatur grauitas, per quam generans illud moueat deorſum. Nec dicetur filius præcipitari à patre, dum ab alto cadit; quia præcipitatio dicit motum violentum per impulſum; generans verò non impellit graue deſcendens; quamuis ei attribuatur motus, tanquam cauſæ efficienti naturali per grauitatem.

65 Secundum argumentum imprimis afferebat calefactionem ignis, quam dicit tribuendam eſſe generanti, ſi tribuitur motus ſurſum eiuſdem ignis. Sed neganda eſt paritas rationis; quia eſſe in loco naturali, quod conſequitur per motum, debitum eſt ei ex vi generationis: & in primo inſtanti, in quo generatur, tanquam perfectio propria; & propterea attribuitur generanti quotieſcunque eam conſequitur; calefacere verò non pertinet ad perfectionem propriam; ſed alterius, ad quod tranſit; ideò non eſt debitum igni ex vi generationis, nec generanti tribuitur. Secundò adducit reductionem aquæ in priſtinam frigiditatem, quam dicimus ex oppoſito generanti eſſe tribuendam; quia frigiditas eſt perfectio debita aquæ ex vi generationis; & in inſtanti, in quo generatur; quare ſicut pertinet per ſe ad ipſum eam tribuere aquæ, ita pertinet eam ei reſtituere per motum procedentem à forma eius, tanquam ab inſtrumento generantis, ſicut tribueretur riſibilitas generanti, quæ naturaliter ſequeretur poſt generationem, ſublato impedimento, ratione cuius non emanaret ab eſſentia in inſtanti generationis, nam motus grauis, per quem conſequitur locum naturalem, modum habet naturalis emanationis. Adducebat vltimo argu. motus illos vitales dilatationis, & cōſtrupctionis

ctionis cordis,atque etiam reſpirationis, quos licet aliqui tribuant generanti,non poſſunt apud Ariſtotelem generanti tribui;quia expreſsè negat viuentia,vt talia moueri à generante, 66
nec tales motus nati ſunt conuenire viuenti in inſtanti generationis,quamuis conueniant immediatè poſt, ideò non poſſunt aliquo titulo generanti tribui.Sed ipſimet viuenti,in quibus non eſt neceſſe moueri ab alio ad veritatem Ariſtotelicæ propoſitionis,cum non ſint motus corporis, nec completi, de quibus ſolis loquitur,ſed motus incompleti partium.

Ad tertium concedendum eſt antecedens, quòd motus grauium,& leuium non excedit virtutem formæ ſubſtantialis; & grauitatis,aut leuitatis;ſed neganda eſt conſequentia,quòd eis ſit tribuendus;nam cum eſſe in loco naturali, quòd cõſequuntur per motum,ſit perfectio eis debita ex vi generationis in inſtanti,in quo generantur;generanti potiùs tribui debet, ad cuius officium pertinet eam tribuere genito;quare forma,& grauitas solùm concurrunt ad motum, tanquam virtutes, aut inſtrumenta eiuſdem generantis; non quidem inſtrumentaliter ex parte effectus ſecundum ſubſtantiam conſiderati,ſed ex parte modi,hoc eſt,vt debiti ex vi generationis; nam ſub hac conſideratione loco generantis concurrunt, ad quem pertinet, & cuius aliquid ſunt. Exemplum eſſe poſſunt propriæ paſſiones, quæ non excedunt virtutem eſſentiæ, à qua emanant, & quæ efficienter concurrit ad emanationem earum;nihilominus hæc tribueretur generanti,etiamſi poſtquam impeditæ fuiſſent, ſequerentur ſublato impedimento, & eſſentia solum concurreret tanquam virtus generantis;& ideò per modum inſtrumenti,ſicut modo concurrit;dum ab ea emanent. Et ratio huius eſt eadem;quia debitæ ſunt rei genitæ ex vi generationis,& in eodem inſtanti,in quo generatur.

CAPVT V.

TEXT. ARISTOTELIS.

Hoc autem dupliciter, aut enim non per ſe ipſum mouens,ſed per alterum, &c.

Breuis expoſitio Text.

INTENTVM huius capitis eſt probare,quòd detur primus motor per ſe immobilis, à quo moueantur cætera. Diuiditur caput in duas partes, in prima ponit duas diuiſiones: in ſecunda probat propoſitionem intentam. 67

Prima

Prima diuiſio eſt, mouentium, quædam mouent ab alio mota; alia verò mouent, non mota ab alio; ſed mota per ſe, vel à ſe; vt baculus mouet lapidem motus à manu: manus verò mouet baculum non mota ab alio, ſed per ſe; hoc eſt, propria virtute motiua. Secunda diuiſio eſt ſubdiuiſio mouentium per ſe; nam quædam mouent per plura media; alia per vnum tantùm, & vtroque modo contingit mouere hominem, nam vel mouet lapidem per manum, vel per manum, & etiam per baculum. Hæc eſt autem differentia inter primum mouens, & intermedia, vt inter hominem, ex vna parte, & manum, atque etiam baculum ex altera, quòd licet omnia per ſe moueant, ſed primum mouet per ſe primò; quia ita à ſe mouet, vt non ab alio moueatur, & ideò nec in mouendo dependet ab alio; quare perfectiùs mouet, & ex hoc dicitur primum mouens; nam intermedia omnia vſque ad vltimum, & mota mouent, & dependenter ab alio mouent, & ideò imperfectiùs mouere dicuntur, & iure vocantur intermedia.

68 His ſuppoſitis propoſitio, quam probare intendit, eſt, quòd detur primus motor per ſe immobilis, quam probat hac ratione, quidquid mouetur debet moueri ab alio; ergo vel illud, à quo mouetur, etiam mouetur, vel non, ſed immobilis eſt, & ſi hoc ſecundum dicatur, intentum habebitur: quia illud erit primum mouens immobile, ſi verò moueatur, vel à ſe mouetur, vel ab alio; non ab alio; quia de illo erit eadem quæſtio, an moueatur ab alio; & ſic dabitur proceſſus in infinitum in mouentibus per ſe, ex quo impoſſibilis efficietur motus; quia erunt infinita mouentia abſque primo, & vltimo; & ideò nunquam poterit virtus horũ peruenire ad alios, neque conuerſo, quare nec poterunt efficere motum: & cum experientia conſtet motum dari, falſum erit, quòd in infinitũ ſit procedendũ; neceſſe eſt ergo peruenire ad aliquod ita mouens, quod non moueatur per ſe ab alio, ſed vel prorſus ſit immobile, & hoc erit primum mouens, vel primus motor ſimpliciter, à quo mouentur cætera; ipſe verò non moueatur ab alio. Sed probat deinde, quòd non moueatur à ſe: nam in mouentibus corporeis, (de quibus hucuſque tantùm loquitur) nihil poteſt moueri à ſe primò, vt ſuperiùs probatum eſt; ſed ſi à ſe mouetur, debet diſtingui in partem per ſe mouẽtem, & per ſe motam; ergo ſi primum mouens à ſe mouetur, ratione alicuius partis primò mouentis cæteras moueri debet, vel ergo illa pars mouetur per ſe ab alia; ita vt non poſſit non moueri ab ea, vel mouetur à ſe, hoc repugnat quia dabitur proceſſus in infinitum in mouentibus partialibus atque etiam, quod per ſe moueatur ab alia parte; ergo erit pri-

mum mouens partiale, ac per ſe immobile, & ideò primum mouens erit per ſe immobile, à ſe, & ab alio. Probatur minor, quòd illa pars non moueatur per ſe ab alia, quia impoſſibile eſt, quòd mouens aliud eodem genere motus moueatur per ſe ab eo; alioqui quod calefacit aliud, per ſe calefiet ab eo, & qui docet aliquem per ſe ab eo docebitur, quod abſurdum eſt.

CAPVT VI.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem oportet motum ſemper eſſe, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

PROBAVIT Ariſtoteles capite præcedente, quòd detur primus motor per ſe immobilis ab alio extrinſeco motore, atque à ſe; ſed vt probaretur prorſus immobilis, reſtabat probandum, quòd neque ab alio, neque à ſe per accidens moueri poſſit, & hoc intendit probare capite præſenti, quod in quatuor partes diuiditur. In prima, probat primum motorem eſſe perpetuum. In ſecunda, quòd ſit vnus, & non plures. In tertia, quod ſit prorſus immobilis. Ita vt neque per ſe, neque per accidens moueatur. Et in vltima quod detur vnus aliquis motus primus perpetuus alicuius primi corporis ab eo moti. 69

Probat igitur primò, quòd primus motor ſit perpetuus, ex perpetuitate generationum & corruptionum hoc modo: Res naturales ita ſe habent, vt quædam generentur modo, & alio tempore corrumpantur, & ita aliquando ſint, & aliquando non: tota tamen generationum, & corruptionum ſeries perpetua eſt: quia nec generationes inceperunt aliquando, nec finem habebunt; ergo datur aliqua cauſa huius perpetuitatis; quæ nec poteſt eſſe vnum aliquod corpus ex his, quæ generãtur & corrumpuntur, neque omnia ſimul, ergo aliud debet dari, nec generationi, nec corruptioni ſubditum, quod ſit eius cauſa; & hoc erit perpetuum, & primũ, vocabiturque primus motor perpetuus. Minorem ſic probat: quia, quod non veſt, non poteſt eſſe cauſa generationis aliorum, poſt interitum eius ſuccedentium, ſed de quolibet verum eſt, quòd aliquando non ſit: ergo non poteſt eſſe cauſa generationum, & corruptionum ſuccedentium, ſed neque omnia ſimul. Primò, quia infinita

infinita ſunt, & repugnat aliquid dependere ab infinitis cauſis. Secundò, quia licet ea ; quæ modo ſunt, poſsint diſponere res præſentes ad futuras generationes, non tamen poſſunt eſſe cauſæ efficientes earum; dum iam non ſint, ſicut guttæ, quæ modò cadunt ſupra lapidem, poſſunt diſponere ad extrahendam aliquam partem ; non tamen poſſunt eam extrahere, quia dum extrahenda eſt, iam ipſæ non ſunt.

70 In ſecunda parte probat, quòd hoc principium perpetuũ ſit vnum, & non plura. Primò, quia cum optimè ſint diſpoſita & ordinata ea, quæ ſunt ſecundum naturam; meliorem ſemper diſpoſitionem habere cenſendum eſt ; ſed meliùs diſponuntur per vnum, quàm per multa (ſi vtrumque ſit poſsibile) cum præſtet vnum multis ; ſicut meliùs diſponuntur per finita, quàm per infinita principia ; ergo cum conſtet poſsibile eſſe, quòd detur vnicum principium, vnicum etiam eſſe cenſendum eſt. Secundò, quia natura nihil fruſtra facit, ſed fruſtra fiũt per multa, quæ per vnum fieri poſſunt ; ergo vnum tantum ponendum eſt. Quòd tandem probat ex vnitate & perpetuitate motus in communi accepti hoc modo, motus fuit ſemper, vt in principio huius libri probatum eſt, ſed motus non dicitur ſemper eſſe, niſi ſit continuus ; quia ſi ſemel interrumpuntur plures, nec aliquis eorum dicitur ſemper eſſe, nec omnes ſimul; ergò neceſſe eſt motum eſſe vnum & cõtinuum, qui ſemper fuerit, & perpetuus ſit ; quia continuum & vnum conuertũtur, ſed non poteſt eſſe motus vnus, niſi ab vno motore: nam à multis motoribus adæquatis & proximis, nõ vnus, ſed multi motus procedunt; ergo primus motor, vnus & perpetuus erit.

In tertia probat hoc vnum principium omninò eſſe immobile, ita, vt neque per ſe, neque per accidens moueri poſsit, & quòd non ſit per ſe mobilis a ſe, vel ab alio probatũ eſt. Probat igitur, quod nec per accidens hoc modo; moueri per accidens eſt moueri ad motum alterius, cui coniungitur, vt anima mouetur ad motum corporis, quod ipſa per ſe mouet, ſed quod ita mouetur, non poteſt efficere motum perpetuum. Prob. quia illud, quod per ſe mouet, & ad cuius motũ mouetur, vt eſt totum animal, ſuo motu mutat diſpoſitionem partium, & ideò non poteſt moueri motu continuo ab eadem anima: quia motus continuus poſtulat continuam diſpoſitionem eiuſdem rationis immobili, ſed primus motor efficit motum continuum, & vnum in hoc mundo ; ergo non poteſt moueri per accidens ad motum eius, quod per ſe mouet.

17 Probant tãdem in vltima parte, quòd detur vnus motus perpetuus vnius corporis moti a primo motore hac ratione, motus

tus definit eſſe perpetuus,quia motor, à quo procedit, mouetur ſaltem per accidens, vt de motu animalis ab anima probatum eſt; ſed primus motor, à quo procedunt cæteri motus, non mouetur per ſe nec per accidens,& eſt vnus; ergo motus, quem efficit,erit vnus,atque perpetuus; datur ergo vnus motor vnius corporis perpetuus. In hoc autem modo probandi, quòd detur vnus motus perpetuus,quia datur vnus motor immobilis atque perpetuus; non committit Ariſtoteles circulum vitioſum, vt bene adnotat D. Tho.licet prius probauerit ex perpetuitate, & vnitate motus vnitatem, & perpetuitatem primi motoris; quia hanc probauit ex motu rerum in cõmuni accepto, vel à toto (vt aiunt) genere, modo verò de motu particulari vnius determinati corporis probat, quòd ſit vnus, & perpetuus,ex vnitate & perpetuitate primi motoris.

CAPVT X.

TEXT. ARISTOTELIS.

Quod autem hoc neceſſe eſt impartibile eſſe,& nullam habere magnitudinem, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

IN vltimo capite huius libri concludit Ariſtoteles omnia,quæ pertinent ad primum motorem probans de eo,quòd ſit infinitæ virtutis, atque etiam indiuiſibilis,& incorporeus, carens magnitudine, & ideò, ne nos filum diſputationis noſtræ de proprietatibus, ſeu attributis primi motoris interrumpamus,ſed ſub vno tractatu poſſimus omnia comprehendere,ſimúlque examinare,an ſufficienter fuerint probata ab Ariſtotele, cogimur explicationem vltimi capitis ſtatim poſt ſextum ſubiicere. In quo duo intendit Ariſtoteles probare de primo motore,nempè quòd ſit infinitæ virtutis, & incorporeus.Sed caput in tres partes diuiditur. In prima probat primum. In ſecunda proponit & ſoluit dubium de motu proiectorum. Et in tertia probat primum motorem eſſe incorporeum. 71

Aſſerit ergo primò, quòd ille idem primus motor, de quo probauit eſſe immobilem, perpetuum & vnum, habet virtutem infinitam, & ideò ſimpliciter eſt infinitus; quod probat hac ratione: Motus eſt perpetuus,non ſolùm in communi; ita vt ſemper ſit; ſed ita vt detur vnus aliquis motus, qui ſemper fuerit, & ex conſequenti, quod ſit continuus & vnus factus à primo motore,vt ſuperiùs probatum eſt; ergo primus motor

mouet

mouet ſemper, ſine principio & fine, & ex conſequenti mouet tempore infinito inceſſante; ſed motor, virtutis finitæ non poteſt mouere corpus motu continuo per tempus infinitum; ergo primus motor id præſtans non habebit virtutem limitatam, ſed infinitam. Minorem probat, quia quælibet virtus infinita non poteſt mouere, niſi finitam magnitudinem & finito tempore: cum eadem ſit ſeruanda proportio inter motum, magnitudinem, & tempus; ergo virtus, quæ mouet tempore infinito, infinita debet eſſe.

73 In ſecunda parte proponit dubium de motu proiectorum, à quonam motore fiat, vt dum lapidem ſurſum proiicimus, à quonam moueatur. Et reſpondet non moueri per quandam antipariſtaſim vel repercuſsionem partium aëris: quam quidã hoc modo fieri exiſtimabant; vt partes anteriores aeris, quas lapis diuidit, & à ſe depellit, iterum coniungantur à tergo ad replendum locum ab eodem lapide dimiſſum, & per hanc coniunctionem repercutiunt eundem lapidem, & à ſe pellunt, & ſic depulſus lapis proſequitur ſuum motum, & ita mutua hæc percuſsio partium aëris à lapide, & lapidis ab eiſdem eſt cauſa motus eius. Hanc enim cauſam, vt inſufficientem reiicit Ariſtoteles, quia quemadmodum iſtæ partes ſimul mouentur à lapide per diuiſionem, & ſimul eum mouent per coniunctionem, ita ſimul ceſſant à motu, quem conſtat lapidem proſequi: ergo non poſſunt eſſe cauſa continuæ proſecutionis, ſed alia deſignari debet. Et hanc docet eſſe proiectorum quidem primam, atque remotam, qui ſicut manu mouet lapidem, ita mouet partem aëris manui contiguam & rurſus hæc pars aëris mouet aliam ſibi contiguam, & hæc aliam, quouſque perueniatur ad partem aëris tangentem lapidem, à qua proximè mouetur. Et qua elangueſcente, elangueſcit motus lapidis, & tandem extinguitur. Et ex ſolutione huius dubij conſtare ait primo, motum proiecti corporis non eſſe perpetuum: quia non procedit ab vno motore, ſed à multis. Secundo conſtat, quòd cum primus motus ſit vnus atque perpetuus, neceſse ſit primũ motorem eſſe vnum: quia à multis motoribus non poteſt vnus motus continuus procedere.

74 Aſſerit tandem in vltima parte capitis, quod primus motor non ſolùm ſit virtutis infinitæ, ſed etiam careat magnitudine & impartibilis ſeu indiuiſibilis ſit, vel incorporeus. quod probat hac ratione, primus motor habet virtutem infinitam, ſed virtus infinita non poteſt eſſe in magnitudine; ergo caret magnitudine, & impartibilis atque incorporeus eſt. Minorem ſic probat: ſi virtus infinita ſit in magnitudine, aut in corpore:

vel eſt in magnitudine, aut corpore finito, vel infinito, infinitum dari repugnat, vt ſæpè probatum eſt; ergo erit in corpore finitæ magnitudinis; ſed repugnat infinitam virturem eſſe in magnitudine finita; ergo repugnat primum motorem habere magnitudinem. Probat minorem, quia, ſi virtus infinita, eſſet in magnitudine finita, moueret eam in non tempore vel in inſtanti, quod repugnat; quia motus non poteſt fieri in inſtanti, vt probauit in 6. lib. Sed conſequentiam ſic probat, virtus finita mouet magnitudinem finitam; motum finitæ velocitatis & ideò in tempore aliquo finito, & ſi ſit maior, mouebit eandem magnitudinem motu velociori, & propterea in minori tempore; ergo ſi ſit infinita, mouebit eandem motu infinitæ velocitatis, & tempore in infinitum minori: ſed tempus in infinitum minus non datur, ſed potiùs vocatur non tempus, vel inſtans; ergo mouebit eam in non tempore, vel in inſtanti.

TRACTATVS I.
De proprietatibus, ſeu attributis primi motoris.

IN his tribus capitibus, quinto, ſexto, & decimo 75
præcipuè agit Ariſtoteles de exiſtentia, & proprietatibus primi motoris; quæ etiam ſolent appellari à Theologis attributa Dei; quia ei attribuitur, quòd ſit perpetuus, vnus, infinitus, atque incorporeus: & hæc quidem eſſentialia ſunt Deo; quem hoc loco intelligit Ariſtoteles nomine primi motoris, ſed quia noſtro modo intelligendi, primò intelligimus diuinam eſſentiam, per quam Deus eſt: deinde has perfectiones, quas ei, vt iam conſtituto per eſſentiam conuenire cenſemus, ad ſimilitudinem proprietatum, quas poſt eſſentiam in creaturis ſolemus intelligere, ideò eas vocamus proprietates, ſeu attributa Dei, aut primi motoris. Conſequenter verò egit capite decimo, de motu proiectorum violento: ex quo argumento deduxit ad probandum primum motorem eſſe vnum. Duplicem ergo tractatum inſtituimus circa tria hæc capita; primum de proprietatibus, vel attributis primi motoris, in quo circa ſingulas examinabimus, an ſufficienter ſint probatæ de ipſo ab Ariſtotele. Secundus tractatus erit de principio, & cauſa motus proiectorum, qui vocari ſolet impulſus.

An probauerit euidenter Ariſtoteles dari primum motorem.

HOc eſt primum pertinens ad exiſtentiam, primi motoris; 76
ſeu ad quæſtionem an ſit; quod aſſeruit, & probauit de eo.

de eo Ariſtoteles;& quia fundamentum eſt cęterarum proprietatum, vel attributorum, primò diſputandum eſt de illo, an probauerit euidenti ratione dari primum motorem.

Et prima opinio Modernorum *aſſerit Ariſtot. non probaſſe euidenti ratione dari primum motorem, ſed nec ratione ſatis probabili*: & citant pro ſe Scotum in 1. d. 2. q. 2. artic. 1. conc. 1. qui nihil tale aſſerit, vt inferiùs oſtendam. Probatur hęc ſententia: Primò quia ratio Ariſtotelis innititur illi principio, quidquid mouetur, ab alio mouetur: quod non probauit verum eſſe in motu grauium, & leuium; niſi rationibus, valde infirmis, & quæ à pluribus non recipiuntur tenentibus oppoſitum; quòd à ſe potius, & non ab alio moueantur: & licet contenderit eam probare in viuentibus, falſum quoddam principium aſſumpſit, nempe id, quod à ſe mouetur diſtinguendum eſſe in partem per ſe mouentem, & per ſe motam; quod non probauit, nec verum eſſe poteſt: cum nullum ſequatur inconueniens ex eo, quòd idem moueatur à ſe primò, & diuerſa ratione ſit mouens, & motum abſque tali diſtinctione partium, quare ratio eius parum momenti habet. Secundò; quia etiamſi hoc principium euidens eſſet: aliud præſupponit non neceſſarium; quòd in cauſis eſſentialiter ſubordinatis neceſſe ſit dari primam, & vltimam; quid enim prohibet in his cauſis nõ dari vltimam; ſicut nec datur in numeris per ſe ordinatis, nec in diuiſionibus continui ordinatè faciendis: bene ergo poterit procedere effectus ab infinitis cauſis ſubordinatis, in quibus nulla detur prima; quare non bene probat ex his principiis dari primum motorem, à quo moueantur cæteræ cauſæ.

77 Secunda opinio communis eſt in ſchola, quod Ariſtoteles demonſtratione à poſteriori ex motu probauerit euidenter dari primum motorem. Ita D. Th. 1. lib. contra Gentes cap. 13. Durand. in 1. d. 3. quæſt. 1. numero ſeptimo, & ferè omnes alij ſcholaſtici in eadem diſtinct. Scotus etiam vbi ſupra expreſſè approbat rationem Ariſtotelis, & nullus locus in tota eius doctrina reperietur, in quo eam reijciat, vel infirmam eſſe aſſerat; & ita nobis tenendum eſt. Vt autem efficacitas demonſtrationis eius intelligatur notandum eſt, duobus illis principiis inniti nempè, *Quidquid mouetur, ab alio mouetur: & in cauſis per ſe ordinatis non eſſe procedendum in infinitum; ſed deueniendum eſſe neceſſariò ad primam.* Primum autem duabus viis probatum eſt ab Ariſtotele, priori quidem ex dependentia mouentium particularium ab vniuerſalibus quibus eſſentialiter ſubordinantur ſecundum ordinem naturalem; quo partes vniuerſi inter ſe ordinari notum eſt; atque etiam ex dependentia eſſen

eſſentiali omnium cauſarum à prima, quæ ſicut non habent eſſe à ſe; ſed receptum ac dependens ab alio; ita non habent virtutem mouendi, neque actualem motum à ſe, ſed ab alio. Hanc viam non expreſsit Ariſtoteles in hoc libro, ſed tanquã per ſe notam, atque euidentem præſuppoſuit: expreſſit verò primo lib. Meteor. cap. 2. his verbis: *Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur: vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putandum primam.* Poſterior via id probandi eſt ex dependentia particularium mouentium inter ſe ſe; modoque, quem particulares ipſæ cauſæ ſeruant in mouendo & agendo, qua vſus eſt Ariſtoteles hoc loco, non tanquam certa, aut euidenti ad conuincendum, ſed tanquam probabili, ac tanquam via, per quam quaſi manu ducatur intellectus, ex his quę apud nos ſunt ad percipienda illa, quæ in cauſis ſuperioribus, & magis à ſenſibus remotis reperiuntur; quaſi hoc modo arguere velit. In cauſis particularibus Phyſicorum motuum, quæ apud nos, imò in nobis ipſis ſunt; aliquo modo reperimus, quòd quælibet moueat cum dependentia ab alio totali, aut ſaltem partiali, vſque ad primum in eo ordine; ergo eodem modo contingere exiſtimandum eſt in ordine mouentium totalium, & completorum, vt particularia ab vniuerſalibus moueantur: & hæc etiam ab aliis vſque ad primum.

Secundum autem principium euidenter oſtendi poteſt ex duobus; ex primo quidem quia ſi in cauſis per ſe ſubordinatis admittatur proceſſus in infinitum, euidenter ſequitur dari cauſas Phyſicas actu infinitas, & ideò infinitum actu in rebus completis; quod falſum oſtendimus ſupra, probantes, nec dari infinitum actu, nec dari poſſe per virtutem naturalem cauſarum. Probatur conſequentia, ex differentia cauſarum, per ſe, & per accidens ſubordinatarum; nam in cauſis per ſe ſubordinatis ſic dependent inferiores à ſuperioribus; vt non poſsint operari, niſi per actualem influxum moueantur ab eis; vt ignis non poteſt calefacere, niſi cœleſtes influentiæ actu concurrant cum eo. In cauſis verò accidentaliter ſubordinatis non datur actualis, aut neceſſaria dependentia poſteriorum à prioribus; vt patet, non neceſſariò dependet in generatione filij à proprio parente, vel auo, aut proauo, ſed ſine vllo influxu actuali eorum operatur, & ſolùm dicuntur cauſæ; quia generans accepit eſſe, & virtutem operandi ab eis. Ex qua differentia ſequuntur duæ aliæ; prima, quòd cauſæ omnes per ſe ordinatæ requirunt neceſſariò actualem exiſtentiam; quia repugnat actualem influxum præſtare ſine illa: 79

cauſæ

80 cauſæ verò accidentaliter ſubordinatæ non poſtulant actualem exiſtentiam, ſicut nec habent actualem concurſum. Vnde ſequitur ſecunda differentia, quòd in cauſis per ſe ſubordinatis dari non poteſt proceſſus in infinitum, niſi dentur infinita entia completa actu; in ſubordinatis verò accidentaliter non eſt id neceſſarium: quia licèt dentur infinitæ, cum non ſit neceſſarium actu exiſtere, nec eſt neceſſarium dari actu infinita.

Et ecce probata conſequentia, quod in cauſis per ſe ſubordinatis non poſſit procedi in infinitum; ſed neceſſe ſit dari primã, & vltimam. Quod non ſolùm eſt neceſſarium; quia daretur actu infinitum; nam hoc, quaſi materiale inconueniens videtur, propter quod omnes concedunt euidens eſſe principium Ariſtotelis, non tamen propter ipſam ſubordinationem eſſentialem, aut formalem, ex qua negant quidam euidenter probari, quòd non poſſit admitti proceſſus infinitus in eis. Ideo probandum eſt, ex vi ſolius ſubordinationis per ſe implicare contradictionem, quòd in infinitum procedatur; nam hoc præcipuè intendit Ariſtoteles, vt aſſerit expreſsè, textu 34. huius libri, his verbis: *Impoſſibile eſt enim in infinitum abire mouens, & ipſum, quod mouetur ab alio; infinitorum enim non eſt aliquid pri-*
81 *mum*. Ex quibus duas rationes euidentes colligo, primam quia effectus ab omnibus cauſis per ſe ordinatis actu concurrentibus dependet, & præcipuè ab immediata; quæ cum ſit determinata, ſingularis, & vltima; iam neceſſe eſt in his cauſis dari vltimam; quare ex hac parte repugnat eſſe infinitas; ſed quòd neceſſarium ſit dari primam, ſic probo; nam vel omnes iſtæ cauſæ concurrentes ad eundem effectum operantur dependenter ab alio, vel in tota ſerie earum datur aliqua non dependens ab altera in ſua operatione; & ſi talis detur, hæc erit prima, à qua dependeant cæteræ; ſi verò non datur; ergò tota ſeries earum operatur cum dependentia. Probatur conſequentia; quia omnes & ſingulæ dependenter operantur, & tota ipſa ſeries non eſt aliud ab eiſdem; quare neceſſe eſt extra totam ſeriem dari aliam, à qua dependeant omnes, & cùm hæc extra ſeriem cauſarum dependentium ſit, non erit dependens; ſed independens, & ex conſequenti prima, à qua dependent omnes. Secundò; quia ſubordinatio per ſe cauſarum poſtulat per ſe, vt concurſus ſuperiorum deriuetur ad inferiores, vſque ad vltimam attingentem immediatè effectum; ſed nõ poteſt deriuari vſque ad illã, niſi per intermedias; per has ergo deriuari debet, vt his mediis participetur ab ea, & effectu, ſi autem ſint infinitæ, & non detur prima, repugnat talis deriuatio concurſus; ergo
82 ex vi ſubordinationis per ſe neceſſe eſt dari primum. Probatur mino.;

minor; quia infinitum non eſt pertranſibile; ergo ſi infinitæ ſunt tales cauſæ,repugnat concurſum ſuperiorum peruenire ad vltimam; imo etiã ad intermedias,à quibus per vniuerſaliores deriuari debet, quare ſi agere debent, neceſſe eſt eſſe finitas, & dari primam, à qua per finitas quoque intermedias deriuetur concurſus vſque ad vltimã,à qua immediatè procedit effectus.

Et ecce probatum euidenter vtrumque principium aſſumptum ab Ariſtotele ad probandum dari primum motorem, cuius demonſtratio ſic formanda eſt: Euidens eſt dari motum in rerum natura, & quod per eum mouetur non habere virtutem motiuam, nec motum ipſum à ſe: ſed ab alio, ſicut euidens eſt non habere eſſe à ſe; ſed participatum ab alio, cum ſit finitum, & limitatum; illud ergo à quo mouetur, vel non, ſi non mouetur,erit primum à quo procedit motus, ſi mouetur; vel à ſe,vel ab alio;& ſi à ſe, erit etiam primum, à quo moueantur cætera, ſi verò mouetur ab alio, cum non ſit procedendum in infinitum in cauſis per ſe ordinatis, dabitur neceſſariò prima, à qua moueantur omnes,& hæc erit primus motor.

Et ex his conſtat ſoluta eſſe argumenta modernorum: cum probatum ſit euidenter, vtrumque principium aſſumptum ab Ariſtotele & explicatum, rationem in his capitibus adductam probabilem tantum eſſe, & pro tali eſſe adductam ab eo, vt notior nobis fieret euidens ratio, quàm hoc loco præſupponebat, & alibi expreſsè attulit.

De immobilitate primi motoris, an fuerit euidenter probata ab Ariſtotele.

HÆc eſt prima proprietas, vel primum attributum, quod de primo motore probauit Ariſtoteles circa quã eſt prima opinio Scoti, non in 4. vt refertur à multis, ſed in 1. d. 8. qu. 5. *aſſerentis rationes Ariſtotelis non conuincere omnimodam immobilitatem primi motoris, niſi aliquid eis addatur;* quid verò addendum eis ſit,explicant Conimb. 8. lib. Phyſic. c. 6. qu. 1. art. 3. aſſerentes complendas eſſe ex 12. lib. Meta. c. 7. vbi Ariſtoteles ſupponens rationes huius loci, & vniuerſaliter ſumens mutationem, non pro ſola Phyſica, ſed pro quacũque alia, demonſtratiua ratione probat primũ motorem eſſe immutabilem hoc modo: Primus motor mouet per intellectum, & volũtatem, ergo agit propter finem à ſe cognitum; & amatum; vel ergo agit propter finem diſtinctum à ſe; vel propter ſe tantum, ſi hoc ſecundum dicatur; euidenter ſequitur eſſe prorſus immobilem; quia non allicietur ab alio ad mouendũ: ſi verò propter alterum finem mouet, eadem 83

dem

dem erit quęſtio de illo, an à ſe, vel ab alio moueatur, & cū non detur proceſſus in infinitū, ſiſtendū erit in aliquo primo omnino immutabili. Probari poteſt hæc ſententia Scoti: quia Ariſtoteles hoc loco, ſolū probauit euidenter primum motorem non moueri per ſe ab alio, quod verò nō moueatur à ſe, ratione alicuius partis, ſicut mouentur viuentia: vel non moueatur per accidēs; ſicut mouetur anima in corpore, ſolùm probauit quibuſdam coniecturis ſatis infirmis, vt in noſtra expoſitione textus facilè intelligi poteſt: ſed niſi hoc euidenter probetur, non cenſetur probatum eſſe omninò immobilem; ergo cōcluditur non probaſſe omnimodam immobilitatem eius. Secundò, quia licet daremus euidenter probaſſe, quòd ſit immobilis motu Phyſico; non tamen eſſe omnino immutabilem: quia præter motum Phyſicum dantur aliæ mutationes ſpirituales, quales ſunt operationes intellectus, & voluntatis, per quas realiter mutatur intelligens, & volens: cum aliter ſe habeat, nunc, & priùs per receptionem horum actuum in ſe, tanquam in ſubiecto; neceſſe ergo fuit probare, quòd nec per has mutationes poſſit mutari, vt probatum cenſeatur omninò immutabilem eſſe.

84 Hæc tamen ſententia non omnino probāda eſt; quia id quod Scotus aſſerit, confuſum quid eſt, cum ſolùm dicat inſufficientes eſſe rationes Ariſtotelis & aliquid eis deeſſe; neç probās inſufficientiam earū, nec explicans, quid eis addendum ſit. Quod verò addendum eſſe eis aſſerunt Conimb. non videtur mihi ſufficiēs, nam illa ratio, quam ſe ex Ariſtotele deducere aiunt, non probat non mutari per intellectiones, & volitiones: quia licèt probetur non moueri ab alio fine; ſed propter ſe tantum operari, non probatur, quòd per proprios actus intellectus, & voluntatis propter ſe elicitos, & in ſe receptos non mutetur.

Noſtra igitur ſententia duo aſſerit: Primum eſt, Ariſtotelem ſolùm hoc loco voluiſſe probare de primo motore, quòd ſit immobilis motu Phyſico, de quo ſolùm agebat, non aliis mutationibus ſpiritualibus ad phyſicum non pertinentibus, ſed ad Metaphyſicam. Aſſerit ſecundò omnimodam immobilitatem non poſſe probari euidenter ex his ſolùm, quæ Ariſtoteles attulit pro ea probanda; niſi ei adiungātur alia, quæ attulit capite vltimo, huius lib. ad probandum eſſe infinitum: oſtenſo autem, quod infinitus eſt, vt oſtendiſſe videbimus, euidenter probari poteſt ex motu phyſico, quòd ſit prorſus immobilis. Sic autem demonſtratio formanda eſt: Euidens eſt primum motorem non moueri ab alio, vt probauit Ariſtoteles, ſed cætera omnia ab eo; ergo euidens eſt, non ab alio, ſed à ſe habere virtutem mouendi omnia; ſed virtus mouendi emanat ab eſſe

eſſe rei; ergo ſi habet à ſe virtutem motiuam, habebit eſſe à ſe, & non participatum, aut receptum ab alio, & ex conſequenti non limitatum, ſed infinitum. Probatur euidenter conſequentia; 85
quia eſſe participatum ex virtute cauſæ efficientis in qua continetur, & à qua procedit, limitatur; ergo illud eſſe, quod non procedit ab alio, nullam limitationem habere poteſt, ſed erit infinitè perfectum. Tunc vltra, infinitæ perfectioni nulla poteſt perfectio deeſſe, neque aliquam poteſt imperfectionem admittere; ergo primo motori infinitè perfecto, nec aliqua perfectio deeſſe poteſt, nec noua perfectio aduenire, imò nec poteſt aliquam imperfectionem in ſe admittere: quia infinitè perfectum, & omni ex parte perfectum conuertuntur; ſed eſſe capacem alicuius motus, vel mutationis intrinſecam imperfectionem præſupponit; nempè potentiam paſſiuam eſſentialiter imperfectam; ſupponit etiam defectum alicuius perfectionis, quia nihil mouetur, vel mutatur, niſi pro acquirendo aliquo, quod ſibi deficit, ſaltem accidentali; quod repugnat cum perfectione infinita; ergo repugnat etiam primo motori infinitè 86
perfecto omnis motus atque etiam omnis mutatio; itaque demonſtratio hæc ſufficienter colligit ex omnibus, quæ hoc loco de primo motore docuit & probauit Ariſtoteles ſimul coniunctis: cum probauerit de eo capite vltimo huius libri, quod ſit virtutis infinitæ, & prius probauerat non habere motum ab alio, ſed à ſe, & cum ex motu procedat, magna ex parte phyſica eſt, quamuis quædam etiam vniuerſaliora deſumat ex Metaphyſica, ſine quibus non poſſet eſſe integra.

Et ex his ſoluta ſunt argumenta; primum quidem, cui conce- 87
ditur ex his ſolis, quæ Ariſtoteles aſſumpſit ad probandam immobilitatem primi motoris; non probaſſe eam euidenter; ſed probabiliter tantùm, has autem rationes probabiles non attulit pro euidentibus; ſed quia ex notioribus nobis, imò potiùs ex his, quæ in nobis ipſis ſunt procedentes viam nobis aperiunt ad colligendam, & intelligendam demonſtrationem ex his & aliis: quæ de primo motore in diſcurſu totius libri affert, per quam omnimoda immobilitas eius euidenter probatur, licèt à poſteriori, quia ex motu, vt Philoſophum decebat. Solutum eſt etiam ſecundum argumentum, cum conſtet prædictam demonſtrationem probare immobilitatem etiam prouenientem ex actibus intellectus, & voluntatis, quæ non poſſunt recipi in eodem intelligente, & volente, niſi præſuppoſita potentia paſſiua eſſentialiter imperfecta.

De

De vnitate primi motoris an fuerit probata euidenter ab Ariſtotele.

PLures afferuntur rationes ad probandam vnitatem primi principij, quod ſub nomine Dei intelligimus; præſertim à D. Thoma 1. lib. contra gent. cap. 42. quas etiam accommodare poſſemus ad probandam vnitatem primi motoris: nam ſolo nomine differunt, Deus primum principium, primum mouens, primus motor, & prima cauſa; ſed quia non omnes rationes videntur omnibus conuincere, ſed plures ſolutiones afferri ſolent ad oſtendẽdam infirmitatem earum, ideò ferè omnes cenſeo omittendas. Et duas ſolùm afferendas ex motu deſumptas; & propterea propriè Philoſophicas. Et ſit prima, primus motor non mouetur ab alio, nec ex conſequenti habet virtutem mouendi ab alio participatam; ſed à ſe; ergo neque habet eſſe participatum, ſed à ſe, non quidem à ſe productũ, vel factum,
88 quia repugnat aliquid à ſe produci, tanquam à cauſa efficienti: cum euidens ſit inter producens, & productum dari relationem realem; ac realem diſtinctionem, ſed à ſe habet eſſe, id eſt, improductum, vel non receptum ab alio. Tunc vltra, eſſe non receptum ab alio ex propria ratione eſt purè actuale, determinatum & ſingulare; ita, vt non poſſint in eo diſtingui prædicata generica, ſpecifica & indiuidualia; nam hæc diſtinguimus in creaturis: quia concipimus in eis diuerſos gradus eſſendi participatos, & ideò limitatos: diſtinctio enim hæc ex limitatione prouenit, vel certè fundamentum eius. Ex quibus ſequitur, quòd ſicut non poteſt multiplicari ſecundum genus, vel ſpeciem, ſic etiam, nec ſecundum numerum: ſed implicat contradictionem eſſe plura entia improducta, & à ſe. Et certè ſi poſſet multiplicari, qua ratione plura eſſe poſſent, poſſent eſſe actu infinita; & ſi poſſent multiplicari in infinitum, actu eſſent multiplicata; ſed dari infinita entia actu improducta, vel à ſe, & infinita ſecundum eſſentiam non eſt intelligibile: ergo, nec poſ-
89 ſibile, ſed vnum tantùm erit. Secundam rationem attulit Ariſtoteles c. 6. huius lib. text. 84. quia in entibus à ſe, & per ſe natura abhorret infinitudinem, immò, & pluralitatem; ergo implicat contradictionem dari plures primos motores. Antecedens probatur, quia omnes effectus poſſibiles, tam ſecundum numerum, quàm ſecundum genus & ſpeciem poſſunt produci, ordinari, regique ab vno primo principio: ergo fruſtra ponũtur plura: & ſi fruſtra ponuntur, abhorret natura pluralitatem, ſicut ſuperfluitatem. Probatur verò conſequentia, quòd ſi natura

eſſe rei; ergo ſi habet à ſe virtutem motiuam, habebit eſſe à ſe, & non participatum, aut receptum ab alio, & ex conſequenti non limitatum, ſed infinitum. Probatur euidenter conſequentia; quia eſſe participatum ex virtute cauſæ efficientis in qua continetur, & à qua procedit, limitatur; ergo illud eſſe, quod non procedit ab alio, nullam limitationem habere poteſt, ſed erit infinitè perfectum. Tunc vltra, infinitæ perfectioni nulla poteſt perfectio deeſſe, neque aliquam poteſt imperfectionem admittere; ergo primo motori infinitè perfecto, nec aliqua perfectio deeſſe poteſt, nec noua perfectio aduenire, imò nec poteſt aliquam imperfectionem in ſe admittere: quia infinitè perfectum, & omni ex parte perfectum conuertuntur; ſed eſſe capacem alicuius motus, vel mutationis intrinſecam imperfectionem præſupponit; nempè potentiam paſſiuam eſſentialiter imperfectam; ſupponit etiam defectum alicuius perfectionis, quia nihil mouetur, vel mutatur, niſi pro acquirendo aliquo, quod ſibi deficit, ſaltem accidentali; quod repugnat cum perfectione infinita; ergo repugnat etiam primo motori infinitè perfecto omnis motus atque etiam omnis mutatio; itaque demonſtratio hæc ſufficienter colligit ex omnibus, quæ hoc loco de primo motore docuit & probauit Ariſtoteles ſimul coniunctis: cum probauerit de eo capite vltimo huius libri, quod ſit virtutis infinitæ, & prius probauerat non habere motum ab alio, ſed à ſe, & cum ex motu procedat, magna ex parte phyſica eſt, quamuis quædam etiam vniuerſaliora deſumat ex Metaphyſica, ſine quibus non poſſet eſſe integra.

85 86

87 Et ex his ſoluta ſunt argumenta; primum quidem, cui conceditur ex his ſolis, quæ Ariſtoteles aſſumpſit ad probandam immobilitatem primi motoris; non probaſſe eam euidenter; ſed probabiliter tantùm, has autem rationes probabiles non attulit pro euidentibus; ſed quia ex notioribus nobis, imò potiùs ex his, quæ in nobis ipſis ſunt procedentes, viam nobis aperiunt ad colligendam, & intelligendam demonſtrationem ex his & aliis: quæ de primo motore in diſcurſu totius libri affert, per quam omnimoda immobilitas eius euidenter probatur, licèt à poſteriori, quia ex motu, vt Philoſophum decebat. Solutum eſt etiam ſecundum argumentum, cum conſtet prædictam demonſtrationem probare immobilitatem etiam prouenientem ex actibus intellectus, & voluntatis, quæ non poſſunt recipi in eodem intelligente, & volente, niſi præſuppoſita potentia paſſiua eſſentialiter imperfecta.

De

Digitized by Google

De vnitate primi motoris an fuerit probata euidenter ab Ariſtotele.

PLures afferuntur rationes ad probandam vnitatem primi principij, quod ſub nomine Dei intelligimus; præſertim à D. Thoma 1. lib. contra gent. cap. 42. quas etiam accommodare poſſemus ad probandam vnitatem primi motoris: nam ſolo nomine differunt, Deus primum principium, primum mouens, primus motor, & prima cauſa: ſed quia non omnes rationes videntur omnibus conuincere, ſed plures ſolutiones afferri ſolent ad oſtendẽdam infirmitatem earum, ideò ferè omnes cenſeo omittendas. Et duas ſolùm afferendas ex motu deſumptas; & propterea propriè Philoſophicas. Et ſit prima, primus motor non mouetur ab alio, nec ex conſequenti habet virtutem mouendi ab alio participatam; ſed à ſe; ergo neque habet eſſe participatum, ſed à ſe, non quidem à ſe productũ, vel factum,
88 quia repugnat aliquid à ſe produci, tanquam à cauſa efficienti: cum euidens ſit inter producens, & productum dari relationem realem; ac realem diſtinctionem, ſed à ſe habet eſſe, id eſt, improductum, vel non receptum ab alio. Tunc vltra, eſſe non receptum ab alio ex propria ratione eſt purè actuale, determinatum & ſingulare; ita, vt non poſſint in eo diſtingui prædicata generica, ſpecifica & indiuidualia; nam hæc diſtinguimus in creaturis: quia concipimus in eis diuerſos gradus eſſendi participatos, & ideò limitatos: diſtinctio enim hæc ex limitatione prouenit, vel certè fundamentum eius. Ex quibus ſequitur, quòd ſicut non poteſt multiplicari ſecundum genus, vel ſpeciem, ſic etiam, nec ſecundum numerum: ſed implicat contradictionem eſſe plura entia improducta, & à ſe. Et certè ſi poſſet multiplicari, qua ratione plura eſſe poſſent, poſſent eſſe actu infinita; & ſi poſſent multiplicari in infinitum, actu eſſent multiplicata; ſed dari infinita entia actu improducta, vel à ſe, & infinita ſecundum eſſentiam non eſt intelligibile; ergo, nec poſ-
89 ſibile, ſed vnum tantùm erit. Secundam rationem attulit Ariſtoteles c. 6. huius lib. text. 84. quia in entibus à ſe, & per ſe natura abhorret infinitudinem, immò, & pluralitatem; ergo implicat contradictionem dari plures primos motores. Antecedens probatur, quia omnes effectus poſſibiles, tam ſecundum numerum, quàm ſecundum genus & ſpeciem poſſunt produci, ordinari, regique ab vno primo principio; ergo fruſtra ponũtur plura: & ſi fruſtra ponuntur, abhorret natura pluralitatem, ſicut ſuperfluitatem. Probatur verò conſequentia, quòd ſi natura

Ccc abhorret

abhorret hanc pluralitatem repugnet dari; quia in his ea ſolùm ſunt poſſibilia, quæ ſunt actu; nam in hoc ſenſu intelligitur vulgatum illud, quod ex doctrina Ariſtotelis adduci ſolet, *in æternis idem eſt eſſe, & poſſe*, hoc eſt in his, quæ à natura æterna ſunt, non ſeparatur potentia ab actu, ſed idem prorſus ſunt; & eà ſolùm ſunt actu, & poſſibilia, quæ naturæ rerum conſentanea ſunt: cum non detur recurſus ad aliquam potentiam abſolutam in multiplicatione eius, quod non eſt factum per aliquam potentiam, ſed à ſe habet eſſe. Et certè hæc ratio Ariſtotelis ſic expoſita efficaciſſima eſt ad conuincendam vnitatem primi motoris ex motu & conditione rerum naturalium, licet primo aſpectu facilis, & infirma appareat.

De infinita virtute intenſiua primi motoris, an eam probauerit euidenter Ariſtoteles.

DVo ſunt examinanda circa virtutem infinitam primi motoris, primum an ei tribuerit Ariſtoteles virtutem infinitam intenſiuè, per quam poſſit producere plures effectus maioris, & maioris perfectionis in infinitum, vel ſolùm infinitam extenſiuè, quantum ad durationem; ita vt poſſit efficere motum perpetuum ſine principio & fine, vel effectum alium infinitæ durationis. Secundum, an in eodem ſenſu in quo ei attribuere intendit infinitam virtutem, probauerit euidenter eam habere. 90

Prima opinio tenet Ariſtotelem non tribuiſſe primo motori virtutem infinitam in primo ſenſu, ſed tantum in ſecundo. Ita ferè ſentiunt Ocham. quodlib. 3. quæſt. 1. Gregor. in 1. diſtin. 42. quæſt. 5. artic. 1. Marſ. in 1. quæſt. 41. artic. 2. Aliacenſis ibidem, quæſt. 13. artic. 3. nouo Caſtrenſis diſtin. 44. quæſt. 1. Iand. 12. Meta. qu. 1 ‹. & Cano. 10. lib. de locis. Probant primò, quia ratio eius nihil aliud probat; ſic enim arguit cap. 10. virtus finita non poteſt mouere tempore infinito; ſed primus motor mouet primum mobile tempore infinito: quia ſine principio & fine mouet; ergo habet virtutem mouendi infinitam. Idem enim argumentum poſſet fieri de quacunque intelligentia mouente aliquod corpus cœleſte, quia cum ſit incorporea moueri poteſt ſaltem ſine fine; ergo per infinitum tempus, quare habebit virtutem infinitam in eodem ſenſu: cum tamen conſtet eſſe finitam & limitatam intenſiuè. Secundò, quia quædam tribuit Ariſtoteles primo motori aliis ſuæ doctrinæ locis, & quædam alia ei denegat, quæ non poſſunt ſtare cum infinita virtute intenſiua eius; ergo non ſentit de eo, quòd talem virtutem habeat. Probatur antecedens, ex primo libro de cœlo, cap. 5. vbi negat poſſe producere plures mundos. Et

libro

libro ſecundo, capite ſexto, aſſerit primum motum finitæ tantùm velocitatis eſſe; propter limitatam virtutem primi motoris; propterea Platon in libello de his, in quibus Ariſtoteles diſſentit à Platone, præfert Platonem Ariſtoteli: quia ille Deum pro dignitate honorauerit tribuens ei infinitam virtutem, & rerum omnium conditorem eſſe docens; quem tamen Ariſtoteles primi corporis tantùm motorem eſſe docuit, & cæteras intelligentias non excedere, ſecundum virtutem infinitam, ſed ſolùm ſecundum quandam proportionem finitam primæ intelligentiæ.

Hæc tamen ſententia falſa eſt, quòd hac ratione probo; nam ideò probauit Ariſtoteles primum motorem eſſe infinitæ virtutis, vt ex hoc poſſit oſtendere non habere magnitudinem, ſed indiuiſibilem & incorporeum eſſe; quod probauit cap. 10. quia ſi virtus infinita eius eſſet in magnitudine, moueret eam in non tempore aut in inſtanti, quia moueret motu infinitæ velocitatis; ergo non ſentit habere virtutem infinitam ſecundum durationem tantùm; nam hæc impertinens eſt ad mouendum motu velociori, vel infinitæ velocitatis, vt ex ſe eſt manifeſtum, ſed virtutem infinitam intenſiuè ei tribuit, ſine qua repugnat mouere poſſe motu infinitæ velocitatis.

91 Sed reſtat ſecundum; an probauerit euidenter habere infinitam virtutem intenſiuam, & prima opinio non ſolùm eam non probaſſe affirmat; ſed potiùs rationem eius oſtẽdere, quòd in eo errore fuerit, quòd putauerit cæteras intelligentias habere infinitam virtutem: cùm ex mente eius deputatæ ſint ad mouendum cætera corpora cæleſtia ab æterno, & abſque fine; quod eſt eas mouere tempore infinito. D. Thomas alio modo exponit Ariſtotelem docens, probaſſe quidem infinitam virtutem primi motoris ex motu infinitæ durationis, quò indigeret corpus infinitum (ſi daretur ad percurrendam quamlibet partem ſpatij finitam) & nihilominus à virtute infinita primi motoris moueri poſſet. Alij denique aliis modis exponunt mentem Ariſtotelis. Placet tamen ſententia Scoti in 1. diſtinct. ſecunda quæſt. 2. & quodlib. 7. atque etiam Caietanus in Opuſculo de infinita virtute intenſiua Dei. Quòd ratio Ariſtotelis euidẽter probauerit primum motorem habere virtutem infinitam intenſiuè ex eo, quòd poteſt efficere motum infinitæ durationis; non quemcunque, ſed primum, ex quo dependent cæteri omnes, & ideò proportionatum primo motori, prima virtute mouente, hoc eſt, non recepta,
92 vel dependente ab alio, ſed à ſe habita, & non ſolùm ſine dependentia, ſed à qua dependent cæteræ omnes virtutes, hoc

 autem

autem modo, & cum his circunſtantiis mouere inceſſanter per infinitum tempus euidenter probat habere virtutem infinitam intenſiuè. Et ſi dicatur, ex hoc modo mouendi, per virtutem nõ acceptam ab alio, probari quidem virtutem infinitam etiam ex motu durationis finitæ, imò ex quolibet minimo, opere primi motoris, non ex ratione ipſius operis, ad quod requiratur virtus infinita; ſed ex virtute non accepta ab alio, per quam fit, ſed Ariſtoteles contendit probare virtutem infinitam, ex vi huius; quod eſt mouere per infinitum tempus, ex quo tamen non probatur; ergo ratio eius, nec ita intelligitur, nec probat intentum efficaciter. Reſpondent Scotus & Caietanus bene, quòd ex vtroque procedit ratio Ariſtotelis, nempe ex motu infinitæ durationis, facto à primo motore, vt tali, hoc eſt, per propriam eius virtutem, quæ licet oſtendatur infinita in quocunque minori opere independenter facto; ſed præcipuè oſtenditur in primo motu infinitæ durationis, tanquam in primo, à quo dependent cæteri: & ideò tanquam proportionato primo motori, quem nulla intelligentia poteſt independenter facere; quare euidenter probauit Ariſtoteles ex præcipuo opere primi motoris, ſibique proprio infinitam virtutem intenſiuam eius: quamuis negari nõ poſſit, quòd hæc ratio præſupponat errorem eiuſdem Ariſtotelis de æternitate mundi, & motus, ſed hoc non tollit efficacitatem rationis eius, ex ſuppoſitione huius impoſſibilis procedentis. 93

94 Et ex his ſoluta ſunt argumenta: quia licet motus infinitæ durationis ſecundum ſe non probet infinitam virtutem intenſiuam; probat tamen, vt à primo motore factus, ſine dependentia ab alio. Quòd verò in ſecundo argumento dicitur negaſſe Ariſtotelem, quòd plures mundi eſſe poſſint, negare non poſſumus; ſed ratio eius propter quam id negauit oſtendit, non negaſſe propter defectum virtutis eiuſdem motoris primi; ſed quia mundus iſte inquit conſtat omni materia poſſibili, ex qua omnia etiam corpora poſſibilia componi poſſunt; & ideò ſuperflua eſſet alia materia, & alius mundus, & quia nihil ſuperfluum poteſt fieri à natura, vel per virtutem naturalem, ideò impoſſibile reputauit Ariſtoteles dari alios mundos; quia, quod naturaliter eſt impoſſibile, cenſetur ſimpliciter impoſſibile ab his, qui ſolo lumine naturali res naturales cognoſcunt. Et vt vno verbo hoc explicemus, dicimus Ariſtotelem cognouiſſe, & probaſſe infinitam virtutem primi motoris, imperfectè quidem; quia non cognouit, quòd abſolutè eſſet infinita, ſed ſolùm per ordinem ad effectus mediis cauſis naturalibus efficiendos, vnde ſolùm imperfectam

rationem

rationem deſi gnare potuit ad eam probandam, & quæ ideò ab his, qui apprehendunt diuinam virtutem non alligatam cauſis naturalibus inefficax iudicatur. Nec denique erraſſe Ariſtotelem intelligimus (vt ei opponit Cano) in eo, quod infinitam virtutem conceſſerit intelligentiis ex eo, quod infinito tempore mouent: quia cum moueant dependenter à primo motore, non arguit in eis virtutem infinitam talis motus, etiam apud Ariſtotelem.

De indiuiſibilitate primi motoris, an eam probauerit euidenter Ariſtoteles.

95 IDem eſt primum motorem eſſe impartibilem, vt docuit Ariſtoteles, ac eſſe indiuiſibilem, aut incorporeum; nam indiuiſibilia appellat Ariſtot. impartibilia, vt oſtendat non habere magnitudinem, quia cum magnitudo ex ſe habeat partes; quod partibus caret, neceſſe eſt etiam careat magnitudine, & quod caret magnitudine, caret etiam corpore: cum magnitudo ſit accidens corporeum, quod non poteſt inhærere, neque conuenire, niſi corporeæ ſubſtantiæ: vnde quod impartibile eſt, incorporeum cenſetur. Suppoſito ergo, quod Ariſtoteles ſenſerit primum motorẽ eſſe incorporeum & id cõtenderit probare cap. 10. quærimus, An probauerit euidenti ratione vel ſolùm probabili.

96 Prima opinio Modernorum negat Ariſtot. probaſſe euidenter, quod primus motor ſit impartibilis vel incorporeus. Probat primò, quia ratio eius talis eſt, primus motor habet virtutẽ infinitam extenſiuam ad mouendum, ſed repugnat dari infinitam virtutem mouendi in magnitudine; ergo repugnat primum motorem habere magnitudinem. Minorem ſic probat, ſi daretur infinita virtus in magnitudine, vel magnitudo eſſet finita vel infinita: infinita non eſt poſſibilis, vt probatum eſt in 3. lib. ergo daretur in magnitudine finita, hoc repugnat, ergo repugnat infinitam magnitudinem primi motoris eſſe in magnitudine, aut in corpore, & ideò repugnabit eſſe corporeum. Probat iterum minorem; quia ſi daretur virtus infinita in magnitudine finita: moueret eam in non tempore; vel in inſtanti, ſed repugnat fieri motum in inſtanti, vt ſuperiùs probatum eſt; ergo repugnat etiam dari virtutem infinitam in magnitudine finita. Probat tandem minorem, quia virtus vt quatuor in magnitudine exiſtens mouet eam per tantum ſpatium motu alicuius velocitatis, & in aliquo tempore finito, & ſi ſit maior mouet corpus per idem ſpatium motu velociori, & in minori tempore; ſi ergo fuerit infinita, mouebit illud motu infinitæ

velocitatis, & in tempore in minori infinitum; ſed tempus minus infinitum non eſt tempus; ſed non tempus, vel inſtans; ergo mouebit corpus in inſtanti.

Hæc autem ratio, aut nihil probat, aut ſolùm probat virtutem infinitam non eſſe poſſibilem; ergo potiùs deſtruit Ariſtoteles principium, quod præſupponit; nempè virtutem primi motoris eſſe infinitam, quam probat eſſe incorpoream. Probatur antecedens; quia hæc ratio æquè probat de virtute infinita in magnitudine; & extra illam; nam quælibet virtus, ſiue ſit in magnitudine, ſiue extra illam, poterit eam mouere, & quo maior ſit virtus velociori motu, & in minori tempore; & ſi fuerit infinita motu infinitæ velocitatis, & in non tempore; & 97
cum ſit impoſſibile dari motum in non tempore, impoſſibile etiam erit dari virtutem actu infinitam; tam in magnitudine, quàm extra illam. Secundò, iam, quòd de ſola virtute infinita in magnitudine procederet ratio Ariſtotelis; ſupponit quendam errorem, videlicet, quod primus motor naturaliter operetur; alioqui nihil probaret ratio eius: quia ſi liberè agit, non eſt neceſſarium totam ſuam virtutem applicare ad mouendum; ſed tantùm, quantum iudicabitur conueniens per rationem; cuius iudicium ſequitur libertas. Deinde, etiam hoc errore ſuppoſito non probat aliquid impoſſibile; ergo ad nullum inconueniens ducit; ex eo, quòd detur virtus infinita in magnitudine, & ita nullius momenti erit ad probandum intentum eius. Probatur minor; quia non eſt neceſſarium, quòd virtus infinita habeat effectum ſibi adæquatum ad extra, nempè actu infinitum; ſed ſatis eſt; habeat infinitum in potentia, qui ſimpliciter ſit finitus: ita vt poſſit quocunque dato, maiorem, & maiorem infinitum producere; ſemper tamen actu finitum, & nunquam actu infinitum: quemadmodum de infinita virtute, vel potentia Dei dictum eſt in tertio libro non eſſe neceſſarium, quòd poſſit efficere effectum actu infinitum, ſed ſatis eſſe, quod poſſit efficere infinitum in potentia eodem modo; ſolum ergo ſequitur ex ratione Ariſtotelis, quòd virtus infinita primi motoris exiſtens in magnitudine finita poſſit eam mouere, motu velociori in infinitum, & in tempore minori in infinitum, ſemper tamen motu finitæ velocitatis actualis; & in tempore aliquo facto, & nunquam infinitæ velocitatis actu, neque in non tempore, & hoc nullum eſt inconueniens, vt per ſe conſtat.

Secunda opinio eſt euidenter probare Ariſtotelem eodem argumento facto, quod primus motor ſit impartibilis, vel incorporeus. Ita D. Thomas cap. 10. & videtur mihi probabilior 98

& tenen

& tenẽda. Quam vt ſimul explicemus & probemus, notandum eſt, quòd ſi infinitas virtus primi motoris eſſet in materia, non eſſet intellectiua nec ſenſitiua; quia formæ ſenſitiuæ, aut intellectiuæ dependent in ſuis operationibus ab obiecto extrinſeco, vt de anima rationali, & ſenſitiua conſtat; ſed nec nutritiua cum hæc etiam ſuo modo dependeat ab extrinſeca materia ſibi approximanda, vt operetur; quare ſequitur in infimo gradu materialitatis conſiſtere, eſſeque quaſi virtutem ignis, vel aq æ tria habentem. Primum, quòd operaretur naturaliter, hoc eſt, ex determinatione ad vnum, & ſine libertate. Secundum; quòd in tota magnitudine, & in ſingulis partibus eſſet ſecundum eandem rationem infinitudinis, ſicut quælibet virtus homogenei corporis, vt ignis, vel aquæ. Tertium, quod cum eſſet virtus primi agentis, non dependeret ab agente extrinſeco; nec eſſet, à quo limitaretur in ſua operatione: ſed ſimpliciter ageret in quantum poteſt, vel ſecundum vltimum potentiæ. Solùm poſſet excogitari, quod limitaretur ex finita capacitate ſubiecti, vel motus; quia neque illa eſt capax motus infinitæ velocitatis, neque motus ipſe infinitæ velocitatis capax eſt; ſed nec poſſet ex hac parte limitari, quia capacitas finitæ magnitudinis in ordine ad motum, & ipſiuſn.et motus in ordine ad velocitatem non determinatur ad motum tantæ velocitatis nec motus ipſe ad tantam velocitatem, quin poſſit quacunque

99 data maiorem habere in infinitum; ergo nec ex hac parte determinatus poſſet eſſe, quantum ad velocitatem motus, quem efficeret virtus infinita primi motoris in magnitudine finita; quia vniuerſaliter loquendo ſolum determinatur velocitas cuiuſcunque motus, ſecundum limitationem virtutis motiuæ: quæ cum eſſet infinita agens ſecundum vltimum potentiæ, efficeret motum infinitæ velocitatis, qui in non tempore, vel in inſtanti abſolueretur.

Quod hoc breui argumento euidenter probatur, vel motus quem efficeret talis virtus infinita ſic agens; haberet velocitatem actu finitam, hoc eſt, tantam, & non maiorem, vel actu infinitam; ſed non actu finitam; ergo actu infinitam; & ita fiet in non tempore. Probo minorem, quia ſi haberet actu finitam, ergo tantam, vt non maiorem: ſed quacunque ſignata neceſſe eſt habere actu maiorem in infinitum. Probatur, quia virtus infinita agit ſecundum vltimum potentiæ, ergo producit actu, quidquid poteſt producere; bene ergo ſequitur, motus ab ea factus poteſt habere maiorem, & maiorem velocitatem in infinitum; ergo habet eã actu, & ita actu infinitam.

100 Ad primum argumentum negandum eſt antecedens, quòd

ratio Ariſtotelis probat primum motorem non habere virtutem infinitam, ſed hoc potius præſupponit iam à ſe probatum & ex eo probat non eſſe materialem, vel corpoream. Negandum eſt etiam rationem Ariſtotelis æquè probare de magnitudine infinita in materia exiſtenti,& extra illam; quia ſi non eſt in materia, liberè agere poteſt, ſicut verè agit liberè, & tunc non ſequitur producere poſſe effectum actu infinitum, vt probat argumentum: bene tamen ſequitur, ſi ſit in materia; quia materialis erit,& in infimo gradu materialitatis, ideò aget ſecundum vltimum potentiæ, vt probatum iam eſt.

Ad ſecundum argumentum negandum eſt primò, quòd talem errorem ſupponat ratio Ariſtotelis, ſed potius ſupponit veritatem iam à ſe probatam; quod virtus primi motoris ſit infinita ſecundū intenſionem: quo ſuppoſito probare vult eſſe virtutem incorpoream, vel motum efficere in inſtanti; & ad id probandum, ſupponit quidem agere naturaliter, non ex propria ſententia, vel ſecundum veritatem; ſed ex ſententia eius, qui diceret eſſe in magnitudine; quia euidenter ex eo infertur, vt probauimus; vnde nec haberet locum in ea motus agendi liberè, vel per intellectum, ſed in infimo gradu materialitatis conſiſteret,& ideò ageret ex determinatione ad vnum, vel ſecundum vltimum potentiæ; & cum non poſſet vlla ex parte limitationē accipere, produceret motum infinitæ velocitatis. Et ſi dicatur aduerſus Ariſtotelem, quòd de eodem primo motore ſcripſerit; animal quoddam perfectiſsimum eſſe lib. 12. Metaph. cap. 7. text. 39. his verbis: *Dicimus itaque Deum, ſempiternum, primumque animal eſſe.* Ex quibus ſequitur eſſe corporeū, & virtutem eius infinitam eſſe in magnitudine. Reſpondetur, verbum, animal pro habente vitam deſumpſiſſe, quæ cum apud homines in ſolis ferè operationibus ſenſitiuis fiat manifeſta, vulgari modo loquendi vſus, Deum animal perfectiſſimum vocauit, id eſt, perfectiſsimum viuens optima & ſempiterna vita. Ita enim de eo ſentit expreſsè lib. 12. Metaph. text. 39. vbi vitam ei tribuit infinitè perfectam, in perfectiſſima contemplatione ſui ipſius poſitam, quam conſtat longè diſtare a ſenſitiua. Bene ergo D. Thom. Albertus Magnus, & Alenſis in Commentariis illorum verborum ea exponunt, vt diximus in hoc ſolùm duo iſti poſteriores eum reprehendunt; quòd vulgari, & improprio nomine vſus fuerit de Deo loquens quia Philoſophum oportet, cum de Deo loquitur, ab his nominibus abſtinere, qui diuinam excellentiam aliqua ex parte diminuere videntur.

Quid

Quid de immenſitate primi motoris ſenſerit Ariſtoteles.

101 DVo attributa reſtabant primi motoris, ex his, quæ in hoc libro octauo tangit Ariſtoteles, nempè Æternitas & Immenſitas: & de æternitate quidem euidens eſt bene ſenſiſſe, cum primum motorem æternum poſuerit; quamuis malè de operationibus eius, in quantum æternitatem eis tribuit; docens mundum ab æterno fuiſſe factum. De Immenſitate verò eius, per quam omnia replet, & vbique præſens eſt, non videtur bene ſenſiſſe; quia capite vltimo huius libri, text.84. determinatum locum tribuit primo motori, aſſerens non in cẽtro mundi reſidere, ſed in circunferẽtia; vel conuexo primi cœli, quod ſuprema pars mundi eſt; & idem videtur ſentire primo libro de cœlo, cap.3.text.22.lib.2.cap.12.text.66.lib.2.de gen. cap.10.58.& 59.& lib.de mundo ad Alexandrum, cap.1.aſſerit corpora, quæ longè diſtant à primo principio, quodam inordinato motu moueri, corruptionique ſubdita eſſe, & cap. 7. eiuſdem lib. docet non eſſe conſonum diuinæ dignitati cunctis rebus adminiſtrandis intereſſe; quod probat exemplo Regum qui non per ſe, ſed per ſuos miniſtros regni gubernationem, & adminiſtrationem exercent. Ex quibus colligi videtur, non tribuere immenſitatem primo motori, nec de eo ſentire quòd vbique ſit præſens. Nam ſi vbique præſens eſſet, nullum locum determinatum haberet; nec eſſet magis in vno, quam in altero præſens. Præterea, ſi vbique præſens eſſet; non diceretur res vna magis diſtare ab eo, quàm alia; non propter maiorem diſtantiam motu minus ordinato moueri. Et ita opinatur D. Iuſtinus Philoſophus, & Martyr in oratione parenetica ad gẽtes.

102 *Secunda* opinio eſt oppoſita; *quòd Ariſtoteles ſenſerit primum motorem eſſe immenſum vbique præſentem, omnia per ſe conſeruantem, & cum omnibus rebus concurrentem immediatione ſuppoſiti ad omnes ſuas operationes.* Ita ſentiunt omnes eius expoſitores, præſertim Alexander 2.libro de Anima, cap.23. Simplicius 8. lib. Phyſicorum textu 84. Themiſt. in ſua paraph. ſuper lib. 12. Metaphyſic. Philop. primo lib. de Anima, t.4. & 1 lib. Meteor, in principio, vbi Plotinum citat pro eadem ſententia. Iamblicus in lib de myſteriis Aegyptiorum cap.6. D.Tho.lib.8.Phyſ. ſuper textu 84. Nicolaus Leonicus in dialogo de animorum eſſentia. Fernelius in lib. de abditis rerum cauſis cap.2. Eugub. 4. lib. de perenni Philoſ. cap.7. & nobis videtur probabilior. Probatur ex lib. primo de partibus anim. cap.5. vbi refert, & laudat

dictum illud cuiuſdam inſignis Philoſophi : *Nec ab exigua domuncula Deum abeſſe*; his verbis: *Heraclitum dixiſſe ferunt ad eos, qui cum alloqui eum vellent quod fortè in quadam caſa furnaria caloris gratia, ſedentem vidiſſent, accedere temperarunt, ingredi enim eos fidenter iuſſit; quoniam inquit, nec huic quidem loco dij deſunt immortales.* Et in eodem lib. de mundo ad Alexandrum cap.7. ait, *Atqui cum ita ſit numen diuinum natura ſua comparatũ, quoquo, vt verſus permeet; & nimirum ea, in quibus ipſi verſamur, ac nobis ſuperiora.* Et ratione probatur ex duobus apud ipſum certiſſimis. Primum eſt, quod 7. lib. Phyſicorum cap 2. docet nihil agere poſſe, niſi vbi præſens eſt. Secundum, quòd libr. 8. cap. 5. docuit, & probauit totam ſeriem mouẽtium, & mobilium reducendam eſſe ad vnum primum motorem, qui non mouetur ab alio; ſed cætera omnia ab eo. Ex quibus ſimul coniunctis, efficaciter ſequitur ſenſiſſe, quòd primus motor ſit immenſus, & vbique præſens, ſicut vbique agens. 10

Ad teſtimonia verò pro contraria opinione non eſt difficilè reſpondere, non enim tribuit Ariſtoteles determinatum locũ primo motori, quaſi in aliis locis, & rebus quantumlibet infimis non ſit præſens per ſe; ſed quia ſpeciale quadam ratione dicitur eſſe in ſupremo cœlo, tanquam in loco, & corpore, in quo perfectiùs per ſuos effectus oſtenditur eius præſẽtia, quemadmodum, etiamſi Rex in toto ſuo regno præſens per ſe foret, nihilominus poſſet ei attribui tanquam proprius locus, curia regia, in qua perfectiùs oſtenditur regalis præſentia per nobiliores, atque excellentiores effectus. Aliud vero de aſſiſtentia primi motoris ad infimas quaſque operationes & fũctiones, non omninò negare vult; ſed ſolum in hoc ſenſu quòd non per ſe ipſum eas exerceat, ſed per infimas quoque cauſas, in quo regibus aſſimilatur, vel potiùs reges aſſimilantur ei. ſed in hoc eos longè ſuperat: quia per ſe immediatè concurrit cum omnibus, eiſque præſens per ſe adeſt; quia cum infinita virtute eius pugnat aliquid fieri ſine concurſu eius, & cum modo operandi eius infinitè perfecto agere, vbi eſt per ſe præſẽs.

TRACTATVS II.

De principio motus violenti, quod impulſum vocant.

CAp. decimo huius lib. dubium propoſuit Ariſtoteles de motu violento proiectorum, à quanam cauſa procedat immediatè, illudque ſoluit ex propria 1

ſenten

ſententia: & occaſione huius diſputant Moderni interpre-
2 tes hoc loco de impulſu. Et ideò nos hunc ſecundum tracta-
tum de eodem inſtituimus, in quo ſex de eo diſputabimus. Primum, an impulſus ſit, hoc eſt, an imprimatur corpori à proijciente; & ab eo ita impreſſo tanquam à cauſa proxima fiat motus. Secundum, quid ſit impulſus. Tertium, quonam modo producatur & corrumpatur. Quartum; an motus violentus procedat ab impulſu tanquam ab inſtrumento proijcientis, vel tanquam à præcipua cauſa. Quintum, an motus corporis reſilientis fiat ab impulſu ei impreſſo à proijciente, vel à corpore occurrente. Vltimum, quænam ſit vera cauſa, ob quam motus violentus velocior eſt in medio; quàm in principio & fine.

QVÆSTIO I.

An motus violentus fiat per impulſum impreſſum corpori à proijciente, vel à ſolo aere circunſtante.

3 AD quæſtionem, an ſit impulſus, pertinet id, quod quærimus, & ideò quæſtio hæc quaſi fundamentum eſt cæterarum, quæ de eo diſputanda ſunt. Circa quam eſt Prima opinio, *negans motum violentum fieri per impulſum; ſed ſolùm aere circunſtante hoc modo, vt dum lapidem ſurſum proijcimus, proximas partes aeris manu moueamus; & ab his partibus motis moueantur aliæ eis proximæ, & ab his aliæ, vſque ad vltimam, quæ immediatè tangit lapidem, & eum mouet, & ita motus eius durat, quouſque partes aeris motæ; quo plus elongantur à proijciente, à quo tanquam à primo mouentur, paulatim langueſcunt, ac deficiunt.* Hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis capite vltimo huius libri, & 3. lib. de cœlo text. 28. & ſectio. 11. probl. 6. & 4. lib. Phyſ. text. 68. vbi negare videtur, quod in vacuo poſſit fieri motus violentus, quod negari non poſſet vlla ratione; ſi motus localis per impulſum fieret, conſtat autem nullam fieri mentionem impulſus impreſſi corpori moto à proijciente, ſed ſolius aeris: quare cenſet ab hoc ſolo motum fieri, & non ab impulſu. Ita etiam ſentiunt antiquiores eius interpretes, Simplicius, & Auerroës, & Burleus in eodem cap. Temiſt. in ſua Paraph. cap. 9. Maior in 2. d. 13. quæſt. 7. & Mayron. ibid. Pererius lib. 14. ca. 5. & tandem D. Thomas 3. lib. de cœlo, lect. 7. ad finem. Probatur primò ex natura motus violenti; atque eiuſdem impulſus; nam motus violentus fit à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim; ergo non à qualitate ei impreſſa; quæ principium intrinſecum erit. Impulſus verò, ſi detur, erit qualitas impreſſa

impreſſa lapidi ad motum ſurſum; ergo erit leuitas, & ſi ſit impreſsa pro motu deorſum, erit grauitas. Ex alia verò parte neceſſe eſt diſtingui ſpecie a grauitate & leuitate; quia repugnat qualitatem naturalem & violentam; & à tam diuerſis agentibus productas eſſe eiuſdem ſpeciei, ergo non eſt poſsibilis talis impulſus. Secundò, probatur ex modo, quo producitur: nam ſi à proiiciente imprimitur, non poteſt imprimi, niſi per motum localem, quo mouet manum, ſed per motum localem negauit Ariſtoteles produci poſſe qualitatem in hoc lib. text. 59. ergo repugnat talem impulſum produci. Et ſi adhuc produci dixeris ſequitur per motum eiuſdem manus nunc produci leuitatem, ſi lapis ſurſum proiiciatur, nunc grauitatem, ſi deorſum: nunc verò alias qualitates ſpecie diſtinctas, ſi dextrorſum vel ſiniſtrorſum, quod videtur impoſsibile. Tertiò, ex parte ſubiecti, cui imprimitur, videtur repugnare productio eius: nam vel educitur de potentia lapidis, & hoc non, quia ſicut in lapide non datur potentia naturalis ad motum ſurſum ſed naturalis repugnantia, ita neque ad talem qualitatem recipiendam, per quam ſurſum moueatur. Si verò educitur de potentia eius: ergo fit ex nihilo per creationem à proiiciente. Præterea, ſi imprimitur lapidi, vel in ſuperficie tantùm, & in aliqua determinata parte, vel per totam profunditatem omniũ partium: primum patet eſſe impoſſibile: quia repugnat per ſolam ſuperficialem impreſsionem, vel per vnam partem tantùm moueri totum corpus: nec minus impoſsibile eſt impulſum penetrare totam profunditatem corporis in momento, in quo imprimitur.

Secunda opinio tenet motum violentum, non poſſe fieri, niſi per impulſum à proiiciente impreſſum corpori, iuuante tamen medio. Ita Albertus Magnus 8. lib. Phyſicorum, tex. 81. Capreol. in 4. diſtin. 1. q. 1. ad 3. Scalig. exercita. 28. aduerſus Cardanum, Sotus 8. lib. Phyſic. quæſt 3. ad 2. Aſtudillo quæſt. 5. Albert. Saxonię, quęſtione vltima, Toletus, ibidem, text. 83. Valleſ controuerſ. vltima ad Tyrones, Conimbr. 7. lib. Phyſicorum, quæſt. 1. artic. 8. P. Suarius Tomo 2. Metaphy. diſputat. 35. ſection. 4. num. 34. & Moderni ferè omnes, ita vt communis ſit iam in ſchola, & videtur mihi vera. Ad cuius veritatem oſtendendam duo ſunt probanda. Primum, quòd motus violentus non poſsit fieri, niſi per impulſum alicui impreſſum nempè aëri, vel corpori moto. Secundum, quòd vtrique imprimi neceſſarium ſit: & quamuis de primo non poſſit dubitari; probatur hac ratione. Nullum agens immediatum dari poteſt à quo procedat motus lapidis ſecundum 5

primam

primam opinionem; præter partem aëris attingentem eundem lapidem; neque hæc mouere poteſt lapidem; niſi in quantum mota eſt a proijciente mediis aliis partibus aëris prioribus; ergo mouet in virtute proijcientis, & aliarum partium, à quibus
6 conſtat eſſe ſeparatam; quare non poteſt virtute earum mouere, niſi ei imprimatur aliqua virtus, per quam moueat, & ratione cuius virtutis dicatur proijciens cum partibus aëris intermediis ad talem motum concurrere, eúmque efficere, & virtus hæc vocatur impulſus, quem aëri imprimi expreſsè concedit D. Thomas & cum eo Pererius, quia euidenter conuincitur. Sed negat ſecunda opinio, quod mobili imprimatur, & in hoc diſtinguuntur duæ iſtæ opiniones, quia ſecunda, non ſolùm medio, ſed præcipuè mobili imprimi contendit, & hoc eſt à nobis probandum.

Probatur autem primò, quia non ſolùm lapis mouetur ſurſum, ſed etiam partes aëris a quibus mouetur: ergo aër etiam mobile eſt, & mouetur per impulſum, vt concedunt, & euidenter eſt probatum; ergo negari non poteſt, quod præcipuo mobili imprimatur, cum non minus ſit capax impulſus lapis, quàm aër. Secundò probatur euidenti experientia: quia non eſt intelligibile, quòd ſolus aër moueat globos tormentarios tanti ponderis, ad tam magnam diſtantiam, tam recta via, ad tam certum ſcopum, tam veloci motu, tantaque vi, vt vrbes demoliantur, & aliquando aduerſus ventum validum; ergo neceſſe eſt concedere, quod per impetum eis impreſſum moueantur.

7 Ad teſtimonia Ariſtotelis dicendum eſt, non negaſſe impulſum mobili impreſſum; ſed ſolam externam cauſam motus violenti expreſſiſſe; tanquam nobis notiorem; de impulſu verò tanquam de virtute interna, atque occulta expreſſam mentionem non feciſſe; quam tamen neceſſariò admittere debuit iuxta propria principia; quod nihil poteſt agere, niſi vbi præſens eſt per ſe; vel per propriam virtutem, & ideò non poſſunt proijciens, nec intermedius aër aliquid efficere ad motum corporis; niſi per impulſum impreſſum parti proximè mouenti, atque adeò mobili præcipuo. Quòd verò motus violentus per vacuum fieri poſſit, non negauit; ſed ſolùm aſſeruit, non poſſe fieri, niſi ad ſimilitudinem corporis, quod vehitur: quia non poteſt vllo modo concurrere medium, ſed per ſolùm impulſum à proijciente impreſſum, quaſi veheretur corpus per vacuum.

8 Ad D. Thomam clariùs reſpondere poſſumus; nam impulſum mobili impreſſum conceſſit expreſsè, 1. 2. quæſt. 25. art

4. vbi.

4. vbi docet omne mouens, quod ad ſe trahit, vel à ſe repellit aliquod mobile tribuere illi præter motum, & ante motum, inclinationem & aptitudinem; vt moueatur; & ponit exemplum in motu grauium & leuium; quibus generans imprimit grauitatem & leuitatem, addens ita eſſe ſentiendum de impulſione. Licèt ergo alio loco videatur negare impulſum, huic vltimo ſtandum eſt; per quem alium eſſe corrigendum conſtat.

Ad primum argumentum concedendum eſt antecedens, 9
quòd motus violentus fiat à principio extrinſeco, à quo impulſus imprimitur, qui etiam, ſi inhæreat mobili, extrinſecum principium appellatur; quia ab extrinſeco impreſſum, non verò intrinſecum; cum non ſit ex natura, vel inclinatione corporis; vnde per eum non dicitur conferre vim paſſum, ſed non minus contra inclinationem naturalem eius fit, ac ſi nihil ei imprimeretur. Nec impulſus eſt grauitas vel leuitas; licèt moueat ſurſum, aut deorſum, ſed qualitas ſpecie diſtincta ab eis, vt probat argumentum, & quæſtione ſequenti explicabitur. Quod autem modo fiat, vel per quam actionem, quòd tangit ſecundum argumentum, dicetur quæſt. 3. vbi etiam explicabitur eductio eius de potentia corporis; atque etiam an omnibus & ſingulis partibus eius imprimatur, & per totam profunditatem, quod tangit tertium argumentum.

QVÆSTIO II.

Quidnam ſit impulſus, & an diſtinguatur ſpecie à grauitate & leuitate.

OStenſo iam impulſum eſſe, pro neceſſitate motus violen- 10
ti, ſequitur ſcientifico ordine diſputandum, quid ſit, & quonam modo diſtinguatur à grauitate & leuitate. In quo certum eſt aliquid reale eſſe, cum ſit cauſa realis motus. Certum eſt etiam, non eſſe ſubſtantiam; ſed accidens: cum inhæreat corpori, & à proijciente imprimatur. Ad cognoſcendam autem eſſentiam eius, tria explicanda ſunt; nempè in quo prædicamento ſit, in quo genere, & ſpecie eius, & quo modo diſtinguatur à grauitate & leuitate. Et circa primum conueniunt omnes, quòd impulſus ſit in prædicamento qualitatis; quia cum ſit virtus accidentalis & actiua, ſeu productiua motus, non poteſt eſſe aliud accidens à qualitate: cum nullum aliud actiuum detur, vt facilè probari poteſt; quia quantitas & relatio actiua accidentia non ſunt, & multò minus ſex alia

prædica

prædicamenta, vt omnibus eſt manifeſtum. Circa ſecundum etiam conueniunt omnes, quòd ſit in ſecundo genere eiuſdem prædicamenti, ſub naturali potentia, quia licèt non ſit naturalis alicui corpori, ſed contrariâ potiùs inclinationi naturali eius; impreſſa tamen eſt ab agente ordinis naturalis: & per actionem quoque eiuſdem ordinis, & ideò naturalis vocari debet; & cum ſit virtus, per quam corpus mouetur, meritò etiam vocatur potentia ad motum; & ideò naturalis potentia ad illum efficiendum impreſſa corpori à proijciente. De ſpecie verò eius non eſt certum, an ſit ſubalterna vel atoma; ita vt omnes impulſus ſint eiuſdem ſpeciei, vel diuerſæ ſint ſpecies impulſus; ita vt impulſus, per quem mouetur corpus ſurſum ſpecie di-
11 ſtinguatur ab eo, per quem mouetur deorſum. Quod videtur neceſſariò dicendum, ſi ſimilitudinem grauitatis & leuitatis ſequamur; quæ ſpecie differunt; quia vna eſt principium motus ſurſum; alia principium motus deorſum. Dicendum tamen eſt omnes impulſus eſſe eiuſdem ſpeciei atomæ; ſiue per eos ſurſum vel deorſum moueatur corpus. Ita ſentiunt Moderni ferè omnes: nam antiquiores interpretes nullam mentionem de quidditate impulſus faciunt. Quod probare contendunt nonnulli ex fine, in quem ordinantur impulſus omnes; qui eſt ſeparatio corporis à proijciente; nihil enim aliud intendit proijciens per impulſum, quàm corpus à ſe ſeparare, quod verò in hunc, vel illum locum tendat, per accidens eſt; ergo ex tali fine ſpeciem ſument impulſus omnes potiùs, quàm ex hoc, vel illo motu; per quem mouetur ab eis corpus, quemadmodum virtus attractiua magnetis per ſe ordinatur ad coniungendum ſibi ferrum; quod verò hoc, vel illo motu fiat, per accidens eſt: vnde ab eodem fine ſumit ſpeciem, & non à motu. Sed hæc opinio falſa eſt, quod ſic probo; nam ſi impulſus eſt potentia ad motum, ſequitur à proprio actu in quem à natura ordinatur per ſe, qui eſt motus ipſe, vnitatem, vel ſpecificam diſtinctionem ſumere, quemadmodum cæteræ omnes potentiæ, & non ab alio fine: falſum eſt igitur, quòd per accidens ſit ordinari ad motum. Secundò, quia ille, qui ſagittam emittit, non intendit per ſe eam à ſe ſeparare, ſed in certum ſcopum via recta dirigere, ita vt ab eo non aberret; talis ergo motus ſagittæ per ſe intentus eſt; ſeparatio verò quaſi per accidens conſequitur: vnde falſum eſt, quod ſe habeat tanquam finis per ſe intentus, à quo ſpecies impulſus accipiatur.

12 *Ideò* ſecunda opinio *aſſerit à motu ſumere ſpeciem, & propterea omnes impulſus eſſe eiuſdem ſpeciei; quia omnes motus locales, etiam pertinent ad eandem ſpeciem atomam, ſiue ſint ſurſum, ſiue deorſum,*

deorſum. Ita plures alij ex Modernis. Sed hæc etiam opinio falſa eſt. Primò, quia vnitas ſpecifica impulſus, ex aliquo certo ſumi debet, ſed quod motus omnes locales ſint eiuſdem ſpeciei, non eſt certum; ſed in opinione poſitum; & imprimis eſt expreſsè contra Ariſtotelem vt oſtendimus in 5. libro; ergo ex eo, non poteſt ſumi vnitas ſpecifica impulſus. Secundò, quia licèt motus locales ſurſum & deorſum diſtinguantur ſpecie, nihilominus impulſus eiuſdem ſpeciei erunt: quia per quemlibet impulſum indifferenter poteſt proijciens mouere corpus ſurſum vel deorſum; ergo differentia ſpecifica horum motuum, vel vnitas per accidens ſe habet ad vnitatem ſpecificam, vel diſtinctionem impulſus.

Noſtra igitur ſententia duo aſſerit. Primum, *impulſus omnes eſſe eiuſdem ſpeciei, quia omnes conueniunt in hac vna ratione formali atoma; quod ſint virtutes quædam impreſſæ à proijciente in motum localem per ſe ordinatæ; ſed non in aliquem in particulari ex propria natura, ſed ab eodem proijciente, à quo producuntur, determinantur etiam, vel applicantur ad hunc, vel illum motum, per ſe verò indifferentes ſunt.* Itaque adæquata ratio cuiuſlibet impulſus eſt eſſe virtutem efficiendi motum, in qua omnes conueniunt; quod verò ad hunc vel illum motum ordinentur inadæquata ratio cuiuſcunque eſt; ſed vnitas ſpecifica ſumitur à ratione adæquata; ergò ab illa habent, quòd ſint eiuſdem ſpeciei; ordinari verò ad talem motum, vel diuerſum inadæquatæ rationes ſunt; ex quibus non poſſunt habere diſtinctionem ſpecificam, ſicut intellectus ſumit ſuam ſpeciem ex actu; vt verſatur circa rationem veri, tanquam ſibi adæquatam; quòd verò circa hoc vel illud verum verſentur diuerſi actus eius, tanquam circa obiecta ſpecie diſtincta; non diſtinguit ſpecie eundem intellectum; quia inadæquati actus ſunt; eadem ergo ſimilitudine intelligenda eſt vnitas ſpecifica impulſus: quam ſic probo: Quolibet impulſu poteſt indifferenter vti proijciens ad motum ſurſum, vel deorſum; ergo impulſus ipſi non ordinantur per ſe ad hunc vel illum motum; ſed indifferentes ſunt, vt à proijciente determinentur; quare eiuſdem ſpeciei erunt ex ordinatione ad motum localem; vt ſic, tanquam ex ratione per ſe, & adæquata, nec diſtinguentur ſpecie per diuerſos motus, ad quos, nec ex propria natura ordinantur; licèt ſint ordinabiles; nec tanquam ad actus adæquatos, qui ſiue ſpecie differant, vel eiuſdem ſpeciei ſint, impertinens eſt ad vnitatem, vel diſtinctionem ſpecificam impulſus.

Aſſerit ſecundò, impulſus omnes ſpecie diſtingui à grauitate & leuitate: quod probo primò, ex diuerſa natura harum

qualitatum; nam grauitas & leuitas ſunt potentiæ conſequentes naturaliter eſſentiam corporum; & pro determinatis motibus, eis tributæ à natura, vt in determinata loca tendant pro ſua conſeruatione; ratio verò impulſus diuerſiſſima eſt; quoniam verò, nec à natura conceditur corporibus vt tendant in loca naturalia: nec eſſentiam eorum ſequitur, imò neque ex ſe ordinatur ad determinatum motum, vel locum, ſed ſolum eſt virtus impreſſa ab extrinſeco agente, & non pro determinato motu, ſed determinando à proijciente, à quo imprimitur; quæ omnia euidenter oſtendunt ſpecificam diſtinctionem impulſus à grauitate & leuitate.

QVÆSTIO III.

Quonam modo impulſus generetur & corrumpatur.

14 PRimò agendum eſt de generatione, vel productione impulſus: deinde de corruptione, vel deſitione eius; & circa generationem tria ſunt explicanda. Primum, per quam actionem producatur impulſus. Secundum, an educatur de potentia corporis, cui imprimitur. Tertium, an ſimul & in inſtanti fiat, vel ſucceſſiuè, & in tempore. Circa primum tanquam certum videntur præſupponere plures; impulſum non fieri ſine motu locali vtriuſque corporis; nempè imprimentis, & eius cui imprimitur, vel ſaltem ſine motu alterius; quia ſi vtrumque quieſcat, neutrum dicetur impellere alterum, nec proinde ei imprimere impulſum; ego verò non ſentio ſemper eſſe neceſſarium motum localem vtriuſque, nec alterius, ſed ſine illo imprimi poſſe impulſum. Hac igitur diſtinctione vtendum eſt: dupliciter poteſt fieri impreſſio impulſus; aut per virtutem motiuam corporis imprimentis, quo pacto proijciens impulſum imprimit proiecta, atque etiam vnum corpus ſuo motu naturali, aut violento occurrens alteri. Aut per virtutem peculiarem expulſiuam vel attractiuam; vt patet in magnete attrahente ferrum, & in virtute vitali expulſiua ſan-
15 guinem vel ſudorem expellente. Et ſi primo modo fiat impreſſio impulſus, nō poteſt fieri, ſine motu locali alterius corporis; ſi verò fiat ſecundo modo; abſque omni motu fieri poteſt, & ſæpè, vel ſemper fit. Vtrumque probatur ratione & experientia; nam virtus motiua per ſe ſolùm ordinatur ad motum corporis in quo eſt; ergo nihil poteſt efficere, niſi motum, vel

Ddd medio

medio motu; quare non poteſt impulſum imprimere, niſi per motum, quod experientia etiam conſtat: cum nullum tale corpus videamus impulſum imprimere, niſi medio motu. Virtus autem attractiua, non ordinatur per ſe ad motum corporis, in quo eſt; ſed ad aliud attrahendum, vel pellendum; quare per ſe, & ſine motu eſt impreſſiua impulſus ad pellendum, vel attrahendum. Experientia id teſtatur; quia ſi ferrum intra ſphæram actiuitatis magnetis ponatur, abſque vllo præcedente motu locali imprimit ei virtutem, per quam illud ad ſe attrahit.

Sed quamuis iuxta primum modum non poſſit imprimi ſine motu locali, non tamen imprimitur vel producitur hoc modo, vel illo per motum ipſum localem, cuius ratio eſt manifeſta; quia motus localis per ſe non terminatur, niſi ad vbi; non ergo ad qualitatem; ſed impulſus eſt vera qualitas; ergo non poteſt per ſe produci per motum localem; ſed producitur per alterationem, quæ licet non terminetur per ſe ad potentias naturales; hoc eſt à natura conceſſas, vt in libro ſeptimo diximus: ad potentias verò ab agente extrinſeco impreſſas per ſe terminari poteſt: quia iſtæ, quantum ad productionem, non tam modum potentiarum habent, quàm qualitatum tertiæ ſpeciei, ad quas per ſe terminatur alteratio, itaque proiiciens duplici mutatione, vel motu mouet lapidem, dum eum proiicit ſurſum, alteratione & motu locali, & illa prior ſaltem natura eſt: cum per eam producatur qualitas, quæ eſt principium motus localis. 16

An verò alteratio hæc, per quam producitur impulſus, ſit ſucceſſiua, vt calefactio: vel inſtantanea, vt illuminatio ſecundum ſe ſumpta, hoc eſt tertium circa productionem impulſus explicandum. Circa quod Moderni quidam tenent impulſum imprimi cum expulſione contrarij, nempe alicuius gradus virtutis motiuæ naturalis, vt ſi imprimatur lapidi cum expulſione alicuius gradus grauitatis, & ſi corpori leui cum expulſione alicuius gradus leuitatis. Probant primò, quia impulſus eſt contrarius naturali inclinationi corporis, cui imprimitur, ſed vnum contrarium non imprimitur, niſi cum expulſione alterius, ergo nec impulſus ſine expulſione alicuius gradus naturalis inclinationis. Secundò probant experientia, experimur namque impulſum maiori ex parte imprimi cum reſiſtentia paſſi, dum lapidem magnum proiicere volumus vim patientes & ſentientes; ſed reſiſtentia paſſi procedit ex contrarietate, vt per ſe eſt manifeſtum, ergo imprimitur cum expulſione contrarij. Ex hac opinione 17

ſequitur

ſequitur non ſimul, vel in inſtanti imprimi, ſed per ſe ſucceſſiuè, quia reſiſtentia contrarij, non poteſt ſimul vel in momento vinci, vt in calefactione eſt manifeſtum, ſed ſucceſſiuè: quare nec in momento, ſed ſucceſſiuè introducetur aliud contrarium.

18 Hæc tamen ſententia falſa eſt, atque etiam quod ex ea infertur nempè inſtantanea productio impulſus. Probatur primum, quia grauitas & leuitas ſunt potentiæ naturales conſequentes naturam corporum in inſtanti generationis, ſecundum omnem perfectionem, quam habituræ ſunt: ita vt nunquam intendantur per ſe, nec remittantur: imò nec vllam mutationem ſuſcipere poſſint, niſi facta mutatione circa primas qualitates, quarum commixtionem naturaliter ſequuntur: ſed impreſſio impulſus nullam mutationem efficit circa primas qualitates corporis, cui imprimitur: ergo neque circa grauitatem aut leuitatem, ideò nec imprimitur cum expulſione earũ. Secundò, quia grauitas & leuitas ſolùm ordinantur per ſe ad motum localem corporum: pro quo tantùm conceſſæ ſunt à natura his corporibus: ergo ſecundum ſe, nec ſunt actiuæ nec paſſiuæ in ordine ad alias qualitates ſimiles producendas vel à contrariis expellendas: & ex conſequenti, nec reſiſtentiam vllam efficiunt ad impreſſionem impulſus. Probatur tandem euidenti experientia: experimur namque corpora naturalia eiuſdem ponderis eſſe ante impreſſionem magni impulſus, & poſt eam: ergo per impreſſionem impulſus nihil grauitatis amittunt: quare non fit impreſſio impulſus cum expulſione alicuius gradus grauitatis: nec argumentum de vi illata à corpore magni ponderis proijciendo, nihil probat: quia vis illa quæ ſentitur, non ex reſiſtentia manus, vel brachij prouenit: ſed quia pondere ipſius corporis deprimitur manus vel brachium abſque alicuius qualitatis impreſſione; vel expulſione. Quod verò dicitur impulſum eſſe contrarium inclinationi corporis, diſtinguendum eſt: nam inclinationi ad motum localem contrarius eſt: nam inclinationi actiuæ, vel productiuæ qualitatis oppoſitæ: quæ nulla datur in grauitate & leuitate, vt probatum eſt: quare nec ſequitur impulſum eſſe expulſiuum grauitatis aut leuitatis.

19 De impreſſione verò impulſus dicendum eſt per ſe eſſe inſtantaneam, & per accidens poſſe eſſe ſucceſſiuam: ſicut de illuminatione tenet communis conſenſus ſcholæ. Et ratio eſt manifeſta: quia per ſe non habet contrarium: nec fit cum expulſione eius: ergo per ſe non petit productionem ſucceſſiuam, ſed momentaneam. Probatur conſequentia; quia pro-

ductio per ſe ſucceſſiua qualitatum ex contrario prouenit, Per accidens verò contingit, quod imprimatur ſucceſſiuè: quia contingit imprimi cum motu locali corporis imprimẽtis; vt dum ſagitta per aërem fertur, partes aëris ſuo motu diuidit atque impellit; & cum motu impulſum eis imprimit; & ideò ſucceſſiuè, ſicut illuminatio per accidens fit ſucceſſiuè, quando luminoſum per motum defertur; per ſe verò in inſtanti, quia contrario caret. Educitur autem de potentia ſubiecti, ſicut cætera accidentia, nempè de potentia materiæ primæ; ſi illa ſit ſubiectum omnium accidentium inhærentium media quantitate, vel (quod verius puto) de potentia totius corporis, cui imprimitur ad motum; ridiculum namque videtur, & ſine fundamento dicere, quòd materiæ primæ imprimatur impulſus immediatè à proiiciente, & non corpori, quod proximè & adæquatè mouetur.

SECVNDA PARS QVÆSTIONIS *de deſitione impulſus.*

NOn eſt minus difficilis deſitio impulſus, quàm productio: circa quam eſt Prima opinio eorundem Modernorum; *quod ſicut impulſus producitur cum expulſione alicuius gradus grauitatis aut leuitatis, ita corrumpitur per expulſionem ab eadem grauitate, ſicut corrumpitur calor, quia expelletur ab eodem ſubiecto à contraria frigiditate.* Probatur hæc ſententia, quia duobus tantùm modis corrumpi poteſt res aliqua; nempe à contrario, vt frigiditas à calore, vel per abſentiam conſeruantis; vt lumen productum in medio deſinit eſſe per abſentiam luminoſi: ſed impulſus non poteſt deſinere hoc ſecundo modo; ergo deſinet primo, vel non erit excogitabile, quo pacto deſinere poteſt. Probatur minor, quia impulſus non dependet à ſua cauſa producente in conſeruari: cum notum ſit permanere poſſe, etiam ſi proiiciens ſtatim, ac eum impreſſit, deſinat eſſe; ergo non deſinit eſſe per abſentiam conſeruantis. Et ſi dicas non conſeruari à cauſa producente, ſed à prima, & ideò deſinere per ſubtractionem concurſus eiuſdem primæ cauſæ. Contra hoc eſt, quod cauſa prima non ſubtrahit ſuum concurſum; nec deſinit conſeruare, niſi deſinente ſecunda, vel corrumpente contrario. Gratia exempli; Deus non ſubtrahit ſuum concurſum, quo conſeruatur lumen in aëre, vel calor in aqua; niſi per abſentiam Solis, vel quia calor expellitur à frigiditate ſed nulla cauſa ſecunda deſinit conſeruare impulſum; quia à nulla

nulla dependet in conſeruari ; ergo ſi non deſtruitur à contrario, non poteſt deſinere per ſubtractionem concurſus primæ cauſæ.

Hæc tamen ſententia non eſt minus falſa in deſitione impulſus, quàm in productione eius; ſed ſicut probatum eſt, non imprimi impulſum cum expulſione contrarij, eiſdem rationibus probatur ; non deſinere per expreſſionem à contrario, quia non habet contrarium, quòd expellat, vel à quo expellatur ab eodem ſubiecto.

23 Noſtra igitur ſententia eſt impulſum eodem modo deſinere, ac deſinit ſonus productus in aëre ; qui nec habet contrarium, nec dependet in conſeruari à corporibus à quibus producitur vt omnibus eſt manifeſtum ; ſed immediatè dependet à Deo in conſeruari ; & ideò non poteſt deſinere ; niſi per ſubtractionem diuini concurſus ; quem Deus non ſubtrahit ; quia cauſa ſecunda conſeruati deſinit ; vel quia contrarium ſe expellit ſonum ab eodem ſubiecto : ſed quia imperfecta conditio eius non petit diuturniorem conſeruationem, ſed natus eſt paulatim elangueſcere, & citò extingui : vnde prima cauſa, ad quam pertinet conſeruatio eius ſeſe accommodat imbecillitati & imperfectioni eius, & ſolùm ei tribuit concurſum pro paruo illo tempore ; quia non eſt natus plus durare ; ita ergo de impulſu dicendum eſt, deſinere per immediatam ſubtractionem diuini concurſus, quia natura eius non petit maiorem durationem, nec diuturniorem conſeruationem.

24 Et ſi dicatur ex hoc modo deſinendi ſequi ; quod impulſus vel ſonus inclinentur ad propriam deſitionem vel corruptionem, & ex conſequenti ad proprium non eſſe ; quod repugnat. Probatur conſequentia; quia ſi ex propria natura non petunt maiorem durationem, nec diuturniorem conſeruationem ; ergo ex propria natura nõ inclinantur ad longius, ſeu diuturnius eſſe, quod eſt inclinari ad citò deſinendum, & ad citò non eſſendum. Neganda eſt conſequentia, quia ſicut rem eſſe corruptibilem ; vel habere in ſe principium corruptionis, non eſt inclinari ad corruptionem ; vel ad non eſſendum, ſed ſolum eſſe capacem corruptionis ; & ideò non petere perpetuitatem eſſendi, nec proinde perpetuam conſeruationẽ, quod in negatione potius, quàm in poſitiua inclinatione conſiſtit, eodem modo impulſum, vel ſonum non petere longiorem durationem vel diuturniorem conſeruationem ; non eſt poſitiua inclinatio ad non eſſendum, vel, vt non amplius conſeruentur ; ſed ſolùm eſt negatio quædam diuturnitatis, vel permanentiæ in propria natura debiliſſima fundata, quam

non habent res incorruptibiles; ſed neque corruptibiles maioris perfectionis.

QVÆSTIO IIII.

An impulſus ſit cauſa principalis immediata motus violenti, vel ſolùm inſtrumentum proijcientis.

PRima opinio aſſerit, impulſum eſſe cauſam principalem 25
proximam motus violenti; proiectorem verò remotam. Ita plures Moderni. Probant; quia cauſa principalis diſtinguitur ab inſtrumento in duobus. In primo quidem; quia illa operatur per propriam virtutem, quam non excedit effectus; inſtrumentum verò, non operatur per propriam virtutem, ſed per virtutem agentis principalis, à quo eleuatur; nam propria virtus inferior, eſt comparata ad effectum, quem ideò non poteſt attingere, niſi eleuatus ab eo. In ſecundo verò, quia cauſa principalis operatur ſine dependentia ab alia eiuſdem ordinis; inſtrumentum verò dependenter à cauſa principali, & per motionem, & eleuationem eius; ſed impulſus efficit motum localem propria virtute, & ſine vlla eleuatione à proijciente, & ideò ſine vlla dependentia ab eo; ergo eſt præcipua cauſa eiuſdem motus, & non inſtrumentum. Probatur minor, quia etiamſi proijciens ſtatim ac impulſum impreſſit deſignat eſſe, efficiet impulſus motum localem, non minus quàm ſi idem proijciens permaneret; ergo nec virtute eius operatur, nec cum dependentia ab eo, ſed propria virtute, & ſine vlla dependentia, & propterea non eſt inſtrumentum, ſed cauſa principalis.

Secunda opinio tenet, ſolùm efficere motum tanquam vir- 26
tutem proiicientis, & ideò non, vt cauſam principalem, ſed vt inſtrumentum. Ita Conimbric.7.lib Phyſic.cap.2.quæſt. 1 artic.8. P.Suarius Tom.1.Metaphyſ.diſp.18 ſect.7. vbi poſtquam de accidentibus in communi docuit quæſtionem ferè de nomine eſſe, an ſint cauſæ principales aliorum eiuſdem ſpeciei, vel inſtrumenta, de grauitate & leuitate, ac de impulſu determinatè aſſerit ſolùm eſſe inſtrumenta generantis & proiicientis. Et hæc videtur mihi probabilior ſententia, quam de grauitate & leuitate expreſsè tenent Ariſtoteles & D. Tho. ca. 4. huius lib. Quam vt explicemus & probemus ſimul, notandum eſt, quòd cauſam aliquam eſſe præcipuam alicuius effectus, vel inſtrumentalis, ex duobus conſiderari poteſt. Primo,

ex

ex virtute eius, quam ſi effectus non excedit, ex hac parte dicetur cauſa principalis. Secundo, ex modo agendi, an operetur tanquam virtus alterius, quam ſibi ſubſtituit ad talem effectum producendum, vel, vt id quod per ſe operatur ſine ordine ad alterum. Et hic modus operandi tanquam virtus alterius, non ſolùm in eo conſiſtit, quòd eſt ab eo procedere, vel ab eo accipere eſſe, ſed præcipuè in eo, quòd non ſit ordinata ad effectum producendum, niſi tanquam ſubſtitutum pro eo, cuius eſt virtus, quod, quia non poteſt præſens eſſe effectui, eam loco ſui dereliquit, ad talem effectum præſtandum pro ea. Vtraque ratio concurrit in ſemine, quia non ſolùm effectus excedit virtutem eius, ſed loco generantis derelicta eſt, quod cùm non poſſit eſſe per ſe præſens generationi, eam ſibi ſubſtituit ad talem effectum producendum, alioqui non poſſet eum per ſe attingere. Et conditio prima quaſi materialis eſt reſpectu ſecundæ, quæ cum ſumatur ex modo agendi per ſe, vel tanquam aliquid alterius pro eo ſubſtitutum, formalis eſt ratio diſtinguendi inſtrumentum à cauſa principali.

27 Ex quo tale argumentum colligitur: Cauſa principalis operatur per ſe, hoc eſt, non tanquam aliquid alterius pro eo ſubſtitutum ad productionem talis effectus; ſed impulſus nõ operatur per ſe, ſed tanquam virtus proiicientis, quam pro ſe ſubſtituit ad mouendum, quia non poteſt eſſe præſens, & ſi poſſet non imprimeret impulſum, ſed per ſe moueret corpus; ergo ex modo operandi, formaliter, & præcipuè conſiderando ad diſtinguendum cauſam principalem ab inſtrumento non habet impulſus rationem cauſæ principalis; ſed inſtrumenti proiicientis. Secundò, probatur: quia effectus non tribuitur cauſæ remotæ, quæ nullo modo concurrit ad effectum, ſed per accidens ſe habet ad illum, vt generatio filij non tribuitur auo, ſed ſoli patri: at motus violentus tribuitur proiicienti, non ſolùm ab Ariſtotele definiente motum violentum, quod ſit, à principio extrinſeco non conferente vim paſſo: ſed ab omnib. nemo enim dicit lapidem ſe mouere ſurſum, vel ferrum ſe mouere ad magnetem; ſed à proiiciente illum, & hoc à magnete ipſo; ergo nec ſolùm proiiciens eſt cauſa remota motus ſurſum; nec magnes attrahendi ferrum, ſed proximæ ſunt atque præcipuæ, hos motus efficientes per ſuas virtutes, tanquã per inſtrumenta.

28 Ad arg. igitur alterius opinionis concedendum eſt motum localem non excedere virtutem impulſus; ſed negandum id ſufficere, vt ſit cauſa principalis, niſi operetur per ſe; hoc eſt, non vt virtus alterius pro eo ſubſtituta ad talem effectum:

hic enim modus degenerat à dignitate cauſæ principalis, & ideo impulſum ita concurrentem ad motum efficit inſtrumentum. Quod adeo verum eſt, vt nihil reperiatur in tota natura rerum hoc modo operans, quod ſit cauſa principalis, ſed inſtrumentum: nam calor, & cæteræ qualitates; non operantur loco alterius, nec pro eo ſubſtituuntur ad producendas ſibi ſimiles, & ideò tanquam cauſæ principales operantur; non tanquam inſtrumenta. Negandum eſt etiam, quòd impulſus non operetur cum dependentia à proiiciēte: nam eo ipſo, quòd operatur tanquam virtus eius pro ſe ſubſtituta ad talem effectum, cenſetur operari dependenter ab eo, quamuis non actu concurrente, quod neceſſarium non eſt, vt in ſemine patet, de quo certum eſt operari tanquam virtutem, & inſtrumentum generantis, & eo ipſo cum dependentia ab illo, quamuis non actu concurrente: ſunt enim inſtrumenta ſeparata, non nata eleuari per actualem concurſum agentis principalis: ſed quæ eo ipſo eleuata cenſentur, quòd tanquam virtutes eorum operantur; eleuari autem dicitur impulſus, non quidem attingendam perfectionem motus, quam ex ſe attingit; ſed ad illū producendum, quod non poſſet, niſi eſſet virtus proiicientis ab eo ſubſtituta, & hoc habet ex ſua intrinſeca ratione & eſſentia; & ideò ex ea cenſetur eleuatus quantum ad modum agendi.

QVÆSTIO V.

An motus corporis reſilientis fiat per impulſum impreſſum à proiiciente, vel à corpore à quo reſilire dicitur.

Senſus quæſtionis eſt, an dum pila proiicitur ad parietem, & quaſi ab eo repercuſſa retrocedit, motus ille retroceſſionis, qui etiam vocatur reſilientiæ, fiat per impulſum eidem pilæ impreſſum à proiiciente, vel per nouum, quem ei paries imprimat, ita, vt impulſus proiicientis ceſſauerit cum primum paritem tetigit, & retrocedere incipiat per nouum impulſum parietis. 29

Prima opinio Modernorum tenet motum reſilientiæ non fieri per primam impulſum à proiiciente impreſſum, ſed hunc ceſſare ſtatim ac pila tangit parietem, & fieri per nouū ab eodem patiete impreſſum. Probant 1. quia ſi fit per impulſum proiicientis; ergo paries ſolùm eſt cauſa per accidens reflexionis impediendo motum directum: vnde ſequitur, quòd, ſine mollis

mollis vel durus ſit, eodem modo pila retrocedat. Probatur conſequentia, quia vbi eadem eſt cauſa per ſe, idem debet ſequi effectus, conſequens autem eſſe falſum oſtendit experientia; quia ſi mollis ſit paries, nihil ferè retrocedit pila. Secundò, quia repugnat ab eodem numero potentia motiua procedere motus contrarios, ſed motus rectus & reflexus oppoſiti ſunt; ergo non poſſunt procedere ab eodem impulſu proiicientis, præſertim, cum interrumpantur per quietem: tunc enim ceſſabit impulſus proiicientis, ſicut ceſſat motus rectus, quem efficiebat. Et tandem, quia pila à nemine proiecta, ſed ſuo pondere mota deorſum, dum terram pertingit reſilire cogitur, & ſurſum moueri; cuius motus non poteſt à grauitate cauſari, ſed ab impulſu, quem ei imprimit terra; ergo eodem modo, dum proiicitur, & terram tangit, ac reſilire cogitur per motum ſurſum, mouebitur per nouum impulſum à terra impreſſum, & non à proiiciente.

30 Secunda opinio expreſſa eſt apud Ariſtotelem quòd talis motus reſilientiæ non fiat per impulſum nouum à pariete impreſſum, ſed per primum impreſſum à generante 8. lib. Phyſ. cap.4. tex. 32. his verbis: *Sicut reflexa ſphæra non à pariete reflexa eſt, ſed à proiiciente.* Quæ verba abſque fundamento detorquent Moderni ad alium ſenſum, quia non ſolùm clara ac dilucida ſunt, ſed ita expoſita ab omnibus interpretibus eandem ſententiam tenentibus præſertim à D. Thom. Soto, Tolet. & Coni. & videtur nobis vera, quæ ex contextu eiuſdem capitis euidēter deducitur: nam cum docuiſſet Ariſtot. motus grauium & leuium duplicem habere cauſam, per ſe, & per accidens, & cauſam per ſe eſſe generantem; per accidens verò illum, qui impedimentum remouet, à quo graue corpus detinebatur ſurſum ad id probandum adducit ſimilitudinem reflexæ pilæ, cuius reflexio habet cauſam per ſe, & per accidens: per ſe eſt proiiciens, & per accidens paries, qui cum motum, quo tendebat, impediret, coëgit pilam, vt eodem impetu, quo tendebat, retrocederet; & ideò per eundem impulſum proiicientis, quem repugnat eſſe cauſam per accidens reſilientiæ, cum nec impediat, nec impedimentum tollat; quare nec potuit intelligi ab Ariſtotele ſub nomine cauſæ per accidens, vt Moderni volūt.

31 Sed ratione probatur, quia impulſus à proiiciente impreſſus potens erat deferre pilam longiori motu, niſi à pariete impediretur, ſed propter impedimentum eius non ceſſat: nam etiamſi paries ei impulſum imprimeret, eiuſdem rationis eſſet cum impulſu impreſſo à proiiciente; vt fatentur aduerſarij; ergo eum non deſtrueret: ſi autem permanet, neceſſe eſt ſuum

effectum mouendi proſequatur ; non minus per motum reflexum, quàm proſequeretur per rectum, ſi non impediretur: quia de ſe indifferens eſt ad vtrumque: quare neceſſe eſt eſſe cauſam reflexionis. Secundò, quia paries immotus non poteſt imprimere impulſum: non enim poteſt eum imprimere, niſi per potentiam motiuam, quæ nihil operatur, niſi medio motu; ergo impoſsibile eſt, quòd motus reſilientiæ fiat per impulſũ ab eo impreſſum.

Ad 1. argum. concedenda eſt conſequentia, quòd paries ſolùm ſit cauſa per accidens motus reflexi impediendo directum; 32
ſed negandum, quòd eodem modo ſequatur reflexio, ſiue lapis durus, ſiue mollis ſit: nam per mollitudinem valde retardat motum pilæ, & ideò minorem efficit reflexionem aut nullam.

Ad 2. diſtinguenda eſt maior, quia duplex eſt potentia motiua, vna determinata naturaliter ad talem motum, vt grauitas, à qua non poſſunt oppoſiti motus procedere; alia indifferens ad quemlibet motum, quæ ſecundum diuerſam determinationem efficit motus diuerſos, atque etiam oppoſitos, & talis eſt impulſus, vt ſuperiùs probauimus, & ideo diuerſo modo determinatus à proiiciente per ſe; & à pariete per accidens, motum rectum, & reflexum cauſare poteſt: qui tamen, cum non fiant per eandem lineam contrarij, non ſunt, nec proinde neceſſe eſt per quietem interrumpi, ſed continuari poſſunt, & ita neceſsarium non erit impulſum proiicientis per quietem ceſſare.

Ad tertium neganda eſt minor, quòd reflexio pilæ terram tangentis procedat ab impulſu ei impreſſo à terra, ſed ab his omnibus cauſis ſimul concurrentibus, nempè ab impulſu ei impreſſo à partibus aëris motum deorſum eius vrgentibus, à leuitate lanæ, qua repleta eſt; ab aëre intra eandem lanamincluſo, & à figura etiam orbiculari, ex quibus omnes præter primam permanerent in vacuo, ſi per eum fieret motus, & ab eis poſſet cauſari aliqualis reflexio eiuſdem pilæ.

QVÆS

QVÆSTIO VI.

Quanam ſit vera cauſa ob quam motus violentus velocior eſt in medio, quàm in principio & fine.

33 PRæſupponit quæſtio velociorem eſſe motum violentum in medio, quàm in principio & fine, vt docuit Ariſtoteles 2. libro de cœlo & mundo, textu 35. & probat euidens experientia; quia ſagitta vel globus tormentarius maiorem ictum efficit in medio motus, quàm in principio & fine. Quærit verò cauſam huius, veram quidem; nam plures deſignantur apparentes, & quæ paſſim refutantur, quas conſultò prætermitto. Pro vera autem, aſſignatur hæc, quòd à principio motus violenti vſque ad medium ſuccedunt plures partes aëris impulſi habentes vim producendi in corpore proiecto plures gradus impulſus; quam ex impreſſo ei à proijciente diminuantur: poſt medium verò plus iam impulſus deficit; quàm imprimi poſſit ab eiſdem partibus aëris, & propterea motus ipſe remittitur, & tandem deficit, & præterea concurrit rarefactio aëris, & attractio eius ab eadem ſagitta ad replendum locum à ſe dimiſſum; à quibus etiam iuuatur motus eius. Has autem omnes cauſas debiliſſimas eſſe cenſeo pro tam magna differentia velocitatis motus in diuerſis partibus efficienda; propterea ex parte impulſus præcipua cauſa accipienda eſt; quæ adiuta ab eiſdem eundem effectum cauſare poſſit: impulſus igitur ſic imprimitur à proijciente, vt in ſuperficialibus partibus tanquam in proximioribus intenſior imprimatur: remiſſior verò in partibus profundioribus; tanquam remotioribus: quemadmodum lumen intenſius producitur in partibus aëris proximioribus, quàm in remotioribus quamuis in inſtanti fiat illuminatio; quia virtus limitata agentis creati non poteſt æqualem effectum producere ad inæqualem diſtantiam; ſed perfe-
34 ctiorem ad minorem: impulſus igitur primò productus in inſtanti, cum hac inæqualitate intenſionis in partibus proiecti corporis; cum ſit qualitas actiua, extenditur ad profundiores partes eiuſdem corporis ſucceſſiuè: in quibus priùs erat remiſſior, ſicque ſucceſſiuè perficitur in toto corpore per motum intenſionis & extenſionis; & fit maioris virtutis in ordine ad motum, iuuatúrque ex alia parte ab aëre impellente. Et iſtæ ſunt ſufficientes cauſæ, propter quas motus violentus velocior fit in medio, quàm in principio, dum impulſus minus extenſus, atque perfectus erat in corpore. Creſcit autem velocitas motus

motus toto tempore,quo durat extenſio impulſus: hac autem ad ſtatum perueniente incipit ſtatim idem impulſus langueſcere,& ex conſequenti incipit motus remitti,& paulatim vſq; ad finem decreſcit.

CAPVT VII.

TEX. ARISTOTELIS.

An ex vno,& alio facto principio magis erit de his manifeſtum, *&c.*

Breuis expoſitio Text.

DOCVERAT Ariſtoteles,atque probauerat in præcedentibus capitibus primum motorem eſſe perpetuum, atque ex conſequenti motum ſemper fuiſſe; vt autem ſemper fuerit, non ſatis eſſe, quod vnus motus ſeper ſucceſſerit alteri, & ita quaſi perpetua ſeries motuum efficeretur: quia cum iſti motus diuerſi non poſſent eſſe continui, non propriè dicerentur ſemper eſſe, & propterea neceſsarium eſſe, vt verum ſit ſemper fuiſſe motum; quòd detur vnus aliquis motus continuus atque perpetuus,qui ſit omnium primus, & à primo motore factus, quaſi effectus ei adæquatus. Capite autem præſenti intendit explicare, qualiſnam ſit iſte motus primus ſemper continuus, & ideò æternus cum primo motore: nempe, an ſit motus augmentationis, alterationis vel localis.Diuiditur autem in duas partes. In prima probat lationem,vel motum localem eſſe priorem cæteris, & propterea eam ſolam eſſe primum motum atque perpetuum. In ſecunda,ſolam lationem circularem inter locales perpetuā atque continuam eſſe poſſe, & ideò hanc eſſe primam primo mobili conuenientem,& à primo motore factam. 35

Aſſerit ergo primò lationem eſſe priorem cæteris motibus. 36
Quod ita probat: Cæteri motus non poſſunt eſſe ſine locali, ſed eum neceſsariò præſupponunt; ergo localis eſt prior, antecedens probat: quia augmentatio non poteſt fieri ſine alteratione præcedente; per quam diſponat alimentum: nec alteratio alimenti poteſt fieri ſine approximatione alimenti ad corpus viuens,in quo eſt calor naturalis; ergo neutra poteſt fieri ſine motu locali, & vtraque eum neceſſariò præſuponit;quare vtraque prior erit,& ideò prior ſimpliciter omni motu.Quo ſuppoſito, cum plures ſint lationes; nempè circu-

laris & recta, proſequitur Ariſtoteles intentum, contendens probare circularem eſſe omnium primam hoc argumento: Primus motus debet eſſe continuus, alioqui non erit ſemper: ſed ſolus circularis poteſt eſſe continuus; ergo ſolus iſte erit primus; minorem ſic probat, omnis motus rectus eſt à contrario in contrarium; ſed nullus motus à contrario in contrarium poteſt eſſe continuus; ergo nullus motus rectus continuus erit.

37 Probat iterum minorem, quia ſi motus, qui eſt à contrario in contrarium, poſſet eſſe continuus, maximè per conuerſionem vel reflexionem; ita vt idem ſubiectum moueatur à nigro in album, & rurſus ab albo in nigrum motu continuo; ſed repugnat talem reflexionem eſſe continuam; cùm neceſſe ſit ſub albo quieſcere aliquo tempore, vt rurſus ab eo in nigrum procedat conuerſio; ergo repugnat motum rectum eſſe continuum. Probat tandem minorem, quia motus ab vno contrario in alterum, contrarij ſunt; ergo repugnat ſimul idem corpus vtroque moueri; & repugnat vnum alteri continuari, quia continua ſunt, quorum vltima ſunt vnum; & vltima contrariorum, tanquam ſpeciem diuerſorum; diuerſa ſunt ſemper; ergo repugnat motum rectum continuum eſſe, & ideò repugnat eſſe vnum & perpetuum.

CAPVT VIII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quòd autem contingit eſſe quendam infinitum vnum exiſtentem, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

38 INTENTVM Ariſtotelis eſt proſequi confirmationem eiuſdem concluſionis probatæ capite præcedenti; nempè, quòd motus non poſſit eſſe continuus per reflexionem; neque vnus, & ideò, quòd ſolus circularis poſſit eſſe ſemper continuus, idque probat duplici ratione, quare non eget alia diuiſione caput. Prima ratio ſic procedit: latio, aut recta eſt, aut circularis, vel quodammodo mixta ex vtraque, vt ea, quæ fit per arcum ſimul, & cordam; ſed nec recta, nec mixtà poteſt eſſe continua; ergo ſola circularis erit ſemper continua, ſuppoſito, quòd aliqua datur ſemper continua. Probatur minor, quia recta fit per lineam rectam totaliter, & mixta maiori ex parte; ſed non poteſt dari linea recta infini-

infinita; ergo nec motus iſti ſecundum ſe poſſunt eſſe ſemper continui; ſed nec per reflexionem; quia motus rectus & reflexus, vt ſurſum & deorſum contrarij ſunt; ergo differunt formâ, ſed vnitas formæ requiritur neceſſariò ad continuationem motus, ſicut ad vnitatem numericam eius, vt ex lib. 5. conſtat; ergo non poſſunt eſſe continui; ſed neceſſariò debent interrumpi per quietem. Quod exemplo dealbationis, & denigrationis oſtendi poteſt, quæ in diuerſis formis fiunt, & ideò non poſſunt continuari. Secunda ratio; ſi motus rectus & reflexus continuantur, ſequitur idem corpus ſimul moueri motibus contrariis, quod patet eſſe impoſſibile. Probatur conſequentia, quia dum mobile mouetur motu continuo, ad totum illud moueri dicitur, ad quod peruenturum eſt per motum; vt ad ſtadium primum, medium & vltimum; ergo ſi motus, quo mouetur mobile ſurſum, & deorſum continuus eſt, à principio dicetur moueri ad locum ſurſum, & ad locum deorſum; cum ad vtrumque peruenturum ſit per eundem continuum motum; ſed moueri ad locum ſurſum, & ad locum deorſum ſunt motus contrarij; ergo verum eſt moueri motibus contrariis, & verè impoſſibile.

CAPVT IX.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Amplius non ſi continuum eſt tempus, & motus, ſed conſequenter, *&c.*

Breuis expoſitio Textus.

OSTENSO iam in duobus capitibus præcedentibus, quòd nullus motus poteſt eſſe continuus præter circularem; & conſequenter nullus poteſt eſſe primus præter eum; duo reſtabant probanda, primum, quòd motus ipſe circularis ſit continuus, & ideò ſolus ipſe poſſit eſſe perpetuus. Secundò, quod ſit etiam omnium primus ac nobiliſſimus, & duo hæc intendit probare capite præſenti, illud primò & hoc ſecundò; quare in duas partes diuiditur caput. 40

In prima igitur parte probat motum circularem continuum eſſe poſſe; hac ratione, nullum inconueniens ex his, quæ ſequuntur ex continuitate perpetua aliorum motuum, ſequitur ex continuatione motus circularis; ergo abſque vllo incommodo admitti poteſt; & debet continuus & perpetuus, ſuppoſito, quòd

to, quòd neceſſe ſit motum aliquem eſſe continuum & perpetuum. Antecedens probat, quia in motu circulari nulla reperitur contrarietas: non enim verſatur inter contrarios terminos, & maximè diſtantes; cum maxima diſtantia ſit per lineam rectam; ſed ab eodem in idem procedit ſemper per reflexionem mobilis, nec differunt ſpecie acceſſus, & receſſus: ſicut in motu recto; ſed idem motus circularis continuus ſunt, & cum hæc duo incommoda de contrarietate & differentia ſpecifica ſint fundamenta aliorum, quæ ſequuntur ex continuatione perpetua motus recti, ſequitur abſque vllo incommodo poſſe circularem eſſe ſemper continuum. In ſecunda parte capitis probat eundem motum circularem eſſe ſimpliciter priorem cæteris, & ex conſequente nobiliorem; nam quòd prior ſit & nobilior augmentatione & alteratione, ſuperius probatum eſt; ſed
41 etiam eſt prior ac nobilior cæteris motibus localibus; ergo erit omnium primus, omniúmque nobiliſſimus; probatur minor; quia omnis latio, aut eſt circularis aut recta, vel ex vtraque mixta, & hæc eſt poſterior aliis duabus; cum ſit ex his compoſita, & compoſitum ſit poſterius & ignobilius ſimplici; ſed inter circularem & rectam, illa eſt ſimplicior atque perfectior; ergo etiam eſt prior: Probatur minor, ex linea circulari, ſupra quam fit; quæ perfectior eſt recta; ſicut figura circularis omnium eſt perfectiſsima: non enim poteſt ſuſcipere additionem; ſicut linea recta, cui nunquam repugnat additio; quia ſemper habet principium & finem. Motus præterea factus ſuper lineam rectam non poteſt eſſe perpetuus; niſi per reflexionem: recta autem & reflexa latio non eſt vnus motus continuus, ſed multiplex, cum nec poſsit continuari; ſed neceſſariò debeat interrumpi per quietem in puncto reflexionis: circularis autem latio abſque vllo incommodo poteſt eſſe ſemper continua & vna: quòd verò multiplex eſt, poſterius & imperfectius eſt ſimplici; ergo circularis motus eſt omnium primus & nobiliſsimus.

QVÆSTIO VNICA.

An neceſſe ſit mobile quieſcere in puncto reflexionis.

42 QVatuor modis poteſt contingere reflexio: primò, ita vt vtraque pars eius ſit motus naturalis, & talis eſt motus dilatationis & conſtrictionis cordis: nam dilatatio, quaſi motus rectus eſt: conſtrictio verò quaſi reflexus. Secundo modo

contin

contingit reflexio; ita vt motus rectus violentus ſit: reflexus verò non naturalis: ſed aliqua ex parte violentus, vt dum paruo corpore ſurſum proiecto occurrit magna moles à qua deprimitur, & longè maiori vi retrocedere cogitur, quàm ſi ſuo pondere deorſum moueretur. Tertio modo videtur reflexio conſtare vtraque parte non naturali, nec violenta, ſed quaſi præter naturam, & talis eſt motus reſilientis corporis, vt pilæ verſus parietem proiectæ. Quarto modo contingit reflexio, dum poſt motum violentum ſuccedit naturalis; vt dum lapis ſurſum proijcitur; & deorſum vertitur. Quies verò duplex eſt, propria & impropria, ſeu priuatiua & negatiua. Negatiua & impropria idem eſt, ac non motus; & datur in ſingulis mutatis eſſe, & inſtantibus motus, in quibus verum eſt, mobile quieſcere negatiuè: quia verum eſt non moueri; quies verò priuatiua: cum ſit priuatio motus, non datur niſi in tempore; quia ſolùm in tempore poteſt eſſe motus.

His ſuppoſitis circa primum modum reflexionis; qui fit in 43 dilatione & conſtrictione cordis, communis eſt ſententia medicorum; quam ex Galeno refert, atque defendit Valleſ. 3. libro controuerſ. medicarum capit. 6. & controuerſia 50. ad Tyrones atque etiam Vegatiua libro de arte medendi capite vltimo, *per quietem propriam interrumpi, ſemper & neceſſariò, ita vt cor in puncto medio, quod eſt primum non eſſe, dilatationis, per breue tempus quieſcat: poſtmodum verò ab eodem puncto incipiat moueri motu conſtrictionis per vltimum non eſſe*: & ratio huius eſt; quia ſicut motus iſte eſt quaſi leuamen naturæ, ita debet paululum ab eo quieſcere, quia valdè laborioſum eſſet per totum vitæ tempus continuè moueri ſine aliquo quietis leuamine. Certum eſt etiam apud omnes reflexionem ſecundo modo factam per quietem temporaneam non interrumpi, quia ſi dum paruum corpus ſurſum tendit, & occupatur à magna mole deſcendente, per tempus quieſceret in puncto, in quo reflectitur; neceſſe etiam foret, quòd magna moles detineretur etiam per illud tempus in medio aere: quod non poteſt concedi, nec petit talis reflexio quietem, quia nec reflectitur corpus per ſe, ſed 44 quaſi per accidens, per motum alterius corporis, nec reuertitur per eandem lineam; quare nec motus contrarij ſunt, vt interruptione indigeant.

Circa tertium modum reflexionis, quo pila ad parietem proiecta retrocedit, dubium eſt; an in puncto illo, in quo verum eſt dicere parietem tangere, & motum eius directum tunc non eſſe, ſed immediatè ante fuiſſe; quieſcat pro aliquo breui tempore; antequam moueatur motu reflexionis, ita vt motus directus

directus & reflexus per illam quietem interrumpantur; vel nulla detur talis quies; ſed ſolùm interrumpatur per negatiuam, quæ eſt non motus, ſicut interrumpuntur partes motus per mutata eſſe.

45 Et prima opinio vtitur hac diſtinctione: aut corpus, quod proiicitur verſus parietem eſt perfectè planum, aut non; & ſi ſit perfectè planum, & vt tale pertingat parietem, neceſſe erit, quòd in puncto, quo eam tangit, quieſcat per breue tempus, & poſt quietem, reuertatur, quod ſic probant; quia corpora perfectè plana ſe tangunt ſecundum omnes partes; ergo neque aër medius poteſt intercedere inter illa; dum ergo ſe tangunt, non poterit vnum ab alio ſeparari, niſi ſimul ac ſeparatur, ingrediatur aër ad ſuccurrendum vacuo, ſed non poteſt ingredi aër in inſtanti ad occupandum totum illud ſpatium medium, inter corpus, & parietem in inſtanti: cum ingredi debeat per motum localem; & ideò prius ad proximiores partes; & ad occupandum totum locum in tempore; ergo nec poteſt ſimul, & in inſtanti ſeparari corpus; quin pro tempore ſtatim ſequenti detur vacuum; quod cum non ſit admittendum, neceſſariò debet per breue tempus quieſcere, & in tempore ſeparari; ita vt per primum eſſe deſinat eſſe coniunctum, & etiam deſinat quieſcere ſub coniunctione, & per vltimum non eſſe incipiat motus ſeparationis ſeu reflexionis. Si verò corpora non ſint perfectè plana, neceſſe eſt aërem eſſe medium inter vtrumque; & ideò licet ſimul ſeparetur nullum erit periculum vacui; quare nec eſt neceſſarium dari quietem mediam, per quam interrumpantur motus rectus & reflexus: ſed primum non eſſe recti, erit vltimum non eſſe reflexi, & efficient vnum motum continuum.

Noſtra tamen ſententia aſſerit hanc reflexionem ſemper, & neceſſariò interrumpi per quietem propriam, & nunquam poſſe continuari; ſiue corpus, & paries ſint perfectè plana, ſiue non. Solùm poſſet eſſe exceptio, ſi vnum eſſet perfectè ſphæricum, & aliud perfectè planum. Probatur hac ratione, quia etiamſi non ſint perfectè plana, neceſſe eſt ſe tangere, & ex ea parte, qua ſe tangunt, non dari aerem medium, licet inter alias partes medius ſit aer. Probatur hoc, quia ea, quæ ſe tangunt, debent eſſe contigua, ſed contigua ſunt, quorum vltima ſunt ſimul; ergo nullum corpus inter ea poteſt eſſe medium ex ea parte, qua ſe tangunt; ſed illa pars eſt diuiſibilis; ergo non poteſt ſimul fieri ſeparatio ex parte eius, quin aer in-

46 grediatur ad replendum locum diuiſibilem, qui per ſeparationem remanebit vacuus, ſi non repleatur; ſed non poteſt aer ſimul ingredi, ad totũ occupandũ, ſed prius ad medietatem; ergo

in tempore ad occupandum totum ingredietur, quare ſi in inſtanti ſeparetur corpus, pro aliquo tempore dabitur vacuum; neceſſe eſt ergo per breue tempus ſit coniunctum; & quieſcat, & in tempore ſeparetur, ſiue ſit perfectè planum, vel non. Si verò eſſet perfectè ſphæricum, ſolùm tangeret parietem perfectè planum in puncto; & ideò nullum daretur periculum vacui, etiamſi in inſtanti ſepararetur, quare neque eſſet neceſſaria quies inter motum rectum & reflexum.

Solùm reſtat vltimus modus reflexionis, quando vna pars eius eſt motus violentus, & alia naturalis, vt quando lapis proiicitur ſurſum, & reuertitur per motum deorſum, & de hac reflexione procedit principaliter quæſtio; an neceſſe ſit motum ſurſum & deorſum per propriam quietem interrumpi. Ita vt lapis in puncto, in quo deficit ei impulſus, quieſcat in aëre per breue tempus, & poſtmodum reuertatur, vel non quieſcat, ſed primum non eſſe motus ſurſum erit vltimum non eſſe motus deorſum, & ſolum interrumpantur per quietem negatiuam, quæ eſt non motus, ſicut interrumpuntur duæ partes eiuſdem motus continui, & efficiunt vnum motum continuum: ita motus rectus & reflexus vnus motus continuus ſint.

Prima opinio eſt multorum Modernorum aſſerentium non 47
eſſe neceſſariam talem quietem in puncto reflexionis, ſed ſolum interrumpi motum ſurſum & deorſum per quietem negatiuam, & reuera efficere vnum motum continuum. Aliqui tamen ex his, qui tenent hanc opinionem, addunt, quod licet ex natura motus ita ſit, quod motus ſurſum & deorſum non poſtulent quietem intermediam, ſed propter aliam cauſam quaſi extrinſecam ſemper & neceſſariò eam habent; & ideò nunquam continuantur, licet continuari poſſint ex natura motus. Cauſa autem interruptionis eſt, quia dum impulſus ad illum gradum remiſſionis peruenit, vt nec vincat reſiſtentiam grauitatis & medij; nec ab his vincatur; non poteſt mouere lapidem ſurſum, nec grauitas deorſum; quia nõ ſuperat impulſum; & ideò nullus motus ſequitur: ſed neceſſe eſt lapidem quieſcere per breue tempus in eodem vbi, quouſque aliquid impulſus remittatur, & grauitas iam eum ſuperans moueat lapidem deorſum. Gratia exempli, ſi grauitas lapidis ſit, vt quatuor, & medium reſiſtat, vt vnum; impulſus verò iam ſit, vt quinque, nullus ſequetur motus; quia dum reſiſtentia æqualis eſt actiuitati, nullus motus effici poteſt. Conueniunt itaque iſti omnes Moderni in eo, quòd non putant quietem eſſe neceſſariam ex natura reflexionis, ſed aliqui dicunt ſemper dari ob prædictam cauſam, & in hoc ſenſu explicant Ariſtotelē, quaſi non poſuerit

neceſſi

neceſſitatem quietis propter naturam motus ſurſum & deorſum, ſed ob eandem cauſam accidentalem; ſemper tamen, & neceſſariò concurrentem. Alij verò non putant cauſam illam eſſe neceſſariam, & ideò negant omninò aliquando mobile quieſcere in puncto reflexionis.

48 Argumentum omnium vnicum eſt, quia motus ſurſum & deorſum, nec ſunt verè contrarij, nec diſtinguuntur ſpecie; ſed ſolũ accidentaliter; ergo continuari poſſunt & fieri vnus numero motus; ita vt primũ non eſſe motus ſurſum, ſit vltimum non eſſe motus deorſum; quare ſolum dabitur inter vtrumque quies negatiua; quæ eſt non motus, ſicut datur inter partes eiuſdem motus; quæ per idem mutatum eſſe; in quo negatiuè quieſcit mobile, interrumpuntur & continuantur. Ariſtoteles verò, nec probauit motum ſurſum & deorſum eſſe contrarios; nec differre ſpecie; & ideò nec probauit propriam ſententiam, quòd neceſſariò debeant interrumpi per quietem propriam; quare nec ſententia eius tenenda eſt, tanquam parum probabilis.

49 Noſtra ſententia duo aſſerit, primum, motum ſurſum & deorſum ex propria natura poſtulare quietem intermediam per quam interrũpantur: hoc eſt, expreſſum apud Ariſtotelem in his tribus capitibus, in quibus non ſolùm aſſeruit ſed probauit ſolùm motum circularem poſſe eſſe continuum per reflexionem; & ideò hunc ſolùm poſſe eſſe perpetuum: motum verò rectum nullo modo continuari poſſe, ſed inter motum ſurſum & deorſum per ſe, & neceſſariò dari quietem. Quod probauit duplici argumẽto, primo; quia motus ſurſum & deorſum diſtinguuntur ſpecie: ſecundo, quia contrarij ſunt; quæ autem ſpecie diſtinguuntur, & contraria ſunt, continuari non poſſunt; ſed neceſſe eſt diuerſa ſemper eſſe; & ideò motus ſurſum & deorſum nullo modo poſſunt continuari, ſed neceſſariò, & ex natura eorum datur quies intermedia in puncto reflexionis per quam interrumpuntur. Hanc ſententiam ſequitur D. Thomas & plures alij interpretes in his capitibus, & nos eã probabiliorem reputamus, quia in 5. lib. probauimus efficaciter ex diſtinctione ſpecifica grauitatis & leuitatis diſtingui ſpecie motus ſurſum & deorſum, & cõtrarios eſſe licet non proprijſſima contrarietate, ſufficienti tamen ad motum localem, quo ſuppoſito neceſſarium eſt, quòd continuari non poſſint; ſed per quietem interrumpi debeant. Ibidem etiam ſoluimus argumenta Modernorum, quibus probant non diſtingui ſpecie, nec eſſe contrarios; & ideò hoc loco nec argumenta noſtra nec ſolutiones argumentorum alterius opinionis putamus repetenda.

Secundò aſſerimus vtramque ſententiam Modernorum expreſſè contrariam eſſe Ariſtoteli: probatur euidenter; quia Ariſtoteles ideò ponit quietem inter motum ſurſum & deorſum, quia ſpecie differunt, & contrarij ſunt; ergo ſentit naturam eorum eam poſtulare; ſed Moderni omnes conueniunt in eo, quòd nec ex natura motus, nec per ſe ſit neceſſaria; ſed qui eam ponunt, ſolùm eſſe neceſſariam aſſerunt propter aliam cauſam extrinſecam, vel accidentalem; ergo omnes ſentiunt contrarium opinioni Ariſtotelis.

Hoc loco ſolent Moderni quidam diſputare: quænam ſit cauſa ob quam motus naturalis velocior eſt in fine; quàm in principio & medio: locus tamen proprius eius eſt in 3. lib. de cœlo & mundo, tex.88. vbi hanc quæſtionem diſputant interpretes Ariſtotelis, & in eundem locum eam nos remittendam cenſemus; quia in præſenti eam non tetigit Ariſtoteles, & (Deo bene iuuante) diſcuntur à nobis in noſtris Commentariis ſuper libros Ariſtotelis de cœlo & mundo mox prælo committendis. Hæc igitur ſuper octo libros Phyſicorum Ariſtotelis ſcripſiſſe ſufficiat ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Virginis Deiparę ac beati Thomæ, cuius doctrinam ſequimur.

***

LAVS DEO.

INDEX

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM,

QVÆ IN HIS OCTO LIBRIS Ariſtot. de Phyſico auditu, ſeu auſcultatione continentur.

Litera l, librum. Litera c, caput. Litera q, quæſtionem. Litera t, tractatum. Litera n, numerum denotat.

A

Accidens.

ACCIDENTIA *naturalia producta per diſtinctam & propriam actionem à ſubiectis educuntur de potentia illorũ.l.1.t.2.de forma. q.3.n.26.*

Propria virtute nõ poſſunt attingere productionem ſubſtantiæ, bene tamen virtute ſubſtãtiæ cuius ſunt accidentia. lib. 2.tr.4. de cauſa efficient.q.4.nu.42.

Ad producenda alia ſimilia in ſpecie non concurrunt, vt inſtrumenta, ſed vt cauſæ principales. ibid.q. 5.num.49.

Si corporea ſint, habẽt proprias partes entitatiuas & propria indiuiſibilia, quibus vniuntur. l.6. t.de comp.continui.n.50.

Eodem numero non poſſunt eſſe in diuerſis ſubiectis adæquatis, nec inadæquatis.lib.5.cap.4.q.2. num.34.

Actio.

Actio eſt cauſalitas cauſæ efficientis.lib.2.tract.4. de cauſ.efficient.q.1.nu.10.

Eadem eſt primæ & ſecundæ cauſæ concurrentis ad effectum. ibid.q.9.num.4.

Actus.

Omnes actus humani ſunt propter finem, & ex conſequenti effectus cauſæ finalis. lib. 4. tr.de cauſa finali.q.6.nu.57.

Æternitas.

Æternitas eſt, interminabilis vitæ tota ſimul, ac perfecta poſſeſſio.lib.4.tra.poſt.de æternit. & æuo.num.76.

Prout attributum diuinũ non includit aliquem reſpectum rationis.ibid.nu.76.

Nec vt definita à Boetio, ſed nec vt à nobis intellecta.ibid.

Participata eſt eadem genere cum æuo, & diſtincta ſpecie ab eo,

Secundò aſſerimus vtramque ſententiam Modernorum expreſſè contrariam eſſe Ariſtoteli: probatur euidenter; quia Ariſtoteles ideò ponit quietem inter motum ſurſum & deorſum, quia ſpecie differunt, & contrarij ſunt; ergo ſentit naturam eorum eam poſtulare; ſed Moderni omnes conueniunt in eo, quòd, nec ex natura motus, nec per ſe ſit neceſſaria; ſed qui eam ponunt, ſolùm eſſe neceſſariam aſſerunt propter aliam cauſam extrinſecam, vel accidentalem; ergo omnes ſentiunt contrarium opinioni Ariſtotelis. 5

Hoc loco ſolent Moderni quidam diſputare; quænam ſit cauſa ob quam motus naturalis velocior eſt in fine; quàm in principio & medio: locus tamen proprius eius eſt in 3. lib. de cœlo & mundo, tex.88. vbi hanc quæſtionem diſputant interpretes Ariſtotelis, & in eundem locum eam nos remittendam cenſemus; quia in præſenti eam non tetigit Ariſtoteles, & (Deo bene iuuante) diſcutur à nobis in noſtris Commentariis ſuper libros Ariſtotelis de cœlo & mundo mox prælo committendis. Hæc igitur ſuper octo libros Phyſicorum Ariſtotelis ſcripſiſſe ſufficiat ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Virginis Deiparę ac beati Thomæ, cuius doctrinam ſequimur.

***

LAVS DEO.

INDEX

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM,

QVÆ IN HIS OCTO LIBRIS Ariſtot. de Phyſico auditu, ſeu auſcultatione continentur.

Litera l, librum. Litera c, caput. Litera q, quæſtionem. Litera t, tractatum. Litera n, numerum denotat.

A

Accidens.

ACCIDENTIA *naturalia producta per diſtinctam & propriam actionem à ſubiectis educuntur de potentia illorũ.l.1.t.2.de forma. q.3.n.26.*

Propria virtute nõ poſſunt attingere productionem ſubſtantiæ, bene tamen virtute ſubſtãtiæ cuius ſunt accidentia. lib. 2.tr.4. de cauſa efficient.q.4.nu.42.

Ad producenda alia ſimilia in ſpecie non concurrunt, vt inſtrumenta, ſed vt cauſæ principales. ibid.q.5.num.49.

Si corporea ſint, habẽt proprias partes entitatiuas & propria indiuiſibilia, quibus vniuntur. l.6. t.de comp.continui.n.50.

Eodem numero non poſſunt eſſe in diuerſis ſubiectis adæquatis, nec inadæquatis.lib.5. cap. 4.q.2. num.34.

Actio.

Actio eſt cauſalitas cauſæ efficientis.lib.2.tract.4. de cauſ.efficient.q.1.nu.10.

Eadem eſt prima & ſecundæ cauſæ concurrentis ad effectum. ibid.q.9.num.4.

Actus.

Omnes actus humani ſunt propter finem, & ex conſequenti effectus cauſæ finalis. lib. 4. tr.de cauſa finali.q.6.nu.57.

Æternitas.

Æternitas eſt, interminabilis vitæ tota ſimul, ac perfecta poſſeſſio.lib.4.tra.poſt.de æternit. & æuo.num.76.

Prout attributum diuinũ non includit aliquem reſpectum rationis.ibid.nu.76.

Nec vt definita à Boetio, ſed nec vt à nobis intellecta.ibid.

Participata eſt eadem genere cum æuo, & diſtincta ſpecie ab eo,

& cæteris durationibus, tanquam propria duratio formalis beatitudinis. ibid. num. 83.

Aeuum.

Aeuum eſt duratio indiuiſibilis tota ſimul, & inuariabilis ex propria natura. ibid. 4. tract. poſt. de æternit. & æuo. num. 72.

Non eſt duratio omninò perpetua, ſed aliquam habens perpetuitatem dependentem à parte poſt. ibidem.

Angelus.

Angelus non poteſt ſua virtute efficere vacuum. l. 4. t. de vacuo, q. 2. num. 17.

Anima.

Anima rationalis non ducitur de potentia materiæ, ſed creatur à Deo materia diſpoſita ab agente creato, à quo attingitur vnio eius cum corpore. l. 1. t. 2. de form. q. 1. n. 11.

In corpore habet ſubſiſtentiam partialem. ibid. q. 5. num. 44.

Non poteſt negari, quod à corpore ſeparata, habeat propriam ſubſiſtentiam partialem. ibid.

Non poteſt propria virtute vniri corpori, etiam vltimat. diſpoſ. l. 2. t. 3. de cauſ. form. n. 81.

Vegetatiuæ & ſenſitiuæ verè, & propriè conuenit definitio naturæ ibid. c. 1. q. 3. n. 29.

Apprehenſio.

Apprehenſio ſolum eſt conditio reſpectu cauſæ final. lib. 2. t. 5. de cauſ. final. q. 5. n. 41.

Ars.

Ars non poteſt attingere opera naturæ tanquam cauſa per ſe, ſed applicando actiua paſſiuis. l. 2. c. 1. q. 4. n. 39.

Artificiale.

Artificialia per naturalia realiter diſtinguuntur. lib. 2. artic. 1. q. 4. num. 43.

B

Bonitas.

Bonitas realis finis, poſſibilis, vel actu exiſtens, vera, vel ſolum apprehenſa eſt ratio formalis mouendi voluntatem lib. 2. t. de 5. cauſ. fina q. 6. n. 41.

Bonum.

In bonum incognitum, non poteſt voluntas tendere. ibid. qu. 4. num. 36.

C

Caſus.

Caſus eſt cauſa per accidens in his, quæ ſola ratione materiali operantur propter finem raróque contingunt lib. 2. cap. 6. de caſu & fortuna. q. 1. n. 7.

Caſualis effectus talis etiam dicitur per ordinem ad cauſas vniuerſales præter primam, à qua per ſe intentus & ordinatus eſt. ibid. num. 8.

Caſus diſtinguitur à forma, quia reperitur etiam in cauſis naturalibus. ibidem.

Cauſa.

Cauſa eſt principium per ſe influens in effectum. lib. 2. tit. de cauſ. q. 1. nu. 53.

Cauſæ quatuor, ita vt nec plures nec pauciores ſint. ibid. n. 56.

Efficiens.

Efficiens eſt primum principiũ per ſe, à quo procedit actio vel motus, atque effectus. ibid. tr.4. de cauſ.effic. q.1. num.10.

Cauſa ſecundæ veram habent virtutem operandi communicatam à primo efficiente & etiam veram cauſalitatem. ibid. q.2.n. 22.

Concurrunt ad generationem per ſuas virtutes.ibid.q.6.n.58.

Cauſa prima per ſe, & immediatè concurrit ad omnes effectus, & actiones ſecundarum.ibid.q.7. num.69.

Cauſalitas.

Cauſalitas materiæ reſpectu formæ,& compoſiti in fieri eadem eſt realiter,nempe generatio paſſiua,vel eductio paſſiua formæ de potentia materiæ. lib.2. tract. de cauſa mater.num.65.

Materiæ in facto eſſe,tam reſpectu formæ quàm compoſiti eſt vnio ſubſtantialis cum eadem forma.ibid.n.66.

Forma reſpectu materiæ & cõpoſiti eſt vnio ſubſtantialis per quem ſibi vnit materiam. ibid. tr.3.de cauſa form.n.74.

Cauſalitas efficienti eſt actio. t.4.de cauſ.efficien.q.1.n.10.

Cauſalitas finis eſt ipſa actio in quantum gratia ipſius elicita eſt à voluntate.ibid.tr.5.de cauſ. final.23.num.30.

Cognitio.

Ad cognitionem qualemcunque quidditatiuam rei requiritur cognitio omnium prædicatorum eſſentialium & cauſarum.lib.1. cap.1.q.1.n.26.

Ad comprehenſiuam talem ſimpliciter ſatis eſt cognoſcere omnia prædicata eſſentialia, proprietates & cauſas.ibid.n.27.

Ad hanc nõ requiritur,vt accidentalia prædicata cognoſcantur.ibid.

Continuum.

Omne continuum habet partes proportionales actu infinitas.lib.6 tra.de compoſ.continui.n.40.

Non componitur ex indiuiſibilibus tanquam ex partibus, ſed tanquam ex vnionibus partium. ibid.n.45.

Indiuiſibilia in ipſo ſunt actu infinita.ibid.num.15.

Et etiam in eo ſunt lineæ infinita.ibid.n.19.

Corpus.

Naturaliter non eſt poſſibile duo corpora eſſe in eodem loco. lib. 4.tract.de loco.q.5.num.53.

Poſſunt eſſe in eodem loco per potentiam Dei abſolutam,nec expellit vnum alterum ab eodem loco effectiuè,ſed formaliter. ibid.q. 6.num.62.

Vnum corpus poſſe eſſe in duobus locis, & non poſſe, probabile eſt.ibid.q.7.num.71.

Si poneretur à Deo in duobus locis poſſet calefieri in vno, & non alio, ſed calorem in vtroq; habere neceſſarium foret. ibid. num.83.

Fore in vno loco viuum,& in altero mortuum implicat contradictionem. ibid. Perfectè ſphæricū non poteſt tangere perfectè planum, niſi in puncto. lib. 6. t. de compoſitione continui.n.13.

Creatio.

Creatio eſt productio rei ex nihilo.lib.1.tra.2.de forma.q.16.

D

Definitio.

DEfinitio naturæ optima eſt, & conuenit corporibus cœleſtibus lib.2.c.1.q.1.num.13. Definitio temporis tradita ab Ariſtotele optima eſt & eſſentialis lib. 4. t.prior.de tempore.q.2.num.33.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio rerum naturalium non permittit dari vacuum in rerum natura.lib.4.tr. de vacuo.q. 3.num.21.

E

Effectus.

Non implicat cōtradictionem, quod duæ cauſæ ſimul concurrant ad eundem numero effectum. lib. 2.8.7. de comp.cauſarum. q.1. n. 88. Non eſt impoſſibile quod idem numero effectus poſſit diuiſim procedere à diuerſis numero agentibus.ibid.q.2.num.96.

Ens.

ENs mobile, ens naturale, corpus mobile, corpus naturale, ſubſtantia mobilis, ſubſtantia naturalis conuertuntur in proœm.n. 9. Ens mobile eſt obiectum Philoſophiæ naturalis.ibid.nu. 11. Atq; etiam eſt ſubiectum huius operis. ibid.nu.18. Corporeum eſt primū cognitum à nobis cognitione actuali confuſa.lib.1.cap.1.q.3.n.46.

Exemplar.

Exemplar eſt forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem l. 2. t. 6. de cauſa exemplari.q.1.n. 64. Non eſt conceptus obiectiuus, ſed formalis, quem agens intellectuale format apud ſe dum operatur. ibid.q. 2.n.69. Non eſt cauſa formalis propriè, nec ad eam pertinet, ſed potius ad cauſam efficientem, non reductiuè, ſed propriè ſicut ſpecies eius.ibid.q.3.n.80.

F

Fatum.

FAtum non eſt admittendum iuxta ſignificationes antiquorum, bene tamen iuxta noſtram lib.2.6. 6.de fato & fortuna. qu. 2.num.15.

Finis.

Finis eſt cuius gratia aliquid fit l.2.t.5.de cauſ.final. q.1.n. 14. Eſt vera cauſa non ſolùm moralis ſed etiam phyſica & realis ibid.n. 14. Duplex eſt proximus & vlt. ibid.n.9. Ratio formalis & obiectiua, per quam monet voluntatem, eſt ipſa ratio bonitatis vera vel apprehenſa. ibid. q. 2. n. 19. Cauſa per apprehenſionem ſine qua implicat contradictionem eſſe actualem cauſam.ibid.q.5.nu. 41. Ipſius cauſalitas eſt actio in

quan

quantum gratia eius elicita eſt à voluntate. ibid.q.3.n. 30. Omnes actus humani ſunt propter finem ibid.q.6.n.57.

Forma.

Forma eſt actus ſubſtantialis vnum per ſe conſtituens cum materia.l.1.t.2.de forma.q.1.n.3. Formæ materiales educuntur de potentia materiæ.ibid.n. 11. Cœlorũ & Elementorum eductæ fuerunt de potentia materiæ in prima mũdi conditione, nec potuerunt naturaliter produci per creationem totalem vel partialem.ibid.q.2.n. 13.& 14. Artificiales educuntur de potentia ſubiectorum ibid.q.3. n.30.Subſtantiales materiales non habent proprias ſubſiſtentias partiales.ibid.q.6.n. 36. Forma verè & propriè eſt natura.l.2.c.1.q.2. n. 16. Per ſuam eſſentiam poteſt cauſare,& non per virtutem ſuperadditam ibid.t.3. de cauſ. formal.n.71.Cauſalitas illius reſpectu materiæ,& compoſiti eſt vnio ſubſtantialis, per quam ſibi vnit materiam ibid.n.71.

Fortuna.

Fortuna aliquid eſt, nec ita eſt aliquid,vt ſit diſtinctum à quatuor generibus cauſarum.l.2.c. 6. de caſu & fortuna.n.5. Eſt cauſa per accidens in his, quæ agunt propter finem raroque contingunt. ibid.n. 9. Non dicitur de prima cauſa,neque vt talis eſt effectus eius,ſed per ſe ordinatus & intẽtus ab ea, ſed fortuna dicitur de cauſa ſecunda,præter cuius intẽtionem euenit ibid.n.11. Diſtingui tur à caſu,quia ſolum reperitur in cauſis liberis. Nomine fortunæ propriè, & ſine periculo vti poſſumus.ibid.num.10.

G

Generatio.

Ad generationem neceſſarium eſt,quod materia prius tẽpore ſit ſub priuatione formæ. l.1.t. 2. de forma.q 2.nu.20.

Graue,& grauitas.

GRauia & leuia mouentur à generante, tanquam à cauſa principali, & prox. à forma propria,grauitate & leuitate, vt ab inſtrumentis.l.8.cap.4. qu. 1.num. 57. Grauitas & leuitas ſunt potentiæ naturales diuerſæ ſpeciei. Non producunt alias ſimiles.ibid. Non expellunt impulſum nec expelluntur ab eo.ib.n.58. Efficiunt motus ſurſum & deorſum ſpecie diſtinctos,quamuis non omninò propriè contrarios, ſed per eos diſtinguuntur ſpecie,non per alios fines ad quos ordinantur. ibidem.

I

Impulſus.

IMpulſus impreſſus corpori neceſſarius eſt ad motum violentum.l.8.tract. 2. de motu violento.q.1.num. 5. Conueniunt omnes impulſus in ſpecie atoma, & diſtinguuntur ſpecie à grauitate & leuitate,ſed inter ſe ſolum.n.ibid. q.2.n. 13. Educuntur de potentia corporis,cui imprimuntur.ibid. q. 3.n.18. Solum efficiunt motum localem,tanquam inſtrumenta pro-

 ijcientis,

iycientis,non vt cauſæ principales. Imprimuntur corpora ins inſtāti per ſe,per accidēns etiam in tēpore. ib.q. 4.n.26. Per impulſū impreſſū à proiiciēte fit reflexio pilæ à pariete, & in puncto reflexionis quieſcit.ibid.q.5.n.9.

Inceptio.

Res ſucceſſiuæ incipiunt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primum non eſſe.l.6.t.de inceptione & deſitione rerum. num. 90. Quies priuatiuè ſumpta incipit per vltimum non eſſe, & deſinit per primum non eſſe.ibid.num.91. Indiuiſibilia incipiūt per 1. eſſe & deſinūt per vltimum ſui eſſe.ibid.n.93. Res permanētes materiales incipiūt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. ibid. n. 101. Non implicat contradictionem, quod res incorruptibiles & ſpirituales per vltimum eſſe deſināt, bene tamen quod per vltimum non eſſe incipiant. ibidem numero. 107. & 108.

Indiuiſibile.

Plura ſunt indiuiſibilia in continuo, & non vnum.l.4.tr.prior.de tempore q.2.n. 38. Non ſolùm ſunt ponenda terminatiua, ſed etiam continuatiua omnium partium proportionalium.l.6.t.de compoſit. continui.n.12. Omnia quibus terminatur continuum, & copulantur eius partes actu ſunt in eo.ibid. n. 14. In quolibet continuo ſunt actu infinita.ibid.n.15. Non diſtinguuntur à partibus, tanquam res, ſed tanquam modi.ibid.n.25. Non vniuntur partibus per alios modos vnionis, ſed ſeipſis.ibi Non poſſunt ſeparari à partibus, vt ſeparata conſiſtant.ibi. Nec ſi per impoſſibile ſepararentur, poſſent moueri vllo genere motus, etiam per potentiam Dei abſolutam quæſt.vltima.

Infinitum.

Infinitum eſt cuius partibus quibuſcunque acceptis aliæ reſtant accipiendæ in infinitum,l.3.tract.2 de infinito. q. 1. n.69. Naturaliter poteſt dari ſecundùm extenſionem, & intenſionem permitationis. ibi. n.75. Deus cognoſcit illum actu.ibi. q.2.n.78. Impoſſibile eſt in aliquo genere rerum.ibid.q.3.n.85. Sub ratione materiali vnum eſt maius altero, non ſub formali.ibid.

Inſtans.

Nunc ſeu inſtans temporis eſt indiuiſibile. l.6.c.3.n.56 In inſtanti indiuiſibili nihil poteſt moueri, nec propriè quieſcere. ibidem num. 57.

L

Locus.

Locus an ſit, quid ſit, & qualis ſit.l.4.c.1.n.1. Eſt vltima ſuperficies corporis continentis, & non interuallum.ibid.t.de loco. q.1 n.23. Nec eſt materia nec forma. ibidem. cap. 2. n. 4. Duobus

bus modo aliquid mouetur localiter per ſe, & per accidens. ibid. c.4.nu.9. Non debet habere trinam dimenſionem. ibid. qu.2.nu. 25. Ipſe & ſuperficies in ratione quantitatis continuæ non diſtinguuntur ſpecie. ibid. nu.2 . Solum addit ſupra ſuperficiem continentiam locati. ibid. Pro materiali includit ſuperficiem, pro formali verò continentia locati. ibid. Eſt immobilis per præſentiam ad ſpatium & diſtantiam à polis ibid. q.3.num.40.

M

Materia.

MAteria eſt primum ſubiectum ex quo ſit aliquid, cum inſit, non ſecundū accidens. l.1.t.1.de materia. q.2.nu.9. Eſt pura potentia nullum includens actum ſubſtantialem. ibid.nu.12. habet propriam exiſtentiam & ſubſiſtentiam partialem à ſe. ibid.q.3. & 4.n.19.& 26. Diuina virtute poteſt exiſtere ſine forma abſque nouo modo illi tributo. ibid.q.1.n. 32.& 35. Potentia paſſiua eſt eſſentia ipſius ibi q.6.n.38. Habet appetitum ad formam incompletum rationeq; à ſe dictum. ibid. n 41.44.& 45. Aequaliter petit omnes formas. ibid.nu 50.51. & 53. vna eſt ſpecie. ibi.q.7.nu. 56. Ex propria ratione non habet, quod tota ſit vna numero, nec quod multiplex, ſed per diuiſionem diuerſæ formationis. ibid. q.8.n 80. Proprietates eius ſunt, quod ſit ingenerabilis & incorruptibilis. ibi.q.9.n.63. Quod propriam habeat durationem. ibid. Quod ex ſe nullam habeat actiuitatem ibi n.64 Quod ſemper ſit coniuncta alicui formæ cum qua actu componat totum. ibid. num.63.

Mathematica.

Prius doceri debent Mathematicæ, deinde Philoſophia naturalis, poſtea moralis, & tandem Metaph. in Proœm.n.14. Solum demonſtrant per cauſam formalem & materialem. lib primo, cap.1.quæſt.2 num.39.

Motor.

Euidenter probauit Ariſtot. dari primum motorem indiuiſibilem & incorporeum, vnum & omninò immobilem atque perpetuum. lib.8 cap.4.qu.2. num.98. & 101.

Motus.

Motus eſt actus entis in potentia, prout in l.5.c.2.q.vnic.n. 7. Per ſe datur ad quantitatem, qualitatem, & vbi, & ad nullum aliud. ibid.n.13.16 19. A ſolo termino ad quem ſumi vnitatem genericam & ſpecificam: numericam verò non ſolùm à ſubiecto, tempore & forma, ſed etiam ab vno numero agente. ibid.c.4.q.1. n. 26. In motu locali datur ſufficiens contrarietas, licet non adeò propria. ibid. cap.6. qu.1.nu.5 2. Non datur primum indiuiſibile, nec dari poteſt à quo incipiat. l.6. c.6.q.vnica.nu.80.

Mundus.

Non potuit mundus ſicut modo eſt fieri ab æterno, ſed potuit fieri ab æterno aliqua creatura permanens, & ſub operatione inuariabili, vel ſub nulla. l. 8. tit. de ætern. mundi. qu. 1. nu. 9. Succeſſiua, vt motus & tempus non potuerunt eſſe ab æterno, nec generationes & corruptiones ſecundum ſucceſſionem, quam modo habent. ibid. q. 2. & 3. n. 27. & 36.

N.

Natura.

N*Atura eſt principium motus, & quietis eius, in quo eſt primò, ac per ſe, & non ſecundum accidens. l. 2. c. 1. n. 2. Definitio optima eſt, & conuenit corporibus cæleſtibus. ibi. q. 1. n. 13. Perfectior eſt arte ſimpliciter minus tamen perfecta ſecundum quid. ibi. q. 4. n. 39. Opera ipſius non poteſt attingere ars, tanquam cauſa per ſe, ſed applicando actiua paſſiuis. ibid. n. 30. Naturalia & artificialia diſtinguuntur realiter. ibi. n. 43. Sumpta pro ſecundis cauſis naturalib. non intendit monſtra per ſe primaria intentione bene tamen ſecundaria. ibid. c. 9. q. vni. n. 44. & 45. Sumpta pro cauſa prima producente & ordinante ſecund. as, tam particulares quàm vniuerſales monſtrũ per ſe intendit. ibid. n. 50. Non temerè, nec caſu agit in ſuis operationibus, ſed propter finem. lib. 2. cap. 8. q. vnica. num. 26.*

P

Principium.

P*Rincipium & cauſa ſe habent tanquam ſuperius & inferius prædicatum. lib 1. c. 4. q. 2. n. 95. Principia rei naturalis ſunt contraria contrarietate prima. ibid. cap. 5. q. 1. num. 96. & 97. Principia rei naturalis tantum ſunt tria ibid. cap. 7. q. 1. 100. Principium materiale rerum naturalium neceſſariò ponendum eſt, quod vnum tantum eſt & incompletum. ibid tract. 5. de materiali 1. num. 7. & 8.*

Priuatio.

Priuatio eſt negatio formæ in ſubiecto apto. lib. 1. tit. 3. de priuat. q. 1. num 7. & 11. Non eſt entitas realis poſitiua. ibid. Non eſt formaliter & eſſentialiter ens rationis. ibid. q. 1. num. 11. Eſt principium per ſe generationis rei naturalis diſtinctum realiter à materia & forma diſtinctione reali negatiua. ibid. q. 3. nu. 26. & 31. Non eſt vniuocè natura cum materia & forma, ſed analogicè. ibid. q. 2. num. 24. Non eſt vera cauſa appetitus, licet ſimilitudinem cauſæ habeat. ibid. tit. de materia. q. 6. num. 54. Vna eſt priuatio proxima ſecundum ſpeciem & numerum in vna materia, licet plures ſint remotæ. lib. 1. tit. de priuatione. num. 19. & 21.

Q

Qualitas.

Q*Valitates & cætera accidentia corporea habent proprias partes entitatiuas, non acceptas à quantitate, atq; etiam indiuiſibilia lib. 6. tract. de comp. continui. num. 50. Non omnes terminant motum per ſe, ſed illæ tantum, quæ pertinent ad tertiam*

tiam ſpeciem lib. 5. cap. 2. q. vnica. num. 16.

S

Subſtantia.

Subſtantia concurrit ad generationem alterius mediis accidentibus. lib. 2. tract. 4. de cauſ. efficient. q. 6. num. 55. Non præſtat vllum influxum, præter eum, quem præſtat per accidentia. Nec eſt neceſſariũ, vt Deus ſuppleat concurſum eius, ſed ſufficit ille, quem per accidentia præſtat ad productionem effectus, & vt ei attribuatur. ibid num. 6.

T

Tempus.

Optima & eſſentialis eſt eius definitio. lib. 4. tract. prior. de tempore. q. 2. num. 33. Nullum complementum accipit ab intellectu. ibid. q. 1. num. 21. Plura ſunt indiuiſibilia in illo. ibid. q. 2. num. 38. Si conſideretur ſecundum eſſentialia, tot ſunt tempora quot motus. ibid. q. 3. nu. 43. Ex natura rei diſtinguitur ab actuali exiſtentia eius, ſicut duratio qualibet ab exiſtentia rei. ibid. q. 4. num. 52.

Totum.

Totum non includit tertiam entitatem præter partes, vt vnitas, & ita ſolùm diſtinguitur ab eis diſtinctione rationis ratiocinata lib. 1. cap. 3. q. 1. nu. 67.

V

Vacuum.

Non permittit dari vacuum diſpoſitio rerum naturalium. lib. 4. tract. de vacuo. q. 1. num. 10. Virtute Angelica non poteſt vlla ratione dari. ibid. q. 2. num. 17. Dato vacuo fieret motus per illud, & nullo modo in inſtanti. ibid. qu. 3. num. 21.

Vnio.

Modus vnionis eſt inhærentia formæ ſubſtantialis in materia per informationem. lib. 1. tract. 2. de for. q. 6. num. 62. Non ſubiectatur in forma, nec educitur de potentia eius, ſed ei adhæret, & de potentia materiæ educitur, in qua inhæret. ibid. num. 65. Vna eſt & non plures pro materia & forma, & hæc corporea. ibid. num. 6.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google